


17/IV/71
66hjo

Borba de Moraes:
Bibl. Brasil. p. 274
"This work contains the biographies
of many Ignatians of Brazil.
It is very rare".



ANNUS GLORIOSUS SOCIETATIS JESU IN LUSITANIA,

Complectens

Sacras Memorias illustrium

Virorum, qui virtutibus, sudoribus, sanguine Fidem, Lusitaniam, & Societatem JESU,

IN

Asia, Africa, America, ac Europa

felicissimè exornarunt,

Succinctâ narratione congestas

A

R. P. ANTONIO FRANCO

Ejusdem Societatis Theologo.



Cum Superiorum Permissu, ac Privilegio S. Cæs. Cath. Majestatis.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Sumptibus Joan. Mich. Christophori, Bibliopolæ Academici,

auff dem Kohlmarckt / apud Anchoram auream.

Typis Joannis Baptistæ Schilgen, Universitatis Typographi,

ANNO M.DCCXX.



CHRISTO
Rerum omnium Domino,
AC
DEO SUPREMO,
De Cruce Suspenso.

CIrcumſpicienti mihi, cui dicarem *Annum Glorioſum Societatis JESU in Luſitana Provincia*, non potuit occurrere nomen aliud, niſi Tuum, Mi Domine, Rex dolorum patientiſſime, Crucis patibulo affixe, ut ſolveres genus humanum infelicibus, quibus ſe innexuerat, vinculis. Permotus ſum tum communibus, tum privatis rationibus. Sub Tuæ Crucis vexillo militârunt Illuſtres Animæ, quas, velut Myrrhæ probatiſſimæ faſciculum, Tibi ſiſto, & conſecro in hoc meo labore, quem cupio, ſit unicè Tuus. Quidquid Virtutum in eo legitur, Tuæ Crucis tanquam arboris feliciſſimæ, ac fœcundiſſimæ, & fœtus & fructus eſt. Quamplurimi, dum propagant hanc arborem, & plantant apud incultas nationes, eam ſuo rigârunt ſanguine, quem ſolum voluerunt, ut pro

Te effunderent, utque ista firmiores ageret radices, nulli cessuras procellæ, aut manui violentæ. Alii, quòd ipsis non contigit felicitas rigandi sanguine, id suppleverunt immensis sudoribus, quibus glebam, & cespitem durissimos, scilicet hominum corda saxea, emolliêre figendæ, & admittendæ Crucis arbori. Vix est ulla sub Sole, & Cœlo Regio, cui Te Crucifixum Lusitana Societas non importârit. Te gentibus, quas feceras, notum fecêre; cùm nihil minus scirent, quàm Te suum Factorem. Imò cùm Deum Crucifixum reputarent stultitiam, & offendiculum, sibi tandem horum victæ rationibus, & exemplis persuaserunt, in Te latére sapientiæ Thesauros omnes, & hactenùs per summam ignorantiam se coluisse pro luce tenebras, pro die noctem, pro Deo lapides, & pro sapientia stultitiam. Propterea, cùm hos Heroes Tuæ gloriæ prolatandæ elegeris administros, æquum non erat de ipsis brevia monumenta sub alio nomine, quàm Tuo, in lucem prodire; nam lumen, quo splenduêre sine fumo, Tuum fuit. Concessisti abundè radios, quibus se ipsos exornarent, & illustrarent alios, nubes densas excutiendo, ac difflando, quæ se interposuerant inter Te Deum verum, & Nationum mentes ad id tempus jacentes in umbra mortis. Mihi etiam speciales Tecum rationes intercedunt, ut Tibi Domino, ac Deo meo vilissimus servus hujuscemodi præstem obsequium. Recordor enim illius fatalis noctis, cùm me sicarius sub nomine fictæ confessionis Medici morientis excipiendæ nominatim 1. Junii An. 1707. Cetobricæ vocavit, & cultro invasit fauces meas abscindendas, & avellendum ex humeris caput; cùm primo ictu ex voto res non contigisset, lacerato collo, & facie sinistra crudelem in modum, sibi consuluit citatissimâ fugâ defensus tenebris opacæ noctis. Id tantùm dolebo, dum hos artus reget spiritus, quòd non posuerim animam sub eo vulnere, ut avulsum caput ex parte foret simile capiti S. Joannis Baptistæ. Honore tanto dignus non eram. Beati, quos elegisti, & assumpsisti: Ferebam mecum intra sinum pectori appressum simulacrum Tui de Cruce pendentis, ut ejus conspectu morientem adjuvarem: totum est respersum effuso sanguine. Conquestus ego de meo sanguine,

quòd

quòd totus pro te non ſit profuſus, meumque plorans infortunium in ipſa morte effugienda, conceptum dolorem his olim ſignificavi Carminibus:

Qui me culter atrox, & te quoque ſanguine tinxit,
Dum ſinui incluſum te fero, Chriſte, meo;
Pars Tibi fuſa, meis pars conſtitit altera venis;
Ceu non auſa artus tangere iniqua tuos.
Infelix ſanguis, letho infelicior omni!
Heu pudor authori noxius ipſe tuo!
Si totus flueres, Chriſti quoque totus & eſſem:
Nam mihi Martyrii Palma tenenda foret.
Nunc vivo incertus, maneat qui me exitus: Oro,
Unicus ut finis ſis mihi, Chriſte meus.
Da, pro Te moriar; vel da, Tibi vivere ſolùm;
Da, Tibi ſim vivens; da, Tibi ſim moriens.

Quòd, piiſſime Domine, non permiſeris ſanguine totum exhauriri corpus, cauſam explicavit hoc duplex Diſtichum:

Cur ſolùm è noſtro voluiſti ſanguine partem,
Cùm totum cuperet prodiga vena dare?
Ut puto, reſpondes: Pejor cruor iſte Draconum
Eſt felle, hinc labris ſat tetigiſſe meis.

Ingenuè fateor obſtitiſſe mea ſcelera tantæ felicitati: Fortaſsè voluiſti ſoſpitem, & incolumem ſervare, ut Tuorum ſervorum Virtutes conſcriberem, ac ſilentio, & pulvere ſepultas vulgarem. Id peregi, quantâ potui curâ, unicè quo Tibi placerem. Hoc qualecunque munuſculum libens intuére, ac recenſe inter obſequia Tibi grata; nihil enim avidiùs à me expetitur, quàm quod Tuum ſit, quidquid ſpiravero, & placuero.

Minimus Tuæ minimæ Societatis
Socius

Antonius Franco.

 Præfa-

Præfatio ad Lectorem.

CONtigit mihi in hoc conſtruendo Opere, quod Geographis plerumque ſolet evenire. Poſtquam univerſum terrarum orbem deſcripſerunt diviſum in Partes, Imperia, Regna, Inſulas, & Regiones in diverſis tabulis, res ipſas longioribus delineantes ſpatiis, omnem, ut ita dicam, mundi infinitatem, unicâ tabulâ, eâque admodum exiguâ complectuntur, offeruntque curioſis non labores ſuos, ſed Compendium, & conjecturam de laboribus, ac rerum ipſarum magnitudine. Comparaveram multo ſudore, & à multis annis in id curas impenderam, penè octo majora volumina tum de vitis Virorum illuſtrium hujus Luſitanæ Provinciæ, tum de rebus præclaris ab initio Societatis ad noſtra usque tempora geſtis ab hujus Provinciæ filiis. In quatuor Volumina, quorum jam duo in lucem prodiêre, duo ſub prælo ſunt, collegi vitas hominum virtutibus inſigniorum: non tamen omnium; nam prædictis manuſcriptis, debitâ facultate probatis ad typum, venerunt in manus meas aliorum facta luce digniſſima, quæ ſunt à me inſerta in rerum geſtarum Voluminibus, ut cum ipſis, ubi primum fuerint polita, luci publicæ committantur. Quod attinet ad præſens Opus, in id redegi quædam compendia, & breves narrationes de viris omnibus, quorum fuſius ſcripſi facta ac de aliis, de quibus aliquid memorabile eſt relictum, cum id moris habeant, qui hujusmodi ſcribendi genus ſequuntur, ut è noſtris Joañes Nadaſius, è Luſitanis Georgius Cardozus, vir procul dubio infinitùm meritus de natione Luſitana. Utinam ſit, qui illius tanto operi addat manum ſupremam. Digeſſi per anni dies, quibus illorum obitus acciderant; propterea librum voco *Annum Glorioſum.* Nulla dies in eo eſt, quæ viri alicujus, aut multorum luminibus non illuſtretur. In hac mappula diſtincta virtutibus omnigenis, cernetur clarius jubare meridiano, quam præclaram fecerit Deus Opt. Max. Societatem noſtram in ea Provincia, quam condidit intra Luſitaniæ fines. Etenim hìc non fit mentio de Heroibus noſtræ Nationis, qui nomen dedêre Societati in Provinciis Braſiliæ, & Indiarum, quas tanquam filias à ſe ortas, & nutritas, auxiliaribus copiis hæc noſtra à ſuis initiis ſuſtentat. Nonnunquam res ipſa poſcit, ut memoremus de aliis, vel quòd inter nos obiverint, vel quòd inter noſtros ad Indiam proficiſcentes efflaverint animas. Merentur hoc minimum obſequium, virtutes maximæ, ne obruat eas ingratum ſilentium. Id enim jure merito nobis poſſet vitio duci, aut crimini, tanquam invidioſis, aut incurioſis, qui ſolum æternemus domi noſtræ natas virtutes; ex alio ſolo huc venientes, eodem, quo cadavera, tegamus lapide. Recordamur de S. Ignatio, Xaverio, & Borgia, propter ſingulares rationes, quæ ipſis cum Luſitana Societate interceſſerunt, ut legenti fiet notum. Quidquid virtutis Luſitana ſpirat Societas, ab hoc triplici ſole, quod habeat mutuum, gloriatur. Dies, quibus non occurrit obitus ſpeciali colendus obſequio, exornantur illorum nominibus, quorum ignoramus diem mortis.

Ne

Ne Lector sibi persuadeat, curam meam complexam in hoc volumine viros omnes, quos hæc genuit Provincia sempiternam meritos hominum memoriam ob vitæ suæ exempla; multò plures fuisse dubio mihi non est; sed vel eorum facta ad nos majores non transmiserunt, vel, si chartis mandàrunt, interière; nec enim fuit providentia asservandi in tabulariis omnes has divitias, quanquam non est negandum plurimas narrationes vindicatas ab interitu, dum sunt conjectæ in loca destinata manuscriptis servandis. Nulli peperci diligentiæ, tum ad hæc reperienda Monumenta valdè dispersa, tum ad veritatem indagandam, & ad res suis locis aptandas. Lusitano sermone hujuscemodi Opus conscripsi, posteà considerans me rem gratam facturum nostris hominibus aliarum Nationum, latinum feci. Etenim pro ea charitate, quæ apud nos viget, quanquam natione simus diversi, mirificè recreari solemus lectione rerum gestarum, & virtutum nostrorum hominum, non minus, quàm Germani fratres, verè fratres, solent perfundi lætitiâ, suorum fratrum gestis gloriosissimis vel auditis, vel lectis. Plurimum etiam meus hic qualis qualis labor juvabit eos nostræ Societatis Scriptores, quorum est cura rebus nostris lumen addere, & notissimas Orbi reddere ad majorem Dei gloriam, cui unicè studuit Sanctissimus Parens Ignatius, & ejus filii studere debemus. Cognomina Virorum scribo more, & linguâ Lusitanâ, quod mihi non displicuit in Nadasio nostro, plerumq; tenenti similem consuetudinem. Facilè est volenti, donare Latinâ inflexione, at non tam facile hominibus alterius gentis, à me Latinè facta reddere Lusitana legitimo, & patrio charactere. Si quid in hoc opere à me sit peccatum, erit tuum veniam dare homini, qui ab annis 16. reliquit Musarum commercia, & limina, nec aliquid consignare Latinis litteris in animũ induxerat, conversis curis ad scribenda vernaculo sermone nostrorum Majorum heroicas virtutes, & inclytas res gestas. Tandem adverto, Antonium Carvalium Præsbyterum in sua Corographia Lusitana, quâ im̃ortaliter meretur de nostra Natione, nonnullos de Societate referre Martyres, quos apud nostros ea de re diligentissimos Scriptores non reperi, ac ne quidem de ipsis vestigia, ut sunt in primo Tomo, cum agit de Brachara, *P. Ignatium Carvalho*, & cum agit de oppido *Freyxo Espadacinta*, *P Joannem Franciscum Varejam*, & in secundo Tomo cum scribit de oppido *Arganil*, *P. Franciscum Nunes*. Id non tam culpa fuit scriptoris, quàm mittentium notitias haustas è vano alicquo rumore. Id placuit advertere, quia Societas præsertim in Lusitania, toabundat veris Martyribus, ut nolit, nec indigeat à fictis per vanum rumorem splendescere.

Cum Summus Pontifex Urbanus VIII. die 3 Martii anno 1625. Decretum ediderit, quod confirmavit die 5. Julii an. 1625. quo prohibuit typis mandari novas Vitas hominum, qui sanctimonia, vel martyrii famâ de vita migrarunt &c. Profiteor, me, quæcunque in hoc opere scribo, nolle alio sensu accipi, quam eo, quo, Sanctissimus permisit similes narrationes vulgari typis; & me nihil velle, nisi quod sit consentaneum Matris Ecclesiæ placitis, & sanctionibus, ac Decretis Summorum Pontificum.

Facul-

Facultas R. P. Provincialis per Auſtriam.

EGo *Infraſcriptus, per Provinciam Auſtriæ Societatis JESU Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factâ ab Adm. R. P. Noſtro Michaele Angelo Tamburino Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut Liber, qui inſcribitur:* Annus Glorioſus Societatis JESU in Luſitania, à P. Antonio Franco ejuſdem Societatis Sacerdote conſcriptus, *& à Reviſoribus memoratæ Societatis lectus, & approbatus, Typis mandetur. Quem in finem vigorem ſuum habeat Jus Cæſarei Privilegii, quô* Typographi omnes & Bibliopolæ prohibentur, *ne ullos libros à quodam è Societate JESU conſcriptos imprimant, recudant, aut alibi impreſſos venales proponant, intra S. R. Imperii, Regnorumque, ac Dominiorum ſuæ Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum fines, abſque Superiorum prædictæ Societatis JESU permiſſione. In quorum fidem manu meâ ſubſcripſi, & ſigillo Officii mei munivi. Viennæ Auſtriæ die 27. Novembr. Anni 1719.*

Jacobus Wenner. mp.

Facultas R. P. Provincialis per Luſitaniam.

EGo Infraſcriptus Societatis JESU Provincialis in Provincia Luſitana, poteſtate ad id mihi factâ ab Adm. Rev. P. Noſtro Michaele Angelo Tamburino Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut Liber hic, cui Titulus: *Annus Glorioſus Societatis JESU in Luſitania, à P. Antonio Franco noſtræ Societatis compoſitus*, & ejusdem Societatis gravium, doctorumque hominum judicio approbatus, Typis mandetur: in quorum fidem has Literas manu noſtrâ ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Datum Eboræ 23. Decembr. Anno 1717.

Antonius de Souza. mp.

CENSURA.

CEnſeo hunc Librum jam aliundè approbatum à R. P. Provinciali Luſitaniæ poſſe imprimi, ſi videbitur Reverendiſſ. ac Magnifico Domino Rectori Univerſitatis

Joſephus Gall Societatis Jeſu, Theol. Decanus. mp.

Imprimatur.

Georg. Henr. à Lamprecht Dr. Univ. Vienn. Rector. mp.

JANUA-



ANNUS GLORIOSUS SOCIETATIS JESU IN LUSITANIA.

JANUARIUS.

DIE I.

Sanctissimum Nomen JESUS.

CUm totum Opus constet ex fortissimis hujus minimæ Societatis JESU Militibus, injurius essem tanto nomini, nisi ejus venerabilis memoria præiret faciendis narratiunculis tanquam faustum & felix omen, & agminis gloriosi gloriosum symbolum, & tessera. Illius enim uberrimo gratiarum afflatu tot sunt factæ virtutes, quot hic noster qualisqualis labor, & sudor explicabit. Origo JESU Nominis in Societate nostra ortum habuit è mira visione, quæ sancto Parenti Ignatio Romam properanti se dedit conspiciendam. Aliquot ab Urbe milliaribus orandi causa templum ingressus; dum preces fundit, adstitit ante oculos æternus Pater immensâ circumseptus luce unà cum Filio crucem humero bajulante. Hic ad filium versus Pater ipsi commendavit Ignatium, & ejus Socios, suscipiens Filius erga ipsos patrocinium, suavissimis oculis ad Ignatium conversis: *Ego*, inquit, *vobis Romæ propitius ero.* His dictis evanuit è conspectu cælestis visio: mirificâ Ignatius delibutus suavitate, ad socios rediens, narravit, quæ sibi contigissent, Laynio, ac Fabro Comitibus itineris, adjiciens, se nescire, quid

velit de ipſis Deus, aut quo vocet. Si labores immineant, JESUM Patronum, & Protectorem habituros. Poſtea cum de condenda Societate cogitavit, conſulens, quod ipſi nomen imponeret, rogavit enixè Socios, ſibi concederent amplam poteſtatem eam nomine inſigniendi. Omnibus conſentientibus, ſubjecit: Societas JESU, quam fundamus, vocabitur Religio. Nam prædicta viſione, aliisque cælitus illuſtrationibus, tam altè fuerat ſacroſanctum nomen impreſſum cordi, tamque menti affixum, ut aliò mens ire non poſſet, nec inde divelli. Et ſanctus Parens confeſſus eſt, ſe, quod omnium egiſſet conſenſu, facturum, etſi omnes pertinaciter contradicerent: nam meridiano jubare clariùs intellexerat, eam ſupremi rerum numinis eſſe voluntatem, cui non obedire ducebat grande flagitium. Quamvis id nomen à plurimis fuerit probatum Pontificibus, & à venerabili Tridentina Synodo; non defuêre, qui invidiæ puncti ſtimulis, ſermones miſcerent de tam præclara expungenda nomenclatura. Cùm id notum eſſet Ignatio, diſertis verbis aſſeruit: Nomen *Societas* aboleri poſſe, ejusque loco ſubſtitui nomen *Religio* vel *Congregatio*, at JESU nomen delendum nunquam. Quo verbo ſatis oſtendit, id nominis à ſe datum Societati, nec hominum eſſe in aliud mutare, nec alterius poteſtatis, cùm fuerit ſpecialiter firmatum decreto Numinis non rumpendo. Imagini ſanctiſſimi nominis, aut litteris majuſculæ notæ, quibus exaratur, aut pingitur in circulo ſplendorum, ſubjecit Ignatius tres clavos Domini in cruce pendentis, in medio Etæ Græcorum initialis erexit crucem, in noſtræ Societatis glorioſum inſigne. Id voluit in domibus, id in ſigillis ſculpi, ut profani familiæ ſtemmata hujusmodi rebus inſcribunt. Romanam domum totius Societatis primam & aliarum matrem ſuo JESU conſecravit. Patrem imitatus Simon Rodericius in Luſitania eidem dicatum voluit Conimbricenſe Collegium; cujus primus lapis poſitus eſt anno 1547. die 14. Aprilis celebrantibus ea die omnibus ſacerdotibus Sacrum de Nomine JESU. Ubi fundamenta excavari cæpta, erupit examen apum, tanquam felix præſagium cæleſtium Præconum, qui divini nominis gloriam annis ſequentibus eſſent laturi ex eo Collegio ad extremas mundi terras, ut hactenus factum eſt, & ad rerum caducarum omnium finem non dubitamus faciendum. Ejusdem templi primus lapis multa cæremonia jactus ab Epiſcopo Conimbricenſi anno ſalutis 1598. 7. Auguſti. Prima Januarij anno 1640. ibi primum eſt peractum Sacrificium concionante Joanne Mendeſio Tavera Conimbricenſi Epiſcopo. Tandem ſacellum primarium, & crux templi cæpit eſſe uſui die ſancti Ignatij Parentis noſtri anno 1698. Opus totum JESU dicatum non habet in ea urbe

be auguſtius. Eſt primum totius noſtræ Societatis Collegium poſt Romanam domum. Porro quam ſint tanti nominis incolæ memores, teſtantur imagines paſſim obviæ vel inciſæ lapidibus aut ligno, vel pictæ in tabulis, aut parietibus: ſupra quadraginta numeravi. Non facta mentione earum, quæ videntur intextæ ſacris veſtimentis, aut in mobili templi ſupellectile depictæ, nec illarum, quæ micant in pilis, ſeu vaſculis aquæ luſtralis ſingulis cubiculis, vel in aqualibus triclinij, & valetudinarij: Sunt enim ingens numerus. Ut collegium habitantes, neque cor, neque oculos unquam amoveant à ſalutari nomine, cujus ſub auſpiciis vivunt. Præterea in Luſitana Provincia JESU majores noſtri conſecrârunt Collegia Brigantinum, & Angolanum. At quantum Luſitanæ Societatis laboribus JESUS innotuerit inter ultimas Mundi nationes, vix eſt, qui ignoret. Annis ſingulis ad Africam, Aſiam, & Americam mittuntur Evangelici Præcones, quorum eſt ſudor præcipuus, JESUM inculcare gentibus, quæ ſolùm idola ſciunt, & antiquâ veneratione proſequuntur. Igitur ſacroſancto nomine tanquam divinâ face prælucente, aggrediamur viam, & breves ediſſeramus memorias eorum hominum, per quos in Luſitania fundata, aucta, & conſervata ad noſtra tempora Societas.

Antonius de Mello Coadjutor.

VIr jam provectus ætate, dives & inculpatis moribus Societatem complexus Ulyſſipone die 13. Octobris anno 1643. Obibat munus ſcribæ à Juſtificationibus, ut vocant, Indiæ, & Aurifodinæ. Quamvis homines hujusmodi ſe frequenter inquinent pecuniis injuſtè acceptis, tamen Antonius nihil habuit antiquius, quam ſuam conſcientiam ſervare indemnem, contentus reditu innocenti: non propterea vivebat miſeriùs, imo gaudebat ampla domo, divitiis abundante. Verum ſecum perpendens rerum caducitatem, & tandem, cui neſciret, relinquendum patrimonium pingue, ſtatuit conſtituere Deum ex aſſe hæredem, illique ſua, & ſe totum dare. Executus, ut cogitaverat. Igitur noſtræ adſcriptus militiæ, bona ſua legavit Collegio divi Antonij Archimandritæ; tantoque fervore in augendas, quas jam acquiſiverat, virtutes, incubuit, ut eſſet ſociis venerandum exemplum. Dici poteſt, ad nos veniſſe, quo inter nos moreretur: nam duobus menſibus, & tredecim evolutis diebus, è vivis ſanctiſſimè exceſſit in Collegio D. Antonij, è cujus benefactoribus eſt unus.

DIE II.

Adamus Franciſcus Scholaſticus.

IN India Orientali ad promontorium Comorinum deſivit eſſe inter mortales Adamus natione Luſi-

tanus. Conimbricæ nomen dedit Societati 8. Novemb. anno 1542. Miſſus ad Indiam anno 1546. dum non fuit ſacris initiatus, juſſu S. Xaverij egregiam impendit operam in juvandis, & augendis Neophytis Oræ Piſcariæ. De hoc viro extat elogium S. Xaverij, cujus hæc ſunt verba lib. 2. ep. 11. *Viſum eſt Deo dulciſſimum fratrem noſtrum Adamum Franciſcum ex hac vita evocare, ut ei plurimorum, maximorumque laborum perſolveret præmia. Mors anteactæ vitæ reſpondit, quæ quidem quantum ab aliis accepi, & ipſe perſpexi ſanctitate floruit; vir fuit planè pius, magnique animi ardore in Ethnicis ad Chriſtum aggregandis. Equidem magis illi me commendo, quam ipſum commendo Deo; perſuaſum enim habeo, eum jam beatitudine, ad quam natus erat, perfrui.* Hæc de Adamo Xaverius. Obivit anno 1549.

Antonius Ferraz Coadjutor.

EBoræ anno Domini 1655. ſuavis ad immortalitatem tranſitus Antonii Ferrazij; patria Portuenſis: Societati ſe adjunxit Conimbricæ 4. Auguſti anno 1615. Majorem vitæ partem tranſegit Eboræ, obiens noſtri Collegii Pharmacopolam. Eam in medicina longo experimento acquiſivit ſcientiam, ut ſui temporis Medicus fuerit nulli ſecundus: Non paucis erat perſuaſum ejus medicinam juvari dono curationis: Magni habuit ſtatum, & gradum ſuum in Societate; quamvis ob virtutes, & magna merita Superiores ipſi conceſſerint Sacerdotem fieri, grates perſolvens, reſpondit: ſinerent mori in ſuo Coadjutoris gradu, ad quem fuerat cooptatus. Micuit in eo charitas inſignis tum noſtris, tum ſæcularibus experta. Licet non foret illi difficile ſuos conſanguineos ad altiorem fortunam evehere ob amicitias, & patrocinia Virorum illuſtrium, id non curavit. Quicquid externi donabant, applicandum erat Collegio, nec aliud ejus amor in Societatem permiſit. Lucris ſuæ officinæ, & magna vi numorum a Rege Joanne ipſi dono data, quod Principi Theodoſio poſtremo in morbo continuus aſſederit, ædificata eſt nobilis pergula, ſive pars Eborenſis Collegij, in qua eſt infirmorum Valetudinarium. Præſcivit horam mortis ſuæ; quapropter Matris Eccleſiæ ultimis corroboratus ſubſidiis, ad ſuperos conſcendens ingens ſui reliquit inter Socios, & externos deſiderium.

DIE III.

Georgius Nunes.

PArum eſt, quod ſcimus de Georgio; Non tamen dubitandum claruiſſe multis virtutibus: Natus in Luſitania: Navigavit ad orientis regiones anno 1551. Furentibus in navi morbis, ſe Georgius totum mancipavit curandis infirmis; Adeò ſtrenuam navavit operam, ut omnes mirificis præconiis ejus charitatem comendaverint. Melchior Nonius Barretus vir præclaræ ſanctitatis

tis ſcribens ad ſocios Luſitaniæ fervorem, & mortem Georgii, quod in tam ſancto miniſterio exhalavit animam, verum martyrium vocat. Ignoratur dies obitus, uti & ſequentium.

Patres Andreas Gonſalves, Paſchalis Catalam, & Alphonſus Lopes Scholaſticus.

MAjor fuit verbis exaggerantibus horum trium Sociorum charitas. Anno 1555. conſcenderunt navem indicam à conceptione dictam; cum paſſis velis feſtinaret iter, in brevia à Petro de Balneis nominata impegit, ibique hæſit, donec eſt à fluctibus lacerata. Aliquot e naufragis, arreptis ſcaphis, ac phaſelis, Patres invitaverunt, ut eodem recepti ſecum abirent. Verum non permiſit eorum inſignis charitas, deſerere miſerabilem turbam, quæ vix erepta undis, & morti, complebat parvas inſulas brevibus interjacentes. Ergo dum properant ſcaphæ, & ſperatur ex India ſubſidium, & naves excipiendis naufragis, noſtri mille modis ſolari miſeros, ad ſupremum exitum comparare, qua confeſſionibus, qua piis alloquiis. Interea deficiente victu, & cæteris humanæ vitæ conſervandæ remediis in ſumma rerum omnium penuria nobiles animæ ad Cælos convolarunt. P. Andreas natione Caſtellanus à Metymna de campo dicta. Paſchalis natus in Catalaunia, Ulyſſipone multum juverat Petrum Domenecum in fundando orphanorum domicilio. Alphonſus domo Navarrus ſtudebat Theologiæ.

DIE IV.

P. Ludovicus Lobo.

EBoræ anno 1635. Cælites auxit Ludovicus, natus Ulyſſipone è primaria Regni nobilitate. Dicebantur parentes Joannes Lupius, & Eleonora Maſcarenia Barones Alvitenſes. In fatali Sebaſtiani Regis exitio inter alios dynaſtas & Ludovicus eſt captus. Omnes calamitates, quas cæteri, perpeſſus, donec redemptus pecunia, & reſtitutus Luſitaniæ. Vitam degens in Alvito ſuæ ditionis oppido præibat omnibus Chriſtianarum virtutum exemplo. Illac peregrinantibus tribus noſtræ Societatis Novitiis, cum recuſarent amplum hoſpitium, quod illis domi ſuæ offerebat, vellentque pernoctari in noſocomio; juſſit ſervos eò tot culcitras, & ſternendis lectis neceſſaria comportare. Secutus eos Ludovicus, ad oſtium noſocomij ex humeris ſervorum accepit in ſuos omnem ſupellectilem, ipſéque vir tantus ſuis manibus paravit lectos Tyronibus. Ejus familia domini exemplo mores componens, habebat inſtar obſervantis cænobij. Quamvis Ludovicus tum ob illuſtriſſimum ſanguinem, tum ob cæteras dotes magnarum rerum capaces ad alta poſſet animos erigere, quibus nativos augeret ſplendores: altiora, quæ non pereunt, meditas,

tus, ſtatuit rebus caſuris renuntiare, ſeque adſcribere JESU Societati, cui ſe felicibus auſpiciis tradiderant ejus matrueles quatuor, filij Vaſci Maſcareniæ matris ſuæ fratris. Ut cogitavit, executus Eboræ 6. Octobris anno 1588. Ingredientis liberali dono factum ex ſerico regium Conopeum, quod in feria quinta majoris hebdomadæ inumbrat auguſtum pegma, quo venerabilis Euchariſtia ſolet exponi. Jam qua alacritate perfectionis iter aggreſſus, paucis dici non poteſt. Adoleſcens viginti, & octo natus annos, Tyronibus aliis ætatis teneræ ſic ſe totum attemperavit, ut ipſis par, aut potius inferior, videretur. Frequenter, contemnendi ſe gratia ſequebatur emptorem ad publicum forum, ſuis impoſitam humeris domum ferebat emptam proviſionem inſtar viliſſimi bajuli. Cùm nullis veniſſet imbutus litteris, in Eborenſi Academia Collegio noſtro ſubjecta didicit latinum ſermonem, Rhetoricam, Philoſophicas, ac Theologicas diſciplinas, quibus gradum fecit ad ſolemnem profeſſionem. Reliquam vitam conſumpſit vel in miſſionibus obeundis, vel in adminiſtrandis Religionis Magiſtratibus. Egit Rectorem Bracharenſem, Præpoſitum domus Profeſſorum Villæviſſoſæ, Rectorem Eborenſem, Conimbricem, rurſus Eborenſem, demum Provincialem. Numquam eſt humilitatis oblitus. Villæviſſoſæ in jumento clitellario prodibat ad peragendas conciones in vicis proximis. Jens, rediensque tranſire ſolitus ante palatium Principum Brigantinorum, adeoque ipſis videntibus, non ſine ædificatione. Semel agris, & arentibus defectu pluviæ ſegetibus ſermonem habens in publica omnium ordinum ſupplicatione promiſit futuram pluviam. Cum forent auræ puræ, ſubito turbari cælum, & copiosè depluere. In noſtris miniſteriis exercendis viſus ſemper infatigabilis. Diebus Jubilei, vel magni concurſus ad ſacras confeſſiones, duabus, vel tribus horis antelucanis e lecto ſurgens, habitis precationibus, recitatis Canonicis horis, & facto ſacro, aſſidebat confeſſionum tribunali. In eo jam erat, cum aperiretur templum. Cùm primus iviſſet, diſcedebat poſtremus. Nec illi mos fuit ſurgere, niſi omnium excepiſſet confeſſiones. Laudabat multum noſtri Gonſali Sylveiræ dictum: *Concionari usque ad raucedinem; confeſſiones audire, dum fuerint pœnitentes; mortificari ad mortem usque.* Nec ſecus fecit. Regebat collegium D. Antonij noſtrorum commune hoſpitium Ulyſſipone. Multi ſimul confluxerant. Interrogavit ſubminiſtrum: Eſſent ne hoſpitibus omnia comode parata? eo reſpondente, cubile unicum foris petendum; ſubjecit Rector: Ito ad talem locum; ibi vidi repoſitam culcitram, & cervical. Adiens, lectum ſtravit. Suſpicans, quod erat, ſæpe per eos dies ingreſſus Rectoris cubi-

biculum, obſervans lectum, videbat ſub lodice involucrum ad inſtar culcitræ convolutæ. Nactus occaſionem tentandi, quid lateret, reperit caniſtrum loco culcitræ; hanc enim Rector hoſpiti fovendo, qua dixi, ſtatione poſuerat, ipſo interim ſomnos captante in nudis, ac duris tabulis. Erant Ludovico robuſtæ vires, eas magni habuit, ſolum ut eſſet multis ferendis laboribus. Ulyſſipone unus fuit ex inſignibus ſacræ Catecheſis Doctoribus: eam locis publicis explicare ſolitus infinito hominum omnis ætatis affluente concurſu. Quadrageſimæ tempore invitabat mendicos, bajulos, Ethiopes, & ſiquid his vilius, ad eorum audiendas confeſſiones. Nullæ ipſi majores deliciæ, quam ſe ad oſtium domus Profeſſorum videre hujusmodi hominum quisquiliis ſeptum. Corpus ſuum perſecutus, ut hoſtem infenſiſſimum caſtigabat ſeverè flagello. Victus illi communis, & parcus. Extra domum noſtram, niſi iter faciens, non tetigit eſcas ullas. Nulla negotia, aut infirmitates ordinariæ dabant anſam mitigando rigori, aut minuendis ſpiritualibus exercitiis. Denique Ludovicus talis fuit, quales Ignatius Parens noſter volebat eſſe in Societate illuſtres homines; quibus, ſi boni ſint, ac ſancti, nihil poſſit haberi melius; ſi mali, nihil pejus. Dum Provincialis obit munus, ac de more luſtrat Eborenſe Collegium, & Academiam, morbo correptus, piè moritur inter Sociorum lachrymas. Illius exequiæ magno celebratæ hominum concurſu noſtræ jacturæ condolentium.

Vincentius de Rocha Scholaſticus.

NAtus Villænovæ in Algarbiis, Societati aggregatus Conimbricæ 3. Martij anno 1605. Ipſa die viſa eſt in domo paterna huc illuc volitans flamma, intuentibus ſuſpenſis, quid rei ſignificaret. Notato die, cum venerunt e Conimbrica litteræ, Vincentium iniiſſe Societatem, habita eſt flamma tamquam fauſtum præſagium. Apud nos vixit ſemper expreſſiùs referens Angelum, quam moribus hominem. Præfectus rei ſpiritualis, cui nudabat animæ latebras, faſſus eſt hunc adoleſcentem rerum ad ſpiritum pertinentium eſſe adeò peritum, ut ipſe magis ex eo diſceret, quàm eum doceret. Diebus vacationis, cum ſocij villam adibant animi laxandi gratia, Vincentius ſe conferens in locum arboribus inumbratum, ac ſolitarium, tempus terebat orando. Lenta tabes, quæ fuit mortis cauſa, exiſtimata eſt, orta ex nimia corporis afflictatione: corpus enim piè crudelis mirum in modum vexavit. In anguſtiis latrantis morbi non ſolum non recuſabat pati, ſed illud Xaverianum repetere ſolitus: *Non ſat eſt Domine, non ſat eſt.* Medicus non alio niſi Angeli vocabat nomine. Ardentiſſimis Deum videndi angebatur deſideriis. Nuncianti ejus vitæ ſi-

finem Medico ob tam gratum nuntium suum, quod sub cervicali habebat cilicium, dono dedit. Nihil aliud pretiosius adolescens paupertatis amantissimus possidebat. Tandem quievit morte placidissima in Collegio Eborensi anno 1610.

DIE V.

P. Gonsalus de Sousa.

NObilitatem, ac parentum divitias conculcavit, ut se Societati adjungeret, quod executus Conimbricæ, 1. Januarii anno 1562. dum vixit, cæteris sociis præluxit multis virtutum exemplis. Vigesimo ante mortem anno nociva syderatus aura reliquam transegit vitam instar innocentis pueri. Proditæ sunt virtutum, quas egerat radices. Ad omnem observantiam nihil eo promptius. In castigando corpore severus, in deponendis apud Confessarium animi labibus, & excipienda sacra synaxi mirè pius. Tandem feliciter obivit Eboræ anno 1608. Illi natale solum Averium perillustre oppidum maritimum in Diæcesi Conimbricensi.

Emmanuel Pires Coadjutor.

COnimbricæ anno 1674. mortales reliquit. Ædituum templi agens, exquisitis elegantiis vestiebat, & ornabat altaria. Illius studium præcipuum munditiеs in divino cultu. Quamquam omnibus anni solemnitatibus majores impendebat curas in adornandis altaribus, tamen se ipsum vincebat in Epiphania Domini. Mirificè erga id mysterium solitus affici: ejusdem pervigilio obdormivit in Domino. Quo temporis momento efflavit animam, expergefactus sacerdos pulchram ante se flammam conspexit ad cælos conscendere; non dubitavit ea sub imagine Emmanuelis spiritum superis, quos petebat, adscribi.

DIE VI.

Gaspar Laurentius Coadjutor.

PRimam lucem hausit Ulyssipone, ibi Societatem amplexus decima tertia Decembris anno 1623. Addictissimus fuit exercitiis orandi. Nihil ejus lingua cautius, aliis detrahere non auditus umquam. Ex abundantia cordis non nisi Deum, ac divina mysteria explicabat lingua. Erga pauperes, & mendicos totus erat charitas. Cum decumbebat æger, illis, obtenta majorum facultate, mittebat prandii meliorem partem. Janitor ostij pauperum in domo divi Rochi, annis quatuor aluit nobilem virum ex Insulis, quem lis molestissima de majoratu pingui tenebat Ulyssipone. Hoc tandem subsidio, & suo juri consuluit & litem evicit. Segetem in horto domestico suis colebat pauperibus. Bis diebus singulis longo temporis spatio diverberabat corpus. Etiam postremo oppressus morbo in se flagello desæviit, inventusque aspero succinctus cilicio. Morbus

bus illi diuturnior ſolito, vocabat ſuum Purgatorium, propterea ferebat patientiſſimè. Prædixerat migraturum è vita die dominicæ Epiphaniæ, quà natus eſſet. Igitur mane cubiculum Gaſparis adiens infirmarius, inquit ridenti ſimilis: En adeſt Epiphania, tibi, ut affirmaſti, poſtremus vivendi dies. Ad hæc infirmus: Bene habet: para, quæ ſunt opus ad me corroborandum ſacra Synaxi. Poſtquam cæleſti pane recreatus, brevi ſuaviſſimè exſpiravit in domo Profeſſorum Ulyſſipone anno ſalutis 1676.

P. Auguſtinus de Lima.

IN ſuo gradu Coadjutoris ſpiritualis præclaræ virtutis. Natus in oppido Regalados Diœceſis Bracharenſis. Se nobis adjunxit Ulyſſipone 9. Martii anno 1620. Annis multis miniſtrum obivit. Quas, ut ſuo muneri ſatisfaceret, injungebat ſubditis pænitentias, ſic temperabat verbis ſuavibus, ut vel puniti, ac mulctati paternam in Auguſtino & laudarent, & amarent benevolentiam. Ab omni abhorrebat rigore vir mitiſſimus. Annis triginta, & quinque non dormivit in molli culcitra, ſed nudis tabulis. Sæpè famem placabat pane tantum ex milio, & aqua. Ipſi paupertas Religioſa in deliciis habita. Quindecim annis eſt uſus eiſdem calceis, quorum ſoleas figebat claviculis ferreis, quando filum picatum corrumpebatur. Solùm recuſavit obedientiam, quæ dulceſcebat honore proprio. Cum jam ſenem Brigantium mitterent; non defuit, qui ob immite cælum excuſationem Auguſtiſſimo ſuaderet. Ad hæc bonus ſenex: Deus immortalis! totum conſumendum tempus in contemplanda obedientia, nullum in ea executioni mandanda? diebus ſingulis præcinctus linteo ad oſtium egenis diſtribuit jus, & quæ ipſis ad prandendum in Collegio paraverat charitas. Inutili otio deditum vidit nemo. Si non erat in cella, orationem fundebat in templi Choro: propterea non inventum cubiculo, quærebant reperturi citra dubium in odeo. Ejus mors per omnia fuit vitæ conſona. Naturæ conceſſit Bracharæ, anno 1660. Supellex tenuis, & viliſſimi pretii, quâ fuerat uſus, loco Reliquiarum à multis habita.

DIE VII.

P. Doctor Chriſtophorus Gil.

GRande lumen Societatis in Chriſtophoro extinctum. Unicè videbatur factus ad virtutes, & ſcientias. Natus Brigantii in urbe toto orbe celeberrima propter Regiam Brigantinam domum, cui ſuam libertatem debet Luſitania. Adſcriptus albo Sociorum Conimbricæ decima Novembris anno 1569. Ejus ingenium ad magiſteria præclariſſimum nec meliorem, nec majorem laudatorem habuit Franciſco Suario Granatenſi. Cum in Eborenſi Aca-

demia Suarius ſuſtineret theſes prævias laureæ Doctoris Theologi, qua erat inſigniendus, miratus Chriſtophori ejusdem Academiæ Profeſſoris in argumentis urgendis acumen, diſertiſſimè faſſus eſt, non fuiſſe, cur ſe vocarent ex Hiſpania ad moderandam primam Theologiæ Cathedram Academiæ Conimbricenſis, cùm tantum virum haberent Luſitani. Verum nihil pluris fecit virtutibus. Teſtati ſunt Confeſſarij, quibus omnem vitam à teneris unguiculis explicaverat, eum prima gratia in luſtralibus accepta fontibus à vivis deceſſiſſe. Inter Scholaſtica magiſteria, & exercitationes apparebat ſtudere ſolum Evangelicæ perfectioni. Quæſtionum nodos difficiliores extricabat promptiſſimè recurrendo ad orationem, ut dicitur de ſanctis Doctoribus Thoma, & Bonaventura. Coram Deo ejus mens miris luminibus affundi ſolita, & clariſſimam lucem concipiens ſe ſe ad quæque ſcientiarum abditiſſima penetrabat. In celebrando Sacro tantum inardebat, ut inſtar ceræ liqueſceret, cadentibus ubertim lachrymis. Mirum in modum recreabatur res divinas conſiderando, & meditando. De his tam altè ſenſit, ac in eis contemplandis tantam expertus dulcedinem, ut humanæ ſcientiæ cum ipſis collatæ, ſibi viſæ ſint, aridæ, inſulſæ, & injucundiſſimæ. His operam non impenderet, niſi cogeret obedientia. Confabulationes ipſi non niſi de Deo. De rebus, quas toto vitæ decurſu geſſerat, viliſſimè opinabatur. Aſſeruit vir innocens, non recordari ſe feciſſe quid propter purum numinis amorem, niſi cum primis annis egeno petenti ſtipem propter Deum, porrexit offam, quam edebat avitate tanta præ illius ſapore, ut etiam digitulos ſuos iterum, atque iterum lingeret. Plus inſumebat temporis in audiendis confeſſionibus, quam in evolvendis libris. Poſtquam ipſi eſt injunctum à majoribus, ſe colligeret totum ad componendos libros de ſcientiis Theologicis, intimè dolebat his diſtineri occupationibus. Ajebat ſe tempus perdere, quod poſſet utilius conſumi in ſacris miſſionibus oppidatim obeundis, in viſitandis carceribus, & noſocomiis. Gemebat, & ſuſpirabat, vicem ſuam dolens, quod his veluti pedicis, quominus ſaluti proximorum conſuleret, impediretur. Tanta fuit hæc animi ægritudo, ut multi afflictum habuerint conſolandum, dicentes; Non deeſſe Societati homines ad illa miniſteria, non ità abundare viris ſapientia eminentibus, quorum à laboribus in ſcribendo multum illuſtratur Societas. Solebat dicere noſtros homines non factos, ut vitarent commercia ſæcularium, ſed quo converſantes cum ipſis, ad meliorem frugem traducerent, & amicos Dei redderent. Significaturus erga omnes æqualem amorem ajebat: *Virum Religioſum fore amicum omnium, amicum nullius.* Pul-

Pulchritudinem Religionis locabat in accurato de rebus minimis ſtudio. Inter raras numeratur Chriſtophori tum in corporis, tum in animi doloribus tolerandis patientia. Sæpe ex illius auditum ore, ſe de mundanis adverſitatibus nihil ſentire præter dolores corporis, quos non ſentire ſuum non eſſet, nec ullius viventis in carne mortali. Quoniam ad ſentiendas animi adverſitates vivus ſibi ſenſus non erat, ſummis precibus Deum rogavit, ſibi morbum diuturnum, & acutiſſimis plenum punctionibus injiceret, quo fieret ſatis, patiendi, quibus angebatur deſideriis. Annuit precanti Deus. Integro anno, & tribus menſibus lecto hæſit, quin diem, vel noctem unam tranſigeret in refrigerio. Continuò expertus latrantem, ac mordentem dolorem. Æquanimiter diriſſimos tulit morſus, conſiderans loco flammæ purgantis animas ſibi datos. Cum longam vitam ſanctiſſimè vixiſſet, frequenter conqueſtus non ſine lachrymis, ſe tantum fuiſſe umbram Religioſi hominis, non videre in factis, ac verbis ſuis aliquid divino conſpectu dignum. Solabantur ægrum circumſtantes, ac multis rationibus laborabant in leniendo, ac mitigando gementis dolore. Si alicui cadebat verbum, quod oleret ægrotantis laudem; turbato ſimilis non ſinebat ea loqui: ne, quæſò, dicas talia, inclamabat: ſi me ſcires, alia verba, & mens longè diverſa tibi eſſent. Adjecit; ea qualiquali opinione velle remunerari in hoc mundo Deum, quidquid egerat, ſiquid egiſſet, in ipſius obſequium. Tandem poſtremis ritè munitus ſubſidiis ad immortales migravit Conimbricæ anno 1608. Agebat in Academia ſacræ Theologiæ Profeſſorem, quam maxima laude etiam docuerat usque ad Primam Cathedram in Eborenſi Academia, ibique laureatus Doctoris gradu. Illi non ſolum à noſtris, ſed etiam parentatum ab externis ſcientiarum omnium Profeſſoribus in Academico ſacello. Extant præclara tanti viri monumenta typis vulgata. Prope mortem rogavit enixè, mandari flammis ſcripta ſua. Vir fuit major omni laude, quod nullam voluit, cùm meruerit omnem.

P. Dominicus Cardozo.

Conimbricæ anno 1677. ad felicem patriam translatus. Natus in oppido Sande Lamecenſis territorij. Conimbricæ venit in Societatem vigeſima ſecunda Julij anno 1630. vigeſimum agens ætatis annum. Anno 1632. miſſus ad Angolanum Collegium in Africa ultra æquatorem. Quibus annis Urbs Loanda Luſitani dominij ſedes ab Hollandis capta eorum ditionis fuit, vixit in Collegiolo, quod habuit Societas in regno Conguno. Quas ibi ſit paſſus moleſtias tum ab incolis, tum à nigro Rege, non eſt explicatu facile. Rex infeſtus Luſitanis exiſtimans nunquam recuperaturos

amiſſa, inita pace cum Hollandis, Luſitanos internicino proſecutus Odio; mirùm fuit, quod à jugulandis abſtinuerit. Erat Chriſtianus, ſed penes nomen, ut fermè ſunt eæ gentes, quas ſi ad baptiſmum invites, faciles veniunt. Si ad ſervanda mandata exhorteris, nihil tardius, ac pigrius. Majorum ritibus inſanis, ac profaniſſimis moribus ſe nolunt exuere. Propterea nusquam infelicius laboratur ab Evangelicis operariis. Qui neſciunt eorum nativam mobilitatem, initio putant facturos ſegetem lætiſſimam, eſſe albiſſimos ad meſſem campos; at experimento capto intrinſecus dolent ſacris tinxiſſe undis, cum ſint victuri ethnicorum more. Sæpe Rex voluit Dominicum vita privare, verùm non auſus publicè. Cupiebat interfectum, nolebat tamen, ſe crederent ſceleris authorem. Dono miſit ampullam vini veneno infecti, ad ſacrificium miſſæ concelebrandum, ut eodem hauſtu & cæleſtem vitam, & ſuam mortem biberet innocens ſacerdos. Timens, ne lateret dolus, dedit guſtandum Æthiopi: vix transmiſerat guttulam, cum cecidit mortuus. Sic Deus ſervi ſui vitæ conſuluit. Peractis in ea dira captivitate ſeptem annis, Loandâ recuperatâ à Luſitanis, Hollandisque ejectis, libertati eſt reſtitutus. Ob egregias ejus virtutes, & in perferendis tot laboribus merita, quamvis foret cooptatus ad gradum Coadjutoris ſpiritualis, conceſſit Societas, vacaret Philoſophicis, ac Theologicis diſciplinis, evehendus ad ſolemnem quatuor votorum profeſſionem. Uſus eo matris beneficio, navavit operam hujusmodi facultatibus in Braſilia, abſolvit Conimbricæ, emiſitque ſolemnem profeſſionem. Joannes Payva præclarus in miſſione Angolæ operarius, mortuus in Braſilia magno virtutis nomine, & Joannes Fonſeca vir conſumatæ ſanctitatis, altè ſenſerunt de virtutibus Dominici. Eorum elogia referre non eſt breviſſimæ memoriæ, ſuo in loco fuſiùs à me ſcribuntur. Sed à magnis laudari, quis inficiabitur eſſe maximum?

DIE VIII.

P. Emmanuel de Crus.

SCallabe vulgo *Santarem* Diœceſis Ulyſſiponenſis ſanctiſſimè diem obivit. Cunas habuit in oppido Eſpite territorij Leirienſis. Tirocinium auſpicatus Conimbricæ undecima Martij anno 1644. Ejus vivendi tenor æqualis, & integer, ſceleriſque purus. Videbatur natus ad magiſteria Tironum, quos primum Ulyſſipone Socius Rectoris, deinde inſtruxit Eboræ: plus docuit exemplo, quàm verbo. A Novitio inter orandum ſublimis à terra viſus. Puncta meditationum proponens, ſic afficiebatur, ut aliquando ſiſteret pene ſuſpenſus. Tironem conquerentem de pede ſic attrito, ut

ut non valeret incedere, facto crucis ſigno repente ſanavit. Horologij in Collegio Eborenſi ſuſcepit curam, ut ſtudiis ſcientiarum eſſet competens tempus. Laudarunt omnes in viro gravi charitatem, & amorem promovendi ſcientias; præſertim cum ad manum non eſſet horologium, ſed erant ſubeundi gradus valde moleſti, & ſæpe temporibus incomodis. Id munus obivit, dum rexit Eborenſes Tirones. Surgebat nocte ad orandum ante Sanctiſſimum in templo. Reſignatus Scalabitani Collegij Rector, ægrè doluit à ſuis avelli Tironibus, quos ut parens ſuaviſſimus diligebat. Cum ex iis unus, quem erudierat, gratularetur de novo magiſtratu: Obortis lachrymis, vellem, inquit, inter meos Tirones mori: ſed parendum eſt, brevi, fili mi, veniet nuncius de morte mea, tunc me Deo commendabis impensè. Opinatus eſt Religioſus, eum loqui potius è doloris ſenſu, quam ex ipſa re: ſed probavit eventus, non locutum temere. Adito magiſtratu, brevi correptus lethali morbo, ſupremum diem explevit. Funalia, & cærei, quæ arſerunt, dum juſta concelebrata, parum adeo decreverunt in pondere, ut fuerit id in libro obituum tanquam ſingulare, & virtutis indicium adnotatum.

P. Antonius de Caſtellobranco.

Conimbricæ periodum vitæ clauſit anno 1643. Ortum habuit Ulyſſipone. Ibi Societatem complexus in Domicilio Tironum, quod olim fuit in domo Profeſſorum, die duodecima Martij anno 1571. A primis apud nos annis ad ultimam ſenectutem vixit ſanctiſſimis moribus. Qui noverant tam longo annorum decurſu, affirmabant Antonij vitam perſimilem horologio ponderibus non fallentibus temperato. Quamvis foret natalium nobilitate conſpicuus, ſic oblitus conſanguineos, ac ſi nullos haberet. Quidquid injungebatur à ſuperioribus, licet arduum, ac difficile, exequi ſolitus vultu hilari. Majorum imperia, ac diſpoſitiones, ſi aliquis obtrectaret, excuſavit ſemper. Erga omnes mira colluxit in eo charitas. Dum permiſit valetudo nunquam deceſſit à communi vivendi more. Immunem laboribus noluit ſenectutem. Corpus tractavit ut vile mancipium. Frequenter, vel jam ſeniculus, prodibat cum flagello intriclinium, & in ſe diriſſimè ſæviebat. Poſtquam eò venit debilitatis, ut flagello non poſſet uti: illud, tamquam ſacrum donum, obtulit, ac ſacravit D. Antonio Concivi ſuo, ſignificans exiguo dono ſucceņſum amorem, quo fuit eum à cunis proſecutus. Ubi primum animadvertit ſe non mittendum foras ad noſtra obeunda miniſteria, detulit in veſtiarium Collegii galerum ſuum, ac pallium, dicens: Non habiturum in cubiculo, quæ uſui non eſſent. Minimè conſenſit umquam, ipſi vel ſa-

famulus, vel alius Religiosus serviret in verrendo cubiculo, aut rebus ad ejus commodum pertinentibus. Sæpe prædixerat se repentino morbo è vivis tollendum, propterea instar vigilantis servi venturum Dominum singulis momentis expectabat. Non secus evenit; nam correptus apoplexia, solutus corpore ad æternum quietem convolavit.

P. Antonius Pires.

IN Collegio Portuensi anno 1604. diem obivit. Natus in Tentugalio Diœcesis Conimbricensis. Societati se junxit Conimbricæ decima quarta Decembris anno 1570. vigesimo ætatis anno. Vixit in gradu Coadjutoris spiritualis, ut vocamus Sacerdotes, qui solemniter professi non sunt. Præcipuè fuerunt ipsi curæ, salvare animam suam alios salvando. Id propter assiduus in excipiendis confessionibus, multus in adeundis carceribus, ac nosocomiis. A superioribus poposcerat, se mitterent semper noctu ad morientium audiendas confessiones. Ubi primum pulsabatur januæ tintinnabulum, alacriter surgebat è lecto, cum vocabant, erat præstò. Videbatur totus ex charitate factus. Quidquid imperabant, sine mora, & excusatione mandabat executioni. Diversis in oppidis servivit contactis pestilenti contagione. Nihil cupiit ardentius, quam exhalare supremum spiritum, proximis ea tabe confectis auxilia ferendo. Mors illi oborta ex nimio labore audiendi confessiones. Postquam est Sacramentis munitus ad supremam luctam, ingenuè fassus, sibi mortem dolori non esse, sed jubilo. Laborans postremo anhelitu, rogavit, sibi perlegerent Domini Passionem: vocibus intermortuis Sacrosanctum JESU nomen iterans, piissimè conquievit. Campanis obitum significantibus, ingens ad exequias factus hominum concursus. Personabat templum omnium singultibus. Sacerdos, sacrum emortuale faciens, impeditus populi gemitu, ac lachrymis, progredi non poterat. Medici alta voce dolenter conquesti, parentem suum, sic vocabant, sibi præreptum ingemiscebant. Petebantur de rebus, quibus erat usus, ut his Reliquiis solarentur dolorem suum.

DIE IX.

P. Balthazar Gago.

VIr giganteo plenus spiritu, & natus rebus grandibus aggrediendis. Domo Lusitanus, ubi sit Societati adscriptus, non reperi. Anno 1548. ad Indos navigavit. Goæ habuit obvium ulnis ambabus Xaverium sanctissimum. Anno 1552. Xaverius Sinam petens, Balthazarem secum tulit, quem cum duobus Sociis misit in Japoniam, eò appulit duodecima Augusti. Nactus animo suo par theatrum, primò laboravit egregiè in regno Bungensi. Su-

Sudavit multum in convertendis Ethnicis, quæque dura expertus, ut prolataret fidem veram, iis populis ignotam. Magnis, & frequentibus ope divina ereptus periculis, quibus fiebat animoſior. Ardentibus incendio cunctis domibus ſuam circumſtantibus, eam tantum contingere non ſunt auſæ voraces flammæ. Res par miraculo Ethnicis eſt viſa. Sæpiſſime à Bonzis, ſunt ejus nationis ſacerdotes, lapidibus appetitus. Multa per ipſum apud Japones Deus patravit miracula. Criminati ſunt Bonzi, Balthazarem edere humanas carnes, ut eum gentes intuerentur tamquam monſtrum, & fugerent. Verum innocentiſſimi hominis mores impoſtores mendacij convincebant. Sæpe cum magiſtris errorum diſputans, quas defendebant inſanias, riſui circumſtantium, ipſis erubeſcentibus, expoſuit. Non minus vanas religiones inſectatus libris. Abſoluto ſacro Neophytos exhortari ſolitus, funderent preces pro Rege Luſitano, qui præcones Evangelicos ſuis expenſis alebat in Japonia, cæterisque Indiæ regionibus, unicè intentus proferendo Chriſti imperio. Cum apud Japones eſſet in more filios recens natos occidere, ſi parentes ob egeſtatem educandis, & ſuſtentandis non forent. Malo tanto Balthazar occurrit. A Rege Decretum obtinuit, ne tale nefas parentes auderent, imo prolem ſuam Balthazari traderent nutriendam. Protinus vir Dei, fidens Domino, qui dat eſcas volatilibus cæli, & terræ beſtiis, ac belluis, erexit amplum hoſpitium, conduxit nutrices, quæ lacte ſuo educarent infantes; emit vaccas aliquot, earum lacte adjuturus, ſi ſatis non eſſent tot pueris nutrices fæminæ. Magni momenti inventum ad augendum Chriſti gregem. Nam pueri ſacris fontibus abluti, à teneris edocti Chriſtianos mores, patrios ritus, annis venientibus, firmiùs averſabantur. Id opus Ethnicis peperit non vulgares admirationes: nec excitavit minores noſocomium ad infirmos curandos inſtitutum. Hæc omnia facta in regno Bungenſi, nunquam ibi viſa, multos in dies ad Chriſti legem ſequendam alliciebant. Pari fervore divinam legem propagavit aliis in regionibus ejusdem Japoniæ. Ubique perpeſſus incredibilia. Anno 1560. à noſtrorum ſuperiore Goam miſſus. Vix dici poſſunt, aut capi numero labores, & pericula, quibus abundavit ea navigatio. Tandem Goam tenuit incolumis. Poſtea annis multis coluit Salſetanam regionem. Ibi unus fuit è noſtris, qui Præfecto Luſitano ſuaſerunt, flammis addiceret templa omnia, idolis ſacra. Ut erat ſolidæ virtutis Chriſtianus, ſine mora paruit ſuadentibus; quæ templa, quæ ſimulacra inanium Deorum regio Salſetana venerabatur, flammis devota, brevi fuerunt in cineres redacta. Hanc ob cauſam Balthazar ab infidelibus captus, ac miſ-

missus in custodiam, gloriosam martyrij obtineret palmam, nisi metus à Lusitano ferro hostes cogeret libertati vinctum restituere. Goæ vixit postremis annis, & anno 1583. vita functus, posteris reliquit proceræ virtutis exempla.

P. Ludovicus de Britto.

ULyssipone in domo Professorum anno 1691. ad superos profectus. Exortus in oppido Abrantes Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ Societati aggregatus decima sexta Februarij anno 1619. Jugiter mortificationem JESU portavit in suo corpore. Numquam dormivit in molli culcitra, sed nudis asseribus. Cilicium non deposuit. Præter jejunia dominici Adventus, & cætera fidelibus ex præcepto communia, feria quarta, sexta, & Sabbato singulis hebdomadis severo jejunio domuit corpus, his diebus victus erant herbæ crudæ, & amaræ, ipsius manu in domestico septo, collectæ, & minutim concisæ. Raro visus nisi stans pedibus, aut flexis genibus. Quotidie vacabat mentali, ut vocant, orationi non minus horis quinque, has fermè insumebat genu utroque flexo. Ad vitandum otium nocivum rogaverat Patrem, cujus est munus docere plebem catechesim, sibi daret precarios globulos firmiori filo nectendo, quos erat inter explicanda mysteria pueris ad interrogata bene respondentibus divisurus, ut apud nos moris est. Præscivit diem mortis suæ, ad quam longa vita sanctissima transacta se diligenter comparaverat. Post obitum suum Petrus hujus nominis Rex Lusitaniæ secundus, pictorem misit, qui Ludovicum sanctitate præclarum sibi vivis adumbraret coloribus in tabella. Hoc facto Rex Petrus & innatæ suæ pietatis, & Ludovici transmisit posteris immortale monumentum.

P. Petrus Marquez.

ALgarbiis in Collegio Farensi anno 1682. animam efflavit multis ornatam virtutibus. Primam lucem hauserat in oppido Monchique ejusdem Regni sito inter amænissimi saltus, & montis editi arboreta. Tradebat quæstiones de casibus conscientiæ. Vir fuit inculpatis moribus. Perpessus semper æquis animis adversa multa. Temporibus vacationum à magisterio, discurrebat per vicinos pagos, & oppida, docendo Christiana mysteria, concionando, & obaudiendo confessiones. Ardenter postulaverat Indicas missiones, & jam suis votis Majores subscripserant, cum altiora meditantem intercepit mors. Implicitus morbo supremo sic Deum allocutus: Domine mi, si voluntas est, me tibi servire in missionibus Indicis, da corporis salutem: scis bene, non alias mihi curas, quam tibi Deo meo unica placere. Ad extremum agonem paratus, abivit è mortalibus, coronandus pro insigni missionum

num desiderio, tamquam si contendisset in stadio.

DIE X.

P. Doctor Antonius Ferreira.

EBoræ salutis anno 1676. è medio sublatus. Ulyssipone, ubi natus est, Societatem auxerat 22. Augusti anno 1635. Singulari nituit ingenio, tum ad Magisteria scientiarum, tum ad sacras conciones videbatur enatus. Quantum amaret Societatem, Deo placuit ostendere durissimis experimentis. Quarto anno studij Theologici jussus habere missionem stabilem in Oppido milliaribus aliquot à Conimbrica distante. Domum regressus, inopinanter carceri includitur. Huic calamitati severus rigor tum victu, tum lecto adnectitur, nempe vesci pane secundario, qualis datur famulis domesticis, cubare in assere pavimenti. Fidens Deo, ac sua conscientia, erexit animos, & ab ipsa ruina sumpsit. Nihil æquè, ac magis affligebat, quàm secum existimare, posse contingere, ut è Societate pelleretur, tamquam filius adulterinus. Hæc eum nocte, dieque coquebat, & torquebat cura. Carcer, infamia nominis, & cætera, quæ in mortali vita fiunt maximi, non putabat ullius momenti, damno, quod timebat, collata. Duobus annis tulit carceris angustias. Non semel illi significatum si abire vellet è Societate, non futuram difficultatem. Horruit semper ad has significationes. His annis exactissimè inquisitum in ejus vitam, & mores, & imposita crimina. Post rigidissima examina declaratur innocens. Collaudata est ab omnibus invicta patientia, & mirus adversùs Societatem amor. Non deerat Antonio paternæ domus patrimonium pingue, non dotes egregiæ, singularem ad quæque grandia facientes spem. Idcircò laudabilior ejus constans animus. Societas Filium suum, tamquam è bello plenum victoriis revertentem, complexa, obtulit, ubi vellet, Philosophiam docere. Placuerunt Ulyssiponenses scholæ. Postea missus Eboram. Ibi professorem egit Theologiæ, ac Doctorali ornatus laureâ. Dum Magisterio, & concionibus Societati est non vulgari splendori, afflatus aura perniciosa, vixit inutilis Magisterio. Sui tantùm memor, curis omnibus in Deum versis, ad venturam, cum minus putaret, mortem se totum collegit, ejus diem præcognovit. Nono enim Januarij adivit amicorum cubicula, singulis valedicens extremùm, ut moris est peregrè facessentibus. Credebant mentis parum firmæ deliria, ridebant postremam salutationem, & abitum sequenti die. Brevi patuit, nihil vanè peractum. Venienti manè subita vi mali perculsus mortem oppetiit. Eodem temporis momento Conimbricæ uni è nostris Sociis suo consanguineo in somnis apparuit.

 Abe-

Abegit è quieſcentis mente importunam de Societate deſerenda tentationem. Somno diſcuſſo, reddita mentis inſolita pace, notavit diem, & horam; proximis curſoribus certior factus de Patris obitu, reperit, eadem hora, qua ſibi dormienti præſens adſtiterat, defunctum vita.

P. Franciſcus Fernandes.

IN urbe Portuenſi anno 1616. adſcriptus æternitati, Conimbricæ ad nos venerat. Secum reputans apud nos non eſſe tot corporis caſtigationes, quot avidè expetebat, furtim tranſiluit murum ſepti domeſtici petiturus eremum, vel horridam ſpeluncam, ubi ſuo deſiderio ſatisfaceret. Peregrinatus ad ædem Virginis à Lapa. Statio multi eſt concurſus, ac venerationis. Ubi ſanctam conſpexit ædem, ſubito fit alter. Firmo propoſito ſtatuit, domum noſtram, unde fugerat, repetere. Fuſis precibus ad virginem, foras prodeunti fit obvius vir ignotus, at vultu gravis. Promittit ſe comitem itineris Conimbricam. Igitur ambo profecti. Urbem ingreſſi, jam erant intus, ubi à Diva Sophia platea nominatur, cum repente vir-ille ſublatus è conſpectu. Tunc Franciſcus ſuum fuiſſe cuſtodem Angelum non dubitavit. Collegium noſtrum petens provolvitur ad Natalis Commiſſarij pedes; fatetur, ac deflet amentiam ſuam. Inſtat admitti domum. Ejus dolens vicem Natalis, fovet amplexu, ac novum Prodigum iterum numerari jubet inter alios Tyrones. Vixit annis multis in Societate, Virgini ob ſingulare beneficium addictiſſimus. Tribunali confeſſionum aſſiduus, tantam adeptus in id miniſterium gratiam, ut, qui ſemel apud ipſum expoſuit conſcientiam, vix alium quæſiverit. Aliquando per annum Socio Coadjutori tumebat non ſine magno dolore manûs digitus. Interroganti Franciſco de tumenti digito, reſpondit, acri pungi dolore. Dum oſtendit, manu ſua eum Franciſcus tenens, inquit: Bonis eſto animis, hoc nihil eſt. Sine mora acutus ceſſavit dolor, & tumor evanuit, nec inde redivit. Quinque ſupra quadraginta vixit annis in Portuenſi Collegio ſine ullius querela. Duobus annis ultimo vexatus morbo, mira reliquit patientiæ exempla in ſuſtinendis doloribus. Mortis nuntium hilari vultu excipiens, eodem ſupremum emiſit halitum. Omnium, qui noverunt, opinione habitus vir integris moribus.

Franciſcus Galueio Scholaſticus.

COnimbricæ anno 1610. naturæ conceſſit. Siculus domo. Poſt biennium annos quatuor exegit vitam in Chio Inſula, filios Chriſtianorum ſacra docens myſteria. Petivit Indicam expeditionem ſtudio Xaverium imitandi. Navigavit in Luſitaniam. Dum Conimbricæ Theologiæ navat operam, occupat mors.

Ca-

Catalogus morientium robuſtæ virtutis virum nominat.

DIE XI.

P. Alexander Valla Rhegius.

SEptæ ad Gaditanum fretum glorioſa morte occubuit. Natus Rhegio in Italia, à patria ſumpſit incrementum cognominis. Jam ſacris initiatus, ætatis anno vigeſimo octavo noſtræ militiæ poſuit tyrocinium. In eo micuit celſus animus. Gartiam Toletanum ad arcem Biniolum in Africa expugnandam profectum comitatus ſtrenuè juvit milites. Ex labore lethaliter ægrotans, ubi ſacro inunctus oleo, repente convaluit. Miſſiones indicas petens, & obtinens appulſus in Luſitania, conſcendit in Indiam anno 1565. Fuerunt in navi crudeles morbi, dum nocte, dieque languentibus ſervit, & ipſe contracto morbo, tantum non eſt mortuus. Tribus annis in India obivit noſtra miniſteria. In Japoniam contendit anno 1568. Omuræ tenuit portum. Excepit eum hoſpitio Coſmius Turrianus ſecundus poſt Xaverium Japonum Apoſtolus. Convivium fuit atra oryza, & piſcis ſiccus, ac ſale conſervatus. Amplius non habuit Apoſtolici viri menſa. Annis aliquot ſalvandis animis incubuit. Strenuè ſudantem defecerunt vires. Certior factus Divus Borgia Societatis noſtræ Generalis, Alexandri valetudinem nimium attritam, nec in Japonia recuperandam, juſſit Europam repetere. Hæſit aliquandiu, an reſcriberet ſancto Generali, ſineret in Japonia mori: verum perſuaſus Dei Majus obſequium obedire, Indiam acceſſit anno 1571. ſequenti appulit in Luſitania. Profectus Romam, inſtanter rogavit Generalem, concederet regreſſum in Japoniam. Petenti non annuit; ſed injunxit, ageret Ulyſſipone Indiæ, & Braſiliæ Procuratorem. Huic erat addictus muneri, cùm Rex Sebaſtianus uſus infelici conſilio, trajecit in Africam anno 1578. Eò cum aliis Societatis exercitum Comitatus Alexander, Italo, ac Germano Militi laturus opem, confeſſiones audiendo. Expoſitis copiis, novo cælo ob nimios calores noxio præſertim Germanis, cæpit vulgari morbus exitialis: Mira fuit Alexandri charitas: Nonnunquam ſuis humeris languentes excipiens invehebat militari noſcomio, ac cætera erga miſeros præſtabat officia. Ubi miles eductus in aciem, & pugnæ datum ſignum, Alexander ante primam aciem levato in altum Crucifixo milites qua verbis, qua divino ſimulacro incendere, modò ad has, modò ad illas partes convolare nullius memor periculi. Non ſine crebro ſervatus miraculo. Sæpe glandes lethiferæ illius impactæ veſtibus, vi perdita, in humum ciciderunt, ne leviter quidem demorſa veſte. Bis unus è deſertoribus fidei, quorum magna caterva Mauros augebat, invaſit Alexandrum

drum nudato gladio, bis Regis ſignifer vexillum manu rotans, inter utrumque conſpectus, arcuit imminentem Alexandro plagam. Confecto prælio, cum deſertor ille narraſſet Patri, quid evenerit, faſſus eſt ingenuè, ſe, pugna ſæviente, vidiſſe nunquam Regium vexillum; & ſignifer affirmavit obvium ſibi non fuiſſe Alexandrum. Victis Luſitanis, & captis, quibus ferrum pepercerat, diram cum aliis ſervivit ſervitutem; donec evoluto anno, redemptus auro eſt, & Ulyſſiponi reſtitutus. Non diu quieſcere permiſit charitas, eum miſit in Africam Rex Henricus, pecuniis aſſerturus captivos in libertatem. Trajecit Septam. Ibi adornabat iter, cum ſuborta peſtis eum ad opera charitatis ſponte currentem invitavit. Miſcuit ſe voranti populum incendio. Dum animis, corporibusque curandis ſtrenuè deſudat, & ipſe contactus peſte inſtar fortiſſimi militis occubuit in acie, ſui victor egregius, quod ceciderit.

P. Antonius Soares.

ULyſſipone in domo Profeſſorum vitam explevit. Ejus gradus erat Spiritualis adjutoris. Ulyſſipone ſui temporis facile princeps in characteribus pulcherrimè formandis, aut ſcribendi arte. Ad omnem characterem graphicè tranſcribendum nullus dexterior. Verùm has elegantias, quamvis ab eis aliquod nomen, & lucrum, minimi faciens, ſe conjunxit Societati quinta Novembris anno 1543. Proximis juvandis viſus infatigabilis, & re ipſa fuit. Primus adibat tribunal confeſſionum, deceſſit ultimus. Anno 1569. cum peſtis, quam ob factam ſtragem dicunt *magnam*, populavit Ulyſſiponem, unus fuit ex fortiſſimis noſtræ Societatis, qui reſtinguendæ flammæ ſupra modum furenti, & vaganti opem tulit. Nocte, dieque nec ſibi, nec labori ulli pepercit. Multis generosè cadentibus, Antonius non ſine dolore ſanus, ac ſalvus emerſit. Vellet potius lucrari animam ſuam perdendo. Vix ſe devolverant anni tres poſt eam extinctam calamitatem, cum metuendus carbunculus erupit Antonio juxta occipitium. Invicta patientia tulit horridas curationes. Tum noſtris cum externis adeo dilectus, ut peregrinationes ad loca pia, & preces multæ fuerint ad obtinendam infirmo ſanitatem. Placuit tamen Deo ſervum ſuum donare vita meliori. Animi piiſſimo ſenſu tum Viaticum, tum ſupremam Unctionem accepit. Poſtea vultu læto inquit: *Omnia ritè peracta, conſumatum eſt.* Ajebat, intrinſecus dolore, quod tam parum in Societate laboraſſet, ſibi maximo eſſe ſolatio in ea mori. Rogavit Socios, condonarent errata, quibus offendiſſet ſuos fratres. Denique inter pias adſtantium lachrymas expiravit anno 1572. Cum funus humandum in templo viſum à populo, qui multus

tus confluxerat, editus ingens planctus argumento fuit quanti virum fecisset Ulyssipo, quem vellet consepultum tumulo è suis facto lachrymis.

Emmanuel Vincentius Coadjutor.

DEcessit Eboræ anno 1704. Natus in Parœcia à Sancto Benedicto de Mato in agro Eborensi. Sexta Januarij anno 1674. tyrocinium posuit Eboræ. In suo gradu vixit innocentissimè, semper humilis, ac rebus piis addictus. Anno 1691. Majorum imperio ablati sunt Coadjutoribus pilei, quos ipsi tractu temporis fecerant æquales penè, ac similes clericali pileo, quo utimur in Lusitania. Tantum concessum est, possent uti pileolo hærente capiti, ut ab inclementiis temporum tuti degerent. Multi fragmentum panni suæ Religioni præponentes defecerunt à Societate, quorum vita, & exitus plerumque tristia. Emmanuel sine mora, & vultu gravi paruit. Obibat lætus injuncta munera. In prædiis arabat terram, & vertebat ligone. Messium tempore sumpta falce agebat messorem. In area ventilabro purgabat triticum. Uno verbo, servi omnes implebat vices. Domi quæque viliora exercebat. Nihil illi gratius, quam pro Deo suo vilescere. Orationi deditus. Traduxit vitam omnem sine querela. Talis fuit, quales suos Coadjutores vult Societas.

DIE XII.

P. Franciscus Pirez.

ANno 1586. Bahiæ in Brasilia vocatus ad cælum. Ortus fuerat Sirolici Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ nostris conjunctus vigesima quarta Februarij anno 1548. Missus in Brasiliam anno 1550. Reliqua dicam verbis Josephi Anchietæ fideliter è vernacula Lusitana in latinam conversis. Franciscus, inquit ille, semper multo virtutis exemplo apud nos vixit, occupatus audiendis confessionibus, concionibus peragendis, Christianam doctrinam pueros docendo, & multo proventu cætera obeundo Societatis ministeria. Nescivit linguam Brasilicam, quamvis incubuit illius studio. Verum per interpretes juvit multum Indos, erudiendo Evangelicis doctrinis, & excipiendo confessiones, in quibus fuit continuus. Gubernavit Residentias maritimas. Eo habitante in Portu securo juxta ædem Virginis Societatis administrationi subjectam, quæ suo, ac Sociorum jussu erecta fuerat, Virgo sanctissima dignata est suis favere, fonte divinitùs arido in loco de terra erumpente, per totam illam regionem celeberrimo, cujus aqua curandis infirmis salutifera tum à finitimis, tum à distantibus locis quæritur ad morbos depellendos. Initio annis aliquot rexit Collegium Bahiense. Postquam bonam vitæ partem insumpserat nostra exercendo ministeria in diversis

Residentiis, vocatus ad Collegium Bahiæ, ægrotavit in itinere, copiosum sanguinem vomens. Post multos dies, quibus summâ patientiâ toleravit morbum, vultu semper læto, & Virginem suavissimis alloquens verbis è vivis abiit, Socios relinquens magno affectos solatio. Hactenus de Francisco Anchieta. Pro illius elogio, etsi non essent cætera, sufficeret tantus encomiastes.

P. Emmanuel Castellam.

ANno 1694. mortuus Eboræ. Illi solum natale Conimbrica. Ulyssipone Societati adhæsit vigesima septima Februarij anno 1647. Raro prodibat è cubiculo. Amicus silentij fugiebat otiosas confabulationes. Mores erant irreprehensibiles. Vitam vel concionibus, Sacris, vel reliqua exercendo nostri instituti ministeria transegit. Religiosæ paupertatis cumprimis amans. Post ipsius sanctum obitum lanea femoralia è crasso panno, quibus à quatuordecim utebatur annis, omnibus, qui vidimus, fuerunt stupori. Suspensa sunt, in publico Collegij vestiario, ut Socij venerarentur amorem paupertatis. Erant tota merus cento. Procurator vestiarij centones octoginta supra ducentos, numeravit, & plures erant; nam affectus numerandi tædio destitit ab hujusmodi cura. Cujus fuisset generis prima tela, dignosci non poterat. E crumenis una, quàm suspendi in vestiario tyrocinij, ut Novitij discerent paupertatem, habebat quinquaginta centones. Erant omnes insuti Emmanuelis manu; & ex frustulis rejectaneis, quæ ut inutilia solent à sartoribus mitti foras ad purgandam officinam. Hæc ille sedulo colligens instar mendici, perdi non sinebat. Quis dubitet, hos centones digniores monstrari digito, quam sericas vestes, & gemmas? has Angeli non dignantur suis oculis, illorum conspectu, ut spectaculo jucundissimo recreantur.

P. Gonsalus Luis.

ANno 1627. in domo Professa Ulyssiponensi mundum, in quo vivimus, deseruit. Natus Ulyssipone. Ad sacras conciones micuit insigni talento. Multus illi zelus in procuranda animarum salute. Humilitatem obedientiam, & Reginam virtutum charitatem præ cæteris coluit. Puellis egenis, quarum Majus periculum, maximè consuluit conquisitis subsidiis ad vitam honestè traducendam. Idcirco audiebat egentium pater. Morbo postremo acerbissimas curationes passus animo doloribus majore semper volenti Deo concors, acerbitates ut beneficium amabat. Quam dispar amicorum Dei, reproborum conditioni! hi ex adversis ad inferos faciunt gradum, illi ad Superos.

DIE

DIE XIII.

P. Stephanus Fagundes.

ULyſſipone in domo D. Rochi anno 1645. ad ſuperos conſcendit. Natus in oppido Viana Diœceſis Bracharenſis. Eboræ nomen dedit Societati decima tertia Januarij anno 1594. decem annis morales ſcientias Bracharæ tradidit, duobus Portalegriæ, ubique magna doctrinæ fama. Ejus libri typo vulgati Authorem in omnibus Academiis commendant. Plus tamen virtutibus ſtuduit, quam litteris. Quamvis inflent ſcientiæ, nihil ſuperbientis animi in eo viſum. Jam Senex, & crure debilitatus libros è communi Bibliotheca ſuis manibus portabat in cubiculum, & reſtituebat ſuis locis; nolens apud ſe habere, niſi ſum forent neceſſarij. Licet frequenter hunc repeteret laborem, moleſtiſſimas conſcendendo ſcalas, non ſibi parcebat, nec alterius volebat uti opera, ne ſe merito fraudaret. Id peregit etiam amore Religioſæ paupertatis, quæ non eſt paſſa proprios habere libros. Vere doctiſſimus, quod moleſtias ſuas pluris fecerit commodis, & librorum penuriam pluris abundantia.

P. Antonius Correa.

ULyſſipone in Collegio D. Antonij anno 1623. naturæ ſatisfecit. Eadem in urbe primam hauſit lucem. Conimbricæ Societatem complexus decima ſeptima Junij anno 1604. Ejus charitas inſignis præſertim adverſus infirmos. Pius affectus erga Virginem ſingularis, cujus obſequiis non ſolum dicavit animum, ſed pretioſa dona in ſacello Virginis à D. Luca dictæ Collegio Conimbricenſi, quod propter plures largitiones ab Antonio ipſi factas, inter benefactores recenſet. Ubi primùm decubuit morbo, impensè rogavit, ne ſe nuntium mortis celarent: ſibi vitam amori non eſſe. Quod non emiſerat ſolemnem profeſſionem, teſtamentum condidit; ſacello, & templo Conimbricenſi legavit multa, divino cultui, & altaribus ſervitura. Non ideo à nobis diſceſſit egenior: quò plura Deo dedit, eo factus ditior.

P. Franciſcus Adorno.

GEnuæ in Italia cælum petiit anno 1586. Ibi natus è prima nobilitate. Parentes dicti Vincentius Adornus, & Hieronyma Adorna. Conimbricæ Societati adſcriptus decima Junij, anno 1549. ætatis decimo ſeptimo. Ibi didicit ſcientias, in quibus eminuit: Nam ingenium, & memoria illi feliciſſima. Romam à Majoribus vocatus, Societatem illuſtravit, tum in ſacræ Theologiæ magiſteriis, tum in habendis concionibus, ad utrumque præclariſſimus. Patavij ſolemniter profeſſus anno 1560. Rexit primus novum Mediolani Collegium. Deinde alios obivit Magiſtratus, ad quæque altiora factus. Quod eſſet liberali

rali forma conſpicuus, à nobili ſollicitatus fæmina, illius ardores inſanos miro modo extinxit. Erat juxta lectum vas ſordibus excipiendis, in eas conjecit manum vir caſtiſſimus, ac ſuam honeſtiſſimam faciem eo luto fædavit. Inhorruit fæmina ad inſolitum ſpectaculum. Sine mora Patrem abire juſſit, quod ille fecit dicto citius, parto trophæo nobilior, quam avorum imaginibus. Divo Carolo Borromæo imprimis charus, & ipſi à confeſſionibus, & in peregrinationibus comes aſſiduus. Fractus laboribus, & morbis ſe Genuam contulit. In ſomnis illi ſe obtulit Divus Carolus multo conſpiciendum ſplendore. Interroganti Franciſco, quid ſignificarent tot lumina, reſpondit: Fruor æterna felicitate, brevi mecum eris. Diſcuſſo ſomno, intellexit ſuum non diſtare obitum. Non tenuit eum falſa opinio. Nam morbum ſupervenientem ſecuta mors vitæ ſimilis. Ejus vultus exanimis tanta decoratus pulchritudine colluxit, ut eſſet inſtar miraculi contemplantibus. Mihi certè mirum non eſt, quod tantum fulſerit inter umbras mortis, qui nunquam micuit in vita pulchrior, quam cum ſordidior.

Joannes Nunes Scholaſticus.

OBivit Eboræ anno 1683. Natus Serpæ Diœceſis Eborenſis. Ingenij non vulgari Philoſophicis ſtudebat diſciplinis, cum Sociis internicinus, & contagioſus incubuit morbus. Quid charitas poſceret, non oblitus, ægrotantium adfuit periculis: uni periculoſius laboranti continuus nocte, dieque aſſedit. Evaſit hic mortis fauces, ſed in eas incidit Joannes eodem contracto morbo. Protinus generoſis animis fortiter ſe comparavit ad luctam extremam, magnum vitæ contemptum, & æternitatis amorem præ ſe ferens. Eo vultu vidimus morientem, quaſi provocaret mortem, non timeret.

DIE XIV

P. Martinus de Mello.

VIr magnæ authoritatis & ſanctitatis anno 1617. Eboræ vita functus. Natus in Caſalvaſco Viſenſis Diœceſis. Conimbricæ conjunctus Societati decima quarta Februarij anno 1562. docens in Eborenſi Academia Philoſophiam, ſpectatores habuit pro menſis Philoſophicis Regem Sebaſtianum, & Cardinalem Henricum. Ob ſingularem viri prudentiam P. Generalis Viſitatorem Regularum conſtituit. Id munus de novo creatum, duobus commiſſum Patribus, attributo unicuique certo domorum numero. Eorum cura, inſpicere, quomodo ſinguli obſervarent Regulas ſui muneris. Alios obivit Magiſtratus. Nihil erga ſubditos humanius. Severitatem unicè voluit ſibi. Functus tot honorificis Magiſtratibus, ea fuit humilitate, ut qui videret, tyronem pu-

putaret. Ne lineum quidem filum petebat ſine Majorum facultate. In faciendo Sacro videbatur homo Divinus: tanta inerat celebranti Majeſtas. Numquam detraxit, nec detractionem præſens tulit. Annis triginta eâdem uſus lacernâ tam plena centonibus, ut nihil magis. Adeo tenero ſenſu Societatem dilexit, ut de rebus ipſius glorioſis non miſceret ſermonem ſine ſuaviſſimis lachrymis amantis animi indicibus. Felices lachrymæ! quibus ceu gemmis ornatur Societas: Tales filios habet cordi, quod illis ſit in pupillis.

P. Ludovicus de Morais.

IN domo Profeſſorum Ulyſſipone anno 1622. Superis additus. Patriam novit Funcalenſem urbem in in Inſula à Materia dicta. Conimbricæ Socios auxit decimatertia Novembris, anno 1561. Antonius, & Sebaſtianus ejuſdem cognominis, de quibus fiet præclara mentio, ipſius fuerunt Germani fratres. Ludovicus raro ad ſacras conciones talento, non curavit auram popularem, aut inanes plauſus, ſed audientium utilitatem. Fructuosè diſcurrit inſtar Apoſtolicorum hominum. Sæpe vocatus à Principibus Brigantinis Villaviſſoſam, magnos fecit animorum motus, & morum mutationes. Criminoſum ſuſpendio damnatum comitabatur, illius conſulens animæ; Verum homo perditiſſimus, quid ſua intereſſet, oblitus, blaſphemiis omnium aures offendebat. Hic Ludovicus, quanto potuit clamore, indixit ſacrilego ſilentium. Ad hanc vocem obſtupuit, ac ſiluit, ceu inopinato ictus tonitru aut fulmine. Quod mirabilius, reſipuit, flevítque peccata ſua. Ea vox inſtar flammæ cœlitùs immiſſæ, tenebras, quibus erat mens obruta, diſcuſſit. E ſuſpendio, ut creditum, ad cœlos fecit gradum. Ludovicus poſt longam vitam iñocenter actam, jacuit morbo diuturno. Mira fuit in eo tolerantia latrantium dolorum, quos habuit loco flammæ luſtralis. In hoc ſuo Redemptori ſimilis multum, quod ante mortem concionatus loquendo, in morte concionatus patiendo.

DIE XV.

P. Doctor Franciſcus à Caſta.

ANno 1624. Conimbricæ in aſtra conſcendit. Natus Ulyſſipone ex primaria Regni nobilitate, conſanguineus fuit P. Franciſco Mendozæ, quem virtutes, & ſcripta fecere è primis luminibus Societatis. Ejus parentes dicebantur Joannes Coſta, & Antonia Meneſia. Societati adjectus Conimbricæ decima quinta Maji anno 1596. Ingenio magnus, facultates, quas profitemur, edocuit merito Magiſtri præclari nomine. Theologias Eboræ, ibique Doctoris inſignitus laurea, deinde Romam vocatus, eandem tradidit ſcientiam. In Luſitaniam regrediens, dum vene-

neratur prope Massiliam sepulchrum Divæ Magdalenæ, certus fit Divinitùs, moriturum devoluto quinquennio. Igitur id temporis spatium consumpsit, curis majoribus se venturo præparans agoni. Irruentem mortem sic excepit, ut qui didicerat toto quinquennio eam evincere.

P. Emmanuel da Veiga.

ULyssipone in Domo Professorum anno 1647. venerabili plenus senectute vivere desiit. Natus Villævissosæ Diœcesis Eborensis. Conimbricæ junctus Societati prima Januarii anno 1583. Zelo animarum feruidus, missionibus obeundis inclaruit. Ex charitate facta illius viscera: Pupillis, viduis, & id genus miseris asylum semper apertum, & amicum fuit ejus cor, & pectus. Juvit patrociniis, juvit eleemosynis è ditibus conquisitis. Nostrorum virtutes, & gloriosas expeditiones susceptas in ultramarinis regionibus Lusitanæ ditionis ad lucrandas animas mandavit typo, ut æternaret Authores, & legentes incenderet; & simul ab eis clarescceret Societas. Acceptis à P. Generali patentibus litteris ad gubernandum Collegium Portuense, sic inhorruit, tamquam ipsi viperam immitteret. Tam efficaciter excussit à se honorem, quam avidè ambiunt alii.

DIE XVI.

Antonius Vas Coadjutor.

FAri in Algarbiis anno 1650. è vivis ereptus. Natus Nizæ Diœcesis Portalegrensis. Eboræ ad nos venit quinta Augusti anno 1546. Peste Farum vastante, ibat Antonius Comes Sacerdotibus nostris per urbem discurrentibus ad sublevandas ægrotantium miserias, & confessiones audiendas. Cùm Sacerdos è nostris hominem hæresi non minùs contactum, quàm peste, ad sanam frugem traduxisset, ísque suos errores esset detestatus, Antonius conceptam explicaturus lætitiam, ægrum complexus. Sed ex complexu hæsit illi tabes perniciosa. Intra dies paucos, animæ postremis subsidiis communitus, placidissimè conquievit factus victima charitatis. Admirare in moriendo hominem: alii mortem excipiunt aversa facie, Antonius excepit amplexu.

P. Antonius de Sousa.

EBoræ anno 1643. ad Superos concessit; ibi se adscripserat Societati prima Martii anno 1590. Ortus parentibus illustribus in oppido *Cadafais* Diœcesis Ulyssiponensis. Obivit in hac provincia præcipuos Magistratus. Fuit Rector Collegii, & Eborensis Academiæ, Rector Conimbricensis, tandem Provincialis. Ejus vita subditis erat vivendi norma. Qui non repererant in cubiculo, sciebant esse coram Sanctissimo. Si negotia, & munerum onera absorbuerant diurnum tempus, minuebat nocte somnum, ne statis precationibus deesset. Cæteris affabilis, sibi rigidus. Cilicium ferme non exuebat.

bat. Flagello bis in die corpus domuit. Victu parcissimus: cupedia, & cæteras gulæ delicias nescivit, quid saperent. Volatilium carnes non tetigit. Diebus singulis animi labes exponebat ad confessarii pedes, eidem dixit se id exequi, ceu statim esset moriturus. Fovebat multum ultramarinas missiones, quæ sunt præcipua nostræ Societatis gloria. Quos è nostris adolescentibus videbat magis addictos virtuti, animabat præmiolis. Erga consanguineos, etsi tam nobiles, nullam ostendit propensionem, ut alienos, & sibi ignotos tractavit. Vix intra viginti annos semel visitavit sororem suam viduam. Ejus amores erant Societas. Sic illius affici rebus solitus, ut lætis vix se caperet præ lætitia; tristibus, tantum non periret mœrore. Magnoperè curavit nitorem domuum, quas rexit, ut habitatio commodior esset Sociis, & lætior. Præscivit tempus mortis suæ. Cum instaret agon ultimus, vocatos ad se omnes Collegii Socios mira charitate est complexus. Paulò ante obitum è circumstantibus rogavit unum, iret, & nomine eleemosynæ sibi peteret à Rectore sepulturam, & ne sineret exequias suas alio, quam cæterorum, fieri apparatu: quamquam obiret Provincialis, post mortem omnium æquari cineres. Cum nobilis fuerit sanguine Majorum, nobilis Religiosis virtutibus nihil in eo luxit nobilius Humilitate; qua se contempsit, & ab omnibus studuit contemni.

P. Franciscus Cabral.

IN Collegio Scallabitano supremum edidit Spiritum. Natus Sirolici Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ factus Societatis tyro nona Novembris anno 1622. Frater fuit Thomæ Capralis, de quo suo loco fiet mentio, nam uterque ut sanguine, ita virtute Germanus. Sui contemptu insignis: putavit se non Socium, sed aliorum vile mancipium. Talento ad concionandum præclaro, sacrarum missionum studiosus, ubi Divinum semen sparsit, collegit fructus copiosos. Helluo insatiabilis laborum, quamvis sudore continuo gloriosè sorderet, semper conquestus se à Majoribus non gravari oneribus. Numquam doluit de factis sibi injuriis! Erga vinctos carceribus, & reliquam plebem miseram usus mira charitate. Nescivit, quid esset excusatio à rebus injunctis, licet arduis. Obedientiæ difficiles erant illi gradus ad difficiliores. Habitavit Brigantii, cujus cœlum inamabile est ob nimios in æstate calores, & nimia per hyemem frigora. Missus ad Insulas in Oceano, ad Mazaganiam Lusitanæ ditionis Coloniam in Africa. Tandem jussu Majorum suscepit navigationem Angolanam. In itinere capta à Pyratis nave, sub eorum potestate quæque dura perpessus. Ejectus in oram maritimam Regni Congensis, omnibus vitæ subsidiis nudus, vix Loandam vivus pervenit. Ibi & Lusitanorum, & Æthio-

pum ſaluti ſtrenuam navavit operam, dum non coactus Superiorum imperio Luſitaniam repetere. Si vir obediens loquetur victorias, ut habet Divinus ſermo, vix plures loquetur ullus. Numerent alii ſuas victorias imperando, vir Religioſus numerat obediendo.

Joſephus Fernandes Coadjutor.

Conimbricæ anno 1689. deſivit vivere. Natus in oppido *Villar* de Monte agri Brigantini. Conimbricæ Societatem iniit octava die Auguſti anno 1668. Ejus mores tota vita irreprehenſibiles. Ultra annos quindecim egit Conimbricenſis Collegii Subminiſtrum. Vix ullus id muneris obivit integriùs, aut magis acceptus, & charus Sociis. Cum ſint officii partes, vigilare circa domeſticam diſciplinam, culpabiles, ut puniantur, deferre ad Superiores, omnibus inſtar umbræ locis adeſſe, ne deflectant à recto tramite Socii. Nullus fuit, qui ſit conqueſtus de Joſepho, aut notam ejus inureret veritati, quam vel inobſervantes, & imperfecti venerabantur. Magna viro prudentia, connivebat in tempore. Diſſimulationibus inculpatis multa ſanavit ulcera, quæ fricando exacerbaret. Non paucos conſervavit Societati. Verbum, unde oriri poſſet offenſio, ex ipſius ore non auditum. Paupertatem Religioſam amavit ut matrem. Cum DEO familiari uſus commercio. Mitior illo non erat: tranquilliſſimo mari perſimilis non procella, non unda, aliove motu inordinato turbatus umquam. Conſtans de eo apud omnes Sanctitatis opinio, confirmata eſt vita ſemper illibata, & tandem morte invidenda. Magnum eſt tot annis, in tanto Collegio, hoc eſt ducentorum hominum, tale munus obeundo, vitam ſine querela duxiſſe: id ego imputo hominis prudenti manſuetudini, nam ſi peccantibus ad omnia reſpondiſſet, non deeſſet, in quo peccaſſet.

Antonius de Abreu Coadjutor.

Luſitani hominis nec patriam, nec diem initæ Societatis inveni. Anno 1580. peſte Ulyſſiponem depopulante, Antonius vitam ſuam expoſuit ægris ſanandis. Decertavit totis animis, & curis in abolenda communi pernicie, verum & extinguentem voravit incendium. Contagio tactus occubuit glorioſè ad aras charitatis. Nihil amplius de eo novi, nec novi parum. Nam ſolus felix, qui moritur feliciter.

DIE XVII.

P. Joannes de Aſpilcueta.

Bahiæ in Braſilia anno 1555. ad æternitatem migravit. Natus in Navarra præclaro loco, nam fuit unus è D. Xaverii conſanguineis, illi valde ſimilis Spiritu, & animarum zelo. Conimbricæ conjunctus Societati vigeſima ſecunda Decembris anno 1545. Inter primos, qui Braſilicas

ſilicas miſſiones, & Provinciam fundarunt, eò contendit anno 1549. Brevi calluit regionis linguam vernaculam, in eam transtulit doctrinæ Chriſtianæ capita, & orationes. Hinc manavit hoc fonte copioſus fructus. Abſurdiſſimos gentis abuſus, & inſanos exterminavit mores. Sæpe hanc ob cauſam mori periclitatus, non ideo ſegnior in opere urgendo. Noluit vitam, niſi ut totam vel inſumeret, vel perderet pro Deo ſuo. Miras fecit in Luſitanis ſceleſtioribus morum mutationes. Celebratur multis ſermonibus cujusdã Barboſæ è nequiſſimis facile Principis. Is ob inſignia ſcelera relegatus in Braſiliam, Cœlum, non animum mutaverat, majori libertate in dies effectus pejor. Implicitus morbo jacuit in mapali deſtitutus omnibus humanæ vitæ ſubſidiis. Belliſſimam nactus occaſionem lucrandi hominem Joannes, ſe totum dicavit ejus ſervitio, parabat cibos, ſternebat lectum, applicabat medicamenta, ſolabatur alloquiis, inſtillans ad ejus aures ſalubres monitiones. Hæc obſequia, quæ vel feras lenirent, magis efferabant ægrum. Compenſavit injuriis, ſæpe in ejus faciem expuit oblatas dapes. Longum eſſet referre cætera convicia, quæ Joannes pluris æſtimabat gemmis. Dum miſer ſui impotens effundit iram totam in DEI ſervum, hic arcet veſtem à tergo, & flexus in genua, ſe cruentat ſcuticâ; quanta vi potuit, inclamans ſic mulctando, malos ſervos, & in ægri ſui ſervitio defectuoſos. Hæſit attonito ſimilis Barboſa: perculſit ſanguis ille, & emollivit cor ſaxeum. E lecto ſe proripit, advolutus Patris genibus, plorat ubertim, gemit ſingultim: ſe dicit impium, ſe mortalium crudeliſſimum, dignum mille furcis. Rogat verbis, & lachrymis, modum plagis imponat, ſe in ipſius eſſe poteſtate, ex animo dolere turpiter commiſſa. Ad hæc Joannes: Hoc tantum volebam meis laboribus, obſequiis, & ſanguini prœmium. Bonis eſto animis. Solatus amicis verbis, & complexu, monet, ut ad purgandam vitam confeſſione curas intendat. Paret dicto. Evomuit multis annis contractas ſordes, ac reſtitutus valetudini optimis ſarſit exemplis, quæ deſtruxerat peſſimis. Alium Barboſæ non abſimilem non diſſimili lucratus artificio. Sæpe ad terrendos peccatores prædixit ventura de Cœlo ſupplicia, niſi mores corrigerent. Cum riderent minas, Divinam ultionem ſunt experti. Volens Nobrega Provincialis tentare Joannis obedientiam, imperat, veſtem lugubrem ſumat, ac flagellum, diſcurrátque per Bahiæ vicos, ac vias nudatum tergum diverberans. Nulla fuit mora, abiit lætus, redivit lætior ſui ſanguinis inſignitus oſtro. Pergentes Luſitanos ad indagandas aurifodinas in meditullio Braſiliæ juvandi gratia comitatus. Cum non invenirent quæſita; reperit Joannes, quæ deſideraverat, nempe magnam Indorum

catervam; manſuefactam ſecum duxit ad loca maritima, ut ſacris eruditam myſteriis lymphis luſtralibus ablueret. Is labor tantus fuit in homine jam viribus attrito, & penè conſumpto, ut non diu vixerit. Fallor: vivit adhuc, & mortales dum fuerint, vivet in ſobole eorum, quos Chriſto peperit.

DIE XVIII.

P. Doctor Petrus de Novais.

ULyſſipone in domo Profeſſa anno 1642. Longa ætate, venerabilique ſenectute de vivis exceſſit. Cunas habuit in oppido *Sam Pedro do Sul* Diœceſis Viſenſis, conſanguineus fuit Patri Simoni Rodericio, uni de primis Sociis Sancti Ignatii in fundanda Societate. Conimbricæ ad nos venit decima ſexta Aprilis anno 1568. Vir magnus litteris, major virtute. Sacras Theologias profeſſus Eboræ, ibi Doctoris laureâ condecoratus. Egit ejusdem Academiæ Cancellarium. Præter alios Magiſtratus functus munere Provincialis. Sibi nunquam diſpar. Plus gubernavit exemplo, quam verbo. Ejus mens plena pondere, quæque ſuis locis attemperabat. Conſulebatur ab omnibus de rebus magni momenti, præſertim ſunt uſi ipſius ſapientiâ ſacræ fidei Quæſitores. Mirum in modum miſertus inopum & afflictorum, ſuæ non erat poteſtatis rogantibus eleemoſynam denegare. Sæpe foras exiens, cum ad manum non eſſet, quod egeno ſtipem petenti daret, dabat ſuos precarios globulos, vel ſudarium. Eboræ cum ſcholaſtici pauperes eum videbant in plateis, aut foro, monſtrabant digito. His verbis: *Venit Pater pauperum, venit dator munerum.* Corpus ſuum maceravit multa caſtigatione. Nec ſenex decrepitus abſtinuit à flagellando tergo in triclinio, diebus, quibus moris apud nos eſt. Sui amator cubiculi raro egrediebatur, niſi urgenti cauſa. Vitabat confabulationes cum externis. Audire novitates, quibus vel leviter præſtringeretur aliorum bonum nomen, nec voluit, nec tulit referri ſe præſente. Ad primum loquentis verbum, erat Petri vox: *Non, Non.* Ideſt, noli dicere, nolo audire. Si læta nuntiabantur, quæ mortalium quemquam laudarent, avidiſſimis excipiebat auribus, à nullo circumſtantium major plauſus. Denique tantus, ac talis fuit vivens, ac moriens, ut ipſum laudare non ſit obſequium, ſed debitum.

P. Leonardus Fuzeiro.

ANno 1658. Eboræ Superis adſcriptus. Oppidum *Mouram* Diœceſis Eborenſis ipſi natale ſolum. Pingui fruebatur Abbatia in Provincia Transmontana. Numerabat ætatis nonum ſupra quadrageſimum annum, cum rebus humanis valedixit, ac Societati nomen dedit. Qui jam micabat ſanctis moribus, cùm nobis aſſociatus, planum eſt, facturum

rum maximos in virtute progreſſus, invitantibus ad altiora Sociorum exemplis. Non venit transacturus ultimos annos, curis vacuus, aut inſtar fucorum, ſe beatos dicentium, cum immunes operum ſedent, unicè victuri rebus partis alieno ſudore. Leonardus aliam vitam profeſſus, & ſibi, & proximis vixit. Nam ad audiendas confeſſiones nullus ibat prior. In pertractandis cauſis egentium, quos vinciebant carceres, & ergaſtula, vix ullus accuratior. Videbatur natus ad opem ferendam inopi turbæ. Divinum cultum in templo noſtro ditavit è ſuo. Erga Sanctiſſimam Virginem piiſſimus, diebus ſingulis conſcendebat domum Tyronum, magnam Matrem veneraturus in ea pictura, quam olim dono dederat Eborenſi Collegio Ignatius Azebedius Chriſti Martyr, factam ab uno de ipſius Sociis & Pictore, & Martyre. Ornatus argenteus, quo tabella pulchreſcit, donum eſt Leonardi. Tres vitæ poſtremos annos degit penè cœcus. Innixus baculo, adibat templum, tempus inſumens vel in confeſſionum tribunali, vel in conſalutandis altaribus. Horæ quarta parte & animum, & aures applicuit diebus ſingulis libri aſcetici piæ Lectioni. Cum minus eſſet, quam cuperet; Menſæ temporibus ita cœcus, & ſubſidio ſui baculi pergens ad triclinium, exaudiebat, quæ pro menſa legi ſolent. His, aliiſque ſtudens virtutibus ſic vixit, ut nec vitæ, nec mortis illum pœniteret.

Antonius Homem Coadjutor.

Citra dubium in ſuo gradu non habuit multos, qui virtutibus anteirent. Ulyſſipone in Collegio Divi Antonii anno 1663. animam in oſculo Domini exhalavit. Natus Fronteiræ Diœceſis Helvenſis. Societati aggregatus Eboræ nona Octobris anno 1599. In tyrocinio tot fulſit virtutum exemplis, tamque fervidè, & prudenter ſolitus de Deo, ac rebus piis loqui, ut Tyronum Magiſter cum duobus aliis peregrinatum miſerit, eíſque in rebus agendis præfecerit. Probata illius virtus inſigni miraculo. Hoſpitio Tyrones exceperat Marchioniſſa de Ferreira, ruri tunc habitans in oppidulo, cujus eſt nomen Aqua de piſcibus. Dum multa nocte domum ſe recipit domeſticus famulus, audit ſtrepitum in contignatione ſupra lectum ſuum. Cum ſciret neminem eo uti cubiculo, non dubitavit fures ſcrutari domum. Rapit dextra nudatum gladium, ſiniſtra accenſam lanternam, conſcendit & nocte, & bile cœcus. Pulſat oſtium, accurrit, & aperit Antonius, hic famulus gladio transfigit Tyronem, ut ſibi viſum eſt; nam monſtrante luce, quid hominis eſſet, ſtupuit, putans à ſe transfoſſum. Ubi conſpexit, nec tactum leviter, crevit admiratio, eúmque tenuit tota vita. Sæpe multis rem hanc, ut prodigio ſimilem enarravit. Poſt biennium deſtinatus eſt Socius Procuratoris, & ſimul Præceptor alphabetariorum.

Si

Si tempus ſupererat, conveniens Superiores, rogabat aliquid operis injungerent, ut ſua Regula Coadjutores monet. Novem annis exercuit laborioſum Magiſterium, ſimul gravatum alio penſo. Ulyſſipone annis quinque comitatus Procuratorem Provinciæ. Tribus, & viginti annis Matriti Socius Procuratorum novem, quibus ſucceſſivè ea tradita procuratio, ſic ſatisfecit, ut nihil magis. Erat magna de illius virtutibus opinio apud tribunalium moderatores, quos ſæpe conveniebat ſui muneris cauſa. In libris rationum ad amuſſim ſic omnem expenſam, & acceptum notarat, & tot annorum ſupputationes redegerat in calculum, ut monitus de reditu in Luſitaniam intra dies novem expediverit ſuos libros, vel uno dubio non relicto. Quidquid vitæ ſuperfuit, duxit in Collegio Divi Antonii, janitor oſtii in ſummitate ſcalarum, & æditiuus ſacelli Virginis. Sed jam perſtringamus aliquid de virtutibus. Ex quo mancipatus Societati, fuit penè continua ejus converſatio cum DEO: ſic ipſi vacabat, quaſi non eſſent curæ negotia. Suis precibus à DEO multa diverſis perſonis obtinuit beneficia. Prædixit futuros eventus, quos probavit exitus. Unus è Societate oravit ab Antonio, DEUM rogaret, ſibi à Majoribus concedi miſſionem Indicam. Fuſis ad Cœlum precibus, dixit Religioſo: Habes, tota quod petiſti mente. Ibis hoc anno, non tamen in navi Luſitana. Tali reſponſo vix fides adhibita, nam ex quo Luſitani eam navigationem mortalibus incognitam aperuerunt, navis ne quidem una externa è portu Ulyſſiponenſi eò vela fecerat. Id tamen contigit ipſo anno, nam data in partem dotis Anglicano Regi ob nuptias cum Catharina Luſitana, Inſula Bombaimo, illò contendit navis Anglica poſſeſſionem aditura. Ut & Religioſo facta poteſtas eam conſcendendi navem. Orans ante venerabile Sacramentum in ſacello domeſtico Collegii, vidit aperiri ſacri tabernaculi oſtium, & Puerum JESUM manu in altum levata benedicentem Collegio. Id juſſu obedientiæ in morbo poſtremo Viaticum accepturus, confeſſus eſt coram omnibus Sociis. Eodem in ſacello è manibus Antonii miniſtrantis ſacrum facienti ceciderunt ampullæ vitreæ, impactæ ſolo nec fractæ, nec vinum, & aqua effuſa. Precatus Sacerdotem, ne ſe vivente, rem vulgaret. Frequenter à teterrimo dæmone inter orandum vexatus. Ejus cubiculum aliquando peſſimus hoſpes tam fœtidum reliquit, ut odor peſtilens tolerari non poſſet. Obedientia viri nihil mirabilius. Poſt examen nocturnum pulſavit oſtium Rectoris daturus rationem, ut jubet Regula, de viſitatione ad urbem. Reſponſum eſt; *expectaret.* Poſtea non recordatus ſuperior, ſe collegit in lectum, nec intrare percutientem monuit. Tota nocte prope oſtium ſtetit. Mane facto, prodiens Rector,

quid

quid velit, interrogat? Ad hæc Antonius: veſtra Reverentia me poſt examen nocturnum pulſantem juſſit expectare, id ſum executus. Admirans Superior, gratias Deo habuit, quod in ſuo Magiſtratu tale contigiſſet exemplum. Otioſum nemo conſpexit, poſtremis temporibus lecto ob infirmitates hærens, poſtulabat vel reficienda vetuſta lintea, vel libellos Doctrinæ Chriſtianæ duplicandos, ut librarius inſueret, & compingeret. Juſſu Majorum coacti ſunt Coadjutores de novo Societatem ingredientes non uti rotundo pileo, qui apud nos eſt uſui Sacerdotibus, & Scholaſticis. Quamvis eſſet permiſſus Coadjutoribus, qui vota nuncuparant, Antonius renuntians conceſſioni, ſumpſit pileolum, clericali depoſito; quod intelligeret id majus eſſe & numinis obſequium, & obedientis animi Sacrificium. Non putes ea, quæ diximus, & ſiluimus prodigia, res eſſe majores in Antonio, id maximum, quod in ſuo gradu apud nos humillimo ſtuduerit humilitati.

DIE XIX.

P. Doctor Franciſcus Soarius Luſitanus.

Luſitanum dicimus, ut à Granatenſi diſtinguamus, cui & virtutibus, & litteris non abſimilis. Anno 1659. Jerumeniæ in Diœceſi Helvienſi raptus nitrati pulveris incendio. Natus in oppido *Torres vedras*, Diœceſis Ulyſſiponenſis. Ejus Parentes è primaria nobilitate, dicti Joannes Soares, & Elizabetha de Caſtro. Societati adoptatus in domo Profeſſa Divi Rochi, quinta Februarij anno 1619. miſſus Conimbricam continuare Tyrocinium. Per id temporis morte ſublato ejus majori fratre domus hærede, nuntiatum eſt Franciſco rem omnem paternam ad ipſum pertinere, liberum illi Societatem deſerere, frui Majoratu pingui. Ad hæc Tyro: ſibi res caducas cordi non eſſe: non eò ſtultitiæ veniſſe, ut poſthaberet Societatem JESU paternæ domui, & Chriſtum mundo: cupere ſe plura, ut pro Deo ſuo contemneret. Ceſſit ſuo jure ac bonis omnibus, deditq; minori fratri, à quo poſtea tot acerbitates ortæ ſunt Franciſco. Poſt ſtudia facultatum, in quibus eminuit, docuit Rhetoricam Ulyſſipone, Conimbricæ Philoſophiam, & Theologiam, hujus primam cathedram & in Academia Eborenſi eſt moderatus, ubi Doctoris inſignitus Laureâ ſexta Junij anno 1655. In his magiſteriis nihil eo præclarius, opinio par ſapientiæ; ingenium, acumen & memoria præſtantiſſima. Modeſtia in præſidendo, & arguendo majorem non habuit. Virtutum ſtudiis accuratius incubuit, quàm litterarum. Non tumebat plauſu duriſſimis experimentis, ut aurum in igne, ejus virtus probata. In acclamatione feliciſſima Regis Joannis Quarti patriæ ſuæ inviсtiſſimi aſſerto-

toris, Joannes Soarius Alarconius, cui Franciſcus ceſſerat paternam domum, inſano uſus conſilio, ſecutus partes Regis Caſtellæ, deſeruit patriam. Hinc origo laborum Franciſci, nam de fide erga Regem, & patriam ſuſpectus leviſſimis conjecturis, bis juſſu Regis traditus cuſtodiæ in Domo Profeſſorum Ulyſſipone. Hæc calamitas tantum afflixit hominem patriæ, ac Regis amantiſſimum, ut ante annos canuerit; & qui nigro capillo detruſus in carcerem, exiverit canitie venerabilis. Poſt examinatam ſtrictiſſimè cauſam, reſignatus innocens. Illud non prætermittendum, utpote Divinæ ultionis non contemnendum indicium: Ipſomet tempore, quo Franciſcus ſolutus vinculis, eisdem eſt illaqueatus Franciſcus Lucena Miniſter à ſecretis Regiis, qui Soario noſtro tempeſtatem moverat. Accuſatus dubiæ fidei in Regem ſuum; aut culpæ innocens, aut noxius ferro præbuit ſecandas cervices. Juſſus poſtea regere Collegium, & Eborenſem Academiam: acceptis jam patentibus litteris, in Domo Profeſſa Ulyſſipone antelucanis horis audidivit has voces: *Pater Rector, Pater Rector.* Conturbato ſimilis humi ſe proſternens illud pronunciavit: *Domine, quid me vis facere?* Intellexit apud ſe Magiſtratum ſuum futurum Rectori fæcundam laborum ſegetem. Nec aliud comprobatum eventu. Luſitanus infeliciter obſederat Pacem Auguſtam Caſtellæ urbem validiſſimam Anæ flumini impoſitam. Pernicioſo contracto morbo coactus deſiſtere. Miles in diverſa miſſus oppida, ut curationibus convaleſceret. Magnus numerus Eboram deductus, opplevit Academiæ noſocomium. E Collegio noſtro ibant miſeris ſubſidio multi Socii diebus ſingulis, his morbus hæſit, & invectus noſtræ Domui, totam funeſtavit. Amplum theatrum Rectoris apertum charitati. Servatus incolumis, ut omnibus conſuleret. Nondum emerſerat à tanto labore, cum ſupervenit alius. Caſtellanus, liberata Pace Auguſta, Helviam fortiſſimam arcem oppoſitam Paci Auguſtæ cinxit obſidione. Copias ſuas Luſitanus contrahit, urbem armorum ſedem defenſurus commiſſo prælio. Igitur imperatum eſt Eborenſi Rectori, Scholaſticos, & cæteros Adminiſtros Academiæ, cogeret armatæ Palladi ſervire, patriæ ſalutem non pati togatam. Irent, ac firmarent præſidio Jerumeniam, dum conſulitur Helviæ. Paruit Franciſcus, & ſuos comitatus Academicos. Profligato ad Helviam hoſte, Franciſcus eò contendit gratulaturus Victoribus, ſimul petiturus regrediendi domum facultatem. Poſt confeſſionem facto Sacro, adornabat iter. Dum moratur in domo Gubernatoris Jerumeniæ conſolans ægrotum militem, ignis corripuit nitratum pulverem in inferiore domorum parte ſervatum. Momento temporis conflagravit domus

mus, redacta in favillam hominum supra centum capita. Nec de Francisco repertum, & aliud fragmentum cognitum præter unum femur; patuit suum esse ex sigillo Doctoris condito in femoralium crumena, una cum flagello, & cilicio. Hæc spolia sibi voluit arcis Præfectus, affirmans se noctibus singulis audivisse strepitam flagelli, quo Vir sanctus (sic nominavit) innocens castigavit corpus. Fuit, qui diceret se paulo ante incendium vidisse Franciscum miris septum splendoribus inter duos Angelos. Fæmina notæ virtutis contestata, sibi visas trium animas ex incendio ad cælos evolasse. Certè Francisci, & Sociorum, de quibus mox erit sermo, tantæ fuerunt virtutes, ut fidem faciant hujusmodi testimoniis. Quis neget Franciscum terque, quaterque illustrem, illustrem sanguine, virtute illustrem, illustrem litteris; & cùm tot splendores totum non explicarent, eguit incendio.

P. Doctor Didacus Alfaya.

IDem incendium, quod Soarium, voravit Didacum Sacræ Theologiæ in Academia Professorem. Natus in oppido *Castello de vide* Diœcesis Portalagrensis è Parentibus opulentis, & magnæ nobilitatis. Voluit potiùs amplecti Religiosam paupertatem, quàm frui divitiis paternæ domus, cujus erat unicus hæres. Philosophiam, ac Theologiam docuit Eboræ, ibi vigesima quinta Novembris anno 1653. Doctoris gradu cohonestatus. Mira hominis affabilitas omnium illaqueabat corda. Ad consolandos tristibus curis ægros animos ejus loquendi videbatur enata suavitas. Erat afflictis comune refugium. Multos è nostris de deserenda Societate cogitantes, suis verbis sic firmavit in antiquo proposito apud nos vivendi, ut à se depulerint exitiales curas. Singulari veneratione coluit Virginem Matrem, & Xaverium Indiarum Apostolum. Illius soror agitavit de Collegio Societati fundando: propterea annis aliquot è nostris duo in oppido Castello de vide commorati, donec Majoribus aliud est visum. Quasi præsagiret Exitum suum, apud se vim sentiebat occultam caventem periculum ab igne. Tandem periit igne, quem timebat. Ubi est vitæ constituta meta, vitam exues: erumpit enim mors, quando, & unde non putas; in eo solum fidelis, quod nulli servet fidem.

P. Franciscus Cardozo.

TErtius, quem fatale consumpsit incendium. Natus Ulyssipone, ibi relatus in album Tyronum. Operam navabat disciplinis Theologicis, Rectori charus propter suavissimos mores. Propterea voluit itineris socium. Divinabat illi animus postremum fatum. Paravit se ad mortem Exomologesi Generali. In ultimo discessu à Collegio: Valete, inquit, mei Fratres, ac Patres, vos am-

amplius non videbo. Ita contigit: flammis eum vorantibus, hausit lucem non perituram.

DIE XX.

P. Doctor Hieronymus Alvres.

EBoræ ubi natus mundo, & Societati vitam amisit anno 1624. Annis volventibus, Philosophiæ, & Scripturæ sacræ obivit magisteria, ac illustratus honore Doctoris in Eborensi Academia. Multas à Dæmone passus insidias. Ambienti Societatem inflixit colaphos, minitans multò pejus à se tractandum, nisi mentem exueret ineundi Societatem. Non curavit minas. Jam nostram induerat togam, cum Dæmon sumens figuram Parentis defuncti, lachrymosa voce, plurimo singultu, interrupto præ dolore questu se sistit Hieronymo filio suo, ut fingebat, monet, prospiciat suis sororibus in solitudine jacentibus, omni destitutis subsidio. Primò turbatus, deinde quid monstri lateret sub larva, suspicatus, JESUM inclamat, munit se signo Crucis. Ad has voces, & signa evanuit dirum, & torvum spectrum. Fortiorem repulit incursum annis adolescentibus. Hactenus de se telum fecerat Satan, postea de fæmina. Capta hominis venustate, data occasione, solicitat ad turpia. Ut erat natura igneus castissimus adolescens, sancta bile concepta, objicit perditæ suam impudentiam, intentat à cælo fulmen, ab inferis voraturus flammas, ac dæmones uncis obarmatos eò impudicissimam rapturos. Imperatis minis perterrita solvit oculos in uberes lachrymas, quibus sua extinxit incendia. Amore, & veneratione illibatæ pudicitiæ nec Discipulus, nec Magister humanæ litteraturæ voluit oculos inquinare lectione Nasonis de Arte, & Remedio Amoris, aut Heroidibus, nec volutare eos Poëtas, qui suas spurcitias expresserunt eleganti carmine, sub quo, velut sub auro, venenum celant, & legentibus propinant, eò nocentius, quò dulcius. Cùm esset natura præcipiti ad iram, si bile succenso excidebant verba, cuipiam molesta; eum conveniens in genua flexus petebat humiliter commissi veniam. Gratiâ nostros incitandi ad perfectionem exemplis Beati Ludovici Gonzagæ, illius vitam à se translatam in Lusitanum idioma, curavit typis mandari. Studiosissimus Religiosæ paupertatis, ne imagunculam quidem æream è corona precaria pendentem habere voluit, dicens injuriosam paupertati, quod necessaria non esset. Magna integritate Collegia D. Antonij, & Conimbricense gubernavit. Morbo diuturno, ceu purganti flamma excoctus, purissimam efflavit animam virgineis inserendam Choris. Inter raros virginei pudoris cultores hunc tu memora, quod suas oculorum pupillas, ut Parentes virgunculas suas, custodivit.

P. An-

P. Antonius de Barros.

ANno 1708. ad oram maris Lusitani naufragio mersus interiit. Natus in oppido *Valdeves* Diœcesis Bracharensis. Motus desiderio salvandi animas, ad Orientis Indiam navigavit, inde ad magnum Sinense Imperium. Annis multis ibi desudavit excolendis Neophytis, & convertendis Ethnicis. Imperatori Sinico gratissimus. Cum missio florentissima controversia de ritibus Sinicis turbaretur, quod nonnulli crederent eos ethnicismum sapere, alij agentes causamRiccij nostri,qui missionem fundaverat, politicos tantum affirmarent, Antonius ad Summum Pontificem Legatus ab Imperatore missus, ut quod æquum foret, statueret, perspecta totius Imperij mente circa legitimam vocum significationem. Unde controversiæ orta maxima pars: simul intelligeret, quid Sinenses de ritibus suis in Confucio colendo, & majorum animis sentirent. Quæstio, cum hæc scribo, est in magna expectatione, & novæ Ecclesiæ Sinensi postremus imminet interitus. Avertat Deus tantum infortunium. Antonius Brasiliæ appulsus, & mutata nave, festinat in Lusitaniam. Ad oram maris Interamnensis Provinciæ coorta ingens tempestas. Existimabat Gubernator navis abesse terram minimùm octoginta milliaribus. Brevi suo, & Sociorum damno novit, quantum erraret: nam vi undarum navis immissâ per flumen Anchora hæsit luto. Hic insano maris concussu superius tabulatum à cætero navis avulsum corpore nautas, & vectores subtus latentes miserandum in modum strangulavit. Vix septem littori adnantes, tenuerunt terram. Hi narrabant Antonium Crucifixo manu erecto cunctos ad peccatorum dolorem exhortando emisisse animam. Cadavera lacera frustatim ad littus ejecta. Ex vultu nullum, cujus fuisset, dignosci potuit. Non multum distat ab Antonij patria naufragij locus. Sic sæpe infinitis ambagibus mortem quærimus, quam domi nostræ habemus.

DIE XXI

P. Pantalem Carvalho.

IN domo Professa Ulyssiponensi anno 1685. naturæ concessit. Natus in urbe Portuensi. Societatem inivit Conimbricæ quarta Junij anno 1631. ætatis vigesimo sexto. Unus erat è Collegis, qui ob ingenium præstans vivebant expensis Collegij à D. Paulo. Post Tyrocinij sui biennium postulavit mitti ad Indias. Abnuentibus Superioribus, hanc sitim lucrandi animas satiavit in Lusitania, missiones deambulatorias obeundo, & cibis mendicatis victitando. Ad sacras conciones tam promptus fuit, ut semper ad quascumque invenerint paratissimum. Supra modum amavit laborem.

Ajebat, ſe ingreſſum Religionem, ut eſſet inſtar ſoleæ calceorum, quæ ſervit, at ſemper ſubjecta pedibus. Tantam animi demiſſionem non oblitus Deus, nec Societas. Præfectus Rector Tyronibus Ulyſſipone, Senibus Divi Rochi Præpoſitus, demum omnibus Sociis Provincialis. Nulli honores mutarunt: ſemper humitati propriæ, ſemper labori deditus. In peragendis ſpiritualibus exercitiis nulla negotia fecerunt minus exactum. Ejus modeſtia componebat intuentes. Victu parciſſimus, & maximè paupertatis amans. Longam paſſus infirmitatem, prope agonem ultimum miram explicuit in vultu lætitiam. Et cur non? cum videret brevi ſuis pedibus aſtra calcanda, quod omnium pedibus conculcari ſtuduit.

DIE XXII.

Gaſpar Domingues Condjutor.

IN Angola Africæ regione anno 1607. inter pios juvandi proximum labores mortalem exuit vitam. Natus in urbe Lamecenſi. Conimbricæ Sociis additus vigeſima quinta Februarij anno 1597. Illius mores, quales in ſuis Adjutoribus rei domeſticæ vult Societas. Tum in Luſitania, tum in Angola ſibi par. Diſcurrit P. Gaſpar Azebedius per Caſtella, & arces, quas tenent præſidio Luſitani locis mediterraneis ad coërcendos Æthiopes. Ivit laboris, & itineris Comes Gaſpar. Exercitis miniſteriis inſtituti noſtri diverſis in oppidis, & pagis, acceſſerunt ad Cambambum. Ea eſt regio: ad quam obtinendam multis annis, & longo bello decertatum eſt olim inter Luſitanos, & Æthiopes, quod invaluerit apud noſtros fama illic inveniri non tantum venas argenti, ſed montes. Res ipſa oſtendit mentes hominum egregiè deluſas. Cælum alienigenis peſtilens. Ubi primum eò ventum eſt, morbus lethalis Gaſparem implicuit. Nihil potuerunt Medicinæ. Urgebant infirmum ardentia deſideria Creatorem ſuum videndi: hæc inter anima è corporis ſoluta vinculis ad perennem tranſiit felicitatem. E Collegio diſcedens affirmaverat, eodem non rediturum. Quis non dicat Gaſparem obvios ibi habuiſſe non argenti, ſed auri montes, quos ejus charitas nutrivit tam altos, ut ex ipſis & cælos contigerit, & intraverit?

Emmanuel de Fonte Scholaſticus.

EBoræ anno 1696. piè mortuus. Oppidum *Loule* in Algarbiis illi patria. Eboræ factus Tyro decima octava Octobris anno 1692. Videbatur ex virtutibus compoſitus. Prudentiam cum ſinceritate conjunxit. Modeſtia, & candor morum reddiderunt cæteris amabilem. Nemo adoleſcentem intueretur, qui non affirmaret Deo plenum. Poſt biennium in ſtudiis humanioris litteraturæ tam pulchrum dedit ſpecimen

cimen ingenij, ut magna de ipſo ſit ſpes concepta. Gravi morbo affectus, vitam contemnens, ſe ad extremam luctam ſtudioſiſſimè comparavit. Rationis uſu deliriis turbato, nulla pronunciavit verba niſi de rebus ſanctis. Illud circumſtantibus non vulgarem excivit admirationem: quod, ſi quis cum ipſo miſcuit de Deo ſermonem, menti ſuæ reſtitutus, rectè, & prudenter locutus ſit. Ceſſante ſermone, redibant deliria; ſi de novo fiebat ſermo, compotem mentis admirabantur, & piiſſimè loquentem. Quid vos ad hæc confabulatores inanes, & vani? adoleſcens verè Religioſus, aut mentem Deo vult, aut nullam.

DIE XXIII.

Emmanuel Gonſalves Scholaſticus.

Conimbricæ anno 1604. Angelorum inſertus Choris. Dabat operam Theologicæ facultati, ſed ſtudebat impenſius Sanctimoniæ. Patientiâ Jobi tolerantiæ ſimilis. Tentatus importuniſſimis doloribus, & morbis, cupiebat ſolum, fieret voluntas Dei. Chriſtus de cruce pendens illi unicum exemplar. Hunc ſuaviſſimis compellabat verbis, & Virginem Matrem, ac Parentem Ignatium, cujus fuit genuinus filius. Neminem facto, aut verbo læſit. Inculpatè ut vixerat, ſic mortuus feriâ ſextâ eâdem horâ, quâ Chriſtus expiravit in patibulo. Qui vult ſuum ad Cælos non falli pedem, eaſdem amet ſcalas, quas Chriſtus; Icarus numquam erit, qui ſic ſubiverit.

DIE XXIV.

Alphonſus Gil Coadjutor.

Conimbricæ anno 1582. mortalibus valedixit. Natus in pago *Caſtconha* dicto Diœceſis Conimbricenſis. A teneris apud nos in famulatu domeſtico educatus ſub diſciplina Dominici Gonſalves Coadjutoris magnæ virtutis. Adeo hæſit illi ſancta inſtitutio, ut feriatis diebus, quando cæteri famuli honeſto vacabant ludo, Alphonſus ſit inventus in aliquo domûs angulo ſolus, recitans Virginis coronam, aut Roſarium, fluentibus ex devotione lachrymis. Ubi licuit per ætatem, ſe dedit Societati in eodem Collegio decima octava Auguſti anno 1577. In dies auxit virtutes multis incrementis. Ædituus templi noſtri numquam fixit oculos in vultus fæminarum ſpeciali obſervantia proſecutus Sacerdotes. Paucis annis ingentes fecit progreſſus. Decumbebat extremo morbo, ſuſpenſa ad lecti caput Virginis imagine, cum ſe conſpiciendum ægro obtulit malus Dæmon. *Quid iſtic agis,* inquit, *cruenta beſtia? faceſſe malis avibus, ſervos Dei non irreties tuis dolis.* Cum perſiſteret, ait infirmus, indigitans magnæ Matris imaginem: *Sub umbra Virginis non timeo tuas artes.*

Cum

Cum objiceret anteactæ vitæ commissa, & inter ea aliquot juramenta; voce commotiori similis indignanti, respondet: *Mentiris egregiè, numquam juravi.* Post hæc certamina se victum abstulit è conspectu. Alphonsus verò parta lætus victoria pacatissime emisit spiritum. Disce, qui legis, ex hoc Viro mori. Qui Deum timuit vivens, moriens Dæmonem non timet.

P. Antonius Cardozo.

CONimbricæ anno 1695. discessit è vivis, ibi Societatem ingressus decima quarta Augusti anno 1646. ætatis vigesimo quarto. Natus in oppido *Nabais* Diœcesis Conimbricensis. Majorem vitæ partem consumpsit in procurationibus rei temporariæ. In Angola tam utilis fuit exemplo, ac doctrina, ut Sanctum nominarent. Ubique meruit idem nomen. Confessionibus tam assiduus, ut videretur ad hoc Ministerium indefessus: non morbi, qui postremis annis multum oppresserant, arcebant à confessionum Tribunali. Cæteris suavissimus, sibi tantum rigidus, & austerus. Tolerantiam in perferendis doloribus sic amavit, ut non dederit signum afflicti corporis. Post obitum visa in ejus latere annosa plaga; nemini umquam nota: nam ipsius insignis patientia fovit occultam. Omnibus fuit persuasum, illi revelatam diem extremam. Quas administrabat templi nostri pecunias, ac de ipsis rationes tam exactè disposuit suis locis, antequam ægrotaret, ut dubium nequidem unum sit ortum post mortem. Hujusmodi providentia, ut apparebat, alieno tempore, non contemnendam præbuit conjecturam notitiæ mortis impendentis, ante diem suum illi patefactæ. Obivit, tamquam, qui ad tempus sui obitûs solum obitum servaret. Miseri plerumque sunt, qui vitæ negotia ad mortem servant: illa oblivisci poscit hoc tempus, non recordari.

DIE XXV.

P. Petrus Gomes.

IN domo Professa Ulyssiponensi anno 1577. diem explevit. Coadjutoris spiritualis gradu cohonestatus. Vix fuit in laborando alius magis ferreus. Horis antelucanis è lecto surgens, post integram orationis horam, recitabat partem Canonici pensi, semper faciebat primum Sacrum. Deinde sedebat in sacro confessionum Tribunali, dum foret populus, qui vellet explicare conscientiam. Noctu erat promptus semper ad confessiones infirmorum. Illud sunt omnes mirati, quod etiamsi noctis majorem partem evigilasset assidendo moribundis, manè, non curata quiete, suum illud surgendi, orandi, & celebrandi tempus non distulerit. Prope vitæ finem mente phreneticus nihil aliud cogitabat nisi adesse confitentibus pec-

peccata sua, salubres instillare monitiones, ut à peccatis abstinerent. Denique in eo ministerio tantus fuit, ut Leo Henricius Vir præclarissimæ virtutis sit fassus, nemini mortalium in vita sua magis invidisse, quàm Petro in ministerio confessiones audiendi. Utinam omnibus esset par invidia Sacerdotibus. Sed conjice, quantus fuerit, cui Vir præstantissimus invidit.

DIE XXVI.

Melchior de Sequeira Coadjutor.

MIgravit è vita Ulyssipone in domo Professa anno 1636. Natus Tondelæ Diœcesis Visensis. Conimbricæ in Sociorum scriptus albo vigesima secunda Novembris anno 1584. Nondum exuerat Tyronem, cum est missus ad Professam domum, ubi reliquam exegit vitam. Aliquot annis obivit Subministrum, cæteris janitorem, magno tantæ urbis exemplo, & ædificatione. Quod esset statura pusilla, vocabant Janitorem Sanctulum. Annis quinquaginta apud nos vixit. Ivit semper de virtute in virtutem usque ad perfectionis Evangelicæ culmen. Unicus illi dolor, quod, quantum debebat, Deum non amaret. Hinc orta ingens cura, vel in minimis illi non displicendi. Inter orandum videbatur statua marmorea. Joci gratia ajebant nostri orationis tempore pulices, & pediculos aufugere, ac recedere à Melchiore. Si causâ impedimenti non vacabat statutis horis à Regula alicui exercitamento spirituali, satisfecit, ubi per tempus licuit. Tot audiebat Sacra, quot poterat. Præter ordinarias Divini Panis refectiones, Sæpe se pavit cælesti epulo. Non sibi persuadebat esse hominem, qui Deum offenderet. Supra annis quadraginta præfuit januæ Domus. Tam longo temporis spatio non fuit, qui vel leviter de illo sit questus, omnium ad nos venientium accurrit mandatis tam præstò, comis, ac modestus, ut nihil magis. Quod egeni petitum medicinales herbas crebrò adessent, eas colebat manu sua. Ejus virtus omni hominum generi fuit amabilis. Dicebant uno ore: Janitorem illum esse Domus honorem. Nullo humano respectu à Majorum placitis recessit. Qui tantum studuit alienis comodis, suorum fuit negligens supra modum. Necessum erat, quod ipsi prospicerent reliqui, aliter non esset nudior quilibet egentissimus de turba vili. Multi divites obtulerunt ampla, nihil accepit. Vix unquam potuit ipsi persuaderi, sederet coram Sacerdote è nostris. Si Sæculares nomenclatura Paternitatis honestabant, erubescens ajebat eum titulum competere tantum Sacerdotibus, scirent se esse idiotam Laicum, Domûs vile mancipium: satis, superque ab ipsis se honorari, si compellarent fratris nomine. Quamvis natura sua ferveret flava bile, sic domuit, ac fregit igneum

humorem, ut appareret in eo dominari atram bilem. Simile quid refertur de Protoparente Ignatio. Ad januam non miſcebat confabulationes cum ullo mortalium. Jubente Domus Præpoſito, fieri, ac locari prope oſtium ſcamnum, duobus pariter ſeſſuris comodum, triſtitiam vultu oſtendit. Id videns, Superior dixit: non eſſe, cur gravaretur, poſſe ſedere ſimul ibi duos. Ob ipſammet rationem, inquit Melchior, ſcamnum mihi diſplicet: nam dabitur anſa confabulationibus, quas nolo. Defectus alienos ſemper excuſavit, ſuos culpavit ſemper. Triginta annis, ſi plures non fuerunt, foras non exivit. Adverterunt Sæculares, extra limen januæ non fixiſſe pedem. Diebus paucis, quibus anni decurſu Patres Domûs animi laxandi gratiâ ad ruſticanam contendunt villam, ipſe adivit nunquam. Horum dierum loco tot alios petebat à Superiore, ſolutos onere ſui muneris, eos inſumebat vel reficiendo veſtes ſuas jam attritas, vel lectione ſpiritualium librorum. Oſtium, ut malorum originem, odio ſemper habuit, ac fugit ut virtutis tineam. Poſtquam ob ſenectutem feſſam annis, & morbis levatus eſt janitoris labore, quamvis ægrè ſe moveret, adibat Domus officinas, juvabat earum adminiſtros, quantum ſinebant vires. Quantum pollerent illius preces coram Deo, comprobatum eſt multis obtentis à Deo beneficiis, & quidem ſingularibus. Ne Sociis eſſet moleſtiæ, Deum rogavit impensè, tolleret è medio viventium ægritudine alios non gravante. Annuit votis Deus, & auxit beneficium revelata mortis die. Cum vocarent ad barbam radendam, reſpondit: *Mihi mens non erat barbam deponere: ſed eamus, quoniam accimur, & quoniam ultimò abſcindenda eſt: hebdomas non finietur, antequam ſimus cum Deo.* Res evenit, uti prædixit. Sabbato ſequenti Sacrum facienti miniſtraverat labore non parvo, at magno animi pij ſenſu. Erat extra cubiculum, cum mali correptus vi ſubita concidit examinis. Inter Sociorum ulnas poſitus ſuper lectum, expiavit animum confeſſione, munitus ſacro Viatico, inunctus oleo ſalutari: Non multo pòſt dormienti ſimilis obivit. Ut erat ſuis indutus veſtibus, nec enim exuerant, repoſitus feretro, quod eſt locatum in Sacello Virginis à Divo Luca, cujus fuerat perpetuus æditiuus. Per id tempus contigit eſſe impeditum novis operibus valetudinarij Sacellum, ubi moris eſt conſtitui cadavera, antequam humentur. Illic tum noſtri, tum externi funeris ſunt exoſculati manus, ac pedes. De rebus, quibus eſt uſus, tulerunt multi domum, ſervaturi, ut Reliquias Sanctuli. Quod Sanctulum vocabant, non ideo illi pygmæa virtus: ut eſt mundus in vituperiis liberalis, ſic eſt in laudibus parcus: unde ſi quem dicat Sanctulum

lum, tu gigantem in Sanctimonia ne dubites.

P. Andreas Vellozo.

ANno 1681. in Residentia Virginis à Lapa exuit mortalem conditionem. Natus in oppido Sirolico Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ ad nos venit prima Junii anno 1652. Nunquam studuit corporis sui commodis, amicus laboris ultra quàm dici potest. Angolanam missionem petivit. In ea laboravit multo animarum proventu, & omnium communi ædificatione. Redditus Lusitaniæ, postulavit mitti ad missiones Maranonis. Propter suas infirmitates non obtinuit. Iverat ad Residentiam Virginis à Lapa ad nostra exercenda ministeria. Conciones habendo, & audiendo confessiones magnum fecerat questum animarum, cùm laborantem strenuè oppressit febris perniciosa. Actum de vita non dubitans, paravit se ad transigendum momentum, unde pendet æternitas. Precatus ex toto animo, suum sepelirent corpus in æde Virginis, cui vivens addixerat cor suum, & prope tribunal, ubi die ac nocte confessiones excepit. Res visa difficilis, quod tota Domus sit fundata in vivo lapide, ac magna rupe. Propterea nostri, qui præteritis annis illic erant mortui, terræ mandati in oppiduli vicini templo. Tamen locus à Patre designatus, Vespillonis tentatus sarculo. Extra spem omnem ibi repertum spatium terreum totum, quantum capiendo cadaveri suffecit. Nec aliud est in æde huic simile, sed mera rupes. Primum fuit Andreæ cadaver, quod ibi est conditum. Sic Deiparens favet suorum votis, uti necessarium est, quo fiat illis satis, & rupes mitescant, & dent locum.

DIE XXVII.

Ludovicus Mendes Coadjutor.

ULyssipone, ubi est natus, satisfecit naturæ anno 1608. Conimbricæ Societati conjunctus decima tertia Novembris anno 1561. Ejus vita plena exemplis. Bis ardente pestis incendio, se generosè obtulit ad opem miseris ferendam. Sudavit accuratissimè in tam Sancto ministerio. Unicus illi dolor, quòd quærentem toties mortem mors fugerit. Illius est conditio, ut cum eam quæris, sæpè non invenias; invenias, cum non quæris.

Michael Martins Scholasticus.

COnimbricæ anno 1657. Cœlestibus additus, numerans ætatis viginti sex annos, Societatis decem. Virtuti junxit singulares dotes, zelo salvandi animas junxit pulcherrimum ad sacras conciones talentum. Importunæ strumæ absciderunt spem omnem de ipso conceptam. Studio pretiosam conservandi vitam, missus à Majoribus in Galliam, ut tactu Regis Christianissimi malum excuteret. Strumis vanescentibus successit len-

ta Febris. Hæc paulatim attenuavit. Interim deſperata incolumitate, illius curæ fuerat æternitas. Sic tandem mortuus quaſi nulli rei ſtuduiſſet magis, quàm morti.

DIE XXVIII.

P. Ferdinandus Vas.

ULyſſipone anno 1603. deſivit inter nos eſſe. Poſt exactos annos plurimos in procuranda ſalute animarum apud Indos in Europam miſſus Majorum Imperio ad tractanda negotia miſſionum. In navigatione contraxit inſanabilem morbum, quem tulit animis æquiſſimis. Vix portui appulit, cùm ſanctiſſimè periit. Verè fecit in portu naufragium: dicet aliquis, at non ego: neque enim naufragium eſt, quod nos invehit æternæ felicitati, & incolumitati.

Nicolaus Pereira Coadjutor.

ULyſſipone in Domo Profeſſa anno 1613. vitam explevit. Natus in oppido *Pias* Diœceſis Tomarenſis. Patrimonium Sanctæ paupertatis ſcrupuloſè, & piè adminiſtravit. Exiſtimavit ſe ad labores ortum, ut aves ad volatum. Non geſſit morem ſuo corpori, tractavit ut jumentum Religionis. Promovit omnibus induſtriis Tyronum Ulyſſiponenſium ſurgentem domum. Vir miræ humilitatis. Cum ad nos venit, ſciebat latinas litteras. Obtulerunt gradum adjutoris ſpiritualis. Non admiſit, volens potius ſervire Societati in humiliori gradu temporalis Coadjutoris, quàm in ſublimi Sacerdotum. Profectò, ſi non recuſaſſet, minus feciſſet. Illuluſtriores ſunt, qui venientes ad ſe reſpuunt honores, quàm qui avidis ulnis amplexantur.

Ferdinandus de Napoles Scholaſticus.

ANno 1627. periit Conimbricæ ceu flos aratro ſucciſus ante tempus. Natus parentibus magnæ nobilitatis Mandreſæ Diœceſis Viſenſis. Quadriennium Philoſophiæ abſolvebat, quando intercepit mors ſurgentem in magnas ſpes, quod polleret ingenio, & talento raro. His dotibus aſſociavit virtutes. Modeſtia fecit amabilem. Virginem Matrem proſecutus multis obſequiis, & affectu tenerrimo. Conſcientiæ puritatem inde colliges, quod affirmavit Sacerdos, qui totius vitæ excepit confeſſionem, non amiſiſſe unquam Baptiſmi gratiam. Avidiſſimè deſideravit Japoniam adire; & niſi dies poſtrema interveniſſet, deſideria ſatiaſſet. Similes Cœlum rapit citò, ne terra mutet.

DIE XXIX.

P. Hieronymus Lobo.

ULyſſipone in Domo Profeſſa anno 1678. obivit annis, & meritis plenus. Domo Ulyſſiponenſis. Conimbricæ adſcriptus Societati prima Maji anno 1609. Laborum helluo inſatiabilis anno 1622. ad Indiam

diam enavigavit. Per id tempus erat in votis omnium Æthiopiæ ad mare Rubrum conversio. Cum Turcæ portus maritimos occupassent armis, & tenerent firmis præsidiis, eò intrare, opus erat aleæ plenum. Igitur Hieronymus cum alio Socio petiit Melindum in ora Africæ, exploraturus, an illuc adiri posset Æthiopia terrestri itinere. Infecta re Goam, unde profectus, regrediens anno 1625. unà cum Patriarchâ Alphonso, & aliis Sacerdotibus nostræ Societatis tenuit portum in mari Rubro subjectum Regi Dancadio, qui amicitias colebat cum Seltamo Æthiopico Imperatore. Inde via terrestri non sine magnis laboribus omnes Æthiopiam sunt ingressi. Romanam fidem publicè Seltamus complexus, vetuit severis legibus ritus Alexandrinæ Sedis, quos universa gens Æthiopum profitebatur. Secutus post Imperatoris Decreta ingens animarum proventus: donec turbatis rebus, & Patriarcha, & Sacerdotes ab Æthiopia exterminati, & traditi Turcis, habiti sunt in crudeli captivitate. Redemptus auro præivit Dium Hieronymus, expediturus Patriarchæ, & aliorum libertatem, quæ tandem est empta ingenti pecunia. Unicum remedium instaurandæ Æthiopicæ Ecclesiæ videbatur, si quingenti Lusitani milites irent auxilio, & aliquo maritimo portu occupato, una cum fidissimis incolis veræ fidei adhærentibus (erant enim multa millia hominum) Imperatoris cohiberent insolentem animum. Tentatum negotium in India, cum temporum iniquitas non permitteret tot milites à cætero corpore avelli: Hieronymus Lusitaniam petit. Ad oram Africæ ante caput Bonæ-Spei navis allisa vadis, fecit naufragium. Multa passus ibi cum cæteris septem mensibus, quibus mora fuit ad fabricanda è fragmentis perditæ navis aliquot minora navigia. His adornatis, Hieronymus unum conscendens, procella penè continuata, non sine miraculo tenuit Loandæ portum in Angola. Inde profectus ad Castellanas Indias in America, navigaturus ad Hispaniam in classe Regia. Jam erat in conspectu terræ, cum navis capta ab Hollandis, maria Pyratica rabie infestantibus. Rerum omnium egenus cum miserabili captivorum turba expositus in parva, ac deserta insula, tantum non periit. Illò scaphis aliquot appulsis trajecit Carthagenam, emporium in eis regionibus celeberrimum. Tandem in Hispania Gades pervenit. Festinavit Ulyssiponem acturus negotium cum Margarita Principe Lusitaniæ Castellæ Regis nomine Gubernante. Nihil ibi obtentum, nisi mera verba, & spes inanes. Matritum properavit, at successu pari. Contulit se Romam negotiaturus cum Summo Pontifice. Movit omnem lapidem. Post multas Cardinalium consultationes, ludificatus ut in Lusitania, & Castella, Indiam re-

repetiit, secum tantum ferens aliquot commendatitias epistolas ad Proregem, ut datâ opportunitate Æthiopiæ succurreret. Hoc misero solatio infinitis propemodum empto laboribus Goæ restitutus: ubi natum ad ærumnas hominem nova exspectabant infortunia. Præpositus erat Domus Professæ, cum Proregis inimici noctu suspenderunt è patibulo infami statuam Proregis. Non fuit apud eas regiones ullus Prorex adeò Societati infensus: ajebat enim, suum in nos odium explicandi gratia: se cupere, unum collum haberet Societas, cui posset ipse alligare molam asinariam, ac in maris profundum mergere. Quis crederet tam aversum animum exuendum, sed exuit. Colebat impensè Xaverium nostrum. Dum capit somnos, adstitit illi Divus Xaverius versis ad eum costis. Mi Sancte, inquit Prorex (vocabatur Philippus Mascarenias) cur non ostendis mihi tuam faciem, cum te prosequar tot obsequiis? Ad hæc Xaverius: *Te ipsum muta, & converte, tunc ego vultum meum ad te convertam.* His dictis visio, & somnus evanuit, & atrox in nos Proregis animus. Votum emisit ineundi Societatem, cum finito Magistratu rediret in Lusitaniam. Verum dum ex India remeat, eum suprema dies occupavit in nostro Angolano Collegio. Sed eò revertamur, unde digressi. Sensit injuriam, ut æquum erat, intimis animis. Quod esset Hieronymus acceptissimus nobilitati, ex qua non dubitabat ortam insolentiam adversus Proregis Majestatem, suspicatus est, eo in consilio, & facto partem habuisse Hieronymum. Non curavit de indaganda veritate: sed missi ab eo satellites Patrem in media urbe comprehendunt, & magno strepitu, tanquam parricidam infamem, deferunt ad cænobium Franciscanorum, tradunt servandum in arctæ custodiæ angustiis, ita imperatum à Prorege, & tali, ac tali modo tractandum in lecto, & victu. Vix dici potest, quantum doluerint omnes boni, Virum passis laboribus pro Divina gloria insignem, virtutibus perillustrem & ætate venerabilem in urbe Christiana, à Christiano Prorege indignissimis vexari modis. Post hanc procellam & veritate, & Societatis patientiâ dissipatam, iterum Hieronymus gravissimis de causis in Europam venit. Cogitantem ad Indiam redire noluit Societatis universæ Præpositus, sed præfecit Rectorem Collegio Conimbricensi. Verùm eo Magistratu non diu fruitus, causa cæli suæ valetudini parum amici. Levatus mere, habitavit Ulyssipone. Ibi tum nostris, tum externis erat exemplo. Non sibi in obeundis Ministeriis pepercit. Denique gravis ætate, & gloriosis ornatus meritis, ac virtutibus, non sine opinione Sanctimoniæ ad meliorem translatus patriam, & immortalem vitam. Campanis tristi sonitu obitum

tum vulgantibus, Vir molesto impeditus morbo, sciens, quis esset mortuus, Deum precatus per Patris Hieronymi merita, se ab importuno morbo redderet liberum. Sine mora convaluit, ac sequenti luce adivit templum nostrum, gratias Deo egit, ac narravit ad servi Dei gloriam, quid sibi contigisset. Fuit, qui redegerat in calculum, quas terrâ, marisque emensus leucas Lusitanas constantes quatuor milliaribus Italis. Repertum est, eum numerum superare triginta, & octo millia leucarum. Planè sunt culices, & atomi, aut si quid istis minutiùs, fabulosæ antiquitatis gigantes, si cum Hieronymo conferantur, cujus vel solus passus triginta, & octo millium leucarum spatio major fuit.

P. Franciscus de Crux.

ANno 1706. Ulyssipone in Domo Professa piè obdormivit. Natus in oppido *Lourisal* Diœcesis Conimbricensis. Nomen dedit Societati Conimbricæ vigesima Novembris anno 1643. Docuit Philosophiam Conimbricæ, Theologiam Ulyssipone. Romæ egit Revisorem librorum Societatis. Rexit Collegium D. Antonii Ulyssiponense. Affirmavit nihil sibi contigisse molestius in Societate, quàm eam, & quamcunque aliam Administrationem. Alienissimus enim fuit ab appetitu gubernandi, quamvis omnes eum noverint omnibus rebus magnis parem. Studuit multum perfectioni Religiosæ. Suis directionibus multos & in amplectenda, & in promovenda sanctiori vita instituit. Mira illi patientia in audiendo confitentes peccata sua. Assidebat frequenter sex, & plures horas indefesso similis, dicens, aliter se non posse suis Parochianis satisfacere. Sic vocabat, quos audire solitus. Sentiebant tantum solatium in explicandis apud ejus pedes conscientiis, ut alios Confessarios in conspectu jam expeditos non adirent, scientes Patrem Franciscum non recessurum, dum pœnitentes adessent. Hi plerumque erant ex humili plebe. Ægrotante Reginæ Sophiæ Confessario, supplebat ejus vices. Cum Serenissima horis vespertinis Sabbati diceret Patri Francisco, iret sequenti manè ad ipsam audiendam. Captatâ reverenter benevolentiâ, respondit verbis modestissimis: Vestra Majestas habet hebdomadis dies omnes mane, & vespere expeditos ad explicandam conscientiam, non deero vocatus, dum festivis diebus matutinas horas mihi sinat liberas, ad homologeses meorum Parochianorum, qui pauperculi sunt, & vivunt quæsitis cibis suo labore. Placuit sanctissimæ Reginæ Viri pietas, propterea elegit sibi pervigilia festorum vesperi. Ubi Joannes Lusitanus Princeps, qui modo est Rex Joannes Quintus, exuit Infantiam, Petrus Secundus ejus Parens constituit Franciscum Principis Magistrum, & Confessarium, ac aliorum Principum,

pum, qui adoleſcebant ad Regni felicitatem. Eminebant in Franciſco ad tantum Magiſterium præclaræ dotes, ac virtutes. Multa prudentia, & Scientia, ſingularis affabilitas, & modeſtia. Tanti viri inſigne eſt monumentum Monialium Divæ Claræ in oppido *Lourifal* Franciſci Patria. Fæmina raræ Sanctimoniæ illius ſoror, de qua perilluſtris extat mentio in Agiologio Georgij Cardozi ad vigeſimam octavam Aprilis, initia jecit operi, fovit conquiſitis eleemoſynis Franciſcus, donec Rex Joannes Quintus in honorem ſui Confeſſarij voluit eſſe Fundator. Erexit, ac dotavit nobile ædificium, ubi degunt Moniales primæ Regulæ, & rigoris Divæ Claræ. Cæpit habitari anno 1709. Franciſcus ſanctiſſimas ordinavit inſtitutiones, quibus ab Epiſcopo Conimbricenſi probatis reguntur. Cùm difficili reſpiratione laboraret, & malum in dies creſceret, ad ſubitum mortis incurſum vitam ducebat paratiſſimam. Ut ſuſpicatus, evenit. Nam ſublatus repentè de medio mortalium, ingens de ſe reliquit nomen, ac deſiderium, & monumentum ære perennius in Sacro Virginum Gynæceo. Non jactet ſuas Ægyptus Pyramides, nec Babylon hortos penſiles: vaniſſimæ ſunt hæ ſuorum Authorum memoriæ: has vix inanis miratur terra; at Franciſci monumentùm tantum eſt, ut miretur cælum, cui tot addit ſtellas, quot alit Virgines.

P. Bernardinus Sampayo.

IN Domo Tyronum Ulyſſiponenſi anno 1654. è vita migravit. Natus in oppido *Vianæ* Diœceſis Eborenſis. Adſcriptus Eboræ Societati vigeſima quinta Decembris anno 1608. Splenduit ſolidis virtutibus. Socios gubernavit multis annis ſummâ integritate, & æquitate. Magnum illi pondus in exhortationibus aſceticis, & proponendis meditationum punctis. Loquebatur enim tanquam poteſtatem habens. Ad imbuendos ſanctis inſtitutis Tyrones noſtros videbatur unicè factus. Eis præfuit Eboræ, & Ulyſſipone. Illi debemus vitam exemplis grandibus refertam Dominici à Cunea noſtri Coadjutoris; cùm ex eo ſciret mirandas contemplationes, quantumque ſe Deus ſimplici Laico communicaret, obedientiæ præcepto obſtrinxit, ut vitam ſuam ad majorem Dei gloriam conſcriberet. Dicto audiens Vir humillimus, litteris mandavit admiranda potius, quàm imitanda. Niſi Bernardinus eſſet, jacerent ingrato conſepulta ſilentio. Si vis noſcere, quantus fuerit Bernardinus, lege Dominici virtutes; nam maximus fuit ſuis, & alienis.

P. Michael Leite.

ANno 1675. Ulyſſipone in Domo Profeſſa ſupremum diem explevit. Natus Ulyſſipone, ibi Societati adjunctus decima ſexta Martij anno 1636. Inter cæteras, quibus

bus nituit, virtutes, eminuit charitas. Propterea designatus à Majoribus Procurator vinctorum in carceribus. Eorum causis diligentissimè consuluit. Ipsius virtus, & modus gratus fecit acceptissimum Ministris Regis, & Judicibus causarum: suspiciebant ut Sanctum. Ideò multum profuit egenæ turbæ, cui se volebat totum. Non contentus his curis ad reliqua nostri Instituti Ministeria nullus eo promptior: nam amabat impensè pro Dei gloria, & proximi bono labores. Nocte, dieque Cælo pluvio, frigido, vel æstivis fervente caloribus accurrebat ad opem moribundis, & infirmis ferendam. Quod tantum prospexit cæterorum animis, non ideò existimandus fui imemor. Viri enim Apostolici quantò magis aliorum saluti prospiciunt, tantò magis suæ consulunt.

DIE XXX.

P. Arias Botelho, & Antonius Carvalho Coadjutor.

Horum inveni solum nomina, & genus mortis, equidem gloriosum. Degebant vitam Loandæ in Angola. Ejus regionis meditullium parùm amicum, imò exitiale alienigenis, eos si non occidit morbis crudelibus, invadit occisuro simile. His vitæ conculcatis periculis, ambo studiis animas lucrandi per interiorem regionem peregrinati, Æthiopes docendo viam Cæli. Dum messi falcem admovent, contracto ex aura noxia perniciali morbo: instar fortium ceciderunt in acie. Eorum ossa, annis volventibus, Loandam translata è dumetis, ubi perierant. Non existimandi fortunatiores, qui sub tectis moriuntur: Grandes animæ tectis capi non possunt; tunc respirant, cùm pro Dei gloria in vasta expirant solitudine.

P. Franciscus Rodrigues.

Anno 1606. ad ostium Tagi naufragio sublatus. Multum laboraverat in Japonia, unde missionum Procurator in Europam missus. E quinque navibus ad Lusitaniam profecturis, unam Goæ voluit conscendere, quæ sola navigatione usa felici. Non permisit Arias Saldania Proregis functus munere, cupiens eum viæ comitem. Igitur in navi prætoria simul cum Aria vela solvit. Ingressura portum, allisa scopulis, eo fecit lamentabilius naufragium, quo viciniùs laborum fini. Potuit Franciscus, turba in periculo relicta, sospes evadere. Obstitit Viri ingens charitas: nam deficiente Confessario, & exhortatore ad cælestia, perirent corpora, & animæ. Dum magis opitulatur aliorum saluti, quàm suæ, unda sorbuit. Nunquam profectò feliciùs navigavit, quàm cum naufragium faciens, appulit in cælo.

DIE XXXI.

P. Franciscus Tavora.

ANno 1664. in Domo Professa Ulyssipone vitâ defunctus. Natus in urbe Lamecensi. Conimbricæ additus Societati sexta Februarij anno 1605. Diversos obivit Magistratus, & Assistentem Romæ. Singularibus obsequiis veneratus sanctissimam Virginem. Fuit Instituti nostri observantissimus. Præibat subditis exemplo. Quotidie per mediam horam animi labes apud Confessarium exponebat, scrupulis agitatus. Ejus conscientia sic vel levi turbari solebat nubecula, ut pupilla oculi atomo subtili. Quindecim mensibus vitæ postremis egit Præpositum Domus Professæ, fermè semper lecto ob infirmitates addictus, donec suprema dies eum liberavit ab onere Magistratus, & corporis. A quo ex duplici onere potius cupiverit liberari, interrogabis? respondeo: Profanos homines à nullo cupere, Sanctos æqualiter ab utroque.



FEBRUARIUS.

DIE I.

P. Petrus Gomes.



ANno 1600. in Japonia Vir præstanti sanctimonia naturæ concessit. Natus Antiqueræ in Diœcesi Malacensi Granatensis regni. Societati conjunctus Compluti 21. Decembris anno 1553. Ante absolutum biennium ivit Conimbricam, ubi minores ordines accepit à Joanne Nunio Æthiopiæ Patriarchâ. Vir fuit præclarus ingenio, virtutibus præclarior. Annis octo docuit Philosophiam, aliquot Sacram Theologiam. Ad jacienda prima fundamenta Angrensis Collegij in Insulis Tertiariis cum aliis missus, meruit nomen Apostoli per eas Insulas. Omnes adivit instar novi Solis, Deo ejus conciones, & vitam rebus miris illustrante. Angræ dum verba facit in Templo maximo, ubertim lachrymans prædixit, venturum tempus, quo ejus urbis compita, & fora complerentur sono metuendo tympani, & tubæ gentis non Lusitanæ. Id contigit, cum mortuo Rege Henrico, Insula partes Antonij secuta, miserandas perpessa strages. Sæpe dum Sacris operatur, & elevat Hostiam, in ea visus Puer JESUS. Cùm versus ad populum pronuntiabat: *Dominus vobiscum*, prodibat ex

ex ore loquentis mirabilis flamma. Adeo suspiciebant, & venerabantur, ut nemo auderet, quod illius nomine peteretur, negare. Si cui venisset in potestatem alicujus res, quæ ipsi fuisset usui, servabatur, ut sacræ Reliquiæ. Ab eo nihil postulabant nomine Virginis, quod non concederet. Unus è nostris habere cupiens rem aliquam de ipsius usu, nomine Virginis ab eo poposcit scuticam, quâ se feriebat, & cilicium; quanquam intus sentiret repugnantem animum, quod essent illa instrumenta cruore consperfa, sine mora largitus est. Sermonem habens è suggesto in oppido Praya dicto, conspectus sublimis in aëre. Grande illi Dominium adversus infernas potestates, quas non semel ejecit de corporibus. Exterminavit usuras, & peccata publica. Cum à Majoribus imperatum, rediret in Lusitaniam: armatus populus ad oram maris impedivit abitum. Nullæ rationes Petri fuerunt satis pio furori placando. Ipsi armati reduxerunt in Collegium. Pœnæ intentatæ naviculariis, qui scapha sua ad navem ferrent. Cum non posset verbis ullis impetum lenire dolentis populi, dissimulavit ad tempus. Tandem nactus opportunitatem, summo secreto, & in loco à conspectu hominum semoto, à phaselo navis Regiæ acceptus, eam conscendit. Vix dici potest, quantus dolor, & tristitia omnium animos pervasit, cum vulgatum est in tuto positum fefellisse hominum vigilantes industrias. Agminatim applicuerunt ad navim scaphas visendi, & prostremùm salutandi gratia. Inter amplexus cadebant ex oculis lachrymæ, indices affectus teneri, quo prosequebantur animarum suarum communem parentem. A multis annis fatigaverat Majores repetita prece, sibi concederent inter felices Japoniæ cultores numerari. Tandem voti compos, illò profectus anno 1579. E Sinâ vela solverat in Japoniam. Cum passus esset naufragium, amissa nave, vectores, & nautæ emerserunt sospites. Ipsis Petrus ingens fuit solatium, donec alia nave in Japoniam expositus. Ibi reliquos consumpsit annos Xaverij Sanctissimi æmulando fervores, & peregrinationes. Rexit etiam Socios in ea vinea sudantes, quibus ille magnus ad labores capessendos stimulus. Plenissimus meritis, & copiosa messe ante se ad cælos missa, eò se recepit morte invidenda. Piissimum fuit, cadaver ad sepulturam componentibus, spectaculum, videre totum ignito ferro conscriptum. Stylo ferreo exaraverat instrumenta omnia Dominicæ Passionis, Crucem, clavos, lanceam, flagella, spineam coronam, & quidquid Domini patientis dolores auxerat, vel pepererat. Apostoli Pauli pulchrum simulacrum; nam & portavit in suo corpore Christi stigmata. Non aberrat, qui vocaverit Petri cutem Scripturam

Sacram, ſed in qua ſit ſcriptus ſolum Deus patiens, & ſtylo non quidem ferreo, ſed aureo; nam eum & fecit, & acuit charitas prope Divina.

P. Antonius de Britto.

ANno 1579. Septæ in Africa ad oram freti Gaditani oppetivit mortem. Natus in oppido Moura Diœceſis Eborenſis. Vir cæcæ obedientiæ, & ardentiſſimæ charitatis. Perrexerat Tituamum ad redimendos captivos, qui ſub vinculis gemebant fatalem Regis Sebaſtiani ruinam, patriæ diluvium, & commune naufragium; dum pio inſudat operi, graviſſimo decubuit morbo. Septam portatus cauſa recuperandi vires, ut urgeret inceptos labores, in cælos vocatus. Canonici & miſericordiæ Sodales terræ commiſerunt in templo SS. Trinitatis. Felicior profectò in expeditione Africana Sebaſtiano Rege; hic enim perditus eſt cæteros perdendo, Antonius perditus ſalvando. Agiologium Luſitanum de illo ſcribit prima Junij.

DIE II.

P. Joannes Ribeiro.

ANno 1705. Eboræ communi fato abreptus. Taviræ in Algarbiis natus. Nomen dedit Societati 7. Decembris anno 1653. Vixit ſemper inculpatis moribus. Navigans ex obedientiæ juſſu ad Inſulas, capta nave à pyratis Gallicis, ſub eorum poteſtate dira pertulit. Redditus Luſitaniæ unà cum Didaco Lupio Sacerdote noſtro poſuit prima fundamenta Reſidentiæ Pacis-Juliæ, ſeu Bejæ, quæ poſteà mutata in Collegium, ejus fundatrice Regina Luſitaniæ Sophia fæmina ſanctiſſimis moribus. Cum tantæ rei videret initia, quæ jecerat, ad interitum ruere ob malè affectorum contradictiones, pronuncians illud: *Non videbo morientem puerum*, petivit miſſionem Angolanam. Dum moratur Ulyſſipone navigandi opportunitatem expectans, egit Socium Rectoris Tyronum. Vela daturus auræ invitanti, commodatam obtinuit cannam, quâ Tyrones in Sacello domeſtico præludebant Sacram Catecheſim docendis pueris, dicens velle ſe eo baculo tranſire Jordanem, cum rediret, Sacello, & Tyronibus reſtituturum. Ea uſus navi, Angolæ, & in Braſilia doctrinam Crihſtianam explicabat. Multa geſſit præclara apud Æthiopes. Colebatur ab omnibus, & à Præfecto ditionis Luſitanæ, qui illius utebatur Conſiliis. Rexit Collegium, cùm dira lues invaſit Æthiopes, omnia complens funeribus. Et Rector, & Socii non ſibi pepercerunt in juvandis miſeris, & omni humana ſpe deſtitutis. Regreſſus poſt multos annos in Luſitaniam, Tyronibus reſtituit commodatam cannam. In itinere contraxit aſthmatis infirmitatem, quæ dum vixit, illi fuit inſtar

ſtar Martyrij. Sæpè noctu, interclusō penè ſpiritu, cogebatur ſe lecto proripere ad apertam auram captandam. Ne Sociis incommodaret, quærebat impluvium, nullis habitatum, ibi tuſſiebat, & reſpirabat liberiùs etiam media in hyeme. Ferebat has moleſtias patientiſſimè; Sic affectus, non aberat à tribunali confeſſionum: his abſolutis in templo, ibat ſemper ad ſtationem audiendis viris deſtinatam. Veſpertinis horis quotidie conſcendebat id templum oraturus ante Sanctiſſimum. Multa in eo pietas erga Deum, & res Divinas. Obſervantiæ Religioſæ fervens amator, & zelator, ægerrimè ferebat labefactari ſanctas à Majoribus acceptas conſuetudines, quas volebat inconcuſſas. Morbo poſtremo ſuccumbens, nihil cogitavit præter Chriſtum, & hunc Crucifixum, quem tenebat manibus, & corde. Per vigilio Purificationis, faciente morbo incurſum ſubitum, creditum eſt obire; verum ſibi redditus, dixit: Quam pulchra dies craſtina, ut è vivis abeam. Sequenti mane iterum ſimili tentatus incurſu, Sociis ad ſignum campanæ, ut moris eſt, concurrentibus, effuſuris ſolitas preces, in ſe revertens ait: Noctu proficiſcar. Ita contigit, nam multa corporis, & animi tranquillitate efflavit animam. Errare non potuit à ſalutis via, cui fax prævia Maria Septa candelis.

DIE III.

P. Andreas Carvalho.

HAc die non occurrit, qui ſit in ea mortuus, ideo quos hic legeris, incerta die ſcito conceſſiſſe naturæ. Andreas è prima Regni nobilitate in India à Franciſco Xaverio adſcriptus Societati. Cum non faveret ejus valetudini id cælum, à S. Xaverio miſſus ad Luſitaniam commendatitiis litteris à D. Simone Rodericio Provinciali noſtro ſcriptis, quas ad verbum latinè redditas habe: *Gratia & amor Domini noſtri JESU Chriſti ſit tibi ſemper juvamini, & favori. Amen. Chariſſime in Chriſto Frater mi, Magiſter Simon, hac præſenti epiſtola brevis ero in ſcribendo; nam multis aliis ero extenſior referendo noſtræ Societatis res in his partibus. Andream Carvalhum hujus præſentis tabellarium, mihi eſt viſum conveniens, mitti ad Luſitaniam, quod in his regionibus patitur infirmitates, & ibi utpote in ſolo natali fortaſſis habebit melius. Et in iſto Regno eſt Perſona principalis, ut mihi omnes affirmant, & talis, ut ex ipſo multum ſperetur, ob virtutes, quibus à Deo exornatus, quas augebit propter ſuam miſericordiam. Ego de illo ſcribere non poſſum, niſi multam virtutem. Spero in Deo, poſtquam illi fuerint litteræ, & virtutes majoribus incrementis, factūrum in Societate multum fructum. Te rogo propter amorem ſervitii Dei Domini noſtri, Frater Magiſter Simon, eum accipias eo amore, & charitate, quâ ego, & Andreas*

 Car-

Carvalhus ſperamus à te accipiendum, & conſolandum. Novitates ex his partibus Indiæ ego ad te ſcribam particulariùs, antequam Coccinum proficiſcar. Evolutis quindecim diebus, tunc erit profectio mea. Deus nos juvet in gloria Paradiſi: neſcio enim, quando in hac vita nos corporaliter videbimus. Scito, mi Frater Magiſter Simon, te à me geſtari impreſſum in anima mea; nam continuò te viſitat ſpiritus. Viſus corporeus, quo te conſpicere magnopere deſidero, mihi jam non eſt tantæ curæ, cum id ſit cauſa te ſemper præſentem habendi in anima mea. Scripta Goæ 27. Martii, anno 1552. In poſtremo complexu dixit Andreæ Xaverius, moriturum, ubi ipſius conſanguinei exuebant vitam. Id Vaticinium ſequenti modo completum. Alvarus Carvalhus Præfectus arcis Mazagani in Africa, & ejus Frater Ruyſius Souſa, poſtquam liberata eſt arx obſidione Xarifii anno 1562. inter ſe ſanguinis obliti diſſidebant. Timens Regina, quæ minoribus annis Sebaſtiani gubernabat, malum grande, vocavit ex Ebora, ubi Collegij noſtri agebat Miniſtrum, Andream duorum Fratrem, ac miſitMazaganum, ut Fratrum infenſos animos mutuis pacaret amicitiis. Ex voto rebus Mazagani compoſitis, voluit videre, & alloqui fratrem ſuum Bernardinum Carvalhum Tingitanæ urbis Præfectum. Dum illò navigat, triremis, quâ vehebatur, à ſexdecim triremibus Turcicis obruta, & capta. Ubi vulgata fama de Andrea capto, ingens mœror Reginam, & Magnates contriſtavit. Miſſæ ſunt absque mora pecuniæ redimendo Patri. Verum illius inexplicabilis charitas, ſe ipſam oblita, curavit aſſeri potius in libertatem Ariam Saldanium adoleſcentem Scalabitanum primæ nobilitatis. Poſtea cum certè conſtaret, quantus Vir eſſet Andreas, quàm fortium Præfectorum frater: tot ſunt interpoſitæ moræ, dum fit conventio de pretio; ut ipſe malis feſſus, ac dura ſervitute, in ea regione animam effuderit, ubi è familia ſua illuſtriſſima heroes multi animæ magnæ prodigi adverſus fidei hoſtem præliantes occubuerunt. Ubi vidi Andream captivum, nec liberandum niſi pretio, ſtatim non dubitavi moriturum in captivitate, cum, ſolam viri charitatem, non eſſet ſub cælo pretium, quod æquaret.

Dominicus Laurentius Coadjutor.

NAtus in agro Eborenſi, & Parœcia Virginis de Machede dicta. Vitam degebat maritalem. Sponſus, & uxor adeò moribus innocentes, ut viderentur par turturum, aut columbarum. Quo frequentius uterentur Sacramentis, migrarunt Eboram. Dominicus in templo noſtro, uxor in Templo maximo aſſidua. Eorum ſermones diebus feſtis poſt prandium erant omnes de rebus, quas uterque è concionatoribus audierant. Numerabant Sacra, quibus interfuiſſent; nam una ambobus cura, quis plura eſſet auditu-

turus. Uxor nihil æquè cupiebat quàm Dominicum Societati nostræ adscribi. Si ægrotabat, ardebat mori, ut suus Dominicus fieret voti compos. Morti proxima viro dixit candida simplicitate, sibi videri Patres non admissuros ob paupertatem, propterea à se relinqui hæredem ex asse: erat illis res domestica alendis honestè sufficiens. Demortua innocua fæmina, superfuit Dominicus instar turturis sine Socia. Cum apparebat ad sua vota complenda expeditior, cœpit Dæmon sanctam ejus mentem mille artibus, & machinis concutere, ne mundo renuntiaret. Vagatus diu, ut cymbula inter pugnantes undas. Sæpe conantem ad littus appellere, unda detinuit, ac resorbuit. Tandem Deo vocanti fortiùs paruit. Tyronibus nostris associatus Eboræ 1. Januar. anno 1572. Domi nostræ nulli rei magis indulsit, quàm lachrymis è solatio ortis. Qui tam inculpatè extra Religionem vixerat, planum est, non sibi apud nos futurum disparem, nisi excedendo seipsum. Duxit vitam virtutibus ornatam, cui respondit mors Viri justi. Quàm raræ uxores Dominici columbæ similes! multæ sunt, quæ mortem pecuniis emunt maritis, paucæ vitam. At quæ suâ vitâ marito emerit vitam sanctiorem, est rarissima: si talem videas, illud forti mulieri lemma inscribe: *Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.*

DIE IV.

P. Joannes de Britto Martyr.

SUi Sæculi inter primos numerandus, Martyrio coronatus anno 1693. apud Indos in Maravensi Regno. Natus Ulyssipone ex illustri prosapia. Dicebantur Parentes Salvator de Britto Pereira, & Beatrix Pereira: sequebantur aulam Domûs Regiæ Brigantinæ. Joanne Quarto in Regium thronum à Lusitanis assumpto, Ulyssiponem commigrarunt Joannis Parentes. Cum venit in lucem, timor fuit, ne ptotinus expiraret, propterea domi suæ fontibus tinctus lustratibus. Nondum numerabat duos ætatis annos, cum Salvator ejus parens donatus nobili Præfectura Fluminis à Januario in Brasilia, eò profectus, & ibi mortuus. Joannes ultimus fuit suorum parentum filius: ut excellenti heroi, ne hæc quidem deesset prærogativa, quæ multos ornat: dum, quos fecit natu ultimos natura, egregiæ virtutes primos faciunt. Undecim natus annos ægrotavit ad mortem. Voto se Mater Xaverio obstrinxit, si Joanni suo vitam conservaret, ac redderet incolumem, integro anno veste, qualis in usu est Apostolis (sic nostros homines vocat Lusitania) suum induendum filium. Audivit precantem Xaverius, maximè cum sciret, quantum sui imitatorem servabat in Joanne. In supplicatione quadraginta horarum, habitu Apostolico se Tyronibus no-

ſtris inſerebat demiſſis oculis, ac tam modeſtus, ut ſolum in toga pulla diſcrimen eſſet. Educatus in aula Regia cum cæteris ephæbis magnæ nobilitatis deſtinatis obſequioſo Principis Petri famulatui. Inter pueriles jocos, & ludos, cum alii Joannem viderent quietum, & à talibus alienum crepundiis, quod animos gereret viriles ante ætatem, eum importunis adorti vellicationibus, propter inſignem patientiam vocabant Martyrem. Deo ſcilicet ex ore infantium ſignificante, quæ ſors eum maneret. Ad majora rebus humanis inſtigante animo, ſtuduit ſub JESU vexillis ſtipendia facere. Noſtris adjunctus caſtris Ulyſſipone 17. Decemb. anno 1662. Solent Tyrones ſuas epiſtolas ſcribere ad Puerum JESUM, cùm recens natus jacet in præſepi. Suam Joannes ſcripſit, ac foris poſt ſuperſcriptum, adjecit: *Portorium Japoniæ*: ſignificans ſe pro ſuis litteris ad Puerum ferendis aliud nolle pretium, niſi Japoniæ miſſionem. Poſt biennium Eboram ſtudiorum cauſa miſſus; cubiculum, quo apud Juniores noſtros habitavit, grandibus notis, audito ipſius Martyrio, ſignatum eſt, ne tanti hoſpitis interiret memoria. Conimbricæ navavit operam Philoſophicis diſciplinis. Acre illi, & magnum ad ſcientias ingenium. Inde ſeptimo Gymnaſio Scholarum Ulyſſiponenſium Præpoſitus Magiſter, totus incubuit in obtinendam facultatem adeundi miſſiones Indicas. Ubi Matri ſuæ conſtitit, quod annuiſſent Superiores inſtanter petenti, non eſt explicatu facile, quas machinas admoverit fæmina dives, & potens huic diſſipando conatui. Nuntium Pontificis rogavit, juberet Provinciali Societatis, ne ſineret Joannem ad Indias proficiſci. Eum Joannes conveniens tot, ac tam ſanctis verbis egit cauſam ſuam, ut Nuntius intellexerit, reſiſti Spiritui ſancto ad grandia vocanti, ſi profectionem ad Indiam impediret. Idque verbis diſertis imperavit Matri denuntiari. Alias vias tentavit incaſsùm. Joannes tot ab impedimentis liber ſolvit in Orientem anno 1673. Gravi morbo in itinere decubuit, at convaluit. Goæ abſolvit Theologiæ ſtudia, & anno 1614. Ambalacatam Malabarenſis regni urbem profectus. Inde quæſivit miſſionem Mudurenſem tum victu, tum veſtitu Evangelicis operariis aſperrimam. Multis annis ſtrenuiſſimè laboravit in ea vinea, nullis parcens laboribus. Innumeros Ethnicos ad fidem convertit. Sæpe paſſus vincula, & verbera acerbiſſima, populi inſanientis ludibrio expoſitus. Ejus prædicationem plurimis Deus confirmavit miraculis. Poſt immenſos labores exantlatos, coegerunt Majores in Europam regredi ad miſſionum promovenda negotia. Ulyſſiponem acceſſit anno 1688. A Rege Petro, cujus in aula, uti diximus, fuerat educatus, benignè, & liberaliter acceptus, utiliſſimè concluſit negotia miſſionum.

Rex

Rex piissimus Regiis donis, & firmo reditu cumulavit operarios vineæ Madurensis; ut plures alerent Catechesis Sacræ Doctores, & fructus esset copiosior. Cogitantem jam de suscipienda navigatione voluit Rex, maneret in Lusitania futurus Magister, & Confessarius Joannis Principis, qui Patri successit in Imperio. Ubi Patri est nota Regis voluntas, tam subito, & insperato ictus fulmine stupuit. Nullum non movit lapidem, ad tale dissipandum consilium. Asseveravit & verbis, & lachrymis, si prohiberetur suis reddi neophytis, deliri hominis, & amentis instar exiturum per fora Ulyssiponis lapidibus pueros, & vilem turbam insectando, ut plebecula tanquam hominem mentis motæ, stultum, & fatuum agitaret, donec Rex, ac Regina sua deferent consilia. Noluerunt piissimi Principes ultra progredi, ne mœrore inconsolabili sanctum Virum affligerent. Dum moratus in Lusitania, sæpè inter faciendum Sacrum à terra sublimem vidit famulus, Vir multæ pietatis, qui Patrem in itineribus comitabatur. Id ille jam senex vitam degens in oppido *Batalha* Diœcesis Leiriensis ad me scripsit manu filii sui Sacerdotis, quod nesciret formare characteres. Retulit etiam miram Patris in ægris sanandis virtutem. Tunc his manibus, quibus hanc exaro narratiunculam, Dei Virum tetigi, ac sum complexus, audivi Eboræ concionem domesticam ad Socios habentem, ac vidi habitu usitato sibi in Missionibus vestitum. Quod ego pono in parte felicitatis meæ. Notavi cubicula, ubi hospitio excepimus. Multus, & innoxius lepor in sermone familiari, affabilitas omnibus gratissima. Denique talis fuit, qualem Deus, & homines amarent. Anno 1690. iterum Indicam aggressus navigationem. Ipsâ die, quâ erat conscensurus navem, maximo laboravit periculo non eundi. Morabatur in Regia postremùm Reges alloquens, cùm ejus Socius, qui è fenestra Regiæ observabat naves, accurrit Patri nuntians Indicam navem laxare vela. Nuntio turbatus, existimans id, quod erat, Reges consultò traxisse sermonem, ut abeunte navi, ejus impediretur profectio, Regias manus exosculans, citato gressu se proripit è conspectu. Tunc patuit moram ex consilio fuisse. Marchio Marialvæ Patris consanguineus promiserat habiturum promptam scapham. Igitur Marchionem interrogat: Ubi sit? Ad hæc ille verbis frigidis, scaphas omnes secutas Indicam, & naves alias, adesse nullam. Heus perditi sumus, inquit Brittus. Passu penè volanti quærit oram Tagi in loco distanti. Vix ibi reperit cymbulam, uno è duobus remigibus ebrio. In eam prosilit, jubet, quanta vi possunt, remos urgeant. Ecce tibi temulentus ille ad opus surgens cadit in mare, hic Brittus manum extendit, ac remigem ceu le-

leviſſimam plumam ab undis extractum ſcalmo reſtituit. Qua verbis, qua promiſſis, qua factis hortatur, feſtinent. Poſt longam fatigationem arripit, ac conſcendit navem. Multi, & pernicioſi morbi navigationem funeſtarunt. Unicum ægris, ac ſanis remedium Joannes. Anno 1691. Goâ profectus ad Regnum Maravenſe, ubi eum feliciſſimus exitus expectabat. Quindecim menſibus nec plures fluxerunt ad mortis diem, Catechumenos ſupra viginti millia abluit Sacro fonte. Multa Deus operatus miracula in accipientibus Baptiſmum. Hæc audiens Princeps Tariadevemus, deſperatâ jam vitâ, miſit, qui Patri dicerent, properaret ad ſe inviſendum, & ſacris imbuendum Myſteriis, velle ſe Chriſtianam fidem complecti: ſpem ſibi eſſe ſanitatem adipiſcendi. Petenti ſatisfecit mittendo Sacræ Doctrinæ Catechiſtam. Is ubi legit ſuper infirmum Evangelium, repentè ægrotus integræ eſt reſtitutus ſanitati; decrevit igitur ex animo ſalutari lavacro mundari. Eò convolavit Joannes, ut ritè diſponeret, dum inſtruebat, ducentos ibidem Catechumenos tinxit rore Sacro. Voluit Princeps cum ipſis Baptiſmo initiari. Obſtabant quinque uxores, priùs dimittendæ quatuor, ut uni conviveret ritu Chriſtiano. Audito Patre, nullum ipſi dubium in repudiandis. Eas ad ſe vocavit, unam elegit, aliis denuntiavit: ſi vellent in ſuo vivere Palatio inſtar ſororum, daturum reditus earum competentes nobilitati. Ad hæc verba, ſupra modum excanduit una, quæ ſanguinis gradu proximo contingebat Nauganaderdevemum, qui tyrannicè ſibi arrogaverat omnem dominandi poteſtatem. Conſanguineæ incenſus furiis, & ſtimulatus ab inimicis Chriſtiani nominis, jubet Patrem rapi in cuſtodiam. Poſt multa Martyria & injurias imperat ferri ad urbem dictam Urgur. Inter contumelias innumeras confectum iter. Quarta Februarij, exſibilante multitudine propemodum infinita, trahitur ad collem imminentem flumini Pamparrio. Sedentis ſuper lapidem manus, & prolixam barbam alligarunt ante pectus. Tunc carnifex ſumpta falce apta ſecandis fruticibus, impegit vulnus Patris occipitio. Tenui tantùm cute hæſit gutturi caput abſciſſum. Cum, ut poſcebat res ipſa, eſſet caſurum ad pectus, retro cecidit apertis in cælum oculis, quod ſine miraculo evenire non potuit. Jacuit corpus extentum & modeſtè compoſitum. Avulſum penitus caput, manus, & pedes abſciſſos nectunt, ac ſuſpendunt de cingulo cadaveris. Erecto malo cuſpidato hæc veneranda infigunt ſpolia. Poſtea decidens in terram cadaver feris, ac diris volucribus depaſtum. Sic eſt ſatisfactum deſideriis, quibus Joannes à Deo poſtulaverat, corpus ſuum propter ejus amorem eſca fieret Tigribus. Caput per declive montis

ad

ad fluvium devolutum, undas habuit pro ſepulchro. Fragmenta ſeneſa à Neophytis collecta, & ſervata, ut ſancti Viri ſpolia. Illud fuit planè admirandum, quod eâdem horâ, quâ jugulatus, apparuit manibus caput ſuum tenens Patri Joanni de Coſta Sacerdoti noſtro in ora Piſcaria degenti, & ſomnos captanti. Notavit tempus, poſtea compertum, idem fuiſſe, quo Joanni caput avulſum eſt. Hæc ex ipſo Joanne de Coſta audivi, cùm venit in Europam ad Miſſionum tractanda negotia. Portavit ſecum falcem tanti Martyrij inſtrumentum. Servatur Ulyſſipone in Collegio Divi Antonij. Idem Pater curavit, Martyrii ſeriem authenticis firmari teſtimoniis, ut ſuo tempore ab Apoſtolica Sede cohonestatur meritis Divorum honoribus. Viri glorioſum Martyrium, & Sanctimoniam illuſtribus Deus comprobavit miraculis. Sed unum è majoribus miraculis, meâ ſententiâ, cenſendum eſt, quòd ampliſſimos honores à Regibus pertinaciter oblatos, reſpuerit pertinaciùs. Martyr Chriſti non eſſet, ſi vellet eſſe mundi. Mundi Martyres ne dubita, qui ſervitiis Regiæ addicti vivunt, hos etſi adoret mundus, aut nunquam, aut raró videbis in altaribus; ſi videas, ſeptem mundi miraculis crede majus.

P. Ludovicus de Mello Martyr.

ANno 1691. in Miſſione Indica Regni Madurenſis glorioſâ inſignitus laureâ. Natus in oppido Amſiam Diœceſis Conimbricenſis. Conimbricæ Societati mancipatus 14. Februarii anno 1673. Tyrocinij partem tranſegit Ulyſſipone. Magno fervore ambivit Indicas miſſiones. Eò vela ſolvit anno 1680. Octobri anni 1683. Miſſionem Madurenſem ingreſſus; Ibi zelo indefeſſo Neophytos excoluit, & novis converſionibus auxit. Multis Ethnicorum perſecutionibus exercitus. Ultimo vitæ ſuæ anno culturæ Maravenſis vineæ inſudabat, plenus ſpe Martyrii, quod regionis Princeps nomini Chriſtiano eſſet infenſiſſimus. His deſideriis æſtuabat animus: hæc non ſemel verbis incenſis explicavit; Dum ſtudet colendo Maravenſi agro, aliò mittitur à Majoribus. Parens imperiis, ſentit intus majores ſtimulos in ea perſeverandi ſtatione: hos Superioribus manifeſtat. Intelligentes à Deo vocari, concedunt, eodem revertatur. Superatis viæ non parvi momenti difficultatibus, illò accedit. Quamvis eſſet tenuis viribus, in opere urgendo videbatur æneus. Ne illius præſentia moveret animos, & iras Ethnicorum adverſus Chriſtianos, ſeceſſit ad confinia Regni Madurenſis. Verum ſtationem, quam putat tutam, infidam experitur. Præfecto Regionis ſuaſerunt inimici fidei multa adverſus Patrem, & Chriſti legem; Igitur quadringentos armat milites, cum iis progreditur ad Ludovicum tanquam la-

tronem insignem comprehendendum: Sciens Pater, quid rei esset, ad imitationem Domini JESU obviam procedit venientibus, deferens pauperrimum, quo latebat, tugurium. Ipsos interrogat, quem quærant? Steterunt similes attonitis mirantes loquentis gravitatem, & majestatem præsenti metu majorem. Ubi vidit manûs sibi ligando non injici. Per medias alas it passu pleno, accedens ad Præfectum, inquit: Ad quid arma, & milites, si vocari jussisses, pergerem dicto audiens, unicè fidens vitæ meæ innocentia? Ea fuit in verbis majestas, & pondus, ut Præfectus confusus se cum milite in arcem receperit. Paulò post imperavit & Patrem, & Catechistas ad se ferri. Certus innocentiæ, abire jubebat incolumes, cum Sacrificulus inanium Deorum hominem terret minis, si sospites sineret, dicens eos viros stragi esse Diis suis. Scripturum se Regi, quæ fecisset, proinde sibi consuleret. His minis territus, Brachmanum tradit arbitrio, & iræ. Obruunt injuriis, & vituperiis ad satietatem. Fert omnia vultu hilari Ludovicus. Stupent immotum, & calamitatibus, ceu rebus prosperis, gaudentem. Propinquante nocte, includunt arctissimo & tenebroso carceri. Diebus sexdecim jacuit in eis tenebris, crudeli fame, & innumeris vexatus incommodis. Existimavit Præfectus empturum auro libertatem. Misit, qui denuntiarent mortem, quod vetitam legem propagaret, nisi quinquaginta supra centum nummos sibi pro libertate daret. Respondit: In conferenda sibi morte, fieri beneficium omni majus pretio, maximam verò irrogari injuriam petendo pecunias à Viro Religioso pauperrimo, & rerum omnium egeno. Hoc responso plus solitò inflammatus, tormentis statuit aut pecunias, aut vitam auferre. Dum fovet hujusmodi sententiam, illi traduntur litteræ à Præfecto armorum, quibus imperabat, & libertatem, & res ablatas Patri restitui. Enimverò noster Rodericius Abreus sciens Ludovici angustias, has erat negotiatus litteras. Solutus vinculis abivit, at molestissima tussi, & acutissimis affectus doloribus, quibus videbantur convelli à suis sedibus viscera. Exutus vinculis, nihil minus curavit quàm suam valetudinem, incubuit solitis sui muneris laboribus, donec febris perniciosa erupit. Cognoscens adesse mortem, sui periculi certiores fecit commilitones in ea cultura egregios Josephum Carvalhum, qui Martyr, ut suo loco dicemus, occubuit, & Antonium Diasium, ac Bernardum Sadum. Sine mora Socio fidissimo venerunt auxilio. Post confessionem cælesti pabulo recreatus, & Sacro inunctus Oleo, alloquebatur verbis suavissimis Christum de Cruce pendentem. Explicabat eum videndi ardentissima desideria. In amplexu tam fidelium Sociorum à terris ad Cæ-

Cælum translatus. Primus fuit, qui in Missione Madurensi vitam amisit Martyrio laureatam. Quem post duos annos sequutus Joannes Brittus, eadem die. Dies profectò digna signari albo Lapillo, quod rubicunda Sole gemino purpurascit.

P. Doctor Benedictus Pereyra.

EBoræ anno 1681. vivendi metam attigit. Natus Borbæ Diœcesis Eborensis. Ulyssipone accitus in Societatem 27. Junij 1620. Vir fuit immortaliter meritus de Republica litteraria. Rhetoricam, Philosophiam, & Theologiam, usque ad primariam Cathedram docuit Eboræ, magno doctrinæ nomine. Ibi Doctorali exornatus laureâ. In libris componendis pauci feliciores, & uberiores. Omnes summæ fuerunt utilitati Academicis: ut est apud Lusitanos compertissimum. Magno ingenio conjunxit studendi aviditatem penè insanam. Ipsius mores innocentissimi. Nunquam est usus aliâ coronâ precationum, nisi eâ, quam sibi Tyroni dederant. Præcipuo quodam cultu cæli Reginam venerabatur. Consanguineorum etsi nobilium, ac divitum semper vitavit commercia. Si aliquando erat eum suus Parens invisurus, monuerat, ne veniret ad se nisi horâ post prandium, quâ solemus inter nos confabulari; ne sibi tempus eriperet ad studia necessarium. Ministrans Sociis ad mensam, ferebat in crumena libellum: ubi ponebat singulis fercula, extracto libello ad angulum aliquem se colligens studebat, librum evolvendo. Ex nimio per longos annos studio sic perdidit usum memoriæ, ut vix nomen teneret suum. Ut sciret suum cubiculum, grandibus litteris fores signatæ, inscripto Benedicti nomine, tunc legendo noscebat illic esse habitationem suam. Videbatur puer in statu innocentiæ. Habitus virtutum prodibant sponte sua. Dies illi abibat recitando horas Canonicas. Incipiebat à principio Breviarij, legens omnia subaltiori voce canenti similis. Eum visitantibus, & interrogantibus, quid ageret? respondebat, se pensum horarum solvere. Si dicebant, satis jam recitatum, claudebat librum. E cubiculi parietibus pendebant innumeræ chartæ depictis Sanctorum imaginibus. Conservabat Vatinianum odium adversus Dæmones: ajebat, se clausos, ac vinctos habere in canistro obserato, & in angulum rejecto; si quis fortuitò, vel scienter canistrum tangebat, exclamare solitus: Heus, quid agis? nescis ibi condi æneis ligatas catenis Dæmonum turbas omnes, ne vagando noceant ulli mortalium? si exeant, ferent omnia, rapientque per auras. Post annos aliquot sic innocenter transactos ad Superos concessit. Quid hæc legendo dices? illum insaniisse? Utinam omnes sanæ mentis sic insanirent. Forsan ne unum quidem videremus stultum, cum sit

eorum infinitus numerus, quod non sanctè insaniant.

P. Emmanuel Marques.

Conimbricæ anno 1676. desivit inter nos esse. Natus in oppido Sam Romano Diœcesis Conimbricensis. Ad unguem regulas Instituti nostri observavit. Perpetuis agitatus scrupulis vivebat tanquam in flamma expianti. Multis annis linguas Hebraïcam & Græcam docuit Conimbricæ. Fermè viginti annis tulit ægritudines molestissimas, & semper æquissimis animis. Ad obedientiæ quæcunque imperia nunquam deses. Ajebat, etiam infirmitatibus oppressum statim ad Angolam profecturum, si juberent Majores, quin prætenderet morbos suos: horum causa lecto affixus frequenter se reficiebat Sacra Synaxi; & ne cælesti pabulo fraudaretur jejunij defectu, abstinebat se noctu ab lenienda siti, & fame; quamvis magna debilitas non posset tot pati moras. Vicinus morti, quæsivit ex valetudinarij Præfecto: Essent ne illic prope lectum sui calcei? Eo respondente: ibi esse. Dixit infirmus: sine, mi Frater, hic sint, & in valetudinario à me relinqui: nescis, quanto id gaudio, & lætitiæ mihi sit in hac hora vitæ postremâ. Allusit Vir sanctus ad perseverantiam usque ad mortem in Societate. Etenim qui eam deserunt, vel tanquam membra putria è tam sancto corpore separantur, calceos nostri usus relinquunt ad januam domus. Verus JESU Socius ejus calceos nisi cum vita non exuit: & si esset vel vita, vel relinquendi calcei, hos apponit capiti, illam abjicit: tunc enim pretiosior, cùm propter Deum minoris fit calceo.

P. Simon de Sousa.

Ulyssipone in Domo Professa anno 1623. Cælo adscriptus. Natus in oppido *Lousam* Diœcesis Conimbricensis ex Parentibus magnæ Nobilitatis. Primò se devovit Societati Conimbricæ 20. Septembris anno 1581. In Tyrocinio vel excessit à nobis, vel ejectus. Annos viginti navavit operam scientiarum studiis. Numerabatur inter Collegas Academicos Collegij à S. Petro, cum novis arsit desideriis repetendi, quàm deseruerat, Societatem. Humilitatis studiosius; cum absolvisset annos juris Canonici competentes laureæ Doctorali accipiendæ, noluit nec ingredi Doctor, nec Sacris initiatus. Secundò se addixit Societati Conimbricæ anno 1602. ætatis 35. Amplexus maximè demissiones publicas, ut ostenderet, quàm ex animo & suam nobilitatem, & scientiam contemneret. In Tribunali confessionum persistebat immotus horis multis: nec, dum pœnitentes adfuerunt, è loco surrexit. Sacras Missiones peregit magnà populorum utilitate. Per regionem Saltûs Stellati discurrebat instar Apostoli, cùm ad eum venerunt litteræ, Matrem

trem ſuam gravi correptam morbo vicinam morti : proinde convolaret in ſuprema luctа adjuturus. Nihil eo commotus nuntio, nec deſtitit à piis laboribus, ſed reſcripſit: Brevi futuram incolumem, nec ex illo perituram morbo. Exitus probavit dicti veritatem. Non multum eſt evolutum tempus, cùm amiſſas vires, & ſanitatem recuperavit. Ulyſſipone in docendis pueris, ac rudi plebe fidei myſteria fuit imitator egregius venerabilis Ignatij Martinij, de quo ſuo loco ſcribemus glorioſa. Succurrit etiam mancipatis cuſtodiæ publicæ, quibus admodum utilis ob ſingularem authoritatem apud tribunalia Judicum. In Codice obeuntium in Domo Profeſſa hæc de illo verba: *Hic jacet humatus P. Simon de Souſa quatuor votorum Profeſſus, ſerviebat magna cum ædificatione, explicabat Catecheſim, comitabatur damnatos patibulo, noctu prodibat ad excipiendas morientium confeſſiones, die carceres inviſebat. Cogitatum eſt, inde contractum exitialem morbum, quo de vivis exceſſit.* Non plura Codex: Ex ſuo damno didicit ſapientiam, non humanam, ſed Divinam: cognovit amiſſum bonum, ut rurſus quæſito frueretur. Quos videris à noſtra Societate deficere, crede ignoraſſe, quantum bonum ſit; & poſtea ſi noviſſent, ut Simon, nullus noſter non eſſet rurſus.

Sed eheu, quàm pauci noſcunt!

DIE V.

P. Joannes Furtado.

Conimbricæ anno 1700. vitam explevit, Domo Ulyſſiponenſis. In ſua patria ſe dicavit noſtræ Familiæ 20. Novemb. anno 1644. Præditus ad capeſſendas litteras ingenio celſo, & præſtantiſſimo. Philoſophiam, & Theologiam profeſſus Eboræ. Romæ librorum noſtrorum egit Reviſorem. Aculeis ſcrupulorum tota vita adeò compunctus, ut ea moleſtia pene inutilem reddiderit ad producendos uberes tanti ingenij fructus. A teneris in Religione annis viſus eſt homo maturæ virtutis. Satis erat Majoribus ſcire interfuiſſe Joannem cæteris ſuæ ætatis, temporibus confabulationi deſtinatis, ut eſſet indubitatum non offenſam Regulam. Recens venientes è Tyrocinio conveniens, curabat in ſpiritu juvare, & fovere piis ſermonibus, ne langueſceret fervor priſtinus. Tradebat Eboræ Philoſophiam, cùm ſub finem menſium feriatorum invenit eum Diſcipulus, ſupra quam dici poteſt, afflictum, quod materias dictandas non compoſuerit. Magiſtrum interrogat: quid cauſæ fuerit? Reſpondit, ſe infinitum conſumpſiſſe tempus examinando, an citationes Authorum eſſent accuratè notatæ, an mendoſæ: timebat enim mendacium in ſuis ſcriptis, ſi error contingeret transferendo ex aliis in ſua citationes, & numeros vitiatos. Propterea nemini

ni fidens, nisi suis oculis, fontes rerum consuluerat: Sacerdos è nostris, qui multis annis Joanni convixerat, dixit: posse testari jurejurando, se ne minimam quidem Regulam ab eo vidisse frangi. Præfectus Juniorum Conimbricæ in ædificio superimposito scholis publicis, quas horas Juniores terebant in Gymnasiis, ipse consumebat quotidiè in Bibliotheca Collegii scribendo notata ex libris decerpta. Ubi primum Juniores aulas adibant, sumpto atramentario, & theca Chartacea se ad Bibliothecam conferebat. Absolutis scholarum horis revertebatur ad Juniorum secessum, ut cum ipsis per mediam horam vacaret orationi coram Sanctissimo. Defectus Juniorum magis reprehendebat quibusdam dolentis animi signis, quàm verbis commissorum fœditatem exaggerantibus. Ejus modestia, & cætera corporis compositio tanta fuit, ut Tyro modestissimus modestior non esset. Obedientiæ cultor eximius, antequam tintinnabulum moneret, eò contendebat, quò erat vocandus. Amor paupertatis non sinebat, res suas dici, quibus utebatur. Egens vitreis specillis, quod erat inops rerum omnium, petivit à Rectore nummulum emendis; his comparatis, æreos teruncios, qui superfuerunt, restituit Superiori. Nec querela de Majoribus, nec detractio de ullo mortalium ex ipso audita. Si ex consanguineis quis eum veniebat allocutum, disertissimis denuntiabat verbis, ne rursus se quæreret, vocatum ad januam non iturum. Nunquam exeundi ad urbem petivit facultatem, nec visus loqui ad januam cum Sæcularibus. Pensum Canonicum recitabat flexis genibus. In faciendo Sacro mira illi pietas. Virginem Matrem speciali quodam prosecutus cultu: dicabat Illi omnia scripta sua, quæ dictabat in scholis. Æmulus Angelis pudicitiâ, pertulit dolores multos, & acutos, ne se quibusdam occultis subjiceret curationibus, quas horrebat ob innatum pudorem. Hanc ortam mortis originem existimatum est. Id mirati sunt, qui noverunt: ubi primum illi dictum, medicinas esse impares vincendo morbo, Medicos moriturum non dubitare, evanuit tempestas illa scrupulorum, quæ à primis annis ad eam diem hominem dirum in modum fatigaverat. Redditus paci tranquillissimæ, quali fruuntur animæ jam felices, mortalibus valedixit. De Viri spoliis ob Joannis solùm virtutem pretiosissimis partem collegerunt, & servarunt ut reliquias plurimi Sociorum. Invides Joannis pacem animi prope mortem? sed invidè etiam longum bellum cum scrupulis, quo eam emit. Formidabile est habere in hora mortis scrupulos, quod in vita non habueris: dulcissimum, quod habueris, non habere.

P. Jo-

P. Josephus Barreto.

ANno 1709. in Insula Divi Michaelis una de Tertiis Superis additus. Natus in oppido Cantanede Diœcesis Conimbricensis. A teneris virtuti propensus. Cum nutrix erat mutatura indusium puero; curabat ipse, honestati maximè consuleretur. Id tanquam insuetum observavit nutrix, & mater, quod ejus caput oleret Moschi suavissimum odorem. Annis crescentibus, quamvis ingenio vivido, fugiebat ludos, & alia oblectamenta puerorum. Multus erat in ministrando Sacro operantibus. Qui novit probè illius innocentissimos mores, testatus est: primaria Baptismi gratia Societati nostræ conjunctum. Id fecit Conimbricæ 8. Septembris anno 1676. Tyronum Magister cæteris imitandum proponebat, ut virtutum exemplar singulare. Studiis absolutis quæstiones de moribus explicavit in Insula à Divo Michaele. Suspiciebant ut hominem Sanctum. Ex eo Magisterio missus ad gubernandum Fayalense Collegium. Ubique sibi similis. Illo Magistratu confecto, ad Lusitaniam navigans, appulit ad Divi Michaelis Insulam, ubi ex vehementissimis calculi doloribus contraxit morbum postremum. Dura omnia diu perpessus insigni tolerantiâ. Ultimis Matris Ecclesiæ munitus subsidiis ingressus æternitatem. Non vulgarem de se reliquit virtutis opinionem: eam comprobavit pietas multorum, qui petebant de rebus, quibus usus fuerat, habituri ut monumenta viri justi, & amici DEI. Quis neget hunc virum Christi fuisse odorem bonum; cùm ab ineunte ætate ad vitæ finem DEO, & hominibus benè oluerint ejus mores, & post mortem cucurrerint multi in odorem virtutis, quam vel ejus olebant spolia.

DIE VI.

P. Henricus Henriques.

ANno 1600. Punicali ad oram Piscariam in India ad Cœlos evolavit. Natus Villævissosæ Diœcesis Eborensis. Vacabat Juri Canonico Conimbricæ, cum nostrorum motus exemplis eorum statuit vestigiis insistere. Pingue patrimonium divisit pauperibus, & nostro Collegio summam contulit; quæ in Sacellum in templo nostro Annæ Sanctissimæ consecraretur; ut est factum in templo veteri, & postea in novo. JESU vexillis adscriptus Conimbricæ 8. Octobris anno 1545. Aprili sequentis anni vela solvit ad Indiam, quò eum Divinus vocabat Spiritus. Anno 1546. 17. Sept. appulsus Goæ, quo tempore Divus Xaverius in Molucis jaciebat illius Ecclesiæ prima fundamenta. Sciens Xaverius de novis auxiliis, quotquot Socii venerant, jussit in virtute Sanctæ obedientiæ, pergerent ad promontorium Comorinum. Sententia omnium erat

erat Henricum ob aſſiduas ægritudines tum in Luſitania, tum in India à præcepto impoſito liberum, nec aliam mentem Xaverii futuram, ſi præſens eſſet. Hæc illi conſenſu unanimi. At ipſis non acquievit Henricus, ſperans obedientiam abunde ſibi daturam vires, quo ſatisfaceret miniſteriis injunctis. Eventus oſtendit, non vanâ deluſum ſpe: nam vix ſcitur de alio robuſtiori, qui tot annis, & tam egregiè commendatam vineam excoluerit, nec tantos ſuſtinuerit labores. Propterea non ſemel ad Socios in Luſitania degentes ſcripſit, quò plures ferebat labores, eò majores, & fortiores vires à DEO ſibi conferri. Ad Labores alios, & alios ſubeundos. Id, quod ſæpè vidimus, in alteris operariis ad vineam Orientis vocatis. Cum enim ægrè ob affectam valetudinem vineam ſuburbanam laxandi animi gratiâ adirent, redirentque domum, in India quosque fortiſſimos ſeu itinera pedibus metiendo, ſeu perferendo laborum cumulos evicerunt. DEO ſcilicet infirma mundi eligente, ut fortia confunderet. Initio magna illi difficultas in perdiſcenda lingua. Peritus interpres, quo utebatur, reddebat negligentem. Verum interprete deficiente, eam navavit operam, ut brevi æquaverit indigenas tum in ſermonis peritia, tum in locutione expedita. Fatebantur omnes id contigiſſe divinitùs, cum idioma ſit natura ſua valde intricatum, ac difficile. Invenit excellentem methodum edocendi Catecheſim. Jubente Xaverio ea de lingua artem compoſuit & præſentibus, & futuris operariis utiliſſimam. Magnum illi dominium ad abigendos è corporibus dæmones. Adversùs Ethnicos mira fortitudo, innumeros junxit Chriſtiano gregi: Non filioli matres diligunt, ut Henricum amabant Neophyti: Illos non poterat diriori afficere ſupplicio, quàm minari, ſi mores non corrigerent, à ſe quàm primùm deſerendos. Ad has minas nullus fuit tam ſaxeus, qui temperaret à lachrymis. Quamvis ſuo muneri naviter inſudaret, nullis parcens laboribus, & itineribus, non ſui profectûs unquam oblitus. Non in Collegiis conſuleret impenſius Religioſæ obſervantiæ, quàm proſpiciebat inter Ethnicos, & Neophytos. Ajebat operarium ſine Oratione ſimilem eſſe lucernæ, quæ ſe ipſam conſumens, cæteros illuminat. In multas, eas diriſſimas ſæpe ab Ethnicis conjectus anguſtias; ſemel crudelem in modum vinctus brevi catena manus, pedes, & collum, inſtar glomeris convolutus, dies, ac noctes tranſegit tormento, ac doloribus non explicandis. Auro redemptus, urgendo operi fortius incubuit. Vix de tanto Heroe narrari poteſt quid illuſtrius elogio Xaverii de eo ad Ignatium ſic ſcribentis: *Pater Henricus Henricius Luſitanus noſtræ Societatis eſt Vir inſigni Sanctitate, omnibus præbet optimum exemplum. Eſt in Promontorio*

Como-

Comorino. Scit bene loqui, & scribere linguam Malabaricam. Est tam diligens, ac laboris studiosus, ut peragat ipse solus, quod possent facere plurimi junctis omnibus suis viribus. Suis Concionibus, ac Sermonibus familiaribus nactus tantam authoritatem apud Neophytos, ut eum omnes venerentur, & ament singularissimè. Rogo vestram Paternitatem, ut Virum adeò excellentem, & qui tam diligenter laborat in vinea Domini, & qui fert pondus diei, & æstus, consoletur suis litteris. Hæc de Henrico Xaverius. Morbo postremo Dominicis, ac Festivis diebus se reficiebat cœlesti pane ad sacram ædem portatus in lecto pensili. Usque ad paucos ante obitum dies recitavit horas Canonicas, nec omisit, nisi jussu Superioris. Cùm vixisset tam sanctè, seque diligentissimè ad mortem comparasset, rogabat, ut sibi miscerent Sermones de Misericordia DEI. Reputabat se æternæ salutis indignissimum; sæpe dicebat, magnum sibi futurum DEI miserentis beneficium, si propter sua scelera addicendus æternis suppliciis, non permitteret ejus à damnatis blasphemari nomen. Vulgato ipsius obitu, tantus apud eas gentes fuit mœror, ac planctus, ut nulla verba possint exprimere. Punicali duos, aut tres dies transegêre multi mortales jejunio tam stricto, ut nec offulam ori admoverint, clausis semper tabernis mercatoriis. Eundem rigorem imitati Ethnici, & Mauri habitantes oppidum vicinum Punicali. Concursus ad exequias prope infinitus, & par impetus ad corpus vel sudariis, vel precationum Rosariis contingendum. Tutucurimi terræ mandatus. Ejus sepulchrum invisebatur à Neophytis, suspendebant ibi vota sua, rogabant excusabili simplicitate Sacerdotes, de ipso Sacrum facerent, uti mos est de cæteris ab Ecclesia Divorum albo adscriptis. Ethnici, ac Mauri, cùm volebant aliquid affirmare, jurabant per Patrem Henricum Henricium. Quid speras, de ipso dicam, pie Lector, cum Xaverius vocet excellentem? id mihi occurrit, excellentem fuisse, quod neminem voluit excellere, quamvis post Xaverium in ea cultura omnes excelluit.

DIE VII.

P. Michael de Sousa.

Conimbricæ anno 1582. de vitâ excessit. Natus in oppido Scalabitano Diœcesis Ulyssiponensis, Parentibus è primaria nobilitate Ariâ de Sousa, & Violantiâ Mendoza. Educabatur in Regia Joannis III. cum Franciscus Xaverius, & Magister Simon Rodericius, sunt primùm admissi ad osculandam Regis manum. Ex eo tempore mirum in modum affectus erga Societatem nihil aliud æquè desideravit, quàm nostrum sequi Institutum. Migrans postea Conimbricam studiorum causâ, nactus opportunitatem deserendi penitus res casuras, & mundi va-

nas ſpes, ſe dedit Societati 24. Novemb. anno 1545. Vix dici poteſt, quantus dolor penetravit & parentes, & conſanguineos Michaelis: putabant dedecus ſui ſanguinis, novæ Religioſorum familiæ adhæſiſſe. Ex ipſis unus ſuſcepit ſibi Provinciam reducendi juvenem in domum paternam: Convolat Conimbricam: Obtentâ facultate Tyronem alloquendi, alias, atque alias cumulat rationes, quo Michaelem dimoveat à ſententia. Audivit prudens Tyro; at reſponſum tam plenum fuit Chriſtiano pondere, totque rationes ſolidas oppoſuit conſanguinei rationibus, ut ille ſolutus in lachrymas, affirmarit, ſi conjux, & filii non eſſent, ſe quoque mundo renuntiaturum. Inſuper admonuit, ne frigeſceret. Liber ab his conſanguineorum tentamentis, ſe totum DEO conceſſit. Nihil illi ſuaviùs, quàm de rebus Divinis commentationes, & alloquia: Ubi ſe tradebat his piis exercitationibus, ſenſim ex oculis cadebant lachrymæ ſuavitatis pleniſſimæ. Id commercium cum DEO fovit totius vitæ decurſu, curavitque, ut pari arderent igne Socii, quos regebat. Rectorem agens Conimbricæ, imperabat pervigiliis majorum Solemnitatum, ut in orbem noctu orarent, aliis ſtata hora abeuntibus, aliis ſuccedentibus. Tunc majorem noctis partem orando inſumebat. Multa fecit, ex quibus conjectum eſt alienatam à rebus humanis mentem geſtare Divinis ſolùm addictam. Quamvis, dum vixit, res Divinæ fuerint illi curæ primæ, & præcipuæ, auditus in ſenectute intimum animi dolorem his verbis exponere: *Væ mihi! cùm eram juvenis, & poteram diu me orationi tradere, præ tepore animi nolui; modò ſenex gravatus morbis, volo, at non poſſum ob virium debilitatem.* Anteactum tempus exiſtimabat perditum, quod non totum orando conſumpſiſſet. Fuerunt, qui tantùm ejus audiendo Sacrum, valedixerunt rebus perituris, amplexi Religioſam vitam. Naturæ propenſiones dominari non permiſit, ſed ita fregit, ac domuit, ut eſſet pleniſſimè ſui potens, ac Dominus. A vigeſimo ætatis anno ad mortem usque, ne unum quidem expertus carnis ſtimulum ad impudicitias vocantem, & invitantem. Humilitati ſtuduit ex animo. Cùm deſtrueretur templum vetus Domûs Profeſſæ Ulyſſiponenſis, ſuis ipſe humeris comportabat tegulas dejecti ædificii. Æthiopiſſæ viliſſimæ, cum volebant animas explicare, dicebant templi noſtri æditui: Nuntia Patri Michaeli adeſſe fœminam nigram, quæ ad ejus pedes cupiat ſuas labes deponere: ſciebant enim id eſſe ſatis, ut ſine mora veniret. Societatem noſtram dilexit tenerrimo ſenſu: propterea nihil illi contigit acerbiùs, quàm noſcere è noſtris aliquem offendiculo fuiſſe Sæcularibus. Id omnibus Sociis perſpectum, eum plus hilarari ſuorum Fratrum, & Patrum rebus fælicibus, quam ipſimet,

ad quos ſpectabant, lætari ſolebant. Spatiô viginti annorum rexit Socios ſine ullius juſtâ querelâ. Subditos ut filios, illi ut Patrem amabant. Nullus ſubditus eſt auſus adversùs eum loqui, ne ſe dedecoraret. Quod in familiari ſermone eſſet urbaniſſimus, & ſuaviſſimus, accedebant omnes ad ipſum; de rebus ſanctis, ac DEO multus erat in loquendo ſine præſentium faſtidio. Sæpè poſtquam longo tempore pios traxerat ſermones, ſubridens ajebat: Planè multum eſt; Eamus ad honeſtè læta: Inſerebat protinus confabulationem amænam. Poſtremis annis moleſtiſſima podagra eum lecto affixit. Tria per id temporis in eo mirabantur Socii: patientiam in ſufferendis doloribus, pietatem raram inter acutas afflictiones, & conformitatem cum voluntate Divinâ: Ubi primum certior eſt factus, mortem eſſe vicinam, læto vultu nuntium accepit. Ut impenſiùs DEO vacaret, imperavit, relinquerent ſolum, & nulli præter eos, quibus erat curæ, ſe convenirent. Interim ſubaltiori voce tenerrimè DEUM, Virginem, ac Divos alloquebatur. Ut verba ſuaviſſima ebiberent, aurem ad oſtium applicabant Socii. Inſtar Divi Jacobi Patriarchæ ſubditos, ſeu potiùs filios, ad ſe vocans ſingulis valedixit, mitiſſimis verbis, & amore paterno delibutis. Rogantibus, totius Collegii nomine, impertiret omnibus benedictionem, in altum elevans dexteram, voce ſubobſcurâ inquit: *Benedicat vos Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Perſonante ſingultibus, & lachrymis cubiculo, reſponderunt: *Amen.* Statim juſſit ſingulos propiùs accedere, velle ſe inſtar proficiſcentium ad alia Collegia quemque in ſupremo diſceſſu complecti. Inter amplexus dicebat unicuique verbum amoris plenum: Uni ſcilicet, ego te admiſi in Societatem, non me pœnitet. Alteri, ſemper tibi felicia deſideravi, ſed melius judicavi, id tibi non ſignificare. Alii, progreditor, ut facis, ne frigeſcas. Huic, nunquam vana de te concepi, nec me fefellit opinio mea. Similibus verbis cæteros eſt conſolatus, ac dimiſit agrè dolentes à tam charo convelli amplexu. Tres noctu aderant infirmo: duobus ſomnum capientibus, exclamavit, Eheu! accurrit Pater Alvarus Lupius, interrogans, quid haberet? Cui ille: *Nihil: requieſcito.* Paulò poſt gementi voce repetivit Eheu! Eidem accurrenti, & eadem interroganti, idem dedit reſponſum. Non multum interceſſit tempus, cum tertiò voce triſti, ac ſuſpirans, & ſingultiens. Eheu, Eheu, Eheu! inclamavit. Tunc omnes diſcuſſo ſomno circumſteterunt, inquirentes, quid ſentiret, cur gemeret, & quid velit? quando tres, inquit, video excitos ſomno, facite, ut ſedeam in lecto. Juverunt, ut commodè ſederet. Subſtitit parumper tacitus, ſublevansque in Cœlum oculos, poſtea intuens ſingulos, ait: Scitis,

quid ſomnum fugavit è meis oculis, & coëgit voces edere, quas audiſtis? vobis explicare volo, ut veſtrum dolorem ſocietis meo. Hic ubertim lachrymis manantibus, intuens jam Cœlos, jam præſentes, proſequitur: Filii mei, video me ſenem eſſe, recordor conſpexiſſe meis oculis initia noſtræ Societatis in hac Provinciâ, exempla rara virtutum, res notatu dignas, quæ contigerunt; media, per quæ DEUS evexit ad perfectionis montes ſervos ſuos; favores ampliſſimos, quibus illuſtravit homines à ſe electos in Societate tanquam rerum magnarum inſtrumenta ad ſui nominis gloriam propagandam. Conſidero, quantum eventus memorabiles, qui primis contigerunt, poſſunt adjuvare, ac docere poſteros; quantum ſit ex tantarum rerum oblivione nocumentum. Et non eſt, qui me interroget de his præclariſſimis Majorum factis. Quod mihi evenit, non dubito aliis jam ad meliorem translatis vitam contigiſſe. Hæc me ſupra modum cruciat recordatio, hæc ſomnos adimit, hæc me ad ſuſpiria, & voces lachrymabiles compellit. Fleverunt omnes, qui audiebant juſtiſſimi doloris rationem. Nullum enim damnum fletu dignius; etenim nihil pretioſius eſt in ſacris Familiis Majorum Sanctiſſimis exemplis. Monuit, ſibi frequenter repeterent dulciſſima JESU, & MARIÆ nomina. Subita vi morbi ſopitus, ubi eſt reſtitutus integris ſenſibus: Quam bellam, inquit, excedendi opportunitatem amiſi. Juſſit in cubiculum ſuum ferri multa Sanctorum lipſana, ut ſibi profecturo eſſent ſubſidio. Tandem editis provectæ virtutis documentis, dormienti ſimilis quievit, & Factori ſuo reddidit Spiritum inſignibus ornatum virtutibus. Præclariſſimus Vir Leo Henricius per id tempus noſtri Bracharenſis Collegii Rector, audito Michaelis obitu, magno doloris ſenſu hæc verba pronunciavit: *Cum Patre Michaele de Souſa emortua eſt virtus antiqua, bonitas antiqua, & antiqua veritas.* Primus fuit, qui Rectorem agens Conimbricenſis Collegii diem obivit. Annis volventibus, Vaſcus de Souſa, Filius ſororis, vel Fratris Patris Michaelis, Rector Conimbricenſis Academiæ, & primus, qui in eo munere vitâ defunctus, non conſultò, ſed fortuitò mandatus eidem ſepulturæ in templo noſtro. Oſſa Michaelis, utpotè Viri omnigenis ornati virtutibus, condita ſunt Sarcophago in pariete Sacelli Divo Antonio ſacrati in noſtro Collegio Conimbricenſi: Lemmate, quis ibi jaceat, ſignificante. Quid ego dignum de tanto Heroe loquar, cùm Leo Henricius tribus verbis tanta ſit complexus: ejus verba ſcribe in lapide ſepulchrali: *Hic condita eſt Virtus antiqua, bonitas antiqua, & antiqua veritas.* Non plus ultra dici poteſt; & ſi exiſtimas te majus poſſe dicere; dic, & videbis te dixiſſe minus. Meminit de illo Agiologium Luſitanum 7. Aprilis.

P. Gon-

P. Gonsalus Pinto.

Conimbricæ anno 1659. desivit inter nos esse. Natus in oppido Monasterio de Feira Diœcesis Portuensis: Societati deditus Conimbricæ 16. Junij anno 1596. Aliquot annis nostra obivit Ministeria Mazagani in Africa. Præter cætera Dei obsequia ab eo præstita, suasit arcis Præfecto, redimeret à Mauris imaginem Crucifixi, captam unà cum navi mercatoria. Paruit roganti, & sacra Effigies magna solemnitate locata est in templo arcis. Hominis mores, quales in suis vult nostra Societas. Usus erga omnes mira charitate. Ad consolandos rebus angustis afflictos videbatur unicè factus. Omne, quantum est Conimbricense Collegium, ut Patrem colebat. Major Sociorum pars eum elegit suæ conscientiæ judicem. Favit multum studiis amænioris litteraturæ: Ex actionibus litterariis Sociorum eventu felici splendidis tantum animi gaudium solitus concipere, ut etiam illud significaverit fusis ubertim suavibus lachrymis. Tum in Divinis, cum in litteris humanioribus Vir fuit miræ eruditionis. Nulli sermones ipsi magis jucundi, quàm de Philosophicis, ac Theologicis quæstionibus. Res aliorum gloriosas nunquam detrivit suis verbis, sed potiùs illustravit. Odio habuit affectus particulares erga hos, vel illos, nam fuit idem omnibus. Ejus comitas, & benevolentia adversus externos sic animos allexit, ut præcipui Doctores, & Academiæ Magistri ad illius pedes deleverint peccatorum sordes. Denique placens Deo, & hominibus, æternæ felicitati adscriptus: De eo nihil majus velis, quàm quod Christus Dominus, qui redemit omnes, eum sibi elegerit Redemptorem.

P. Laurentius Cardim.

In Oceano mortem similem Martyrio passus est anno 1585. Natus Vianæ Diœcesis Eborensis. Duos alios Fratres, apud nos habuit, & Sobrinos tres, Viros egregiæ virtutis: I am erant genus Sanctorum, ut ajebat sæpè Joannes Cardim, quem speramus locandum in altaribus. Fuit enim ex primis Heroibus hujus nostræ Societatis, ut suo dicendum loco. Laurentius, de quo in præsentiarum sermo est, Eboræ se conjunxit Societati 25. Julij anno 1571. Enixè rogavit inter Brasilienses operarios numerari. Factus sui voti compos eò navem conscendit 30. Januar. anno 1585. Ipsâ die, quâ navis Lusitana solvit è portu, vesperi conspexerunt duas naves Gallicas, per maria agendis prædis discurrentes: Paravit se ad pugnam Lusitanus, quamvis iret ad hos eventus imparatus; Initio certatum est animis potiùs, quàm necessariis ad justam defensionem subsidiis. Videns Lusitanus vim sibi non esse arcendis hostibus, ne perirent omnes, ali-

aliquibus præmiſſis conditionibus, deditionem fecit. Dum pugnatum eſt, Laurentius erecto in altum Crucifixo, verbis ad rem aptis adverſus Hæreticos, incendebat Orthodoxos; Interea glans plumbea illius fregit cranium, non tamen abſtulit vitam, ſuperfuit enim poſtea ſex omnino diebus: &, ſi forent remedia, ſpes erat vivendi. Ubi jacuit lethaliter vulneratus, Sociis dixit, ſe non vulgari affici lætitiâ, quod ex obedientiâ in eo periret munere. Sequenti manè deditam navem piratæ ingreſſi, noſtros præſertim, multis adorti injuriis; Erant enim Societatis nomini valde infenſi, ut plerumque eſt hoc genus hominum Hæreſis lue contactum. Jam Laurentius amiſerat uſum mentis, cum Hæreticus impegit ejus capiti enſis capulum, & bis, terque percuſſit. Alter veſtibus ſpoliatum traxit per foros navis. Socij noſtri videntes immanitatem, Ducem Gallum obſecrarunt imis precibus, ſe cum Socio vulnerato in littus exponeret, conſulturos ejus incolumitati. Rejecit preces homo totus ex ære, & ferro. Sic Laurentius in ſumma rerum omnium penuria, deſtitutus omni humanâ ope conceſſit naturæ, habuitque mare pro tumulo. Vir prodigus magnæ animæ pro Dei Gloria, nec debuit, nec potuit brevi claudi Sarcophago: Tumulus illi competens mare magnum, & tegmen tumuli Cælum.

DIE VIII.

Antonius de Mello Scholaſticus.

Conimbricæ anno 1598. è vita migravit: Domo Ulyſſiponenſis, è familia nobiliſſima ſuam originem à Luſitaniæ Regibus deducente. Conimbricæ venit in Societatem 30. Aprilis anno 1582. Apud nos micuit ſemper Angelicis moribus: Virginem Matrem ſingularibus coluit obſequiis; de ipſius prærogativis drama eleganter à ſe compoſitum theatro dedit magno Sociorum, & totius Academiæ plauſu. Dominicis diebus exibat ad pagos Conimbricæ vicinos edoctum pueros, & rudes Catecheſim. Magnæ nobilitati junxit magnam ſui demiſſionem, & manſuetudinem raram. Ad capeſſendas ſcientias felici claruit ingenio; niſi mors immatura (tanquam florem recentem) ſecuiſſet, utique firmam rebus ſuis columnam in eo formaret noſtra Societas. Morbus ultimus notas magis fecit ejus virtutes. Ubi languens decubuit, Patres, & cæteri Socij, quantum perderet Societas, dolentes, confugerunt ad preces, Deum, ac Cælites fatigarunt, ut nobis eum conſervarent. Certior factus actum de vitâ, nihil jam poſſe ad morbum vincendum artes medicas, totus eſt lætitiâ perfuſus, ceu id tantum eſſet in votis. Inviſenti Rectori dixit: *Hactenus eram triſtis, modò ſum lætiſſimus ad hanc viam ineundam.* Cùm ante id nuntium ſæ-

ſæpè laboraſſet triſtitiâ, poſteà, quid eſſet, neſcivit, nec expertus. Poſt extremam Unctionem valedicens Sociis adjecit: ſe contentiſſimum emori, quod obiret in Societate, ut ſemper rogaverat Chriſtum, ac magnam illius Matrem. Volentem progredi, ne ſe fatigaret, interrupit Superior, verbis ſignificantibus; non tam vicinam eſſe mortem: ad hæc Antonius: *Cur hodiè non ibimus.* Poſtea dixit, ſe conſcientiæ mirâ pace frui: conſequuturum à Virgine, ut Sociis impertiret erga ipſam ſingularem animi affectum. Nec multò pòſt oſculans Crucifixi plagas, & pronuncians ſuaviſſima JESU ac Mariæ Nomina expiravit. Ab eo Sacerdos è noſtris popoſcerat, ubi in cælo eſſet, impetraret ſibi à Virgine animum adverſus ipſam propenſiſſimum. Promiſit facturum. Confeſſus eſt Sacerdos, ſe ex diſceſſu Antonij magnis identidem pungi ſtimulis Virginem Matrem obſequioſiùs colendi. Quamvis raptus in flore ætatis, non putes raptum ante tempus; multum enim conſenuit juvenis, qui præclaros ſenes, quos ætate non attigit, vicit meritis.

DIE IX.

P. Doctor Joſephus de Seixas.

ANno 1691. Conimbricæ vivendi tempus explevit. Natus Ulyſſipone, ibi Societatem auxit 9. April. anno 1627. ætatis 14. Ejus dotes ad Magiſtratus, & Magiſteria obeunda fuerunt præclariſſimæ. Conimbricæ Philoſophiam, & quæſtiones de conſcientia, Eboræ tradidit Theologiam, moderatus primariam cathedram, & laureâ Doctorali lemniſcatus. Rectorem egit Bracharenſem, Conimbricenſem, Braſiliæ Provincialem, & Viſitatorem, Luſitaniæ Provincialem, ultimò Rectorem Conimbricenſem. Hos Magiſtratus continuatos penè viginti annorum ſpatio magnâ integritate peregit, ac prudentiâ non vulgari, & ſingulari Societatis honore. Cùm eſſet tot, ac tantis ornatus dotibus, verbum, quod laudem propriam oleret, ex ipſo non eſt auditum; de nemine unquam conqueſtus; nec offenſus rem egit indicem animi vindictam non ſumentis. Semper veritatem, etiam contra ſeipſum dictam, amavit. Vel de ſuggeſto Sacro concionem haberet, vel in Magiſteriis obiret ſolitas functiones, id ſine cilicio corpori applicato non peregit. Petente Ludovico de Souſa Epiſcopo Lamecenſi, Quadrageſimæ tempore ſolitis diebus de rebus Divinis ad populum dixit in templo maximo, uſus adverſus ſuum corpus magnâ auſteritate. Non enim in molli culcitra, & linteis cæpit ſomnos, ſed veſtitus ſemper indulſit quieti; quodque rigidiùs; nec mutavit induſium, quo de Collegio exiverat; eodem, quo fuerat profectus, domum revertit. Conſanguineos penitus eſt oblitus. Potuit

eos ad altiorem fortunam evehere, ſi vellet uti in hanc rem amicitiis Magnatum ſingulariter eum reverentium. Mittendi ad Braſiliam priùs tentavit ejus voluntatem Pater Generalis. Cui Joſephus: ſibi voluntatem non eſſe in rebus ad obedientiam ſpectantibus: nunquam navigaſſet, ſemper à ſuis Majoribus occupatum in Collegiis, & muneribus ſplendidis: æquum eſſe pati aliquid duriuſculum. Illius charitatem noverunt omnes, & experti ſunt multi. Medico ægrotos inviſenti aderat primus, iniquè ferens, ſi quid deficeret eorum ſublevandis incommodis. Sæpè totâ nocte aſſidebat infirmis mori periclitantibus. In menſa ſibi non tulit apponi, quod cæteris non eſſet commune. Semper Dominicum Adventum jejunio tranſegit. Pervigiliis aliquot ſolemnitatum, ſolo pane, & aquâ vixit. Etſi magnâ uſus erga alios liberalitate, non ita erga ſe ipſum, fuit enim Religioſæ paupertatis cultor, & amator ſingularis. Nullum dimiſit è Societate, quin priùs multa tentaret remedia, ut ſic vacillantes conſervaret, ac redderet firmos in ſua vocatione. Cuſtodis Angeli valdè deditus obſequiis, ſæpè ejus opem præſentem ſenſit. His, aliiſque virtutibus exornatus lecto adhæſit moriturus. Ante obitum ea fuit viri humilitas, ut deſideraverit publicè confiteri, & coram omnibus anteactæ Vitæ noxas exponere: feciſſetque, niſi prohiberent. Ictus ſcrupulo Sacerdotem eſt percontatus, an poſſet mortem appetere, divinâ ut facie frueretur citiùs? Eo reſpondente, id nullis legibus vetitum, at eſſe piiſſimum; ardere cœpit incenſis Deum videndi deſideriis. Die morti proximo dixit infirmario ejus adeunti cubiculum: *Venis jam, ad involvendum meum cadaver, ac reponendum in feretro, id exequeris die craſtinâ.* Non aliter evenit; nam ſequenti die ſpiritum exhalavit. Quis Virum hunc non dicat præclariſſimum, cùm vel à ſuis nebulis, dum eas voluit explicare, accepit lucem. Ea natura eſt hujuſmodi nebulis, ut, ſi plus juſtò occultes, te magis obſcurent: ſi plus juſtò detegas, te magis illuſtrent.

Paulus Ferreira Scholaſticus.

EBoræ anno 1698. in cælum vocatus: Domo Bracharenſis. Ulyſſipone Tyrocinium eſt auſpicatus 11. Octobr. anno 1693. Studebat Eboræ navans operam Philoſophiæ, cùm poſtremus eum morbus implicuit. Inter febris ardores æſtuabat videndi Deum ardentioribus deſideriis, ac Virginem, quam nonniſi Matris nomine inclamabat. Multis eſt perſuaſum Virginem ſanctiſſimam eum præſentiâ ſuâ recreaſſe. Nam mirabili inundans lætitiâ circumſtantes admonuit, flecterent genua, Matremque ſuaviſſimam adorarent; quando dignabatur ſe illius indigniſſimum filium præſens inviſere, atque blandiſſimis ver-

verbis ad æternas ſedes, & non perituram felicitatem invitare. Sub hæc dicta liqueſcebat totus in colloquia ad Matrem ſuam effuſa. Mox versâ lætitiâ in planctum, copiosè flevit, tanquam diſceſſum abeuntis plorans. Nec amplius tenuit loquendi uſum. Contigerunt hæc die Veneris; Sabbato Virgini dicato à nobis exceſſit, magnæ Matris conſpectu æternùm fruiturus. Jure merito in diſceſſu Virginis omnem amiſit vocem; omnes enim dolori explicando pares non erant. Mors ipſa ſe habuit inſtar vocis; ut credo, id unicè dixit: Eum ex magno magnæ Matris amore mori.

P. Vincentius Pereira.

ULyſſipone, ubi natus erat, ſe Societati junxerat 6. Januar. anno 1644. vitâ defunctus. Moderatus fuit Collegium Inſulæ à Materiâ dictæ temporibus valdè turbatis, & calamitoſis propter inſolentias adverſus Franciſcum Maſcareniam Inſulæ Præfectum commiſſas. Per ſummam enim injuriam, & iniquitatem nil tale opinantem comprehenderunt, &, ceu foret vile mancipium, in horridum conjecerunt carcerem. Volentes apud Regem ſuum excuſare furorem, aut inſaniſſimam inſaniam, quam non dubium erat puniendam, conati ſunt à Rectore noſtro exprimere teſtimonium, eorum favens dementiæ. Ad has voces, & ſuaſiones ipſo ſultiores facto exhorruit Vincentius, miratus audaciſſimam impudentiam. Semel, iterumque addentes precibus minas, inſtitere, ſemper tamen vano, & irrito conatu: Nam Vir æqui obſervantiſſimus vitam ſuam ſtatuerat priùs amittere, quàm ſe fœdare tanto ſcelere. Tandem deſtiterunt, ne ſe novis criminibus polluerent. Luſitaniæ redditus gubernavit Cetobricenſe Collegium, ac Domum Tyronum Ulyſſipone. Erat homo antiqui moris, doli, ac fraudis neſcius, Virgini Matri addictiſſimus; quotidiè in ejus obſequium recitabat diurnas horas ipſi colendæ ſpeciatim dicatas. Annis multis habitavit in Domo Profeſſa, quanquam ætate, & morbis feſſus non ſe labori ſurripuit. Caligantibus jam oculis, imperatum illi eſt à Majoribus, abſtineret à Sacro faciendo, quod ſenectuti morbis afflictæ unicum erat ſolatium. Ad hæc imperia reſpondit: *Obedientiam volo, non Sacrificium.* Ne credas bono ſeni: Nunquam voluit magis Sacrificium, quàm cum propter obedientiam noluit.

DIE X.

P. Petrus Toslano.

IN Reſidentia Sanfinenſi prope flumen Minium ſanctè obivit. Natus in urbe Portuenſi. Conimbricæ jam Doctoris gradu exornatus, ſtudebat augendis emolumentis, & Academicis honoribus ingenii nomine non vulgari. Decertandum erat de loco vago occupando. Paravit Toslanus ſua de more lectionem.

nem. Ecce tibi, cum erat ingresſurus arenam, evanuêre, quæcunque ad rem commendaverat memoriæ. Obſtupuit, & erubuit. Inter denſam nubem colluxit illi Deus. Clarè perſpexit humanarum rerum vanitatem ſine ſucco. In ſe, ac in domum ſuam collectus valedixit Academiæ, & mundo, ſe mancipans Societati. Apud nos ſic deditus eſt Divinarum rerum commentationibus, ut ſæpè ſit obſervatus homini alienato ſenſibus perſimilis. Senſim ſine ſenſu cadebant illi ex oculis ſuaves lachrymæ non ſine ſpectantium blando animi ſolatio. Importunitas ſcrupulorum ſic ejus animum vexavit, ut illi valdè debilitaverit caput. Tandem horum aſſiduo cruciatu tanquam luſtrali igne excoctus, humanis caſibus eſt exemptus anno 1558.

Stephanus Fernandes Coadjutor.

Conimbricæ anno 1689. piè demortuus. Natus in pago dicto à ſancto Joanne de Longis Vallibus Diœceſis Bracharenſis. Conimbricæ Tyronibus noſtris aggregatus 18. Decembr. anno 1649. Nondum abſolverat biennium, cùm miſerunt ad Inſulas. Ibi ſervivit in ſuo gradu cum ædificatione. Reverſus in Luſitaniam, vitæ majorem partem exegit Conimbricæ, Collegio multùm utilis: Statum ſuum pluris fecit Regum coronis. Laboris amantiſſimus, nunquam indulſit corpori, quod vile reputavit mancipium, natum ad veſcendum pane in ſudore vultûs ſui. Paupertati Religioſæ, ut Matri multarum virtutum, præſertim in Coadjutoribus, ſemper ſtuduit, & conſuluit. Rem domeſticam curæ illius commiſſam multis locupletavit incrementis; ſi videbat è Coadjutoribus aliquem præſumptionis ſtudioſum, otio, & curandæ cuti indulgentem, labores exoſum, uno verbo, ſui oblitum gradus; inardebat zelo, ac ſancto furore plenus diſertiſſimis verbis ſui commonebat officij. Conſideraret fortunam priſtinam, & natales ſuos, ſe ab aratri ſtiva, aut è ſarculo vel falce, aut ex vili opificio, quo ægrè alebat vitam, à Patribus extractum, & avulſum, eorum menſis admotum. Unde ſomniaret ipſe habitare in tanto Collegio, dormire in molli culcitra inter delicata lintea, qui vix jaceret noctu in ſtramine, aut ſarmentorum faſce. Conſpiceret, qui homines ipſi prandenti, vel cœnanti miniſtrent epulas, ſacerdotio, litteris & virtutibus eſſe præclaros. Si ſæculares eſſent, vel conſpectu ſuo viles operas dedignarentur. Non dubitaret iis gradibus Coadjutores quamplurimos relapſos ad ſordes, unde emerſerant, infelices, quòd ſua non noviſſent bona. His & ſimilibus verbis inſtar concionatoris tonabat adverſus hujusmodi fucos, quos videbat infenſos labori. Virtutes illi ſolidæ: dum commendatæ proſpicit officinæ, fallente gradu per ſcalas devolutus

ad imum solum: luxatum corpus ex diro lapsu inter Sociorum manus lecto invectum. Duos tantum vixit dies acutissimis lancinatus doloribus, munivit se ad extremum iter, & peractis ritè, quæ tempus id poscit, è terris ad cælos abiit. Egregius de rustico Laico concionator, non minùs concionatus factis, quàm verbis, non magis aliis, quàm sibi. Si omnes ejusdem gradus, & sibi, & aliis tales haberent conciones, truncos nostros coleremus, ut Mercurios.

DIE XI.

P. Callistus de Mota.

ULyssipone in Collegio Divi Antonij anno 1599. gloriosâ morte sublatus. Natus in oppido à Divo Vincentio in Brasilia. Ibi adscitus in Societatem. Quibus de caussis venerit in Lusitaniam, non reperi. Perniciosa Lue Ulyssiponem vastante, Callistus se totum dicavit ad serviendum peste contactis. Protinus cum alio Sacerdote de nostris migravit in domum sibi in urbe paratam. Ex illa statione die ac nocte volitabat ad confessiones miserorum audiendas. Videns esse impares tanto labori Sacerdotes duos, convenit Gubernatorem Diœcesis, admonuitque, cogeret Parochiarum Curiones, ovibus opitulari suis; non esse Pastores solùm tondendo velleri, sed morbis etiam curandis. Statim imperatum est illis, suo fungerentur munere, adirent pericula, quando colligebant lucra. Callistus præter spiritualia subsidia, quibus adjuvit, temporalia impetravit à viris locupletibus, & urbis Senatu. His auxiliis succurrit indefessè laborantibus fame, & extremâ luis pernicie. Adeò erat intentus proximi bono, ut sibi nullam quietem, aut refrigerium amaret: suadentibus, in campum apertum exiret, gratiâ liberioris auræ, & purioris captandæ, respondere solitus: *Non deserturum susceptum opus, & laborem, antequam cessaret lues, aut exueret vitam.* Robustas vires, quibus pollebat, magni habuit, ut insumeret contagiosis serviendo. Mensem, & paucos dies curas adjecerat tam pio sudori; cum pestis, quæ urbem vexabat, Callistum corripuit, ac benè ad luctam supremam comparatum vitâ spoliavit. Non sui jactet sacchari suavitatem Brasilia, non aureæ venæ pretium; ad nos hactenùs nihil misit suavius, aut pretiosius Callisti charitate, hanc Deus sibi emit dato Cælo.

P. Eduardus de Costa Fundator Collegij Scalabitani.

ANno 1613. Ulyssipone in Collegio Divi Antonij Cælitibus additus: domo Ulyssiponensis è familia illustrissimâ. Parentes dicebantur Alvarus de Costa, & Eleonora Sousa. Franciscum Mendoza fratrem suum virum à suis virtutibus, & scriptis præclarissimum, cùm nostræ So-

Societati addici cuperet, Eduardus domi ſuæ habuit in cuſtodia; donec Franciſcus ſe fuga proripuit ad noſtrum Collegium. Id ſuprà modum ſenſit Eduardus, tamen poſteà mitior factus, & ſe, & ſua bona nobis impertire ſtatuit. Ea fuit probitate, etiam antequam noſter eſſet, ut ex eo poſſent virtutem diſcere Religioſi homines. Nunquam vel raró accedebat ad ſuæ domus feneſtram. Semel accedens conſpexit in alia feneſtra oppoſita adeſſe fæminas, erubuit caſtiſſimus Dynaſta, & ſine morâ ceſſit è loco. Ut erant honeſtæ fæminæ, id exemplum cuidam noſtro Sacerdoti referentes, adjecerunt: Peregit Eduardus, quod nos eo viſo debuimus peragere. Matutinas, & veſpertinas horas plerumque tranſigebat in loco ſecreto templi noſtræ Domus Profeſſæ. Honeſtatis gratiâ non permiſit ſe veſtiri ab ullo famulo. Tandem cognitâ rerum humanarum vanitate, noſtrum complexus Inſtitutum. Quod per id temporis Tyrocinium Ulyſſipone non eſſet, cauſa ſumendæ togæ ivit Conimbricam: ibi 25. Decemb. anno 1607. nobis aggregatus. Brevi regreſſus, Ulyſſiponem, reliquos vitæ annos exegit in Collegio Divi Antonij. Ampla illi ſeges meritorum in morbis ſuis tolerandis. Vicinus morti, honeſtatis innatæ memor, rogavit, ne ſuum corpus detegerent, cùm eſſet inungendus, id enim fieri poſſe ſub ſindone modicè elevatâ, quantum foret ſatis Miniſterio exequendo. Ejus oſſa translata ſunt ad Sacellum majus templi noſtri Scalabitani à ſe fundati. O præclara erga Deum Eduardi liberalitas! ſe totum, ſuaque omnia Deo voluit. Si datis omnibus, ſe non dediſſet, nihil dederat.

P. Michael de Lemos.

ULyſſipone, ubi fuit natus, obivit anno 1620. Erupit perniciosa lues, quæ brevi eſt extincta nec latè diffuſa. Dum ſe totum ſuccurrendo afflictis conſecrat Michael, exitioſo tactus contagio concidit tanquam victima glorioſa ante aras incenſæ admodum charitatis. De hoc Viro nihil præter mortem ſcivi: parum refert; nam in viris Religioſis mors in conſpectu hominum, ac Dei pretioſa vitâ pretioſâ non caret.

P. Emmanuel Saraiva.

IN prædio CambarjuCollegijGoenſis in India anno 1713. ſupremum diem explevit. Natus in oppido Palos Diœceſis Conimbricenſis. Noſtræ militiæ nomen dedit Conimbricæ 22. Maij anno 1669. ætatis 15. Ad Indiam profectus anno 1672. Novem annis excoluit Domini vineam in Bengala. Illius mores, quales decent hominem ſanctum: Modeſtia ſingularis, zelus obſervantiæ fervens, egregius Miſſionum fautor. Rector Goenſis Collegij, & Provincialis, ſemper orabat ante Sanctiſſimum

mum

num Sacramentum spatio unius horæ noctu, postquam Socii collegerant se in lectos. Studuit ferventissimè Matris Sacrosanctæ obsequiis, ac S. Josephi. Calculi doloribus frequenter exercitus exempla patientiæ præbuit insignia. Semel major solito calculus hæsit in viâ, & intercluſurus vitam, nisi pelleretur, dolores giguens crudeles, adimebat infirmo somnum: Decreverat Chirurgus artis suæ instrumento loco movere calculum. Id sequenti luce facturus; Nocte prævià ægrotus confugit ad patrocinium Divi Josephi: Non est clientis oblitus. Præter morem indulsit suavi somno. Manè ab omni liber dolore invenit calculum foras emissum, eâ fuit magnitudine, ut appareret facilè, non potuisse id humanâ vi contigisse. Ad accepti beneficii memoriam servavit, dum vixit. Sociorum regimini omnes illi dotes abunde erant. Fungebatur officio Provincialis, cùm in die Sabbati supremum edidit spiritum. Fallitur, qui gubernationem vocat emplastrum immortalitatis; nam &, qui gubernant, ut mortales pereunt, & quidem sanctè, si non gubernarunt, ut immortales.

DIE XII.

P. Alphonsus Barreto.

ULyssipone in Domo Professa, anno 1557. è corporis solutus vinculis volavit ad mansuras æternùm sedes: Domo Portuensis ex illustribus ortus Parentibus. Frater fuit Joannis Nunii Patriarchæ, & Melchioris Nunii, de quibus suo loco fiet mentio. Suis fratribus junior erat Parentum deliciæ, & corculum. Non his irretiri potuit laqueis, sed suorum fratrum imitandi desiderio clam aufugit Conimbricam. Vidente Collegii Superiore adolescentis fervorem, eum adjunxit Tyronibus 8. Junii anno 1545. Per id tempus nostri Conimbricæ mortificationes publicas agebant plurimas, & exquisitas studio vilescendi, & mundi fastum conculcandi propter amorem Domini JESU. Cæteris Sociis æmulus recens Tyro, habita majorum Facultate, induit se veste lugubri, & cinereâ, fune succinctus, pedibus nudis progreditur ad urbis forum. Rogat Socios, ceu quempiam de furciferis, ligent funibus ad infamem cippum. Protinus magnis clamat vocibus; Domine JESU Christe, qui Te in Pilati Domo permisisti ad columnam funibus devinciri, misericordes oculos ad hunc converte Populum, non ut punias, sed ut condones adversus te commissa peccata. Ad hos clamores confluxit Populus sine numero: Alii credebant insaniisse, alii putabant, de otiosis nonnullum innocenti puero suasisse hujusmodi stultitiam; sic Alphonsus triumphatâ mundi vanitate regreditur in Collegium. Paulò pòst Ulyssiponem migrat: Novum ibi, & se demittendi, & lucrandi alios invenit artificium. Petit, sibi liceat mu-

mutatâ veſte, verſari aliquo tempore inter juniores bajulos frequentes ad ripam Tagi, ut comportent ſuis humeris, & ſportis in domos civium emptam proviſionem. Factâ poteſtate, in morem, & modum bajulorum induitur veſtibus omninò ruſticis. Sibi accommodat cætera artis inſtrumenta; Sola facies ingenua eum diſtinguebat à reliquis. Igitur viliſſimæ miſtus turbæ omnium animos ſibi mirum in modum devinxit: ſuſpiciebant ut ſui ſtatus florem, & gem̃am; Facilè monenti parebant. Interim Alphonſus erudiebat Fidei myſteriis. Feſtis diebus eis ſtipatus domum noſtram adibat. Expiabant omnes conſcientiam, ſeque recreabant pane Cœleſti. Novit Alphonſus Sacerdotem deditum illicitis amoribus domi alere concubinam, adortus pravam hominis, & inveteratam abolere conſuetudinem; dum ex ſui muneris ratione ad eam domum empta defert, ſe Sacerdoti obtulit in ſervum à mandatis. Ut vidit puerum, excepta veſte rudi, cæterâ elegantiſſimum, libenter admiſit. Juſſit, novum ipſi fieri veſtimentum, quale decebat Domini locupletis famulum: Non multi dies abierant, cùm Alphonſus cæpit reprehendere Sacerdotis turpem vivendi morem. Initio ridebat, auditâ ſui Alphonſi concione: heus, ajebat: citò es oblitus ſordes, unde emerſiſti; cave, ne te ipſis iterum reſtituam. Poſtquam te conſpexiſti novâ ornatum veſte, calceis, & tibialibus, & galero excultum, repentè factus es concionator? Niſi ſilueris, ego ſcio, quo ſtipendio meum dignabor Concionatorem. Cùm nihil toties intentatæ minæ proficerent, nec ille deſiſteret à monendo; quà pugnis, quà calcibus malè mulctatum concionatorem dejicit per gradus ſcalarum, acerbiora minitans, ſi ultra ſuos ante oculos audeat comparere. Lætiſſimus adoleſcens, quod pro nomine JESU tantam eſſet paſſus contumeliam, redibat in Domum noſtram, cùm fit illi obvia Sacerdotis concubina; hîc novis ſancti zeli flammis incenſus, propius accedens, improbat vitæ licentiam, minatur ultionem Divinam, tremendos Gehennæ ignes æternùm duraturos, & quicquid miſeram deterrere poterat à vitæ turpitudine. Si reſipiſcat, DEUM eſſe infinitæ miſericordiæ, qui nolit peccantis mortem, ſed expectet dolorem de commiſſis, ut ſtricto, & paterno foveat amplexu. Eam vim DEUS Alphonſi dedit verbis; ut fœmina oculos ſolverit in perennes lachrymas, ac promiſerit ad cœnum priſtinum non amplius ituram. Poſt exutum Tyrocinium, abſolutis Philoſophiæ ſtudiis, Eboræ navavit operam Theologiæ ſub Magiſterio Bartholomæi de Martyribus, Viri præclariſſimi, & ſanctiſſimi poſtea Archi-Præſulis Bracharenſis. In Tranſtagana Provincia peregit aliquot Miſſiones magno animarum proventu. Non erat Alphonſus Vir eloquens, ſed linguæ pa-

parùm expeditæ, verum illa verba penè rudia, & vitiosâ pronunciatione insuavia, sic penetrabant auditorum animos, & corda, ut cultioribus hominibus essent magnæ admirationi hujusmodi motiones. Apparebat evidenter DEUM vim occultam addere insulsæ, & balbutiensi loquutioni, quæ multò efficaciùs versabat animos, quàm versaret oratio numeris omnibus absoluta, & ab oratore consumato dicta. Lenta Febris, ut creditum est, orta ex assiduâ, quâ se afflixit, mortificatione, Alphonsum vitâ privavit. Si mihi daretur optio, vellem potiùs Alphonsi balbutiem, quàm Ciceronis eloquentiam: hæc ex pessimis fecit pejores, illa fecit optimos ex pessimis.

P. Doctor Balthasar Alvres.

Conimbricæ anno 1630. felici exitu vitam clausit. Natus in oppido *Chaves* Diœcesis Bracharensis. Conimbricæ mundanis rebus valedixit, ac se nobis junxit 1. Novemb. anno 1578. Multis annis docuit scientias in Eborensi Academia, ubi Doctoris candido diademate est insignitus. Egit etiam Academiæ Cancellarium. Inter illius virtutes inclaruit humilitas, ceu majus astrum. Vix dici potest, quantum sit aversatus obire Magistratus. Eum Pater Generalis destinavit regendo Collegio Divi Antonii Ulyssipone: his litteris acceptis, se consideravit tam arctas conjectum in angustias, ut nihil suprà. Gemuit sortem suam tanquam funestissimam. Plenissimam mœrore suo excusatoriam epistolam ad Generalem dedit, qui videns hominis afflictionem immensam, ab onere liberavit. Hæc animi sancta demissio eò majori veneratione digna, quòd in viro litteris ornatissimo sit inventa. Utilissimus fuit Reipublicæ litterariæ, dum typis aptavit labores posthumos Francisci Suarii Granatensis. Nolis majus de Balthasare elogium, quàm quod per illum, tantus, quantus est, magnâ ex parte vivit magnus Suarius.

P. Franciscus Leite.

Ulyssipone in Domo Professa anno 1675. efflavit animam: Domo Ulyssiponensis; ibi Sociis adscriptus 15. Julii anno 1631. Mira in ipso modestia, ac laboris amor tum ad sacras conciones, cum ad audiendum confitentes. Gratissimus & nostris, & externis. Ad opitulandum miseris videbatur enatus: hos protegebat, quantum penes se erat. Ipsorum causas commendabat Regiis Ministris, ut expedirent citiùs, morantes urgebat precibus repetitis. Non illos cædebat sanctæ importunitatis. Etenim ejus charitatem venerabantur, & amabant importunas preces, propter suavem hominis genium. Morbo supremo illi erat præcipuum solatium effigies Crucifixi, quam tunc è manibus dimisit, cùm suum Domino tradidit spiritum. Fallor: nam qui sic dimit-

mittunt Christum, arctiori tenent amplexu.

DIE XIII.

P. Doctor Petrus Martins Episcopus Japoniæ.

ANno 1598. in mari vicino urbi Malacæ apud Orientis regiones celeberrimæ finem vitæ, & suis imposuit laboribus. Natus Conimbricæ; ibidem Societati conjunctus 25. Maij anno 1556. ætatis 14. Post duodecim primos sui Tyrocinii dies rursùs ad continuandum Philosophiæ studium scholas adivit. Eboræ Philosophiam, & Theologiam edocuit, ac Doctoris honore exornatus. Egit etiam Sebastiani Regis concionatorem, fuit enim ad id Ministerium è primis sui temporis in Lusitania. Regem Sebastianum in Africam secutus, fuso ac profligato Christiano exercitu, raptus in captivitatem, vincula pertulit, ac verbera. Cæteris captivis, dum inter ipsos fuit, suis exhortationibus auxit animos, ut temporis iniquitatem patienter ferrent, ac vitam potiùs mille cruciamentis laceram, quàm fidem Christi, desererent. Lusitaniæ redditus, à concionibus fuit Henrico Regi. Eo de vivis sublato, Petrus à Conventu Provinciæ Romam Procurator missus, nihil magis curavit, quàm obtinere facultatem Indiam adeundi, consulturus animarum saluti. Navigavit ad Orientem anno 1585. cum aliis nostræ Societatis. Post superatum Bonæ-Spei promontorium navis impacta brevibus *à Judea* dictis miserrimum fecit naufragium. Vix ad oram Africæ egressi sustinuerunt inter Cafros (sic vocant eam barbariem) labores incredibiles. Amisit ibi Petrus tres Socios, quos in summa rerum humanarum penuria vidit extinctos, atque sepultos reliquit in dumetis arena vix obrutos. Ipse cum uno Socio post immensos labores, & vitæ pericula ad Insulam Mossambicum ditionis Lusitanæ pervenit. Annis aliquot Provincialis in India functus munere. Tandem petente Rege, & jubente Pontifice, inauguratus est Episcopus Japoniæ: Anno 1596. 14. Augusti Japoniam ingressus, & primus fuit, qui tantâ conspicuus dignitate eas intravit regiones. Illius adventus adeò terruit Dæmones, ut inusitatis terræ motibus regna, & Insulas concusserint, ceu agitarent de sedibus suis convellere. Japonibus assuetis experiri soli, ac montium tremores, quod illis sit regio obnoxia, visi sunt hi tam extraordinarii, & supra vim naturæ, ut invaluerit apud Ethnicos opinio, DEOS Japoniæ, fractis amicitiæ legibus, & crudeli indicto bello, ruere in mutuas cædes, velleque Insulis uti pro telis. Rectiùs arbitrandum Dæmones lumine tantæ dignitatis perculsos, ac spoliatos antiquâ possessione, metuendâ significatione manifestum fecisse metum suum. Eis motibus ceciderunt Bonzorum Cœnobia magnificæ structuræ,

ræ, idola procerissimæ magnitudinis, & templa vanis dicata numinibus; sumptibus immensis erecta. Per id temporis jam defervebat persecutio, quam moverat adversus Christianos Taicozama; Illum invisit Episcopus tanquam legatus Proregis Indiæ. Postea cautissimè, ne irritaret Ethnicos, exercuit suæ dignitatis Ministeria. Dum piis incumbit laboribus, exarsit iterum rabies Tyranni: Multos Christianos, & legis Magistros impietas conjecit in vincula; damnati omnes ad mortem in patibulis subeundam. Ibant inter felix agmen tres nostræ Societatis, quos jam veneramur in altaribus. Contingebat piissimum spectaculum Nangasachii. Dum procedunt per urbis viam generosæ victimæ ad locum Martyrio destinatum; & Episcopus, & è nostris nonnulli, qui præsentes aderant, mirificè recreantur, & tantæ fortunæ invidentes Martyrii desideriis incenduntur. Arsit ante alios Episcopus, voluit in medios prosilire, existimans sui esse muneris & verbo & exemplo suis ovibus animos adhibere. Re ipsâ fecisset, nisi à nostris contineretur asseverantibus Tyrannum atrocius exacerbandum, si tale quid esset ausus. Visum est reliquis operariis commodius facturum Episcopum, si rediret ad Indiam, quæsitum tot plagis medicamentum. Jam erat in urbe Macaensi Lusitanæ ditionis in Sina, cum eò pervenit Ludovicus Cerqueira Episcopus ad Japoniam missus, ut Petrum adjuvaret, & si vitam expleret, ipsi succederet. Habito maturo consilio; deliberatum est: Iret Cerqueira ad Japoniam, Petrus reverteret Goam acturus coram Prorege de rebus gravissimis Ecclesiæ Japonensis. Ab urbe Malaca duodecim aberat milliaribus, in ea statione, quam dicunt lapidem magnum, cùm ex contracto morbo vitam absolvit, ac labores longissimis perpessos navigationibus ad augendam DEI gloriam, & curandam animarum salutem.

P. Emmanuel de Goes.

Conimbricæ anno 1593. ad Superos concessit. Natus in oppido *Portel* Diœcesis Eborensis. Ætatis 12. domum paternam deserens, fugit in Castellam studio videndi regiones alias. Ibi impendit operam latinis litteris, Rhetoricæ, ac duobus annis Philosophiæ. Reversus in Lusitaniam, à parentibus missus Eboram, ut absolveret inchoata Philosophiæ studia. Verum anhelans altiora, se mancipavit Societati Eboræ ultima Augusti anno 1560. Præclarum illi ad scientias ingenium. Latinè dicens è suggesto videbatur unus ex eloquentissimis Oratoribus. Ad repentinos eventus tam promptus, ut, qui nesciebant ejus præstantiam, crederent longum insumpsisse tempus in oratione limanda. Certè Joannes Petrus Maffæus in historiis conscribendis nulli secundus, cùm vocatus esset ad res Lusitanas

 suis

ſuis ſcriptis illuſtrandas, audito Emmanuele, dixit, mirari, quod ſe invitarent, cum domi ſuæ tantum hominem haberet Luſitania. Multis annis docuit Philoſophiam. Ille eſt præcipuus Author Curſus Conimbricenſis, apud omnes Academias celebratiſſimi. Gaſpar Goes, qui cum Petro Diaſio, & aliis paſſus eſt Martyrium, Emmanuelis erat Germanus Frater. Magnis dotibus magnas junxit virtutes, præſertim humilitatem. Non capiebatur hominum vano plauſu. Actiones ſuas ex inſtituti normis metiri ſolitus. Plus ſtuduit Evangelicæ perfectioni, quàm litteris.

P. Ruyſius, ſive Rodericus de Mello.

ANno 1663. in Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi exceſſit è vivis. Natus Helviæ in Transtagana Provincia. Ejus Parentes è primâ Regni nobilitate dicebantur Ludovicus de Mello, & Sylva, & Antonia de Sylva. Pater ducebat originem ex Comitibus Olivenſæ, Mater ex Comitibus Pratenſibus, qui ſunt hodie Marchiones ſub titulo *de Minas*. Ruyſius ſuæ Matris Filius unicus, & ampliſſimi hæres patrimonii, primos annos Matriti egit in famulatu obſequioſo Principis Margaritæ Auſtriacæ. Vix quatuordecim annos expleverat, cum transfretavit ad urbem Tingitanam in Africa per id temporis ditionis Luſitanæ, ut militaret adverſus Mauros. Annis viginti meruit ſtipendia ſub Africanis vexillis in triremibus, aut navibus Regiis. Inter militarem licentiam Chriſtianos mores non eſt oblitus; Reputavit enim nobilitate indignum vitiis contaminari. Hyemante claſſe venatu ſe exercebat, cervos, & apros occiſos imperabat egenis mendicantibus dividi. Fortè ejus conſanguineus, & amicus inſperatâ ſublatus morte peperit Ruyſio profundam triſtitiam. Hinc illi eſt ortum ingens rerum humanarum faſtidium. Induxit in animum amplecti noſtrum Inſtitutum. Eam mentem diſtulit Alphonſi Noroniæ patrui ſui novus honor. Creatus Indiæ Prorex, Ruyſium voluit itineris, & curarum Socium. Secutus patruum non ſine ſpe ſuccedendi in Magiſtratu. Ceylano Inſulæ præficitur; dum navigat unà cum Petro Morijonio noſtræ Societatis, illius commercium ſuſcitavit antiqua deſideria Societatis ineundæ; & ſe facturum promiſit, niſi novus aliquis Magiſtratus impediret, quem recuſare ſine dedecore non poſſet. Reverſus in Luſitaniam ſatisfecit promiſſis ſe tradens Societati Ulyſſipone 3. Februar. anno 1623. ætatis ſuæ 34. quod neſciret latinas litteras, voluit eſſe Coadjutor. Id Patres abnuerunt. Igitur Vir id ætatis apud nos didicit linguam Latinam, Philoſophiam, & Theologiam. Poſt hæc ſtudia emiſit ſolemnem Profeſſionem votorum quatuor. Præcipuæ fuerunt illi curæ virtutibus animam excolere. Nihil pluris fecit, quàm ſui contem-

ptum,

ptum, & abjectionem. Sæpè Ulyssipone gestavit humeris è foro publico provisionem ab œconomo pecuniis comparatam. Familiaritates Dynastarum oderat, & fugiebat, quod se compellarent honorificis nominibus, ceu non esset Societatis homo. Foras prodiens etiam Laicis ibat sinister. Magnates solùm convenit, ut solicitaret patrocinia mancipiis, & miseræ plebeculæ. Semper apud nos est aversatus obire administrationes Religionis. Sæpè ad ipsum Diplomata sua de collatis Magistratibus misit Reverendus Pater Generalis, at semper modestissimis excusationibus à se depulit. Tantùm rexit Tyrones Conimbricenses, quibus præibat exemplo. Est habitatio Tyronum loco edito; supra septuaginta scalarum gradus eô conscendendi à pavimento Collegii. Non erat, quam modo habent, cisterna ad usus ordinarios. E Collegio convehebatur aqua summo Tyronum labore: hos ut levaret Magister, antelucanis horis amphora duplici descendens ad Collegii cisternas, utramque plenam deferebat cribus, & manibus lavandis. Id exequi solitus, antequam è lectis exurgerent Tyrones. Victu parcissimus vix edebat carnis frustillum. Pisces non tetigit, nec bibit vinum. Quotidianus victus quatuor uncias non excessit. Adversùs omnes maximâ usus charitate. Religiosæ paupertatis amantissimus odio habuit, quidquid vel levissimè eam posset offendere. Obedientiæ nutibus parebat instar innocentis pueri. Nunquam se furatus injunctis laboribus. E confessionum tribunali non abiit, dum circumstetêre pœnitentes. Denique Ruysius ab omnibus æstimatus tanquam Vir DEO plenus. Vixit apud nos annis quadraginta singularibus indies virtutum resplendens incrementis.

P. Doctor Fernandus Peres.

Conimbricæ anno 1595. animam virtutibus ornatissimam exhalavit. Natus Cordubæ in Bætica. Magistrum sui spiritus habuit mirabilem Virum Joannem Avilam, quem vocant Bæticæ Apostolum. Fundaverat Eboræ illustrem Academiam Societati nostræ subjectam Cardinalis Henricus. Rogavit Franciscum Borgiam in Hispania Commissarium, concederet Magistros aliquos novam Academiam moderaturos. Non abundabat tunc hujusmodi Viris Societas. Igitur Borgia scribit ad Joannem Avilam, quid à se peteret Cardinalis: ipsum rem gratam Deo facturum, si aliquibus è suis Discipulis, qui tantam impleant expectationem, suadeat adscribi nostræ Societati, ut votis tanti Principis fiat satis, & occurratur præsenti necessitati. Re Deo multum commendatâ, Vocat Joannes Avila Fernandum, & Petrum Paulum (de quo suo loco) legit epistolam Borgiæ, hortatur, pareant invitanti Deo. Ut erat Joannes suis Discipulis instar Divini Oraculi, obe-

diunt monenti. Eboræ ſimul erant Tyrones, & Profeſſores, Petrus Scripturæ, Fernandus Scholaſticæ Theologiæ. Societati conjunctus 23. Decembris anno 1559. A teneris, ut ajunt, unguiculis Virginis ſe clientelæ addixit; quàm gratus illi foret, oſtendit eventu prodigioſo. Ad ripam Bætis, fluminis rapidiſſimi ludebat, ac diſcurrebat cum æqualibus, cùm in flumen eſt lapſus ad imum usque fundum; Penè integram horam ibi ſtetit manu apprehendens juncos, ne raperetur à fluvio. Intereà vulgatâ famâ parentes pueri concitavit ad ripam: adſunt auras queſtu complentes, cùm filiolus ridenti ſimilis, ſummâ caput extulit undâ, ac patrios quæſivit amplexus. Rogatus, quomodo ſervatus fuiſſet? reſpondit: *Fœminam ſupra modum pulchram detinuiſſe incolumem; ab eadem à fundo extractum.* Nemo dubitavit Virginem Matrem ſuccurriſſe, ne periret. Mira longo vitæ decurſu fulſit in eo morum innocentia. Vir magnæ virtutis, cui Fernandus in confeſſione omnem anteactam vitam expoſuit, teſtatus eſt, è vivis receſſiſſe cum primâ gratiâ, quâ fuerat ornatus in fonte luſtrali. Quamvis magni fieret ab omnibus ob inſignem ſapientiam, nemo ſe geſſit ſubmiſſiùs. Honores tantum eſt exoſus, quantum eos appetunt ambitioſi. Commercia, & cum ſæcularibus familiaritatem, præſertim cum Viris principibus adeò vitavit, ut ſit viſus exhorrere. Ajebat de ſe, vermiculum eſſe abjectiſſimum, & jumento ſtolidiorem. E virtutibus maximè dilexit charitatem. Cùm loco Rectoris gubernavit Conimbricenſe Collegium, ejus eleemoſynas ſecuta ſunt grandia miracula. Putabant nonnulli ob profuſam erga pauperes liberalitatem, ac fructuum penuriam, ſubmergendum contracto ære Collegium; Secus evenit. Nam poſt tot eleemoſynas triticum in horreo diminutum non eſt, & prædium Canalenſe ad oram Mondæ fluminis tanto abundavit frumento, ut nec anteà, nec poſteà illius anni æquaverit ubertatem. Infirmis ſingulariſſimè conſuluit. De nullo mortalium ſiniſtrè eſt locutus. De Sociis ajebat, omnes eſſe Sanctos, eſſe Angelos. Sæpè, ut, qui videbant, ſtultum crederent, nonnulla fatuis peregit affinia. In Sacro faciendo perenni fletu irrigabat faciem. Sudarium ſiccandis paratum lachrymis tam humidum erat poſt Sacrificium, quàm linteum de fonte nuper extractum. Vix poteſt exprimi verbis ſanctum odium, quo maceravit ſuum corpus, & contempſit. Incedebat veſte tam lacera ac vetuſta, & tegendo, ac defendendo corpori à temporum injuriis tam inutili, ut neceſſum fuerit eum monere, conſulendum decentiæ Religioſi ſtatus, moderandamque tantam ſui incuriam. Cùm, eo præſente, infirmus Sacrum Viaticum evomeret, tactus Sacramenti reverentiâ, humi ſe proſter-

ſternens, abſorbuit, ac linxit vomitum omnem, & Synaxim cum ipſo permiſtam. Morti vicinus exhortationem ad Socios habuit de charitate, dum majori conatu, quam permittebat infirmitas, eam virtutem commendat, iterans hanc vocem: *Charitas, charitas*, animam efflavit, ſtupentibus, qui aderant.

P. Chriſtophorus de Gouvea.

ULyſſipone obiit in Domo Profeſſa año 1622. longo confectus ſenio. Natus in urbe Portuenſi ex Parentibus virtute præclaris Henrico Nunio de Gouvea; de quo ſuo loco meminimus, & Beatrice Madureira, qui Franciſcum Borgiam hoſpitio exceperunt, ſuarumque domorum dederunt partem jaciendis initiis Collegii Portuenſis. Nihil æquè deſideravit Henricus, ac filios ſuos Societati adſcribere. Vix Chriſtophorus expleverat ætatis annum 14. cùm Pater ſuus eum duxit Conimbricam, noſtriſque junxit Tyronibus 10. Januar. anno 1556. Annis volventibus, multas obivit adminiſtrationes, & Magiſtratus ſummâ prudentiâ, & integritate. Præfuit Eboræ Tyronibus, è quibus in Braſilica navigatione Martyrio quindecim fuerunt coronati. Rexit Brigantinum Collegium temporibus ob rei domeſticæ penuriam anguſtiſſimis. In Comitiis Provinciæ cogitantibus Patribus de Brigantino deſerendo Collegio, quod reditus alendis Sociis non eſſent, Chriſtophorus quà lachrymis, quà ~~ſuis~~ rationibus in medium allatis, ſuaſit Patribus ſententiam mutare, ac de Deo, qui dat eſcam volatibus cæli, ſperare melius: non defuturum rebus noſtris, ſi propter ejus amorem, & animarum ſalutem inſideamus ſtationem plenam incommodis. Vanam minimè fuiſſe Chriſtophori ſpem, docuit eventus. Nam Rex Sebaſtianus, ut erat Societatis augendæ cupidiſſimus, notâ Collegij penuriâ, illi tribuit prædium, & moletrinam Sabori fluvio impoſitam Regio Fiſco addicta. Annis ſequentibus Antonius Pinerius Epiſcopus Mirandenſis, ac Dux Brigantinus aliis auxerunt reditibus, quibus abundè vivunt Socij. Collegium Divi Antonij Ulyſſipone non vetus ad radices Caſtelli, ſed novum, quod incolimus, poſt Sereniſſimum fundatorem Henricum magna ex parte debetur induſtriis Chriſtophori. Nam contradicentibus non ſolùm populo, & nobilitate Ulyſſiponenſi, ſed etiam Senioribus Domus noſtræ Profeſſæ, jecit fundamenta, atque opus eâ promovit celeritate, ut omnes conatus, impedimenta machinantium eluſerit, ac difflaverit. Agebat Socium Provincialis, cùm reſignatur Viſitator Braſilienſis Provinciæ. Eò profectus luſtravit omnia Collegia, & Miſſiones. Tum ſpiritualis res, tum temporaria crevit multum ejus præſentia, & optimis documentis firmata in tempus futurum. Revertens ad Luſitaniam, capta ab

Hæreticis nave, durum ſervitium, & injurias toleravit immodicas, donec omnium rerum humanarum egenus ad oram Cantabrici maris expoſitus, terreſtri itinere petivit Luſitaniam. Poſteà hanc eſt moderatus Provinciam, aliiſque defunctus Magiſtratibus. Nunquam ſibi diſpar, ſubditos amavit, & emendavit ut filios. Mira illi benignitas adverſus cognoſcentes, ac dolentes ſua delicta, ſemel caſtigata involvebat oblivione perpetua. Apud ipſum nihil potuit acceptio Perſonarum; hominum enim Perſonas non reſpexit, ſi aliud poſtulavit obſervantia. Propter inſignem ejus virtutem, & in rebus adminiſtrandis prudentiam, eum ad Epiſcopatum Japonenſem meditati ſunt evehere, ad quos hujuſmodi cura pertinebat, ſed hanc mentem averterunt & Patris infirmitates, & ſenectus impares tantis ſubeundis laboribus, & navigationibus.

DIE XIV.

P. Emmanuel Duarte.

EBoræ anno 1634. naturæ ſatisfecit. Natus in pago à ſancto Mantio agri Eborenſis. Ad Societatem venit Eboræ 6. Martij anno 1598. Fulſit ingenio præclaro. Docuit præter humaniorem litteraturam Philoſophicas ſcientias. In Magiſteriis progredi non potuit ob importunos morbos, qui tam felix ingenium Cathedris inviderunt. Sui demiſſio ſemper illi fuit in deliciis Quærebat abjectiora Domûs officia Culinæ mundandæ, catinis, & olli fricandis erat aſſiduus. Eboræ jan Sacerdos tanto tempore egit Col legij janitorem, ut omnibus fueri venerationi ejus humilitas, & cha ritas. Non ſinebat pauperem ullun ſtipe vacuum à noſtro limine diſce dere. Voluit Pater Provincialis ut iret Romam ad navandam ope ram Theologiæ. Obſtitit Eborenſi Rector, dicens, nolle ſuam Academiam tanto ingenio fraudari, nec tanto exemplo ſuum Collegium. Cæleſtium commentationibus nihil ejus animæ dulcius. Viſus inter orandum à terra ſublimis. Quanquam laboravit tot morbis, non dies ulla fluxit, quin flagello corpus ſuum caſtigaret. Jejunio penè quotidiano ſe extenuavit. Qui ſupremo correptum morbo induxerunt lecto, invenêre cilicio præcinctum.

DIE XV.

P. Franciſcus Antonius.

MAtriti anno 1610. in Domo Tyronum diem obivit. Natus Ulyſſipone. Conimbricæ anno 1558. additus Societati, ætatis anno 13. cum in Academia jus civile biennio docuiſſet. E Luſitania miſſus eſt ad Sardiniam cum Patre Balthaſare de Pina, poſiturus fundamenta Collegio Saſſaritano. Laboravit multum, & indefeſsè in ea Inſula. Romam

vocatum præfecerunt Tyronibus Magiſtrum. A confeſſionibus fuit Edmundo Campiano Societatis in Anglia Martyri illuſtriſſimo. In Auſtria habitans Viennæ audiebat confeſſiones noſtri Stanislai adoleſcentis ſanctiſſimi, quem jam in altaribus colit orbis Chriſtianus. Franciſci conſilijs, induxit animum, relictis divitiis paternæ domûs, Deo ſervire in Societate. Per Germaniam novis hæreſeos infectam monſtris diſcurrit ad conſervandos Orthodoxos, & confundendos novitatum ſectatores. Princeps Maria Auſtriaca Philippi Regis ſoror multûm eſt uſa Franciſci Conſilio. Triginta & ſex annis illi fuit à concionibus. Eadem Princeps in Hiſpaniam legavit acturum magni momenti negotia apud Philippum Regem hujus Nominis Secundum. Migrans Maria Princeps è Germania Matritum Franciſcum voluit animæ ſuæ moderatorem. Cùm Joannes Borgia donavit Reliquiarum ditiſſimum theſaurum Domui Profeſſæ Ulyſſiponenſi, Franciſcus Ulyſſiponem usque comitatus eſt ſacra Lipſana. Vixit poſtremis annis in Tyronum domicilio, ut ipſe ajebat, quo ſe ad mortem accuratiùs compararet. Diverſos libros animarum utiles ſaluti compoſuit, & typis vulgavit.

Gaſpar Nunius Coadjutor.

Conimbricæ anno 1651. ad convivendum Angelis properavit. Natus in oppido Villa Regali Diœceſis Bracharenſis. Conimbricæ Societatem amplexus 4. Julij anno 1592. ætatis anno 25. Valdè affectus erat erga ſpirituales exercitationes. Unâ die quatuordecim audivit Sacra, Deoque obtulit omnia pro ſanctis animis luſtrali flammâ ſua purgantibus commiſſa. Cùm è noſtris quilibet theſes defendebat, vel ſubibat examen litterarium, id tempus orando conſumebat Gaſpar, ut Sociis hujusmodi Deus præſens foret, ac propitius. Pervigilio Divi Mauri in nudis lecti tabulis capiebat ſomnos. Morti proximus rogavit infirmarium, ut amotâ culcitrâ, ſineret corpus brevi terræ mandandum ſuper duras tabulas jacere. Sæcularem adhuc à præſentiſſimo periculo Deus liberavit, cùm enim lapis multæ magnitudinis è montis cacumine devolutus rectà ad eum iret præceps, occultâ manu detentus in loco declivi Gaſparem reliquit omninò immunem exitij.

Joannes Rodrigues Coadjutor.

Deceſſit è vita Conimbricæ anno 1634. Natus in oppido Sarſa Caſtellanæ ditionis prope Regni confinia. Scholaſticus, ut eſſet, ad nos venerat, ſed inſanabili contracto morbo, cùm malum nullis poſſet vinci remediis, iterum miſſus ad patrium Cœlum. Poſt annos aliquot recuperatâ valetudine, ad Societatem applicuit animum. Tan-

tæ erat humilitatis, ut precatus ſit, cooptarent ad gradum Coadjutoris temporalis : id laudabilius, quod, cum eſt dimiſſus, dabat operam Philoſophiæ. Maximi fecit ſuum gradum. Nunquam ullis excuſationibus ſe labori ſubtraxit. Togam pullam induebat ſolum ad excipiendum cæleſtem panem; eo ſumpto, veſtiebat iterum talarem togam ejus coloris, quo gaudent Tyronum veſtes in Luſitana Provincia, is eſt nativus lanæ nigræ ſine fuco ullo. Neſcivit loqui verba otioſa, nec violare ſilentium, nec tempus terere deditus otio inutili. Quærebat ipſemet fatigationes corporis, & laborem, ne vacuum operis Diabolus inveniret. Religioſa paupertas, tam nota omnibus erat Sociis, & imitatione digna, ut ſi quis vellet ſignificare Religioſum paupertatis amantiſſimum, id exprimeret dicendo : Eſt alter Joannes Rodericius.

Emmanuel Reſende Scholaſticus.

ANno 1691. Conimbricæ pio defunctus obitu. Natus Ulyſſipone. Legens vitam Divi Antonij Archimandritæ rebus humanis ſtatuit valedicere. Id executus ſe Societati adjungens. Obedientia in eo cæca, quæ quidem eſt oculatior. Miniſter Domûs Probationis juſſit Emmanueli Præfecto triclinij ſingulis in menſa poneret par ceraſorum. Eo loquendi modo volebat ſignificare catillum plenum, ut moris erat. Hærens verbo Emmanuel duo tantum ceraſa in unoquoque catillo depoſuit. Rogatus cauſam, nihil aliud reſpondit, niſi Superioris fuiſſe imperium, ut par ceraſorum daretur ſingulis Sociis : obedientis eſſe, clauſis oculis, ac ſuo diſcurſu contempto, ne latum unguem à præſcripto diſcedere. Poſt biennium, quas ſcribebat epiſtolas, erant pleniſſimæ verbis ſanctis, ac ſalutaribus, ut plerumque ſunt, cùm ex abundantia cordis os Deum loquitur: acceptas à conſanguineis pecunias, non ſuis applicabat uſibus, ſed mendicis dividebat. Sibi nunquam indulſit. Eſcas reddebat inſulſas aquâ frigidâ ſuperinfusâ. Ab eduliis exquiſito ſapore conditis prorſus abſtinebat. Quando flexus in genua ante Deum orabat, fatigatus ex longo temporis ſpatio, ſurgebat, ſtabatque uno ſuſpenſo pede in aëre, altero tantum ſuſtinens corpus. In verbis proferendis cautus, & attentus fuit, ne quempiam mortalium læderet. Eboræ pactus eſt cum alio Socio, ut qui prior è vivis abiret, appareret alteri, ſi per Divinam liceret voluntatem. Alius è medio ſublatus prior, obtulit ſe videndum Emmanueli compoſitus in feretro, eo modo, quo tumulo fuerat illatus. Tunc intellexit, funus quoque ſuum imminere. Lentâ febri cæpit contabeſcere : migravit Conimbricam, an ibi foret cæli temperies morbo ſuo clementior, verum ingraveſcens eâ mu-

mutatione tabes, eum brevì consumpsit.

DIE XVI.

P. Doctor Ludovicus Cerqueira Episcopus Japoniæ.

ANno 1614. Nangasachii in Japonia ad Cœlos conscendit. Natus Alviti Diœcesis Eborensis. Tyronum adscriptus domicilio Eboræ 14. Julii anno 1566. Vir fuit ad litteras ingenio celso, & præstantissimo. Suis Magisteriis Eborensem illustravit Academiam: docebat Theologiam, cùm designatus est Episcopus, Petro Martinio (de quo jam meminimus) successurus. Jam nominatus erat ad eam dignitatem, cùm accepit lauream Doctoralem, celebritatis patrono Alexandro Brigantino Principe. In ipsa gradus collatione Theotonius Archi-Præsul Eborensis, detraxit è suo digito annulum pretiosum, quem dedit inserendum digito novi Doctoris. Ab eodem Archi-Episcopo inauguratus maximâ solemnitate, & sumptu. Ut fuit Theotonius specialiter affectus, & liberalis erga Missionem Japonensem; præter expensas factas è suo, cum inauguravit Ludovicum, contulit abundè, quæ ad longam navigationem opus erant. Vela solvit ad Indiam anno 1594. Pervenit Macaum in Sina, quo tempore illò accesserat Petrus Martinius unà cum aliis Japonensis vineæ operariis ejectus in exilium. Rem consultantibus placuit, ex Episcopis Petrum Goam, Ludovicum cum Alexandro Valignano Societatis Visitatore in Japoniam proficisci. Quinta die Augusti anno 1598. tenuit Japoniam. Ipsa die Taicosama Christiani nominis persecutor acerrimus subitâ vi mali, quo decumbebat, impetitus vix mortem evasit, quâ tandem est sublatus sequenti mense. Eo defuncto respiravit Japonensis Ecclesia. Præsuli fuit opportunitas lustrandi cautè, & animandi Neophytos. Impetravit aditum ad novum Imperatorem, à quo honorificè acceptus. Revertens Nangasachium ibi fixit sedem, ut in loco suis Ministeriis aptiori. Ordinavit res omnes ad cultum Divinum pertinentes. Celebrabantur Nangasachij Divina Officia tantâ Majestate, pompâ, & apparatu, ut multi Ethnici videntes, & per ipsasmet cæremonias illis Deo loquente nostram fidem sint amplexi. A Nangasachio per finitimas excurrebat Insulas sui muneris partibus satisfaciens. Ne sumptui, aut ulli foret molestiæ Neophytis, die navicula egrediens obibat Ministeria, vesperi se ad eam recipiens ibi pernoctabat. Ab anno, quò Japoniam ingressus, ad ipsius mortem crevit multum Japonensis Ecclesia. Post ejus obitum exortæ magnæ turbationes, & Evangelici Præcones exterminati; dum vixit, onera sui muneris sustinuit instar Præsulum singularium virtutum. Lusitanis mercatoribus prohibuit deferre tan-

quam venalia mancipia Japones, quod ſolebant ſine ullo Dei timore. Extorres è ſuis patriis ob retinendam fidem, juvabat eleemoſynis, ne rerum penuria laborando in ſanctis propoſitis frigeſcerent. Quod ſpectat ad ejus mores, nihil habuit antiquius, quàm illibatam ſervare conſcientiam. Antequam aliquid aggrederetur, perpendit accuratiſſimè, num lateret ibi vel minima divinæ Majeſtatis offenſio, ut ſibi caveret. Superiores Societatis præſertim Generalem coluit, ceu ſub eorum eſſet imperiis. Verbum otioſum, vel quod aliûs bonum nomen percelleret, ex ipſo non eſt auditum. Quamvis multa polleret ſapientiâ, & in rebus adminiſtrandis prudentiâ, priusquam ſua vulgaret diplomata, ſubjiciebat aliorum judicio, & ſententiis. Nihil eum mutavit honor Epiſcopalis. Illum vitæ conſervavit tenorem, quem didicerat in Collegiis. Familia domeſtica videbatur Societatis Collegium; ad res peragendas habebat eandem, quam nos, temporum diviſionem. Ipſemet docebat ſuos Sacerdotes eam Theologiam, quæ ad mores pertinet. Multos ſcripſit libros plenos doctrinâ, & bono communi utiliſſimos. Quantùm conjici potuit, illius morbus poſtremus traxit originem ex nimiâ animi ægritudine, quâ ſupra modum eſt afflictus, quòd in diverſis Japoniæ regionibus crudeſcerent adverſus Chriſtianos perſecutiones. Munitus extremam ad luctam Eccleſiæ ſubſidiis obdormivit in Domino. Servavit mentem integram ad ultimum usque animæ proficiſcentis anhelitum. Ingens fuit omnium Neophytorum, & bonorum omnium dolor in ejus morte. Magna pompa, & funebris apparatus exequias honeſtavit.

P. Hieronymus Rodrigues.

Conimbricæ anno 1591. naturæ conceſſit. Natus in urbe Portuenſi. Nomen dedit Societati Conimbricæ 18. Decemb. anno 1564. Religioſus ſolidarum virtutum ab omnibus, qui noverunt, ſemper eſt habitus. Mortuo Henrico Luſitaniæ Rege, cùm injunxiſſet ſucceſſori ſuo, pro ſe mitteret ad loca ſancta Virum unum Religioſum, Philippus Secundus Caſtellæ Rex, Hieronymum pro Henrici anima, & Balthazarem Diaſium Coadjutorem pro Sebaſtiani Regis anima deſtinavit itineri conficiendo Hieroſolymam. Ex viſu, & contemplatione monumentorum Dominicæ Paſſionis adeò ſunt illius animo impreſſa patientis Domini Martyria, ut reliquis vitæ annis vix aliud potuerit cogitare, aut loqui.

Franciſcus de Andrade Scholaſticus.

Anno 1569. Conimbricæ Angelicis Choris additus. Natus in oppido Scalabitano Diœceſis Ulyſſiponenſis. A Parentibus inſtitutus ſanctiſſimis moribus, & ſtudiorum causâ miſſus Conimbricam. Illius pie-

pietas præſertim in adjuvandis moribundis admirabilis enituit. Ubi erat illi notum, aliquem in firmum, deſperatâ ſalute, eſſe inprocinctu ad æternum iter, ſumptis ſub pallio Crucifixo, candelabris, & cereis, duobus, eum conveniebat. Adornabat coram Altare, Crucifixo erecto, & ſuccenſis cereis. Nox verbis ſuaviſſimis animabat ad ſupremum conflictum. Hujusmodi charitas in Scholaſtico ætatis teneræ tam erat perſpecta parœciæ curioni, ut poſt inunctos oleo Sacro infirmos, moneret domeſticos, vocarent Scholaſticum Sanctulum, ad piis alloquiis juvandum, & conſolandum infirmum. Expleto 14. ætatis anno, ſe tradidit Societati Conimbricæ 25. Novemb. anno 1566. In Tyrocinio magnos fecit in virtute progreſſus. Sesquianno habuit particulare examen de conformitate cum voluntate Divina; hanc plenè obtinuit. Magiſtro conſcientiam explicabat extra confeſſionem tantâ ſinceritate & perſpicuitate, ut ipſe Magiſter aſſeruerit, ſe Franciſci animam tam clarè intueri omnem, ut videri ſolent atomi in vitro lymphis pleno, & expoſito ad ſolares radios. Ajebat innocens Tyro, ſibi nihil accidere moleſtiùs, quàm conſpicere Superiorem ſuum affectum triſtitiâ; ſecum enim reputabat dediſſe ipſum mœrori cauſam. Idcirco defectus alicujus commonitus, iterum non commiſit. Quæ ſibi erant curæ, munda omnia, & ſuis repoſita locis facilè indicabant, cui eſſent injuncta. Magnopere deſideravit ab omnibus contemni, & peſſumdari. Poſt biennium cæpit laborare ſanguinis vomitu. Potiones inſuaviſſimas, ſed mitigando malo neceſſarias, ceu nectar, aut ſapidiſſimum edulium hauriebat, aſſeverante infirmario eas ſibi præbenti nauſeam movere. Conjiciebatur à circumſtantibus, id animoſius ab eo agi, ut reluctantis naturæ impetus effringeret. Cùm certiorem fecerunt de mortis viciniâ, nihil eo nuntio turbatus; imo magnis animi jubilis tum de morte, tum de æternitatis itinere ſermones miſcebat. Interrogatus, cujusnam virtutis exercitium ſibi tunc afferebat majus ſolatium, reſpondit: Obedientiæ. Poſt Paſſionem & Chriſti merita, præcipuè confidebat in exercitio ſanctæ obedientiæ, quam æſtimabat tanquam ſuæ ſalutis anchoram Sacram. Cùm ſermones injiciebantur de gloria, hilaris ridebat præ gaudio. Urebatur intenſis expirandi deſideriis. Ah, ſi jam, exclamabat, eſſet hujus vitæ confectum iter! Suadente illi Sacerdote, offerret Deo ſuos dolores in ſatisfactionem commiſſorum; reſpondit, ſe nolle eos ferre, niſi purè propter amorem Dei. Totus hujus morbi decurſus tot fuit inſignitus dictis, ac factis adoleſcentis Angelici, ut Emmanuel Alvarus Grammatices Arte notiſſimus, at virtutibus apud nos præclarior, affirmaverit,

ſe quid mirabilius non vidiſſe. Tandem à nobis exceſſit morte ſuaviſſimâ: poſt eam tantus fervor Collegium incendit, ut non defuerit, qui dixerit, ſibi videri Angelos deſcendiſſe de cælo ad habitandum Collegium. Certè Vir ille omni laude præſtantior ob virtutes & litteras Petrus de Fonſeca Collegij Rector ad Franciſcum Borgiam Societatis Præpoſitum Generalem ſcripſit: Ex quo jacta Collegio fundamenta, neminem in eo demortuum, qui æquè commoveret ad virtutem omnium animos, atque Franciſcus. Citra dubium ex iis fuit, qui brevi conſummatus, multa, ut ait Scriptura, explevit tempora.

DIE XVII.

Sebaſtianus Fernandes Coadjutor.

ANno 1627. Conimbricæ vocatus ad feliciorem patriam. Natus in oppido Labunde Diœceſis Portuenſis. Conimbricæ in Societatem cooptatus 1. Maij anno 1566. Verè fuit Sociorum ſui gradus exemplar. Ter flagrantibus populis incendio peſtis, Sebaſtianus ſuppetias tulit miſeris, vitæ contemptor egregius. Non ſine miraculo evaſit ſoſpes, & illæſus. Multis annis egit Collegij Pharmacopolam. Medicamenta parabat infirmis, tanquam ipſimet Chriſto. Uſque ad annum ætatis 83. quo ſolutus corpore, ſecutus exactè communem vivendi morem: nec admiſit ſingularitates, aut privilegia concedi nonnunquam ſolita annis emeritis, & ſenectuti decrepitæ. Præſcivit obitûs ſui diem: affirmavit eventurum Feriâ quartâ Cinerum, ut revera contigit.

Gaſpar de Reys Coadjutor.

IN Domo Tyronum Ulyſſipone anno 1694. è vivis exivit. Natus Tondelæ Diœceſis Viſenſis. Societati conjunctus 7. Auguſti anno 1644. Quamvis externis laboribus ex obligatione ſui gradus inſudavit, rebus Divinis adjecit impensè animum. Delectabatur lectione ſpiritualium librorum, præſertim aurei libelli *Contemptûs mundi*, quem totum memoriter tenebat, ac repetebat. Septem vel octo vitæ poſtremos annos tranſegit cæcus ad res humanas conſpiciendas, verum oculatus ad contemplanda divina. Tempus inſumebat audiendo Sacra matutinis horis, veſpertinis orando. Hilari animo tulit cæcitatem; eam, ut beneficium à Deo collatum, amavit. Suis ſermonibus cæteros æquè ſuccendebat, atque animabat ad ſtudia virtutum. Frequenter pro re nata citabat ſententias, & verba *Contemptûs mundi*: hunc libellum ſolebat vocare pabulum animæ, & Manna cæleſte. Quotidie è Tyronibus aliquis ipſi unum, vel alterum legebat ejus libri caput; quod ille rogavit ſibi fieri tum animæ recreandæ, tum causâ libri in memoriâ conſervandi. Si Tyro per negligentiam truncavit ſententiam, aut pe-

eriodum, aut minus rectè pronuntiavit, emendabat referendo ipsa verba, ut erant scripta. Redeuntem in cubiculum, acceptâ Sacrâ Synaxi, & gratiis Deo habitis, subità morbi petitus incursione cecidit moribundus, & biduo tantùm apud mortales fuit.

DIE XVIII.

P. Joannes Cardim.

ANno 1615. ornatissimus meritis, ac virtutibus diem obivit Braharæ. Natus in oppido Turris *de Moncorvo* Transmontanæ Provinciæ: ubi Georgius Cardimus Joannis Parens agebat Regium Provisorem: am hujus nobilissimæ familiæ sees, ac solum Natale est oppidum Viana Diœcesis Eborensis. Idcircò oannis vitæ scriptor civiles secutus eges, quæ jubent filios Ministrorum Regis natos in locis, ubi ad temus Præfecturas exercent Parentes, censendos venisse in lucem, ubi Parentes sedem habent fixam, Joanis dicit patriam oppidum Vianam. epererat jam uxor sua Georgio fias quatuor. Altè dolebant nobis, conjugati carere prole mascula. Quo fierent voti compotes, promittunt Divo Joanni Baptistæ erecturos Sacellum in oppido Campo majori Catharinæ Georgii Uxos patriâ, si filium sibi à Deo imperaret. Precantes audivit Deus, & acellum ædificatum. Sentiens Mater se partûs tentari doloribus, imperavit accendi lychnum pensilem ante aram Virginis in templo, ac fieri Sacrum. Dum celebratur, editus in lucem puer hilaravit parentes, & oppidanos, quibus Georgius erat acceptissimus. Accurrerunt nobiles Georgio domûs felicitatem gratulantes. Parochus jussit læto tinnitu pulsari campanas, ut esset omnibus comunis lætitia, ac plausus ob recens natum infantem. Ablutus fonte lustrali die S. Spiritui dicata. Nomen illi Joannis inditum in hominem Divi Patroni. Brevi est in mœrorem conversa Parentum lætitia. Ægrotavit puer; desperatum est de ipsius vitâ, & multis persuasum penitùs expirasse. Incredibili transfixa dolore Mater, convolat ad templum, & Sacrosanctæ Virginis patrocinium, procurat immolari cælestem Hostiam; dum Sacerdos elevat Calicem, afflata divinitùs mulier, Deo ac Virgini consecrat prolem suam, si dent incolumem. Statim firmissimam concepit spem, Joannem suum non moriturum. Domum revertenti fit obviam ipso in limine Georgius, & vix se capiens præ lætitia: *Vivit, vivit*, inquit, *Joannes, & quidem extra periculum.* Ubi primum per ætatem licuit institutio, sanctissimis est eruditus moribus, ac documentis. Valdè fuit propensus donandæ pauperibus stipi. Si quis egenus ad ostium mendicabat, puellus ad matrem currens precabatur sibi eleemosynam tradi, pau-

peri

peri ut ipſe porrigeret. Annis volventibus, Georgius Portuenſis curiæ deſignatus Senator, eam in urbem migravit; ibi Joannes auſpicatus Grammatices ſtudia. Graviſſimo decumbens morbo ſe voto obſtrinxit, Societatem noſtram ingrediendi. Recuperatâ valetudine, Georgius Ulyſſiponem vocatus creatur Senator, ut vocant, *à Supplicatione*, Joannes in ſcholis noſtri Collegij continuavit litterarum ſtudia; plus tamen applicabat animum orationi, & libris aſceticis legendis. Quindecim natus annos gratiâ navandi operam altioribus ſtudiis miſſus eſt Conimbricam. Per id tempus pungi cor ſenſit deſiderio ſatisfaciendi voto de ineundâ Societate, quanquam eo non teneretur: ſuaſione noſtrorum, quos conſuluit, depoſuit hanc mentem. Obtenderunt enim virium imbecillitatem. Incubuit Juri Pontificio: Frequentabat confeſſionis, & Sacræ Communionis Sacramenta: Prælucebat cæteris Scholaſticis exemplo. Nihil enim in ipſo eſt viſum, quod ſenilem maturitatem, & ſanctum pondus non præ ſe ferret. Dum prandebat, vel cænabat, legebat famulus ſpiritualem librum. Ex ipſius ore auditum non eſt verbum ſcurrile, aut minùs modeſtum. Quoties Venerabile ferebatur ad infirmos, comitabatur. Quotidie flagello tundebat corpus. Ob has, & alias inſignes virtutes ſe Deus multum adoleſcenti infudit, ac cæleſtium fecit participem. Tandem illi placuit, Joannem totum avocare à ſtudiis humanarum rerum ſequenti eventu. Vacaverat in Collegio Divi Pauli locus novo Collega ſupplendus. Ad obtinendum eum honorem, & lucrum fit concurſus, & Candidatorum exploratur ſcientia, ut conferatur digniori. Patruus Joannis Collega ejuſdem Domûs Sobrino perſuaſit, ſubiret examen cum cæteris, pro comperto erat, nec virtute, nec litteris, aut nobilitate Joannem ab ullo æquari Candidato. Tantùm erant cæteri antiquiores in Academia & ætate. Eas rationes cauſatus Joannes, modeſtâ excuſatione Patrum curavit ab ea ſententia dimovere. Verùm ille præter Joannis dotes amicorum favoribus, & ſuffragiis fidens, juvenem impulit aleam tentare. Non fefellit Joannes expectationem patrui. Reliquos antecelluit. At quæ, & quanta eſt Academicorum verſutia, & malitia vel ad fallendos amicos. Facilè promittunt, faciliùs imponunt. Neſcias, quomodo teneas hujusmodi Protheos. Amici, qui ſuffragium promiſerant, fuerunt primi, qui promiſſo non ſteterunt; idcircò alius in eum locum ſuffectus. Ut erat Joannes celſo animo, rerum humanarum contemptore, altior his fortunæ ludibriis, eam injurioſo proterens pede, & Academicum faſtum; valedixit Conimbricæ. Reverſus Vianam, ubi adhuc vivebat ejus Mater, curas omnes impendit re-

rebus Divinis. Cùm ibi Sacram haberet miſſionem Leo Henricius, Vir multæ Doctrinæ & exempli, de quo 12.Novembris præclara fit mentio, cum eo Joannes vitæ ſuæ tenorem communicavit, ac tandem decrevit JESUM ſequi in noſtra Societate. Nondum Sacerdos erat, quamvis cuperet ita ſe noſtro cætui conjungere, aliud eſt viſum Societatis Moderatoribus. Dum exſpectat Româ Pontificium Breve, ut paucos intra dies Sacris initietur, moratus Conimbricæ in domo ſororis ibi nuptæ. Tandem Sacerdos effectus, ne ſorore quidem ſuâ id ſciente, 23.Junij anno 1611. Tyronibus adſcriptus. Intrans eorum domicilium, provolutus in genua, ſolum oſculatur, pronuncians illud Davidicum: *Hæc requies mea, hic habitabo in ſæculum ſæculi, quoniam elegi eam.* E generoſis adeò initiis, & perfectionis Evangelicæ fundamentis facilè prudens quisque conjiciet, quos Joannes habiturus eſſet progreſſus. Inundabat lætitiâ incredibili. Sæpè Deum alloquens, illud Augustini uſurpavit: *Serò te cognovi, pulchritudo tam antiqua.* Paucis explicari non poteſt, quantum ſibi indixit bellum. Nullas unquam corpori conceſſit inducias. Primum fecit Sacrum die S. Ignatij in Sacello Tyronum. Fluxerunt oculi ſuaviſſimis lachrymis, hæ ſemper ſunt comitatæ operantem Sacris. Nactus Magiſtrum Tyrocinij Didacum Monterium, virtutibus præſtantiſſimum, & in eo genere Magiſterij nemini ſecundum. Neceſſum fuit Monterio ſpeciales adhibere curas non ad ſtimulandum Tyronem, ſed ad coërcendum. Nulli ſatiabant rigores. Humiliora exercitia, & officia erant illi magis grata. Culinam adiens quærebat viliſſima Miniſteria, quæ vel mancipiis eis aſſuetis ſolebant movere horrorem. Nihil avidius optavit, quàm ad Indiam mitti, aut, ſi huic deſiderio ſatis non fieret, deſtinari moderando puerorum infimo Gymnaſio, ut Conimbricenſis Academia videret, quàm parvi faceret ejus nobiles Cathedras, quibus anteferebat ludum puerorum prima Rudimenta diſcentium. Poſt menſem decimum tertium coactus ire Bracharam ad ſtudendum Philoſophicis diſciplinis; ibi tum à noſtris, cum ab externis ſuſpici, & coli cæpit, ut Vir heroicæ Sanctitatis. In Gymnaſio non elevavit oculos, niſi ad crucem è pariete pendentem. Sermones cum externis Scholaſticis aut erant de rebus ad litteras, aut pertinentibus ad ſalutem animæ. In oratione videbatur infatigabilis. Nocte proximâ diei, qua nuncupaturus erat vota biennij, quinque integris horis, & quidem continuatis ante Sacramentum oravit flexis genibus. Vota ſuo ſcripta ſanguine condidit in crumenula, quam ſemper duxit de collo pendentem. Quod mentem gereret intus collectam, obſervavit exactè ſilentium. Bracharæ antequam offa poſt Sociorum pran-

 dium

dium divideretur mendicis, eos docebat fidei Myſteria ad januam Collegij. Coram Superioribus caput nunquam texit; ſtabat demiſſis oculis, manibusque in pileo compoſitis. Foras egrediens inviſebat carcerem, & noſocomium, infirmorum ſternebat lectos, & curabat ulcera. Noctu ſi januæ tintinnabulum audivit, ſine mora ſurgens ſe dabat obvium janitori, qui diceret Collegij Miniſtro, promptum ſe, ac expeditum ad excipiendam infirmi confeſſionem, vel opitulandum moribundo. Per vicinos pagos diſcurrit Concionando, & audiendo confeſſiones, magnâ populorum utilitate. Id Miniſterium longè illi ante cætera fuit acceptiſſimum. Infinitus eſſem, ſi vellem ad ſingula virtutum exempla deſcendere. Sit ſatis dicere, nullam fuiſſe, in quam non ſtuduerit ſummâ contentione. Cæpit tandem inflammari ardentiſſimis moriendi, ac videndi Deum deſideriis. Certior à Deo factus eſt de propinqua morte, ut ex ipſius dictis, & factis conſtitit. Duodecimâ Februarij, cum nulla adhuc forent indicia morbi venturi, ſe flagello verberavit acerrimè, & tanto temporis ſpatio, ut accurrerint Socij, piamque impediverint crudelitatem. Sequenti die, celebrato abundantiſſimis lachrymis Sacrificio, ac de more gratiis Deo actis, ſe lecto & Medicis tradidit. Ubi decubuit, miſit, qui referret Miniſtro ſtatum ſuum. Veniens ſtupuit, oculos ad infirmi lectum conjiciens. Etenim innumeri pediculi, quam exuerat togam, operiebant, & obruerant lodices. Par miraculo eſt viſum, quod potuerit inter tantum, & tale tormentum vivere. Cùm juberet Miniſter novum parari lectum, abigique importunitatem illam, rogavit infirmus, ſibi permitteret eas inter ſordes jacere, quas æſtimabat tanquam gemmas. Affirmantibus Medicis periculum non imminere, reſpondit verbis diſertiſſimis ſe mori. Brevi malum innotuit, & Medici periturum non dubitarunt, idque denuntiatum infirmo. Tunc ex eo quærenti, ac ſciſcitanti, ſentiret ne moriendi pœnam ac dolorem, reſpondit: unicus mihi dolor eſt, quod tamdiu mors differatur. Confeſſione, Viatico, ac inunctione Sacra piiſſimè ſuſceptis, id mirum fuit, quod ne unam quidem lachrymam emiſerit, cum omnibus conſtaret, lachrymas illi fuiſſe ſpeciale donum Dei. Natabat in vultu lætitia, & ſuavis hilaritas. Cùm videret Socios, qui aderant, lachrymantes, rogavit, à fletu abſtinerent, potiùsque gauderent ſuâ ſorte: adjecit, eos ſe Deo commendaturum in cælis. Nec dictum, aut factum ullum his diebus ſine exemplo fuit. Propior morti effuſis lachrymis, quas morbi tempore tunc ſolùm profudit, enixiſſimè poſtulavit à Patre Rectore, juberet, corpus ſuum vel induſio ſpoliatum dejici nudum in nudam humum, ut inſtar Domini JESU morien-

rientis in Cruce expiraret nudus. Existimans suis subscripsisse votis, gratias habuit amplissimas. Postea per suum Confessarium ab eo est precatus, ut post mortem cadaver suum conderetur in Collegij latrina, nec id putarent insolitum: nam sanctissimus Parens Ignatius corpus suum in sterquilinium mitti poposcerat. Hæc obsecravit per Christi plagas sanguine manantes. Loquendi vim habuit integram penè ad ultimum anhelitum. Compellabat Crucifixum alloquiis mirâ delibutis suavitate, hunc tenebat manu, complectebatur, admovebat ori. Illud evenit prodigiosum, quod ubi spiritum efflavit, simulacrum Domini, è cruce, quod Sacerdos manu erigebat, cecidit super os, & Joannis faciem, relictâ cruce sine simulacro in manu Sacerdotis. Maximæ id fuit omnibus admirationi. Nam clavi securam à lapsu reddebant effigiem, nec postea suo potuit reponi loco; nam brachia inventa sunt longiora, nec foramina palmarum correspondebant crucis foraminibus, & locis clavorum, quod humanitùs non potuit accidere. Ad præsentem diem hujusmodi simulacrum conservatur singulari veneratione in Collegio Bracharensi, ne tanti prodigii abolescat memoria. Vultus illi post mortem lætus, & gratus videntibus. Corpus repertum plagis, ac vibicibus ulcerosum ob continuas, & acerbissimas flagellationes. Ubi est mors vulgata; ingens ad Collegium concursus, & magni impetus facti ad spoliandum suis vestibus cadaver: vix enim ab hujusmodi piis injuriis defendi potuit. Res omnes, quibus usus fuerat, avidè sunt petitæ, ac divisæ, tanquam reliquiæ Viri sanctitate insignis. Eodem momento, quò Bracharæ mortuus, Vianæ se conspiciendum obtulit Matri suæ, cui dixit: *Se jam in cælis esse, propterea gratularetur sibi, quando tantùm amasset vivum, & cui fuisset magna ex parte causa felicitatis obtentæ.* Joannis virtutem multa post mortem confirmarunt miracula; quæ, & ipsius raræ virtutis exempla juridicis sunt comprobata testimoniis, ut summus Pontifex eum in Divos referat.

P. Emmanuel Fernandes Martyr.

EBoræ anno 1555. Martyrio insignitus è vivis excessit. Natus Tinge Cæsarea, dum fata, Deusque sivit, Lusitanorum coloniâ in Africa. Dici potest, cùm ipso exortam virtutem charitatis. Tres annos non superaverat, cùm egenis ad ostium stipem rogantibus dabat, quidquid ad manum erat. Si videbat dimitti pauperem vacuum, effundebatur in lachrymas, nec cessabat fletus, nisi vocarent, ac donarent stipe mendicum. Majusculum ætate misit pater in debitoris domum, ut postularet debitam pecuniam, cum reperisset nimia rerum laborare penuria, domum regressus oravit à patre, ut pauperi condonaret debita omnia

nia, & ſimul reſtitueret chirographa cautionis. Repugnante patre, adeò eſt contriſtatus, ut ab omni cibo & potu abſtinuerit: nec priùs ſumpſit, quàm parens ipſi geſſit morem. Latinis litteris animum applicuit, ac minoribus initiatus ordinibus. Defuncto patri ſuperfuit mater, & ſoror unica. Emmanuel occultos ſenſit ſtimulos ad Luſitaniam migrandi daturus operam ſtudiis neceſſariis ad Sacras conciones peragendas. Matrem enixè rogavit, per eam ſibi liceret mutare ſolum; adjecitque futurum ſe Concionatorem, quamvis Dæmonem pœniteret. Annuit votis filij, poſthabitâ ſuâ, ac filiæ orbitate. Ulyſſipone Divum Xaverium novit, cum eo, ac Simone Rodericio communicavit animi propenſiones. Tantorum hominum exemplis motus, vocantem Deum ſequens Societati nomen dedit anno 1542. Paulò pôſt unà cum Simone, & aliis profectus Conimbricam, fuitque unus è primis, qui tanti Collegij poſuerunt initia. Ubi eſt litteris inſtructus, & Sacerdos effectus, cæpit micare illa ingens vis, plena ſpiritu, quâ ad lucrandas animas aſpiravit. Præſertim inſtar novi Apoſtoli per Tranſtaganam Provinciam excurrit, incredibili populorum commotione. Ejus Sacræ Miſſiones magnâ ex parte moverunt Cardinalem Henricum ad fundandum Societati Eborenſe Collegium, quod poſtea nobilitavit Academiâ ab eodem Principe conditâ, & Societatis ſubditâ regimini. Cùm Henricus noſtros ad incipiendam fundationem accivit, Emmanuel Eccleſiaſten acturus Conimbricâ perrexit Eboram anno 1551. Inerant illi dotes egregiæ ad animos verſandos tum è Sacro ſuggeſto, cum in ſermone familiari. Omnibus videbatur organum Spiritûs ſancti. Inter dicendum ex oculis cadebant ſponte ſua lachrymæ, hæ ſic leniebant audientium animos, ut infinita multitudo non poſſet fletum continere. Miteſcebant indurati, ac penè ſaxei peccatores, ceù mollis cera igni vicina. Vix eum ulli audierunt diſcordes, qui vel inveteratas non exuerent inimicitias. Eboræ diſcurrebat per urbem, interrogando, ſi forent ægroti ad eos Conſolandos, aut ullæ diſcordiæ ad eas extinguendas. Moniales conventûs à S. Clara, & à S. Benedicto multum excoluit meditationibus Exercitiorum S. Patris Ignatij. Viri illi juxta venerabiles, ac mirabiles Ludovicus è Granata, & Bartholomæus à Martyribus Dominicanæ familiæ duo luminaria magna Emmanuelem audientes, & quæ ab eo fiebant contemplantes, affirmarunt per ipſius os loqui Spiritum ſanctum. Cum Helvia, modo urbs Epiſcopalis, tunc ſubjecta Archipræſuli Eborenſi jurgiis, ac diſcordiis flagraret, ad pacandos cives eò miſit Emmanuelem Henricus Cardinalis. Iverat jam antè Ludovicus Granatenſis, at re infectâ, ſeu potius deſperatâ, re-

regressus Eboram. Servabat Deus eam arcem expugnandam Emmanueli; cùm eo urbem intravit malis communibus comune remedium. Sic intonuit adversus pertinaces in discordiis animos, ut felicissimè evicerit, ac penitùs dissolverit duritiem antiquatam, urbemque omnem tranquillaverit. Id audiens Ludovicus Granatensis, ut erat humillimus, Deum laudavit, quod brevi per Emmanuelem transegit, quod ipse sudore immenso peragere nequiverat. Eodem postea revertit, ut sylvam illam, succisis dumetis omnibus, quæ longum tempus induraverat, per otium excoleret. Nobilis Sacerdos status sui, ac salutis oblitus nobilem fæminam suis vitiis fovendis domi suæ alebat magnâ totius urbis offensione improbantis notissimam hominis inverecundiam. Id sciens Emmanuel cæpit concionibus fulminare adversus viventes in hujusmodi volutabris. Inter eos, quos Deus excitavit, & excutere lethargum, fuit illa fæmina Sacerdotis concubina, dolens vicem suam, confessione expiavit anteactam vitam, renuntiavitque illicitis amoribus. Id ægerimè tulit perditissimæ conscientiæ Sacerdos, nec putavit iram suam placandam nisi Emmanuelis effuso sanguine; Ad facinus invitat aliquot amicos sui similes. Hi obarmati sacculis arena refertis tectâ facie in loco semoto ab hominum concursu Emmanuelem Eboram redeuntem expectant. Nil tale opinantem invadunt, sacculis ad arbitrium contundunt humi dejectum. Semivivum linquentes, recedebant, cum Dei Vir miserans non suas plagas, sed aliena peccata, inclamat abeuntibus, & verbis amicissimis invitat ad confessionem: rogat, ad se veniant impertiturum absolutionem, si resipiscant ex animo: sibi plenam esse potestatem etiam ad eos tanto scelere liberandos. Non cassæ fuerunt expirantis voces, nam ex homicidis unus salutari obsecutus clamori, accessit propiùs, & multis lachrymis gemuit commissum scelus. Eum Pater complexus, absolvit. Hic Patrem adjuvit ad conscendendum jumentum, & usque ad Collegium est comitatus. Ex eo postea series maleficij est cognita, nam Emmanuel obfirmatè siluit. Ut erat totum corpus crudeliter luxatum, non diu vixit. Quod nobis adhuc templum non erat, sepelierunt in Templo maximo: unde Theotonius Eborensis Archiepiscopus anno 1584. ejus ossa magnâ pompâ transtulit ad nostrum Collegium. Illud silentio non involvendum, quod Moniales Divi Bernardi, quarum Monasterium nomen habet à S. Benedicto, post mortem Emmanuelis scientes Ulyssipone Mariam Espinosam ejus sororem vivere, ad suum Monasterium invitarunt, ac sine ulla dote adscripserunt Monialibus, singulari facto testificantes gratum animum ob acceptam ab illius Fra-

tre Doctrinam, & perfectioris vitæ documenta.

Joannes Leitam Coadjutor.

ANno 1694. in Collegio Funchalensi, quod habet Societas in Insula *à Materia* dicta, diem obivit. Natus in Diœcesi Bracharensi. Conimbricæ Tyronibus additus 25. Decembris anno 1681. dabat operam latinis litteris Bracharæ, minoribus jam initiatus ordinibus, cùm forte percurrit oculis libellum, cui titulus: *Casus rari confessionis.* Legit ibi Doctorem Parisiensem damnatum æternis cruciatibus. Ea lectio sic animum penetravit, ut, studiis litterarum relictis, secum decreverit, in sancta simplicitate Deo servire. Propterea placuit Societatem inire, ut esset Coadjutor. Nondum biennium absolverat, cùm miserunt ad Insulam. Tenuit semper Religiosæ vitæ tenorem inculpatum. Surgentibus manè Sociis, ad chorum templi properans aderat primo Sacro, mox orando insumebat horam integram; postea secundo Sacro audito, per semihoram effundebat in Cælum preces. Conjiciebatur, id ab eo fieri in gratiarum actionem post Communionem spiritualem, ut vocant, cum quis vehementer cupit Sacrosancta Synaxi refici, dum Sacerdos operatur Sacris. Hæc omnia peragere solitus flexis genibus. Habitis hujusmodi exercitationibus, ibat ad obeunda domestica Ministeria. Vesperi, si quid temporis suppetebat ab injunctis officiis, in choro templi morabatur ante Venerabile. Locus ipse, ubi genua figebat, ex nimio usu erat attritus. Assistens cum Procuratore vindemiis, cum die vacare non posset solitis commentationibus ob strepitus operariorum cursitantium, & laborantium, noctu fraudabat corpus somno, ne deesset orationi. Sub orationem feriebat flagris artus suos. Vestis illi, qualis egenis, vetusta, & usu trita, ex eadem tela & colore, quam Tyrones apud nos gestant. Cum anno 1691. prohibitus est coadjutoribus usus pilei, quem ipsi paulatim auxerant contra Majorum placita, & solum permissus hærens capiti pileolus, Joannes sine mora Superiorum acquievit imperiis. Famuli domestici, quamvis erga ipsos esset severus, æquè venerabantur, atque amabant. Si veniebat sibi obviam Sacerdos, sistebat, donec transiret. Pauperes dilexit ut filios Dei. Illis ad januam stipem dividens, exhortationibus piis solitus stimulare ad sequendam virtutem, & vitia fugienda. Non permisit mendicum ullum à nostro limine tristem recedere. Otium tanquam Religiosæ vitæ pestem, & malorum omnium originem semper fugit, & vitavit. Ob assiduitatem orandi coram SS. Eucharistia, qui nomen ejus ignorabant, volentes, quis esset, significare, dicebant: Ille Pater, qui semper est in oratione. His aliisque ornatum virtutibus occupavit extrema dies, cum febris acu-

cuta intra diem unum ſupra vigeimum conſumpſit. Patientiſſimè uncta morbi tulit incommoda, & Religioſi ſanctè viventis, & ſantè morientis partes explevit.

DIE XIX.

P. Ludovicus Alphonſus.

Lyſſipone in Collegio Divi Antonij anno 1595. poſt exactos nocenter 33. annos in Societate d Superos conceſſit. Natus in opido *Pinheiro de Azere* Diœceſis Viinſis, Conimbricæ additus Societati 5. Februarii anno 1562. Multa illi atientia, modus ſingularis, & utis in edocendis pueris Grammatium. Undecim annis id exercuit agiſterium ; Quamvis plurimum ravit litteris Diſcipulos expolire, us curavit virtutibus. Collegij iniſter, ut cæteros exoneraret, ſe domus pergulas ſcopis purgat quinquagenario major. Octo enſibus continuatis pertulit lenm febrem, inſignia præbens exema tolerantis animi : hac tandem ntabuit.

P. Emmanuel Luiſius.

Lyſſipone in Domo Profeſſa plenus annis, & meritis clauſit tæ ambitum anno 1687. Natus in dem urbe. Fuit ex inſignibus Dini verbi præconibus, quos per id mporis auſcultavit Luſitania cum auſu. Totâ vitâ zelo indefeſſo ic deſudavit Miniſterio. Semper enim ſe voluit laboribus conſecrare, non otio. Tam præclaris dotibus conjunxit modeſtiam, & humilitatem, ſingulares. Idcircò venerationi erat omnibus, & amori. Cum eum Domui Profeſſæ Ulyſſiponenſi deſtinaret Propoſitum miſſis litteris patentibus Societatis univerſæ Moderator, religioſiſſima excuſatione hujuſmodi honorem à ſe rejecit; ſervire enim Societati ſtuduit non imperando, ſed obediendo. Animi ſui motus, & quoslibet naturæ impetus egregiè tum frænavit, tum domuit. Chiragra, & podagra illi diuturnum Martyrium. Nactus qualeſcunque inducias concionabatur, & confitentes audiebat. Ex iis erat Societatis hominibus, qui requiem à labore nolunt, ſi vivi ſunt.

DIE XX.

Petrus Carvalho Coadjutor.

IN Inſula *Madeira* anno 1671. octogenario major è vivis deceſſit. Natus in urbe Portuenſi. Religioſæ virtutes illi apud domeſticos, & externos meruerunt Sancti nomen. Erga pauperes nihil eo ſuavius, & liberalius. Neminem, qui rogaret ſtipem, ſinebat abire triſtem. Multis eſt perſuaſum, ſæpè illi inter manus creviſſe panem, ut egenorum multitudini ſatisfaceret. Otio tempus inutiliter conſumere nunquam eſt viſus. Quidquid temporis abundabat, expletis ſolitis oneribus, terebat vel orando, vel aſceticos evol-

evolvendo libros. Ædituum templi agens multum ſtuduit Divino cultui augendo. Viri, ac fæminæ locupletes æditui ſanctiſſimis moti exemplis, multa dabant ornandis altaribus. Creber fuit in macerandis cilicio ac flagro membris ſuis. Ad illius exequias concurrêre pauperes catervatim, doluerunt, ceu obiiſſet communnis parens egeſtatis. Præterea ex omni genere, & gradu hominum multus concurſus honeſtatavit funus. Canonici Templi maximi juſta ſolemniter concelebrarunt, ut oſtenderent, & quantum eum amabant, & quantam de ipſius virtute concepiſſent opinionem.

P. Franciſcus Neto.

VAlliſoleti anno 1546. vitâ defunctus. Natione Caſtellanus. Hæc de illo apud Nadaſium noſtrum: Hic Theologiâ, lauto ſacerdotio, & egregiâ Divini verbi prædicandi felicitate Ulyſſipone celebris, cum Societati ſe adjungere deliberaſſet, populum ea de re admonendum putavit. Aut ego (ajebat ad populum, inquit Orlandinus) vera vobis ad hunc diem cecini de loco hoc, aut veritatem celando fefelli. Si vera cecini, eâ, quâ debui, libertate perdocui, quod me feciſſe profiteor, requiritur profectò, ut quæ vobis audientibus de paupertate diſſerui, ea putetis eſſe veriſſima. Sed illud mihi forſan objiciet quiſquam: quomodo tu ſæcularis homo, cùm ſis, & in medio vulgo verſaris, ita iſta prædicas? contraria ſunt dicta factis. Quam tu nobis paupertatem, quam tu nobis commodorum deſpicientiam narras. Tu, qui pingui Sacerdotio, & Eccleſiæ reditibus dives es? vitæ tuæ non conſentit oratio tua. Hæc & ſimilia ſibi ipſi diſſimulanter objectans, & ratiocinando percurrens, ad extremum ita concluſit: Atqui ut intelligatis me ex hoc loco fucum vobis non feciſſe, ſed veriſſima prædicaſſe, hoc ipſo momento temporis, linquo omnia, & ad Divi Antonij Archimandritæ (nempe Societatis domicilium) rectà propero, ut bonis illis cum Patribus Chriſtum ſequar. Haud aliter fecit, ac dixit, univerſorum approbatione mirificâ. Quod poſteà exemplum alios etiam quosdam ex eadem Eccleſia ſequi non piguit. Addit illum è Luſitania Valliſoletum poſteà conceſſiſſe, ibique dum miro cum fructu concionaretur, ſummo cum populi totius luctu religiosè deceſſiſſe. Hactenùs Nadaſius; nec de illo plura in noſtris monumentis reperi.

DIE XXI

P. Rodericius Soares.

ANno 1576. in navigatione Indica vitam finiit. Natus in oppido *Arouca* Diœceſis Lamecenſis. Conimbricæ aſſociatus Tyronibus noſtris 8. Aprilis anno 1561. Arias Saldania è primâ Regni nobilitate de Rodericii exemplis in navigatione,

æ, & morte ad noſtrum P. Mauricium Regis Sebaſtiani Confeſſarium ſcripſit hæc è patrio ſermone fideliter translata. *Pater Rodericus Soarius vitam poſuit in ſuo officio, tempus omne conſumens in operibus charitatis tam ardenter, ut ipſa eum de medio ſuſtulerit: nam interdiu, noctuque ſe occupabat in confeſſionibus ſub pallio ſuo, ſæviente morbo contagioſo. Ibat ad navis focum ſuis manibus præparans aliquot ſolatia ægrotis, & res alias. Hæc nos omnes commovebant ad illi reducendum in memoriam ſuarum virium tenuitatem, quarum tam negligens fuit, ut incedens parum firmus ſe nunquam talem reputaverit; donec vires eum deſtituerunt, quod ibi non conſuluit, ut poſcebat morbus. Illi Deus mortem ſuam revelavit, in ea rabuit multa ſigna, è quibus innotuit, quam perfectè agebat ſuo ſtatui conſentanea. In hac materia audebo affirmare, nec in Japonia patiendo Martyrium poſſe aliquem plus mereri, quàm ille eſt conſecutus. Prorex tanti faciebat, ut eum ſibi confeſſionibus elegerit. Diebus amplius viginti Patris mortem illum celavimus. Mihi ſæpe dixit, ſibi Rodericum ſufficere, ut ſe Deus juvaret in regenda India. Poſtquam ſcivit, tantum dolorem oſtendit, ut queſtus de me ſit, quod impediverim, ne ibi ab aliis referretur. Cùm dicerem, eum non habere rationem, mihi reſpondit: Quoniam Pater ipſum non potuiſſet vita ſua juvare, voluiſſe prope mortis horam ab eo petere, Deum rogaret, ſe quoque è vivis auferret, antequàm in Indiam appelleret, ſi non eſſet ſerviturus Deo, ac regi ſuo, uti deſiderabat. Hæc ipſum inde multis lachrymis complexu tenens Virginis tabellam à Deo precatus.* Hæc Arius de Roderico. Dies obitus non conſtat, quod hæc vacet, huc adjeci.

P. Gaſpar Alphonſus.

Conimbricæ anno 1618. ſanctè eſt mortuus. Natus in oppido *Serpa* Diœceſis Eborenſis. Cupidus ſalvandi animas Indorum, eò vela ſolvit anno 1596. unà cum venerabili heroe Carolo Spinola. Viſum eſt aereas Dæmonum poteſtates, & quidquid apud inferos latet, adverſus hanc navigationem conſpiraſſe. Gaſpar, de quo hic fit ſermo, tribus annis jactatus modò ad has, modò ad illas Americæ regiones, incredibiles ſuſtinuit labores, & naufragia. Tandem ex Indiis Caſtellæ Gades devenit. Inde profectus ad Luſitaniam, reliquam vitam exegit noſtri Inſtituti deditus Miniſteriis. Novem annis docuit Theologiam Moralem. Orationis penſo nunquam defuit. Inter procellas, & navigationis errores ſtatutam orandi horam metiebatur arenario horologio, quod emerat ad hos uſus, & fidelem ſemper habuit Socium peregrinationum ſuarum. Silentio, obedientiâ, animarum zelo commendabilis. Multus in concionando, & in expiandis pænitentibus, ac peragendis Sacris Miſſionibus. His cumulatus virtutibus mortem tranquilla in pace appetivit.

DIE XXII.

P. Didacus de Carvalho Martyr.

IN Urbe Xenday Regni Japonensis anno 1624. Martyrio illustri Cælites auxit: Domo Conimbricensis, ibidem militiæ Christi nomen dedit 14. Novembris anno 1594. Magno fervore missiones indicas petivit à Majoribus. Illò navigationem arripuit anno 1600. In Macao Lusitanorum colonia litterarum absolvit studia. Japoniam ingressus anno 1609. ibi ad annum 1614. in quo sunt acti præcones Evangelici in exilium, adhibuit omnes industrias animabus lucrandis. Macao redditus, initiis anni 1615. missus ad Cocincinam cum Francisco Busomio Italo novam condidit Ecclesiam, quam multis Martyribus fecit insignem Deus nostris temporibus. Anno 1715. quo hæc à me scribuntur, Rex Cocincinensis Legatum in Lusitaniam misit Patrem Joannem Antonium Arnedum è nostra Societate, Mathematicum suum, illique ob hujusmodi scientiam valdè acceptum. Summa Legationis erat, se facultatem daturum promulgandi liberè legem Evangelicam in suo Regno, habiturumque cum Macaensibus Lusitanis commercium, si quæ petebat, concederent. Pater Arnedus immensis pro Dei gloria laboribus, & senectute fractus, antequam superaret Promontorium Bonæ-Spei, exhalavit animam, magno rei Christianæ in illis regionibus detrimento. Sed eò redeamus, unde digressi. Didacum una coquebat cura, revertendi nimirum in Japoniam. Macao restitutus, habitu dissimulato, Japoniam inire potuit. A moderatoribus missus ad regnum Ozecum. Inde plenum periculis, ac difficultatibus aggressus iter ad regnum Zessum, ubi exulabant innumeri Christiani, eos illuc compulerat Tyrannorum sævitia. Primus fuit, qui Sacrum fecit incruentum apud eas orbis postremas regiones. Consolatus est Christi dispersum gregem. Per inexplicabilia pericula remeavit ad Ozecum incolumis, & sospes, quod fieri non potuit sine speciali Dei faventis auxilio. Universæ Japoniæ Rege persecutionem movente adversus Christianæ legis asseclas, minores Reges, sive Reguli quisque in locis suæ ditionis, ut Imperatori supremo gratum facerent, exarserunt tanquam feroces lupi contra innocentes agnos. Xenday latebat Didacus in terris Christiani Dynastæ, cum ibi quoque cæpit crudescere Ethnicorum rabies. Dynasta Patrem admonuit, ad alias facesseret regiones, dum forent res turbatæ. Ad hæc respondit: æquum non esse Pastorem sibi fuga consulere, lupis gregem impetentibus, & laniantibus. Sanius esse consilium latebris occultari, ut ex iis animet per internuntios, & epistolas, vel per se data opportunitate Neophytos suos.

Id-

Idcircò ſeceſſit cum aliquot Neophytis ad ſolitudinem. Adeò tamen erant vigiles canes venatici, tamque ſollicitè, & avidè ſcrutabantur omnia, ut eos id effugium non latuerit. Tuguriis ſe defendebant ab inclementiis hybernis, & cadente nive, cùm Pater ſenſit ſatellites adeſſe, nec ſe, ſuosque eorum poſſe ungues evadere. Igitur è ſuo prodiens mapa-
i vultu ſereno ſeſe obtulit quærentibus, dixitque: ſe, quem ſollicitâ
perquirerent indagine, veræ fidei præconem eſſe, qui omnibus eam ſuaderet: viam aliam ad cælos ſcirent non patere, optimum facturos, ſi amplexarentur. Poſt laborioſum iter per nives frigidas, & alias vexationes toleratas, ipſe, & novem Socij damnati, quod eſſent Chriſtiani, ad atrocem ſubeundam mortem gelu merſi. Palis itaque in foſſa defixis alligati ſine ulla veſte, aquâ frigidiſſimâ ad pectus usque obruti ſtetêre rupibus firmiores. Quamvis Ethnici hortarentur importunè, deſererent fidem, inſanas voces nihili æſtimarunt. Id maximo ſolatio Magiſtro fuit, quod omnes Socios, ac Diſcipulos ſuis vidit oculis priùs mori, eosque laureatos ultimo loco ſecutus. Attulit vel Ethnicis admirationem ſolito majorem, inſpicere Patrem bis in gelu conjectum horas non minus decem ſtetiſſe corpore immoto, & non contremiſcente, ſeu foret marmorea columna, & immanitas gelu ejus artus non tangeret. In eo ſtagno gelata jam duos feliciter expiraſſe Didacus aſpexerat, cum exiſtimans Matthiam vivere, eum ſuo vocavit nomine: at ille, quamvis erat vitâ functus, reſpondit: *Matthias jam eſt mortuus.* Ea vox edita à cadavere exanimi vivos mirificè recreavit. Aliis in cælum profectis, Didacus ad mediam noctem toleravit gelu atrociſſimos rigores, tunc felix anima ſoluta corporeis vinculis Angelicis choris addita. Cadavera fruſtratim conciſa ab Ethnicis projecta ſunt in undas. Potuit tamen vigilans Neophytorum pietas bonam earum reliquiarum partem colligere. Chriſtianus è Dynaſtis unus laceri Didaci fragmenta adeptus, ſervavit ut theſaurum omnibus mundi pretioſiorem divitiis.

P. Ludovicus de Azevedo.

ANno 1634. in Æthiopia ad mare Rubrum deſiit vivere. Natus in oppido *Carracedo* de Monte nigro Diœceſis Bracharenſis. Societati junctus Conimbricæ 7. Decemb. anno 1588. Studio prædicandi Evangelium apud Indos, petivit eas regiones anno 1592. dum moratur in India, exarſit ferventi deſiderio migrandi ad Æthiopiam. Miniſtrans inclyto Martyri Abrahamo Georgio Maronitæ Sacris operanti, eum rogavit, obſecraret ſibi à Deo Miſſionem Æthiopicam. Sacro finito, dixit Georgius Ludovico: Deo placere, & probari vota ſua, non dubitaret numerandum inter operarios

Æthiopicæ vineæ. Hujusmodi prædictioni satisfecit Ludovicus illò navigans anno 1605. in nave Turcica non sine magnó timore & periculo, ne Turcæ, quorsum tenderet, & quid cogitaret, suspicantes, impedirent iter. Ubi Portum ingressus, adeptâ facultate, ad interiora Æthiopiæ festinavit. Recesserat jam, cum Turca Præfectus cognovit, quid esset hominis, & quid animo agitaret: Sine mora milites, qui sequerentur, & retraherent, misit. Verum Ludovicus adeò properaverat, ut incassum Turcæ defessi ab insequendo destiterint. Annis 29. sudavit in excolendis Æthiopibus, iisque reducendis ab erroribus Ecclesiæ Alexandrinæ ad Romanæ fidei veritatem. Passus est persecutiones multas ab Schismaticis. Calluit omnes elegantias linguæ cultoris Æthiopum, in eam transtulit diversos libros de fidei Mysteriis, qui magnæ fuerunt utilitati ad confirmandos Catholicos, & confundendos Hæreticos. In eis gentibus, suis vidit oculis Romanam fidem latè vulgatam, & Seltamum Regem eam sequentem prohibitis ritibus Alexandrinis. Verum tantarum rerum initia, & incrementa, perverso succedente Rege, funditus dissipata: nam Patriarcha Alphonsus, & præcones Evangelii, per quos stabat, & crescebat Ecclesia Æthiopica, rerum omnium egeni, coacti sunt eas regiones, & novum gregem deserere, experti primum innumeras calamitates, & injurias. Per id tempus, quo foras compellebantur cæteri, viri aliquot nobiles tum ob Ludovici antiquam amicitiam, tum ob venerabilem senectutem, quæ diu apud mortales esse non posset, ab Rege impio sunt deprecati, conniveret in Ludovici exilio. Preces admittens, concessit, occultissimum manere in domo alicujus hominis Lusitani. Annis duobus ibi latuit, ceu tectus sepulchro. Caloribus immodicis domunculam urentibus, vix noctu licebat mitiorem captare auram. Præter senectam, gravatus infirmitatibus corporis maxima sustinuit incommoda, donec bonum senem tanquam aurum defæcatissimum ad se Deus recepit.

P. Emmanuel de Lima.

NAtus Ulyssipone ibi metam attigit vitæ in Domo Professa. Dederat Societati nomen Eboræ 8. Ap. anno 1571. Diversos obivit Magistratus, eâ, quam vult Societas, integritate; Nam fuit vir solidis virtutibus præditus, æqui observantissimus. Regebat Conimbricense Collegium, cùm ægrotantis Socii desperatâ jam vitâ, edixit omnibus, applicarent pro infirmo matutinam orationem. Posteà eum invisens quærit læto vultu: Quomodo valeat? Ad hæc ille: *Sum sanus.* Ita profectò contigit, aliis rem mirabilem vertentibus Sociorum, aliis orationi Rectoris: dum postremos annos exigit in Domo Professa, obortus illi

lli in tergo metuendus carbunculus
nagnam præbuit patiendi materiam
ropter acerbas curationes, quibus
get illud morbi genus. Nullis po-
uit vinci Medicinis. Religioso Vi-
o medicaminum violentia habita est
nstar lustralis ignis, quo Deus pu-
ificat suorum animas, ut ab omni
beras inquinamento dignetur suo
onspectu.

P. Antonius Cabral.

ANno Domini 1663. Bracharæ de-
cessit. Natus in oppido *Sirolico*
Dioecesis Guardiensis. Nulli rei ma-
is studuit, quàm Instituti observan-
iæ, & exercitiis orandi. Primus
bat ad Confessionum Tribunal, nec
rgebat, dum pœnitentes aderant;
ocens Philosophiam Discipulos non
inus ad virtutes, quàm ad scien-
as excitavit. Ubi perniciosa febris
um affixit lecto, mentem totam ad
terna erexit, humana despiciens.
lud notatu dignum, quod cum
us facies causâ febris, quâ æstua-
at, esset subnigra, ubi animam ef-
avit, induit album, venustum, ac
ratum intuentibus colorem. So-
us, qui fuerat propior animam
genti, affirmavit, ipso momento
premi anhelitus, à se morientis
ultum mirâ luce splendere visum.

P. Antonins Barradas.

OLyssipone in Domo Professa anno
1673. solutus corpore. Natus
oppido *Sindim* Provinciæ Cistaga-
æ. Conimbricæ Societatem inivit.
Multus fuit in gubernandis Sociis,
egitque Provincialem. Postquam
hujusmodi Magistratum obivit pri-
mò, à Patre Generali postulavit fa-
cultatem navigandi ad Indias, ut
vitam consumeret in aliena procu-
randa salute. Quamvis annuit ro-
ganti Pater Generalis, obstiterunt
Socij Lusitani, qui noluerunt ejus
privari exemplis, & in administran-
dis rebus prudentiâ. Illius mores,
& vitæ tenor adeò justi fuerunt, ut
multis sit persuasum, amisisse nun-
quam gratiam per Baptismum infu-
sam. Singularis illi bonitas. Vel
Deum alloquendo, vel faciendo rem
Divinam suavibus lachrymis, &
sponte sua fluentibus irrigabat fa-
ciem. Specialis fuit in consolandis
mœrore confectis. Licet ipsius cha-
ritas erga Socios omnes arserit mul-
tùm, maximè splenduit in cura æ-
grotantium: molestè ferebat, si quid
eorum deesset commodis.

DIE XXIII.

P. Franciscus Peres.

NAgapatami in India anno 1583.
mortales reliquit. Natione
Lusitanus. Conimbricæ Societatem
complexus 15. Januar. anno 1544.
permotus Concionibus Francisci
Stradæ. De illo narratur erga Passio-
nem Domini tenerrimus affectus. Si
fiebat sermo, se præsente, de hujus-
modi cruciatibus, præ amoris, &
interni sensûs magnitudine rapieba-
tur

tur extra ſe, eratq; ſenſibus alienatis, ſuſpenſo & altius aliquid cogitanti perſimilis. Migravit ad regiones Orientis anno 1546. Mirificè placuit Xaverio, eum ſolitus vocare inſignem Sanctitate Virum: ajebat prætereà, multum ſe invidere illius humilitati. Malacam à Divo Xaverio miſſus, urbem vitiis corruptiſſimam, quâ ſuis exemplis, quâ prædicationibus ad meliorem reduxit frugem. Inter præclaras converſiones tenuit primas cujusdam Judæi converſio. Is erat egregius illius gentis Magiſter (Rabinos vocant) Profectus Româ, Malacæ ſedem fixerat, queſtum faciens ex Magiſterio. Igitur Franciſcus hominem aggreditur, cum eo diſputat, demum eò perduxit argumentis; ut ipſe datis manibus ſit faſſus, hactenus erraviſſe. Eam confeſſionem ſecutus Baptiſmus non ipſius tantum, ſed plurimorum, quos dedocuit exemplo & verbis errores ſectæ jam abolitæ. Irruentibus in urbem hoſtibus, Franciſcus erecto crucifixo propugnatores ſic incendit; ut ex magna parte victoriæ laudem promeruerit. Pari zelo laboravit Coccini. Inter Chriſtianos margaritarum piſcatores magnas compoſuit diſcordias, tum ſuarum animarum bono, tum redituum Luſitani Regis. Luſitanum Legatum ad Sinæ Imperatorem comitatus, Cantami prædicavit fidem Orthodoxam. Ethnici Præfecti (quos vocant Mandarinos) eum magnis ſunt proſecuti honoribus, adipiſci tamen non potuit manere Cantami. Quod ave bat unicè ad Chriſtianos mores ii gentibus inculcandos: Propterea ad oram Piſcariam rediens, exercuit ad vitæ finem labores ſolitos. Erat de illius virtute opinio magna apud eas gentes. Reverſus à peregrinatione trium menſium ſpatio durante quam ſuſceperat ratione Apoſtolicæ culturæ, intellexit mortis ſuæ propinquitatem. Rogavit Proviſorem, ſive Præfectum Domûs à *Miſericordia* dictæ, ſibi largiretur ſepulturam inter mendicos. Tale quid poſt ejus obitum nobilitas non permiſit: imò, tanquam in loco honoratiori, ſepelierunt in medio Sacelli majoris, & primarij. Illius funus ſunt etiam multis lachrymis Ethnici comitati. Dicebant prætereà: Si quispiam ſuo de grege tam ſanctè vixiſſet, ac eſſet mortuus, locandum à ſe inter Deos, ædificandaque in ejus honorem templa. Tanta cucurrit ad exequias honeſtandas multitudo, tantique impetus ad contingendum corpus, & auferendas reliquias facti, ut ægerrimè defendi potuerit. Id obſervatum, quod ex eo tempore oppidum illud non ſit infeſtatum multis calamitatibus, quibus anteà fuerat obnoxium. Annis volventibus, Reſidentiam erexit ibi Societas. Curatumque eſt de translatione defuncti ad noſtrum Templum. Ubi eſt apertum ſepulchrum, viſa res par miraculo. Radix craſſa, ut funiculus, orta è cranio infuſa per interiora oſſa totius corporis ad pedum

lum uſque digitos , omnia mirum
n modum colligaverat , & conſer-
abat ſuis aptata locis. Nihil ad
jus encomium dici poteſt ſublimius,
uàm quod judicio S. Franciſci Xa-
erij ; erat per id tempus unus è
ajoribus Sanctis, quos Eccleſia mi-
tans habebat.

P. Antonius Rego.

ANno 1709. ceſſit è vita Romæ.
Natus in oppido *Carvalhal* Diœ-
eſis Ulyſſiponenſis. Tyrocinium
choavit Ulyſſipone 24. Martij an-
o 1639. ætatis 14. Poſt abſoluta
ientiarum ſtudia Romam eſt miſ-
us, ubi tranſegit reliquos vitæ an-
os, diverſa obeundo munia. Tan-
em creatus eſt Aſſiſtens pro Luſita-
æ coronæ Provinciis. Cætera, quæ
ici à me poſſunt de ipſius virtuti-
us, referam verbis Patris Michae-
s Diaſij, quo Romæ Aſſiſtente vitâ
efunctus eſt P. Rego. Fuit, inquit
ater Michaël , plurimis annis Ro-
æ Sereniſſimi Luſitaniæ Regis Mini-
er , Reſidentem vocant, ad expe-
ienda negotia hujus Coronæ. Et
uamvis Majeſtas Regis Petri II. ſæ-
e mandavit ipſi dici, ut acciperet
habentibus ſuo nomine poteſta-
m, pecuniam ad ſuam ſuſtentatio-
em, & alendum currum; quoniam
nex erat, & aliter expedire nequi-
t negotia, in tantæ urbis longitu-
ine, ac diſtantiis; nunquam uti vo-
it tali Regis liberalitate: Semper
ceſſit pedes, & ex Regia pecunia
e unum quidem obulum ſibi ſum-
ſit. Præcipuo quodam cultu , eſt proſecutus Virginem Sanctiſſimam, & glorioſum Patrem Ignatium. Ad augenda Virginis obſequia , inſtituit, ut ſingulis Sabbatis cantentur ipſius Litaniæ, ac referatur aliquod Virginis miraculum, vel favor erga illius clientes prope Sacellum Dominæ noſtræ de *Strada*. Ad ſuſtinendum ſumptum pro Muſicis, & cerâ legavit reditum perpetuum. In noſtri Sancti Patriarchæ honorem compoſuit libellum precationum , quæ recitantur per ſingulos octo dies ante Divi feſtum. Unoquoque die memoratur exemplum aliquod Sancti Patriarchæ , concurrentibus plurimis ſingulari veneratione Divo addictis , tum ad hanc Novendialis imitationem , tum ad oſculandas ejuſdem Divi reliquias, quas Pater Rego incluſerat thecæ valdè pulchræ. Præſentibus jubebat diſtribui Sancti imagines , quas magno numero curabat typis imprimi. Ad ceræ ſolvendum ſumptum reliquit perennem reditum. Exornavit Sacellum Virginis de *Strada*: inſumpſit in id opus 20000. cruciatorum Luſitanæ monetæ, aut amplius. Nec id appareat dictum liberè ; nam illud ornavit plurimo, & valdè pretioſo marmore. Præterea locupletavit duobus Sanctuariis prædivitibus. Adjecit plurimam argenteam ſupellectilem, ut argentea candelabra majora, & minora numero multa , parvas Angelorum ſtatuas, &c. His addidit Sacrum Tabernaculum refertum plurimis, & exquiſitis reliquiis.

quiis. Ad tot, ac tantas expenſas non acceptavit ulla ſubſidia à fæminis Romanis primæ nobilitatis, quibus erat à confeſſionibus. Collegit omnem hanc ſummam ex amplis muneribus Epiſcoporum, cum illorum Bullas expediebat. Idque fecit, quod ipſi eſt dictum, tales pecunias, ſi à Luſitano Reſidente non admitterentur, dividi in Miniſtros Datariæ; nec redire ad Epiſcopos. Tunc habita facultate Majorum, tales nummos ſibi ſervavit. Miſſionibus Sinæ, Japoniæ, Malabaris, & Maranonis (obtenta Pontificis facultate in ſcriptis ad teſtandum de pecunia ſibi habita) legavit octo cruciatorum millia, duo ſingulis. Reliquit ad faciendum antipendium argenteum pro Sacello interiore majori Tyronum Ulyſſiponenſium mille, & ſeptingenta ſcuta argentea nummi Romani, & altera mille ſeptingenta Sacello Virginis à Divo Luca in Collegio Conimbricenſi. Eleemoſynæ, quas Domui Profeſſæ impertivit, fuerunt multæ; nec paucæ, quas donavit externis perſonis. Sigillatim recordor de ſeptuaginta, aut amplius Romanis ſcutis, quæ ſemel largitus eſt illuſtriſſimæ fæminæ Romanæ, ſibi rei domeſticæ manifeſtanti anguſtias. Ut melius illi ſubveniretur, retulit Pontifici ejus Dominæ neceſſitates, quibus angebatur, ipſum rogans, vellet egenti favere; quod Pontifex in poſterum fieri juſſit annonà præbità, quà traheret vitam honeſtiſſimè. Omnibus diebus Veneris, Dominicis, ac Feſtis (non obſtantibus Reſidentis, & Aſſiſtentis occupationibus) aſſidebat in confeſſionum tribunali, ad quod ſe conferebat vel ante finitam orationem matutinam, vel poſt eam. Nec inde faceſſebat, niſi prandij tempore; quoniam illuſtrium fæminarum, & aliorum pænitentium ad ejus pedes multus erat concurſus. Secum plurimâ uſus auſteritate. Vel in poſtremâ ſenectute nihil privatum admiſit, unicè contentus exiguâ vaccinæ carnis portione, quæ ſolebat omnibus apponi. Non propterea uſus eſt chocolata, aut alterius generis delicatiore, & vires roboranti potione, nec re alia ad muniendas vires; ut eſſet ferendo labori pedibus incedendi per urbem quotidiè, causâ promovendi hujus Coronæ negotia. Hæc Pater Michael Diaſius, decrepitam, & emeritam exigens Senectutem in domicilio Tyronum Ulyſſipone, ad me ſcripſit litteris 12. Septemb. datis anno 1716. Morbus ultimus, quo triduo eſt oppreſſus, ejus fuit generis, quod Medici Rheuma vocant in pectus decidens. Extremis Eccleſiæ comparatus ſubſidiis deſiit eſſe inter mortales.

DIE XXIV.

P. Emmanuel de Coſta.

Ulyſſipone in Domo Profeſſa anno 1604. ſatisfecit communi fato. Na-

Natus Ulyſſipone. Vel concionans, vel Sacris operans, præ ſe tulit ſingularem pietatem. Ter petentibus Brigantinæ Domûs Principibus, Sacras Miſſiones peregit Villæviſſoſæ. Intimis ſenſibus dilexit Societatem. In promovendis, & procurandis ejus commodis nullus æquè ſolicitus. Multas, & magni momenti eleemoſynas acquiſivit Domui Profeſſæ. Etiam, jubente Præpoſito, stipem collegit oſtiatim petitam ad augendam ſtructuram ædificij. Rexit Bracharenſe Collegium. Agebat Præpoſitum Domûs Profeſſæ Fanenſis, quæ poſtea mutata eſt in Collegium, cum die Virginis ad Nives, dum vult in Templo maximo concionari, ſubitâ vi morbi percellitur. Quamvis mortem effugit, tranſiit adeò debilis, ac infirmus, ut reddendus fuerit Ulyſſiponi, id eſt, patrio cælo, quod cuique ſolet eſſe benignius. Non minus tribus menſibus ægrotavit acutiſſimos inter dolores. Ipſe eſt confeſſus à vertice capitis ad pedis plantam ſibi partem doloris immunem non eſſe. Solùm experiebatur levamen, cum recreabatur cæleſti pane, quem accipiebat graves effundens lachrymas. Majorem temporis inſumpſit partem meditando tormenta Dominicæ Paſſionis. Nihil illi hujusmodi contemplationibus dulcius. Adnotabat horas ſingulas, quibus Dominus has vel illasve injurias, & tormenta pertuliſſet, illique offerebat libentiſſimè dolores ſuos, eos cum Dominicis permiſcens doloribus, ut hoc modo & merito ſibi eſſent & ſolatio. Sic atrocitates torquentium dolorum ſuſtinuit, donec eripuerunt illi vitalem ſpiritum.

P. Mathias de Sam German.

EBoræ anno 1699. ad fortunatiorem migravit patriam. Natus in oppido *Monſaraz* Diœceſis Eborenſis. A primis annis eſt viſum à Deo ſpecialiter eligi. Erant in eo ſigna quædam ſingularius aliquid præſagientia; Nam Oriens geſſit crucem genæ ſiniſtræ impreſſam. In palmâ dexteræ manus ſic erant diſpoſita lineamenta, ut in ſulculis, tanquam in characteribus litterarum hoc nomen *Mathias* legeretur. Infantem adhuc lactentem Deus à præſenti periculo liberavit. Obſederant equitum hoſtilium turmæ tenuem pagum, quo ſe & greges ſuos agricolæ receperant. Certatur utrinque atrociùs quàm pro numero: dum turmæ laborant in perrumpendo ſepto, & agricolæ in defendendo, occiditur plumbeâ glande alarum hoſtilium Ductor, Vir magnæ nobilitatis. Hîc Caſtellani acrius incenſi dolore amiſſi Ducis, equis deſcendunt, aut victuri, aut cum Duce morituri omnes. Nec ſepta, nec defenſores pauci tantum potuerunt arcere impetum. Intrant hoſtes, feriunt, trucidant ad ſatietatem, ſui Ducis ulturi mortem. Dum furunt ſine diſcrimine, Mathias in ſinu Matris ſub una ex auribus perforatur gladio.

dio; tamen evaſit vivus. Ubi affulſit puero rationis lumen; obortæ ſunt cum eo ſanctiſſimæ ad virtutem propenſiones: vix poterat à templis ſeparari. Expleto decennio cæpit inflammari deſideriis Religioſam vitam amplexandi. Studiorum causâ miſſus Eboram. Morum innocentiæ conjunxit ingenium ad capeſſendas ſcientias feliciſſimum. Eboræ Societatem ingreſſus 12. Junij anno 1681. Facultates, quibus operam navavit, apprimè didicit: ſe multis excoluit virtutibus: Humilitatem, & modeſtiam ſingulariter amavit: Injurias patientiſſimo ferebat animo, ne præbito quidem ſigno exacerbati cordis. Ingenuè eſt faſſus, ſe nunquam ſcienter ulli mortalium nocuiſſe, aut cupiiſſe malum. Ex inſano labore ſumpto ad corrigendam, & augendam Proſodiam, aut Vocabularium noſtri Benedicti Pereiræ illi ſuborta lenta, & continua febris. Inter acutos dolores nec queſtum edebat, nec gemitum. Menſe poſtremo quotidie bis, terve per confeſſionem expiabat animum, & alebat ſe Sacroſancto Chriſti corpore. Majorem diei, ac noctis partem tranſegit piiſſimis alloquiis ad Chriſtum de cruce pendentem jactis. In ejus oſculo animam emiſit. Poſt obitum exanimis vultus non horrorem induit, ſed ſpeciem tam gratam intuentibus, ut ſignum crederent animæ jam fruentis æternâ felicitate.

Georgius Cabral Scholaſticus.

ANno 1698. obivit Eboræ. Natus in oppido *Fornos* Diœceſis Viſenſis. Conimbricæ mancipatus Societati 16. Aprilis anno 1694. Eâ puritate micuit illius conſcientia, ut ſit exiſtimatum nunquam perdidiſſe innocentiam, quam tinctus Sacro fonte ebiberat. Modeſtia, & actionum compoſitio talis in eo fuit, quali omnes boni volunt exornatam adoleſcentiam. Pios cruciatus dilexit multum. Singulis diebus, & ſe flagellavit, & cilicio domuit. Adeò illi cordi flagra, & cilicium, ut prope mortem rogavit, cingerent cilicio corpus ſuum, ac de zona appenderent flagra. Interrogatus, cur id poſceret? reſpondit: *Ut in morte conſervem, quæ in vita multum dilexi.* Non parum ſentiebat moleſtiam, quam patiebantur Socij, dum ægrotantem curabant, & mundabant. Deum precibus rogabat aſſiduis, perſolveret illis charitatem. Poſtquam eſt communitus ultimis Eccleſiæ Matris ſubſidiis, precatus eſt, ſibi darent ſaxum, quo pectus ſuum inſtar Divi Hieronymi percuteret. Hos inter, aliosque virtutum actus ſuaviſſimos deſeruit corpus.

DIE XXV.

P. Ignatius Pimentel.

COnimbricæ anno 1714. vitam explevit. Natus in oppido *Fermo-*

nosella Diœcesis Conimbricensis. Tredecim numerabat ætatis annos, cum sine culpa sua curio ex libro Baptismi falsò transcripsit natum annos 14. Idcircò ante competentem ætatem Societati adscriptus Conimbricæ 11. Junij anno 1695. Post biennium, deprehenso errore, tertium addidit annum Tyrocinij. Humanioribus studiis, & græcæ linguæ incubuit in Domo Tyronum Ulyssipone. Has facultates egregiè scivit. Conimbricæ post studia Philosophiæ eas tradidit, & Rhetoricam non vulgari laude. Philosophiæ, & Theologiæ studens sic eminuit, ut eum cæteri non intuerentur tanquam Discipulum, & auditorem, sed ut Magistrum emeritum. Videbatur scientias hujusmodi multis annis docuisse. Propterea cæteri Condiscipuli eum sæpissimè consulebant in quæstionibus magis obscuris, ac solutu difficillimis. Ingenio præstantissimo adjecit studium, ut ita dicam, penè insanum; hujus aviditas immoderata tenues vires multum attrivit. Existimatum est, traxisse originem ex eo fonte lentam febrim, quâ denique est consumptus. Nihil in eo æquè splenduit ac virtus. Antequam ad nos veniret, sanctissimis erat moribus. Ad scholas iens, rediensque salutabat semper Virginem à *Salvatore*, quam multùm venerantur Conimbricenses. Animum servavit vitiis immunem; Nam constitit decessisse è vivis eâ gratiâ illustratum, quam Baptismus ipsius animæ insuderat. Inter nos vixit ut Angelus. In Tyrocinio, vix explicari potest, quanto se sit persecutus odio; Ceu è mundo venisset gravatus peccatis innumeris. Diebus frigidioribus incedebat sine lacerna pinguiori, quâ uti solemus ad frigoris arcendas injurias. Sæpe est iterum missus ad sumendos cibos in secundâ mensâ, quod à prima rediret penè jejunus. Semel oleo ferventi adussit brachium, & manum. Sæpius id auderet, nisi severis minis esset absterritus. Postquam applicuit animum studiis litterarum, nihil est oblitus virtutem. Exercitationes spirituales obibat integerrimè, quin eas fraudaret vel minimâ temporis particulâ. Quantum recordor, eum habui ad tres annos Discipulum in studiis amœnioris litteraturæ, aderat Gymnasio semper demissis oculis, ac modestissimis. Annis crescentibus, tempore ad confabulandum destinato plerumque se colligebat in cubiculum, non quod foret genio tristi, & umbratili, nam erat hilari & jucundo; sed ne audiret sermones parùm faventes Religiosæ charitati. Hoc mihi est fassus: quamvis multi crederent, eum amare solitudinem, ratione studij, cui plus justò, ut est dictum, solitus incumbere. Frequenter abstinuit à cæna, ut haberet plus temporis. Improbantibus hujusmodi excessus respondebat læto vultu: studium sibi esse recreationi, & levamini. Socios omnes æqua-

æquali complexus charitate, non hos potiùs dilexit, quàm illos. Ingenio, & ſcientiæ præſtantibus conjunxit raram humilitatem. Solum coactus imperio Majorum admiſit gradum Magiſtri Artium. Votum emiſerat non procurandi directè, vel indirectè Cathedram, aut ullum honoratius Magiſterium. Plurimum cupiit vitam degere vel in gradu Coadjutoris ſpiritualis, vel Profeſſi trium votorum ſolemnium, ut majori cum humilitate Societati ſerviret. Conſuluit graviores Patres de hoc ſuo ſtudio. Omnes admirati Religioſam animi demiſſionem in tantâ ingenij prærogativâ, reſponderunt, ſe totum permitteret obedientiæ placitis. Cum ſeparatos interrogaſſet, & vidiſſet eadem eſſe omnium reſponſa, depoſuit illam mentem. Nec detraxit unquam alicujus moribus, nec eſt queſtus de ullo mortalium, quamvis non ſemel amaris verbis illius tentârunt patientiam. Patriam ſuam quamlibet vicinam Conimbricæ non adivit, nec pervicerunt importunæ ſuorum preces. Singulariter deditus fuit obſequiis Magnæ Matris. Docens humaniores litteras habebat præ oculis imaginem Virginis in charta depictam: hæc pangenti carmina erat cæleſtis muſa. Arente vena poëtica, ad ipſam recurrens, ac petens opem, experiebatur tam præſens Divinæ muſæ auxilium, ut brevi, & facillimè ea componeret, quæ multo ſudore, & multo tempore vix aſſequi potuiſſet. Calculis omnium, qui ipſi conviximus, Religioſus fuit abſolutiſſimis virtutibus. Poſt annum quartum ſtudij Theologici eum miſerunt ad Reſidentiam Virginis *à Lapa*. Quod eſſet tenuis viribus, & cælum illud hyberno tempore inclemens ob nives, & frigora, correptus febri ſine mora deducendus iterum fuit Conimbricam, ut auris mitioribus recreatus vires reciperet. Nullæ tamen diligentiæ medicantium hærentem oſſibus, & medullis extinxerunt febrim, quæ magis in dies crevit, donec abſumpſit. Multi poſt ejus obitum volentes Deo illius animam commendare, id ſibi ſuadere non poterant, exiſtimantes eum è lecto rectâ ad cælos conſcendiſſe; potiusque ſe illi commendarunt.

DIE XXVI.

Ludovicus de Reys Coadjutor.

BRigantij ſatisfecit vivendi legibus anno 1616. Natus in Oppido *Torres novas* Diœceſis Ulyſſiponenſis. Erat è Sodalitio opificum in Templo Domûs noſtræ à Divo Rocho dictæ conſtituto; cùm eſt monitus, ut iret Conimbricam induturus tunicam Societatis, eum malus Dæmon invaſit tentatione vehementi à propoſito deſiſtendi: Verum animis altioribus plenus inimici fregit tela. Cæteris Tyronibus erat omnium virtutum exemplar. Ad ipſum loquentem accedebant, ut inflam-

amarentur ignitis ejus sermonibus. rgà venerabilem Eucharistiam, ac S. Deiparentem præcipuos explicait affectus, quibus solebat æstuare. Qui reperire vellet eum, erat quæturus coram Filio, vel coram Mae. Invitatus ad sermones de Deo miscendos mirum in modum exhilabatur. A domesticis, & externis honore habitus est ob singularem nctimoniam. Ad obediendum ebatur puerili candore, & innoentiâ. Nunquam ostendit aniium obedientiæ repugnantem. Era mendicos nihil ejus charitate begnius. Ipsorum importunis prebus non gravabatur. Dixerunt i nostrates, horâ constitutâ triieret egenis stipem, vitaturus creram venientium importunitatem usans jam datum fuisse, quod erat stinatum eleemosynis, respondit: le quid se nunquam facturum; si enirent millies, iturum millies ad Rectorem, ne pauperes è limine ostro tristes discederent. Redaus ad angustias morbi postremi, tulit acerbitates, ut ne gemitu uidem eas levaret. Semel tantum, bente Medico, gemuit. Cum aliuis eum visens, solandi gratiâ, ompatiebatur, lætitiam ipse præ ultu ferens, subridebat, significans, quam contentus esset tali reim statu. Sacramenta suscepit mificâ pietate. Vi morbi è suis locis ejecta mente, fecit notum, quantâ irtutum supellectile exornasset aniam; nam verba omnia spirabant sanctimoniam. Ad illius honestandum funus confluxit Populus innumerus. Tribus tantum annis, & medio inter nos vixit.

Barnabas Serram Scholasticus.

ANimam exhalavit Bracharæ anno 1660. Natus in oppido *Valverde* Diœcesis Visensis. Conimbricæ dedit Societati Nomen 26. Maij anno 1657. Litteris incumbebat Bracharæ, ubi, qui noscebant, intuebantur ut Sanctum. Vel minima superiorum significatio illi fuit instar præcepti. Cùm Bracharæ laboraret valetudine, monentibus, peteret cæli mutationem, respondit: se victimam esse Sanctæ obedientiæ, non facturum, nisi quod ipsa juberet. Invaluit ægritudo, & ille se comparavit ad abitum è vita. Phrenesi sensibus turbatis, de rebus Divinis tam certè loquebatur, ut integrâ mente rectiùs non faceret. Ad illius exequias factus concursus innumeri populi, argumentum fuit eximiæ Sanctitatis. Certatim ruebant omnes ad cadaver exosculandum. Tantus erat impetus multitudinis, ut vix permiserit tradi sepulturæ.

Aliqui in navigatione Indica.

ANno 1666. multos nobis mors abstulit in Insula Socotora. Anno 1665. 20. Apr. solverat ex Ulyssiponensi portu navis dicta à sancto Petro de Alcantara. Cum secundò æquatorem superabat, abiverant navigationis octo menses. Labora-

batur ingenti lympharum, & annonæ penuriâ. Ex morbo, quem à *Loanda* vocant, peribant multi. Per navem totam vagabatur hujusmodi morbus. Ad has compulsi angustias, qui regebant navem, proram dirigunt ad Socotoram Africæ adjacentem oris prope fauces maris Rubri. Eò appulsi descenderunt ad littus tum fessis, & ægris corporibus consulturi, tum victûs, & aquarum penuriâ. Multi Sociorum ibi dulces reliquerunt animas, quas saluti animarum devoverant. In navi mortuus *Pater Josephus Antonius*, nec enim permisit morbi gravitas ad terram extrahi. In littore, & sublatus, & sepultus *Pater Sylvester Francus*, *Pater Franciscus de Costa* cum quodam Centurione causâ comparandi victus ad Meditullium Insulæ contenderat: Ibi morbo decubuit; duo è nostris certiores facti, illò convolarunt infirmo prospecturi. Quadraginta milliaribus Italis distabat locus. Iter ob saltus, & montes superandos erat valdè laboriosum. Quamvis nocte, dieque properarunt, invenerunt vitâ defunctum. Narravit Centurio se non vidisse suaviorem mortem, nec fidei, spei, & charitatis ferventiores actus. Idem honestè composuit cadaver, ac jussit in altum mergi. Tuguria extemporanea fabricaverant arcendo Soli, in his expiravit *Pater Emmanuel Mathias*. Cum essent experti littus parum salubre infirmis, se receperunt in navem. Ibi *Pater Mathias Andradius* vitam amisit; Quamvis erat viribus robustis, si eum attrivit morbus, ut non homo sed hominis videretur umbra, & simulacrum. Etiam unus Tyro vitam exuit. Omnes Februario mense sunt mortui: tamen certam diem narrationes factæ de hac calamitate non exprimunt.

DIE XXVII.

Alexander Coelho Coadjutor.

ANno 1580. gloriosam mortem oppetivit Ulyssipone. Natus in oppido *Arrayolos* Diœcesis Eborensis. Incogniti parentes recens natum exposuerunt noctu in plateâ involucro abditum. Primo mane nobilis Matrona ad fenestram suæ domûs accedens, vidit molossum ore ferentem illud involucrum. Misit famulum, qui raptum de canis ore dissolvit, reperitque infantulum expirantem. Protinus curatur de abluendo Sacris lymphis. Eadem Matrona educationi consuluit. Ubi licuit per ætatem, tradidit fabro cultrorum, ut eum doceret hujusmodi opificium. Verum Alexander meditans altiora, statuit arma, & Matrem sequi. Militavit sub vexillis Hispaniæ, cùm Joannes Austriacus ad Promontorium Actiacum navali prælio Turcam vicit. Inter cætera spolia fœminam adolescentem militum manipulus rapuerat, servabatque libidini explendæ. Captæ miserans vicem Alexander, & simul intimè dolens de

e peccatis adversus Summum Boum committendis, arma sua, nec liud pretium ad manum erat, milibus dedit pro capta fœmina. Sic edemptam posuit in domo honestæ eminæ, ut ibi à vitiis tuta vitam egeret. Relicto bello, se contulit boram, redditusque opificio suo. dibat sæpe illius officinam emptor Collegij nostri, Vir multæ virtutis: ic probè noscens Alexandri optiiam indolem, & vitam Christiano ignam, invitavit ad Societatem inundam, quod ille executus Eboræ . Octobr. anno 1572. Annis octo pud nos vixit religiosissimè, quam itam coronavit invidendus exitus. este Ulyssiponem miserum in moum populante, Alexander se obtut ad serviendum contagione infecis. Dum strenuam tam pio sudo- navat operam, contactus & ipse erniciosâ lue vivere desiit inter iortales.

DIE XXVIII.

, Doctor Ignatius Martins Doctrinæ Christianæ insignis Magister.

Conimbricæ anno 1598. Superis additus. Natus in oppido *Gouea* Diœcesis Conimbricensis. Nomen illi ante ingressum Vascus Martins. Cum Magister Simon Roderiius jecit primum lapidem Collegij Conimbricensis,decrevit induere nomen Ignatij primo Scholastico, qui ost eam diem Societati adscriberetur. Contigit ea felicitas Vasco 17. April. anno 1547. nam memor promissi Magister Simon Vasco Ignatij nomen aptavit in honorem Fundatoris nostri adhuc viventis. Cum nomine visus est induere obligationem imitandi Fundatorem Societatis Ignatium. In studiis scientiarum fulsit in eo præclarissimum ingenium, & ad Sacras peragendas conciones eloquentia, & actio, quales formant singularem Oratorem. Primus è nostris Eboræ docuit Philosophiam, antequam illic haberemus Academiam. Regebat tunc Collegium Leo Henricius, de quo gloriosa fit mentio 8. Aprilis, ut erat in re spirituali Vir mentis celsæ, considerans ad fundandum in virtute Ignatium, & in Societate conservandum, opus esse humilitatis, & mortificationis exercitio, eum multis pœnitentiis publicis, & reprehensionibus castigavit, ut his veluti ponderibus, & saburra navis securior mare sulcaret. Cùm Leo postea jam senex provectæ ætatis vidit Ulyssipone Ignatij plausus, & Apostolicum hominis spiritum, ejus apprehendens brachium, hæc dixit: Recordaris, mi Ignati, illas pœnitentias, quibus Eboræ te multum afflixi? scito, te non futurum, qualis es, nisi ita fecissem: nec Societas in te haberet, quod habet, nisi ferres patienter: Professus non esses, nec in Societate, cui tanto es honori, viveres. Martio anni 1570. insignitus gradu Doctoris Eboræ unà cum Petro Fonse-

ſeca Scientiæ Mediæ Protoparente. Præſens fuit Rex Sebaſtianus, Cardinalis Infans Henricus, Eduardus Princeps, & quidquid magnum erat per id temporis in Luſitania. Patronus Ignatij, (ut eſt moris Academici) fuit Vir ille, cui laus omnis inferior, Ludovicus Granatenſis Dominicanus. Quamvis clareſceret dotibus ad Magiſteria præſtantiſſimis, viſum eſt Superioribus, eum potiùs occupare in concionibus è è Sacro ſuggeſto. Placuit multùm Sebaſtiano Regi, & Cardinali, & omnibus; audiebatur magno plauſu. Non ille reſpuebat hos auditorum favores, ſed inſtar hominis gloriolam amantis, indulgebat auræ populari. Hæc videns Simon Gomeſius opifex, quem in Luſitania vocant *Sutorem ſanctum*, quod fulſerit miris virtutibus, & multa ventura prædixerit, ad Ignatium inquit: *Solatio tibi ſit, quod Excelſi dextera te mutabit in Virum alium: ſeptemdecim poſtremis vitæ annis te multùm excedes.* Quod ipsâ re contigit. Mortuo ſancto Franciſco Borgia, miſſus Romam ad univerſæ Societatis Comitia pro novo Moderatore eligendo. Ibat Procurator Indiæ, & Braſiliæ. Poſt electionem Generalis iter fecit per Germaniam, & Flandriam ad obtinendas, quas poſſet, Divorum reliquias in Luſitaniam comportandas. Id enim difficile non erat calamitoſis temporibus, quibus Catholici hos theſauros in tuta conduxerant, ne hæreticis eſſent ludibrio.

Multa admirationis plena in hoc itinere acciderunt Ignatio. In Alpium tranſitu, cui inſidebat, mula tramitem devium ingreſſa, ſeſſore non advertente, intravit ponticulum latum pedes duos. Is erat conſtructus à paſtoribus ex lignis, & ceſpite ad ipſorum uſum, & gregis. Subter profundum erat præcipitium, cui vitando duabus trabibus utramque rupem conjunxerant. Jam medium pontem acceſſerat mula, cum ſtetit immota: ad finem immanis erat hiatus, quod gleba, & transverſa ligna cecidiſſent, relictis tantùm duabus trabibus, ſuper quas fuerat ſtratus ponticulus. Conjecit oculos Ignatius, & ſtupuit. Si pergeret, ruebat præceps; ſi vellet fræno mulam convertere ad pontis aditum, id anguſtiæ loci non ſinebant. Dum hæret attonito ſimilis, mula poſtremis pedibus tantum firmata, gyro mirabili per aërem facto caput vertit ad ingreſſum pontis, & incolumis evaſit anguſtias. E Flandria Hiſpaniæ appulſus inviſit Cæſar Auguſtæ templum Virginis à *Pilar* dictæ; ibi dum ſolus cum Adminiſtro, clauſis foribus, Sacrum facit, à triſſagio *Sanctus* ad hoſtiæ conſumptionem in odeo Angeli ſuaviſſimè ceciderunt. Eodem tempore hæc verba ab illo audita: *Ignati, ſume cannam: Ignati, ſume cannam.* Motus inſtinctu Superiori propoſuit, contemptis auris popularibus Sacri ſuggeſti, ſe dedere totum edocendis pueris, & rudibus Chriſtianam doctrinam, quod illi

li significabatur iis verbis, nam in-
er erudiendum arundine oblonga
otantur pueri responsuri. Lusita-
iæ redditus, huic Ministerio om-
es impendit curas, & cæpit avi-
ius audiri, quam solebat Sacras
eragens conciones. Eventus alius
proposito confirmavit. Ad ma-
nam solemnitatem composuit con-
onem priscis elegantiis, stylo flo-
do, & exquisitis convestitam Rhe-
oricæ figuris. Aggressus eam tra-
ere memoriæ, insolitam expertus
ifficultatem, vix duas, aut tres
ripturæ lineas memoriæ commi-
rat, cùm penitus evanescebant.
uod esset illi memoria tum appre-
endendis verbis tum conservandis
delissima, stupuit novitate memo-
æ labilis. Tunc in genua provo-
tus ante Crucifixum non sine la-
rymarum impetu, firmissimè pro-
nit, se non concionaturum am-
ius; nisi morum reformationi con-
enientia. Ex templo sibi est visum,
Sacra effigie hanc emitti vocem:
ati prædica Christum Crucifixum. Sur-
xit omnino à se diversus. Statim
emavit conciones eleganter con-
riptas, & captandis plausibus fa-
as. Anno 1577. cùm Rex Seba-
anus unicè cogitaret Africam, &
llum illud Lusitano Regno fatale,
n cessabat in prædicationibus Ig-
tius à reprehendendo hujusmodi
nsilio, quamvis sciret Regis displi-
ntiam, qui tales conciones nollet
dire grato vultu. Propterea Mo-
ratores Ignatium miserunt Conim-
bricam, ubi aliquot annis commo-
ratus, donec mortuo Henrico Seba-
stiani successore, regressus Ulyssipo-
nem. Tunc novo succensus fervo-
re varios, & miros invenit modos
Sacram docendi Catechesim. Ad id
temporis Mysteria fidei tantùm ex-
plicabamus populo in templis, con-
vocatis pueris tintinnabulo. Igna-
tius primus fuit, qui præcedente
longo puerorum agmine ad fora,
vicos, & vias publicas exivit, ibiq;
ex loco edito erudivit populum.
Vix dici potest, quas vicerit diffi-
cultates: primæ fuerunt in se ipso
vincendo. Fassus est Vir solidæ ve-
ritatis, & virtutis, se rei audendæ
perterritum imagine, toto corpore
contremiscere, collidi invicem ge-
nua. Oriebatur is horror insolitus
ab inusitatæ rei consideratione. Et-
enim subibat mentem hinc se Docto-
rem Theologiæ, Regum conciona-
torem, & provectæ ætatis virum es-
se, illinc occursabat vilitas eundi
per tantam urbem arundine ductan-
do puerorum agmen, convocandi
ad Catechesim audiendam Æthio-
pes, & cæteras populi fæces, & quis-
quilias. Has undas sibi pugnantes
animosè infregit, & quidem exitu,
supra quam potest exprimi, felici.
Modus insuetus hominibus virtute
præditis visus est è cælo cecidisse,
mundanis apparuit demissio contem-
ptu digna. Emmanuel Gouvea Epi-
scopus Angrensis Ignatij frater eum
habens obvium cum pueris in foro
urbis, plenus verecundiâ propius ac-

cedens, ad eum ait voce turbata: Quando tui decoris ſic es oblitus, debueras in memoriam referre, eſſe te Epiſcopi fratrem. Siluit Ignatius videns hominis profanum ſpiritum. Ubi diſceſſit, inquit ad Socium ſuum: Hic Epiſcopus ſanctus eſt, excepto, quod meus ſit frater, & quod improbet hoc genus Magiſterij. Exemplo ſuo ſic eſt uſu receptus is docendi modus, ut ſint illum complexi omnes Socij Luſitani tum in hac Provincia, tum in Ultramarinis; & Ulyſſipone in Domo Divi Rochi commendari ſolet viris gravioribus. Infinitus eſſem, ſi vellem divina Ignatij artificia, mirabileſque, & amabiles induſtrias exponere, quibus pueros, rudem populum, & omne genus hominum ad ſe audiendum allexit. Videbatur ſine fabula novus Orpheus, & Amphion, aut Hercules ille Gallicanus. Complebantur fora, & plateæ populo innumero. Inerat illi ſive interrogando pueros, ſive eorum explicando reſponſa tam ſanctus, & utilis lepor, ut eſſet auditoribus amabile veneficium. Confirmavit Deus rebus prodigioſis hunc fidei Myſteria docendi modum. Fortè hominem provectioris ætatis interrogavit Salutationem Angelicam. Cùm erubeſceret, ac taceret; Ignatius contingens arundine infantulum ſugentem Matris ubera; *Dicito*, inquit, *Salutationem Angelicam.* Sine mora, dimiſſo ubere, totam recitavit, ſtupentibus, qui aderant, & ſciebant adhuc infantem voces ullas non didiciſſe. Sæpe altâ nocte ſceleſtis hominibus ad committenda crimina feſtinantibus videbatur audiri proximè Ignatius cum ſuis pueris Doctrinam Chriſtianam cantantibus. His vocibus deterriti à ſceleribus deſiſtebant. Cantiones Hiſpanâ linguâ, & metro compoſuerat, ut his aſſueſcerent pueri, & haberent odio profanas. Diſplicebat verbum unum in explicanda Chriſti conceptione in utero Virginis, quod non appareret tam grave. Dum anceps, & cogitabundus ſe domum recipit, ignotus puer ad eum accedens inquit: Pater Ignati, *Quedaſtes morada del hijo de Dios.* Latinè: *manſiſti domicilium Filij Dei.* Clauſula vernacula hæc erat: *Quedaſtes prenhada del hijo de Dios.* Hoc eſt: *Manſiſti prægnans Filio Dei.* Non arridebat patrio idiomate verbum *Prægnans.* Hunc eventum ſic multi ſcribunt, verum Coadjutor Patris Socius ſua manu reliquit ſchedam exaratam, quam ego legi: ſe ab Ignatio audiviſſe, virum Cantabrum ignotum prædicta inſtillaſſe verba, & à ſe exiſtimatum fuiſſe Societatis noſtræ Fundatorem. Sæpè Dæmon variis artificiis tentavit pueros, & auditores turbare, quas machinas Ignatius eludebat, admonens eſſe inimici Dæmonis inanes terrores. Frequenter ſociatus viris non minus quadringentis amphoras aquæ plenas portantibus ibat ad carceres urbis. Aliàs eodem ferebat caniſtros, & cophinos multos, quà pomis,

is, quà pane, quà victu cætero re-
ertos. Ut est piissimus Ulyssipo-
ensis populus, mirum in modum
creabatur his Ignatij novitatibus;
ciabat se ei libentissimè, abundè
rgiebatur eleemosynas ad succur-
ndum miseris, & emenda præmia,
ueris, & cæteris ad interrogatio-
es doctrinæ respondentibus imper-
enda. Sed omissa harum expedi-
onum mentione, aliquid perstrin-
mus de illius immensis virtuti-
is. Corpus suum non mitiùs tra-
avit, quàm abjectissimum manci-
um. Post mortem repertum est
tum conspersum nigris maculis,
vibicibus ex assiduo flagello. Qui
derunt, testati sunt, sibi visum
se Christi corpus, cùm Pilatus cru-
elissimè verberatum ostendit po-
ulo, dicens: *Ecce homo.* Assistens
lmeirini in Residentia, quam illic
abebamus ad tempus, dum Sere-
ssimi Reges vere, aut hyeme ru-
cabantur, Ignatius Regum con-
onator instar mediastini findebat
curi ligna, & fasces humeris im-
ositos ferebat ad culinam. Maria
rinceps Cardinalis Henrici soror ex
omine credens Ignatium Azebe-
um, quæsivit: Essetne sanguine
ustris? cui ille: Sum pastor rusti-
s natus in saltu ab Stella: Mons
in Lusitania celebris, ad cujus
dices sita est Ignatij patria. De-
de interroganti, esset ne concio-
tor, respondit: Sum, sed è trivia-
turba concionatorum. Ajebat de
ipso luscum, & coclitem esse ni-
grum, faciem habere Pastoris, à Deo factum potiùs ad greges pascendos, quàm ad pulpita: parentes suos fuisse pauperrimos, ac de fæce plebis. Vestitus, quo utebatur, erat plerumque vilissimus. Indumenta vetusta, ac lacera illi erant in pretio. Cùm dormiebat, tunc auferebant usu consumpta substituendo meliuscula. Reperiens hujusmodi strophas, & furta vix poterat consolari, tanquam ipsi fuissent per injuriam sublati orbis thesauri. Rogavit Coadjutorem, an rectè faceret se stultum fingendo ad vitandas hominum æstimationes? adjecit se ad id magnam sentire propensionem. Cùm responderet, id non conveni- re, quod erat amovendus à celebrando Sacro, & privandus cælesti pane, & à juvandis proximis arcendus, exuit hanc mentem. Omnes, ut Superiores, venerabatur. Cùm fiebat cæteris obviam, primus detegebat caput. Nunquam voluit conscendere jumentum ephippio stratum. Si quis suadebat, signabat se signo Crucis, tanquam ejus generis equitatio oleret superbiam luciferinam. Illustrium Virorum familiaritates magnoperè exhorruit: volebat potiùs existimari agrestis, quam Urbanus, & politicus. Ludovicus Granatensis Dominicanus altâ, quâ erat præditus, mente, admirari solitus, Ignatij acutissimum in argumentis scientiarum ingenium, & in pulpitis plausum auditorum; mox stupebat eundem, considerando tan-

tum hominem inter Æthiopum, & plebeculæ turbas Catechesim docentem. Nunquam se furatus est labori Habebat tot solus instar integri Collegij; nam pro pluribus unus prædicabat, exponebat Christianam doctrinam, & confitentes audiebat. Semel quæsivit ex Socio; ad quid personaret campana? cùm responderet: vocari ad mensam Socios. Reddidit Ignatius; erubesco ad mensam ire, cùm hodie nec sim concionatus, nec docuerim Christianæ fidei capita. Ajebat, Societatis esse proprium invisere carceres, nosocomia, triremibus addictos, & gestare cannam doctrinæ, non permissuros nos, ut aliæ Religiones eam sibi sumerent Provinciam, ne hæreditas nostra ad alienos transiret. Petrus de Fonseca, de quo perillustrem facio mentionem 4. Novembris, ut verbis significaret conceptam de Ignatio opinionem, ajebat: *Ignatius totus est aurum purissimum redactum in pulverem.* Tandem occasione Conventus Provincialis habendi Conimbricæ, usq; ad eam urbem Ulyssipone egit iter pedibus cum alio Sacerdote concionando per oppida, & instituendo rudes, & pueros Fidei Mysteriis. Habitis comitiis, petente Conimbricensi Episcopo, & præcipuis civibus, illic mansit dicturus ad Populum è Sacro suggesto per Quadragesimam. Hujusmodi curas mors intercepit. Ubi eum morbus invasit, ad valetudinarium deferri curavit; ut, in quo loco cæteris prospicitur infirmis, sibi consulerent. Nihil per eos dies aut fecit, aut dixit sine odore virtutis, & sancto exemplo. Asseruit duas res sibi maximum afferre solatium; Primam, semper habuisse conscientiam suam expositam tanquam in mensa suis Superioribus. Alteram, se totum permisisse obedientiæ, quin vitam suam disponeret, sed id solum ageret, quod obedientia voluerit, & injunxerit. Ut eum hilararent, posuerant in cubiculo arundinem, & unum ex vexillis agminum puerorum euntium ad audiendam doctrinam. Percontanti Rectori, quæ res posset illi esse levamini, & lætitiæ, ut morem gereret, respondit, sibi ex humanis rebus nullam futuram amœniorem, quam videre Tyronem aliquem docentem pueros Catechesim. Extemplo jussit Rector, venirent Tyrones, unusque arundine sumptâ coram infirmo de more obeuntium id Ministerium sermocinatus est non sine jacentis magno solatio. Precatus est, contumularent cadaver suum arundine in manum insertâ; quod est factum. Ex quibusdam significationibus conjecerunt Dæmonem conatum fuisse eum prope extremum agonem interturbare, cui Ignatius pugno intentato bis, aut ter est minitatus. Tandem quievit placidissimè. Ad illius justa, & funus sepeliendum incredibilis concurrit omnis generis multitudo. Irruebant magno impetu ad pertingendum

...im corpus, vel aliquid rapiendum. ...r hujusmodi reliquias Deus singu...ria multis impertivit beneficia. ...ius ossa locata fuerunt in interiori ...cello Divi Antonij, ubi conser...antur inter alia Virorum sanctitate ...signium, de quibus suo loco in hoc ...ere recordamur.

P. Paulus de Azevedo.

...Boræ migravit ad cælos anno ... 1596. Natus in oppido *Canave...s* Portuensis Diœcesis. Ejus Pa...ntes ex illustri Familia dicebantur ...udovicus Azebedius, & Helena ...lmeyda. Pater fuit frater nostri ...natij Azebedij, de cujus glorioso ...artyrio loquendum nobis est 15. ...lij. Conimbricæ adscriptus Socie...ti 11. Julij anno 1583. Nihil mi...oris fecit, quàm suam nobilitatem. ...ngularis humilitas, obedientia, & ...itissimus genius reddebant gratum ...ociis omnibus. Semel miscens cum ...iis suæ ætatis sermonem de morte, ...is præsentium prior esset obiturus, ...xit Paulus: Ego non possum affir...are meæ mortis tempus, verum ...r mihi præsagit, moriturum me ...boræ, & condendum in eodem se...ulchro, quo sepultus est Joannes ...lellius, meus in Philosophia Magi...er. Evenit, ut prædixerat. Nam ...issus ad illam Academiam traditu...us Philosophiam, præ nimio studio ...ntisi cæpit extenuari & tabesce...e. Duobus mensibus, quibus ja...uit in lecto penè oculos non amo...it à Crucifixo, creberrimè pedes, & ejus osculabatur plagas. Semel fixis in simulacrum oculis plenus lætitiâ dixit Sociis præsentibus: Genua flectite, & huic Domino recitate hymnum, *Te Deum Laudamus*, in gratiarum actionem pro tanto beneficio. Novitatem admirantes sciscitantur causam repentini jubili: quibus ille: *Non videtis imaginem Domini tenentis manu calamum, delentis scriptam chartam.* Hæc vix eadem lætitia pronunciavit, cum instar hominis sibi redditi. Inquit: *Fratres, mihi parcite deliranti: Sunt enim phantasiæ somnia.* Tamen cum suæ mentis compos esset, dictis fides adhibita. Illius in sustinendis angustiis morbi tolerantia, & virtutes aliæ profectò merebantur, quod Christus oblitteraret, quas labes ægrotus in vita commiserat.

P. Petrus Zuzarte.

ANno 1688. Ulyssipone in Domo Tyronum vivendi tempus explevit. Natus in oppido *Abrantes* Diœcesis Guardiensis. Ulyssipone nomen dedit Societati 19. Martij anno 1634. Felix illi fuit ingenium ad studia: dum litteris incumbit, pungitur magnis desideriis navigandi ad Indicas Missiones. Duo impediebant, virium, & sanitatis debilitas, & parentum divitum, ac nobilium contradictio. Id contigit illi rarum: Quoties volebat attemperare se parentum voluntati, tum vires, tum sanitas habuere pejus; ubi primum resurgebant Missionum desideria, redi-

dibant firmior ſanitas & vires. Hinc illi prudens eſt orta conjectura, ſe à Deo vocari ad Orientis Miſſiones. Idcircò concultatis omnibus impedimentis eò vela ſolvit anno 1645. Goæ coactus annis multis edocere Philoſophiam, & Theologiam. Poſtea ad Mogoris regiam urbem perrexit inſudatum animarum culturæ. Inde juſſus ad Sinam contendere rexit Macaenſe Collegium. In ejus Provinciæ conventu electus Procurator juxta noſtrum Inſtitutum venit in Europam. Magni habitus in Italia ab Duce Hetruriæ, & in Luſitania à Rege Petro hujus Nominis Secundo, qui noluit eum iterum navigationem Indicam ſuſcipere. Dum illi fuit qualiſcunque ſpes hanc vincendi difficultatem, conſervavit prolixam barbam. Per id jam tempus viſum valde attenuatum, & imbecillem experiebatur. Cum vidiſſet ſpem ſuam inanem eſſe, promiſſam raſit barbam, viſumque amiſit penitùs. Tranſegit aliquot annos in Collegio Divi Antonij divinis commentationibus deditus. Multi eum conveniebant Viri primarij, quod in loquendo, citra Religioſæ gravitatis diſpendium eſſet æquè affabilis, atq; jucundus. Exoſus hominum familiaritates, & confabulationes, faceſſivit ad Tyronum domicilium, ut ibi ſibi ſolum, ac Deo vacaret. Magno exemplo illic reliquam traduxit vitam. Nihil ſine Majorum facultate ab externis accepit. Quavis die ad aram Sacrum faciebat. Tenuit memoriter diverſas Sacrorum recitationes. Ne quid inter celebrandum contingeret minus decens, diligenter proviſum. Sic eo recreabatur ſolatio cum debitâ peragendo Sacrum reverentiâ. Etiam memoriæ tradiderat aliquot officia penſi Canonici, quod die nullo omittebat. Diebus ſingulis unus è Tyronibus ſpatio integræ horæ legebat illi aſceticum librum. Primus ſurgebat manè, ac ſtatim per duas horas Orationi curas impendebat. Poſtremo tentatus morbo, & corroboratus Sacramentis miram oſtendit lætitiam: nam poſt ſuſceptam Unctionem extremam hilari voce bis dixit: *Alleluja*, *Alleluja*. Adjecit: Quanquam ſumus in Quadrageſimâ, quo tempore non dicitur *Alleluja*, benè hoc poſſum pronunciare, quoniam hæc præſens dies mihi Paſcha felix, fauſtumque fuit. Tanta pax inerat de vita migraturo.

P. Cornelius de Sancto Patritio.

ULyſſipone in Domo Profeſſa mortuus eſt anno 1656. Natus in Hibernia. Inde profectus Hiſpali in Seminario ſuæ nationis dedit operam Philoſophiæ, poſtea Theologiæ annis tribus. Initiatus Sacerdos venit in Luſitaniam, ibi ſe mancipavit Societati Ulyſſipone 17. Martij anno 1621. ætatis 27. Abſolutis Eboræ Theologiæ ſtudijs, quinquennio docuit moralem ſcientiam apud Inſulanos Angræ, & in Divi Michaelis Inſula. Illic erat, cum die 2. Sept. an-

anno 1630. hiante solo prope *Garcæ ontam*, erupit formidandum incendium, & igneæ massæ flumen vastans omnia. Complevit terror, & horror Insulanos credentes adesse postremam diem. Intermiscebantur creberrimi terræmotus. In hac rerum confusione magnum attulit solamen omnibus Cornelij charitas sive audiendo confitentes, sive collapsis animis vim adhibendo suis verbis. Inter horrores versabatur intrepidus ad succurrendum omnibus. Semel præ continuato succussu terræ, fugiente, qui aderat Cornelio Sacris operanti, ipse sui potens absolvit Sacrificium imperterritus. Ex Insulis missus Eboram ad tradendos conscientiæ casus, quod multis annis peregit singulari præstantiâ. Reliquam vitam exegit Ulyssipone tum in Seminario suæ nationis, tum in Domo Professa, prælucens omnibus & vitæ exemplis, & morali doctrina. Creditum est ipsi præcognitum suæ mortis genus. Non semel dixerat, quod si morte subitanea invaderetur, impertirent sibi absolutionem. Eodem mane facto Sacro, & aliquot auditis confessionibus, apoplexiâ dejectus in terram oppetivit mortem.

DIE XXIX.

P. Doctor Marcus Georgius.

ANno 1608. Eboræ desivit vivere. Natus in oppido *Nogueira* Diœcesis Conimbricensis. Tyronibus nostris additus Conimbricæ 15. Martij anno 1546. Vir fuit è præclaris hujus Provinciæ & virtutibus & litteris, cum his profundam conjunxit humilitatem. Planè fatebatur parentem suum fuisse opificem cæmentarium, adjiciens non debere se honores quærere in domo Dei, quæ habiturus non esset in domo paterna. Multis annis docuit scientias Conimbricæ, Ulyssipone, & Eboræ, ubi Theologi Doctoris laureâ condecoratus. Eminuit etiam in peragendis Sacris concionibus, & magno auditus plausu, tum à populo, tum à Magnatibus & Regibus. Composuit libellum aureum de Dialogis Christianæ Doctrinæ, quod cernitur in omnium alphabetariorum manibus: eum auxit posteà Ignatius Martinius, de quo supra scripsi. Veniens è Româ, quo ierat missus à Conventu Provinciæ, ægrotavit, antequam intraret Lusitaniam. Eboram pervenit, ad ultimas penè redactus angustias. Quamvis Medici omnem artem fatigarent ad eum sanandum, nihil valuêre remedia. Multus dolor in ejus obitu nostros & externos pervasit.

P. Sylvester Georgius.

COnimbricæ eodem anno 1608. ad immortales excessit. Frater germanus erat Patris Marci Georgij. Quos sanguis, natales, & virtus fecerant similes, æquavit dies suprema: nam ipsa die, qua Marcus Eboræ, expiravit Sylvester Conimbri-

bricæ, tanquam unus esset alterius vita. Conimbricæ iniit Societatem 21. Augusti anno 1550. Architectonices peritissimus valdè utilis fuit nostrarum domuum surgentibus ædificiis. Eum omnes suspiciebant ut verum Israelitam sine dolo. Multa illi bonitas & sinceritas. Per Adventum Domini illius erant unicæ curæ nasciturus Infans. Longâ vixit ætate sine ullius querelâ. In libro obituum Collegij dicitur eum annis, & meritis onustum ad cælos conscendisse.



MARTIUS.

DIE I.

P. Ludovicus Lopes.



ANno 1676. diem obivit Eboræ. Natus in oppido *Vidigueyra* Diœcesis Eborensis. Eboræ se tradidit Societati 24. Decemb. anno 1611. Virtus illi tam innata fuit, ut Scholasticus adhuc sæcularis esset innocentissimis moribus, & votum emiserit perpetuæ castitatis servandæ. Egit in Provincia multas & præclariores Præfecturas, nullæ fuerunt supra illius dotes & virtutes. Ut explicarent ejus exactissimam observantiam, vocabant Socij *Regulam vivam* Aliquando de rebus sanctis inter se discurrentibus nonnullis Sociis, excitata est hæc quæstio; Quid eo temporis momento fieri posset conformius nostro Instituto, & perfectius? aliis alia dicentibus, unus dixit, sibi videri, illud futurum tunc concordius nostræ Regulæ, quod, ubicunque erat, ageret Ludovicus Lopes. Cum plausu accepta est consideratio, & à cæteris probata. Ultimis vitæ temporibus, quod surduisset aliquantulum, designatus est adolescens Socius, qui sanctum senem moneret, cum incipiebant, ac desinebant exercitationes spirituales, & cætera ex Regulis obeunda. Si est oblitus Socius advertendi finitum jam tempus; persistebat, donec certus fieret. Semel denunciavit signum datum explorandæ conscientiæ ante prandium per quartam horæ partem, ut jubet Regula. Obliviscens Socius, adivit mensam primam; postea recordatus sui erroris, inambulabat ante januam cubiculi præ pudore timens ingredi. Sacerdos, qui transiit, ex eo intellexit causam timoris: hic Sacerdos cubiculum intrans ait alta voce: *Jam est absolutum examinis tempus.* Ad quæ Ludovicus: *Sit nomen Domini benedi-*

ictum, ex quo sum in Societate, non vidi
taminis quadrantem tam longum. Non
inus sesquihora effluxerat. Pro-
nus manifestavit oblivionem Socii.
liàs manè non est excitatus ad
rgendum, nec enim id solitus age-
ante signum campanæ. Cum non
ppareret in valetudinario ad offu-
m sumendam, infirmarius cubicu-
im iniens, aperit fenestram: cui
onus Senex existimans horam sur-
endi: Profectò visa mihi est æter-
itati similis hæc nox. Ad hæc in-
rmarius: Noctem appellat, sciat
se jam altam diem. Induat se, ve-
iatque ad jentaculum. Proripuit
de lecto, oravit per integram ho-
m, operatus rei Divinæ, explevit-
ue solita exercitia sancta, quin cu-
ret de refocillandis viribus: erat
im supra modum debilis; sed fi-
um ordinem orationum, & recita-
onum nulla commoda turbarunt.
rasiliam ivit Socius Visitationis. In
rtè dum illic exit spatiatum in ar-
oretum, viam perdidit, dumque
agis vagatur quærens erroris exi-
m, magis errat. Tandem mersus
volutabrum, unde nullo conatu
gredi poterat. Hic mentem, &
culos erigens ad cælum, Deum ro-
t, periclitanti subveniat. Statim
l marginem lutulentæ paludis in-
icit pulcherrimum specie juvenem,
ui ramum ex arbore avulsum por-
gens ait: Apprehende hunc ra-
um, ac sequere, sic emersit de lu-
ac morte, edoctusque viam. Ju-
enis evanuit protinus ex oculis.

Non dubium fuit custodem Angelum laboranti favisse. Missus, ut foret primus Rector Collegii Insulæ à Divo Michaele, vi tempestatis appulit ad Fayalensem Insulam. Ibi dum moratur, tam præclarè exercuit nostra Ministeria, ut Insulani duo juncti conjugio, cum deesset proles, constituerint fundare Collegium, quod illic habemus. Par fuit viris æquissimis in gubernando, suum cuique tribuens. Visitator Italus adolescentem Comitis filium foverat multis benevolentiis; utens plus justo his favoribus, parum curabat exactam observantiam. Collegio Conimbricensi Præfectus Rector Ludovicus, officij sui commonefecit adolescentem. Credebat ille novum Rectorem futurum instar Visitatoris. Monitiones esse mera verba. Id videns Rector, & paternam suavitatem ægrotum non sanaturam. Per Subministrum jubet, sumat lugubrem vestem flagellandis in triclinio paratam, eat cum scutica, seque verberet in tergo, ibi dicendam supplicij severioris causam. Quamvis movit omnem lapidem, ut ictum effugeret: ad omnes preces Rector obsurduit; & ille demissis auriculis ingressus triclinium, ubi sedebant ducenti Religiosi (tot alit illud Collegium) tergum cecidit, dum Rector sistendi non fecit signum. Tunc mensæ lector è pulpito voce clarâ recitavit chartam benè longam, plenissimam defectibus, & verbis solitò acrioribus, quibus re-

prehendebantur adolescentis inobservantiæ. Adjectæ postremæ minæ, nisi foret alius in posterum. Eventus fuit, qualem desideravit Ludovicus. Solebatque postea jam in Societate Professus solemniter affirmare, se factum Religiosum à bono sene Ludovico. Vocabatur Alphonsus de Sylveira. De ipso meminimus 4. Aprilis. Humilitati, & proprio contemptui semper studuit. Cùm Provincialis lustrabat Collegia, asello sedens conficiebat itinera, ajebatque non sine lepore id se facere, ut si caderet, casus esset mollior, quod non ex tam alto loco. Erga subditos, quos facti minus justi pænitebat, ostendit amorem, & paterna viscera. Emendatos, & consolatos his dimittebat verbis: *Esto fidelis Deo, & Religioni.* Paupertatem unicè amavit. E Brasilia redivit tam inops rerum omnium, quàm illò navigaverat. Uno eòdemque pallio usus est totâ vitâ; quamvis esset ortus parentibus locupletibus, nihil ab eis unquam petivit, nec patriam suam, nisi semel urgentibus de causis adivit, cum itinere unius diei distet Ebora, ubi ille transegit majorem annorum partem. Ad finem usque vitæ abstinentias & jejunia rigidè observavit. Causâ infirmitatum carnes non edit diebus edendo pisci destinatis; dicebatque eas esse tantùm pro infirmis lecto hærentibus. Quando stetit, aut sedit, corpus non acclinavit. Honores & dignitates Religionis ex animo aversatus; Si deferebatur ad Superior tanquam reus alicujus criminis, nc eum fatigabat responsio; solum r scribebat: *Non recordor, quod rem ha commiserim, idcircò non occurrit, qua excusationem feram.* Cum eum Pr vinciæ Comitia Romam miseru Procuratorem, ut fit unoquoq triennio, quæ munuscula portav offerenda Patri Generali, vendidi eoque pretio emit picturas in cupr factas, quas distribuit Provinci Collegiis. Rem egit insolitam, quo petitionibus Provincialis Conventû non annuisset Pater Generalis: O eamque rationem judicavit stultur esse post operam perditam perder munuscula: nec enim à Societati Moderatore speravit, aut volui Magistratus vir ambitionis alienissi mus. Idcircò quod honores fugit eum secuti sunt. Ne se privare merito petendi facultatem specia lem ad res singulas, habere nolui generalem concessionem exigendi i officinis vel unam lineam, aut char tæ folium, remve aliam minutam sed quoties his erat opus, etiam i provectiori ætate conveniebat Su periorem. Si casu aliquo aberat vel impediebatur ejus Confessarius rogabat Superiorem, sibi unum no minaret ex destinatis ad Sociorum excipiendas confessiones. Quamvis optio erat ipsi, ut cæteris, libera; id exequi solitus, quod censeret Regulæ nostræ magis consentaneum. Multa ipsi cum Deo familiaritas. Ejus in conspectu orabat frequenter, &

quotidiè multis horis. In celeando Sacro, recitandis horis Canicis piissimè se habuit. Præfixet statutum tempus singulis exercis, nec turbabat, nisi necessitate conte. Unde qui noverant ejus mom, quid hâc vel illâ horâ faceret, gnoscebant; denique talis fuit, ut re merito eum omnes suspicerent, nquam hominem virtutis perfeissimæ. Mortuus est in senectute nerabili. Ejus tenuissima supel magni à multis æstimata, quod rtutem oleret.

P. Nonius Rodrigues.

Ranslatus ad vitam fortunatiorem Goæ apud Indos anno 04. Natus Eboræ è parentibus agnæ nobilitatis. Tyrocinium poit Ulyssipone 7. Januar. anno 1560. Domo Professa, quando illic edubantur Tyrones. Antequam ad s veniret, serviebat in Regia loco bili. Non ille aulæ vanitati addi curas præcipuas, hæ fuerunt alres humanis rebus. Quotidie æsens aderat multis Missarum Saficiis, horas plurimas insumebat ando. Cum posteà dicebat aliis, eum multo temporis spatio are, respondebat: plus horarum pendere solitum talibus exercitiis tra Societatem. Ubi famulus apnebat escas bono temperamento nditas, & recedebat, Nonius aa super eas fusa reddebat insulsas. per viam, cui domûs imminebant eſtræ, concursus erat hominum spectabilis, intro se collegit, fraudatis prospectu jucundo oculis. In Religione hæ virtutes multis incrementis sunt auctæ. Cum eo Societati adscriptus Coadjutor ipsius Cosmeta, seu servus ab induendis vestibus. Sæpe Tyronum Magister Nonio jubebat, ut præstaret Coadjutori cuncta obsequia & officia, quæ ille sibi olim præstiterat. Anno 1574. cum Alexandro Valignano ad Indiam navigavit. Ibi coactus à Majoribus præfuit Goano Collegio & Provinciæ. Nihil illi poterat molestiùs accidere, quàm hujusmodi honores. Ubi sciebant Socii venisse successorem; ab ipso postulabant pro læto nuntio munuscula, quæ præbebat libentissimè. Traditâ dignitate, se semper gessit, ac si non habuisset. Consanguineos, quamvis natos loco valdè nobili, non nominavit. Nihil æquè fugit, atque suæ personæ ornamenta. Magno animo tulit subditorum officij oblitorum audacias insanas & inciviles. Unus, quod ejus puniverit inobservantias, quæsitum in cubiculo oneravit injuriosis verbis, eâ mente, ut è Societate pelleretur. Audivit tacitus Superior, postquam vidit effusam omnem iram. Mitissimè ait: *Mi Charissime, à te peto vehementer; ne quod mihi, dicas ulli Superiori: tibi persuasum habe, neminem scientem fore, quæ contigerunt inter nos.* His auditis, hominis admirans charitatem, ex animo doluit impudentiam suam, seque plorans dejecit ad Nonij pedes, quà verbis, quà la-

lachrymis veniam commissi rogans; qua liberaliter datâ, complexum addens, lætum dimisit. Post celebratum Sacrum, horâ solidâ, DEO agebat gratias. Præscivit suæ mortis tempus, & quis esset ei in Magistratu successurus. Magna erat de illius virtutibus opinio. Alexius Menesius Archi-Præsul Goensis, vulgatâ Nonii morte, dixit: *Ad se DEUS rapuit duos Viros, per quos stabat India*; intelligens Nonium, & quemdam Capuccinum, qui ferè eodem tempore è vivis abierat. Ipse & Ludovica Froesia soror insignes sunt benefactores Collegij à Divo Antonio Ulyssipone, cujus expleverunt dotem, tribuentes illi Residentiam Canicensem, non longè à ripa Tagi sitam.

Joannes Valdron Coadjutor.

ANno 1608. in Domo Professa Ulyssiponensi efflavit animam. Natus in Flandria. Quatuor anni decurrerant, ex quo venerat Ulyssiponem, ut sociaret suæ nationis Sacerdotem, qui bono Catholicorum eò Commercii causa venientium consulebat, & simul convertendis hæreticis. Per id tempus Patres aliqui è diversis nationibus erant in ea domo ad hæc cum suis conterraneis exercenda Ministeria. Magna messis ex his laboribus colligebatur. Anno, quo Joannes est mortuus, 160. hæretici nostrorum ope complexi orthodoxam Fidem Ulyssipone. Multum juvit ad tantos fructus recipiendos Joannis cura, qui tum verbis, tum exemplis suis ad impietates patrias deserendas eos incitabat.

DIE II.

P. Moyses Joannes.

MIgravit è mortalium regionibus Ulyssipone in Collegio Divi Antonii Anno 1553. Natus in Aragonia. Fuerat Sacellanus Mariæ, & Joannæ Filiarum Caroli V. Imperatoris. Lovanii admissus in Societatem à Petro Fabro è primis Sociis S. Ignatii. Profectus in Lusitaniam anno 1544. fuit Comes Simonis Rodericii Lusitaniæ Principis Magistri. Magna Moysi Charitas erga pauperes, viduas, & pupillos; omnes juvit, quibus potuit, auxiliis. Ad conjungendas suo Factori animas, singulares habuit industrias, his vim magneticam DEUS indiderat. Ubi virum unum, vel fæminam in aliqua domo ad pias res fervidè colendas induxit; brevi unius virtus cæteris hærebat domesticis: Sæpe domus unius familiæ suasionibus Moysis Divinis obsequiis, & frequentandis Sacramentis dedita, transfundebat hanc pietatem in vicinas domos, & nonnunquam in totius plateæ habitatores. Visum est id Sanctum contagium speciale donum verborum Moysis; non enim communicata ab eo virtus in una, vel altera persona stetit. Diffundebant ipsi, qui acceperant;

erant; occulta vi S. Spiritus eos citante ad alios rerum divinarum rticipes efficiendos; propterea ultam messem ante se ad Cœlum isit.

P. Laurentius Rebello.

ANgræ in Insulis Tertiis anno 1679. vitâ est functus: domo lyssiponensis; Ibi dedit nomen ocietati 5. Augusti anno 1626. æclarum illi ad scientias capessen- s, & tradendas ingenium. Cùm m terreret morbus comitialis, si- Herculeus, Medicorum consilio tivit Insulas. Ex ostio Tagi Ulys- onem intuens illud Scipionis pro- nciavit: *Ingrata patria non posside- ossa mea.* Missus ad Insulam Ma- iram, fecit suis concionibus ma- os animarum motus. Inter alia, æ illi contigerunt rara, semel præ- cans adversus occasiones proxi- as peccandi, in hunc modum exor- s est: *Aderit tibi prope ultimum ago- n concubina: illa tuæ manui candelam eret: illa tibi pronuntiabit JESU, & ARIÆ Sanctissima nomina: illa tibi debit peccatorum dolorem.* Hæc, & nilia cùm diceret, Canonicus eo tio infamis, putans concionem ad dirigi, ait ad proximè sibi hæren- m: *De me sunt illa, quid mihi conve- t, ego scio, possúmque docere concio torem.* Ipsa res ostendit orantis scursum fuisse venturi præsagium. uci dies transierant; cum morti- r lethargus Canonicum abripuit, lecto dedit. Inter conscientiæ latratus se ipsum miser fallebat, di- cens, morbum esse levis momenti, nihil esse: Commendavit meretri- culæ suæ, ne discederet à capite ja- centis, præstaret omnia officia, quæ in rem opus erant: dicto audiens, amasium non deseruit, donec infeli- cem animam Dæmoni tradidit: nec enim curavit expiare confessione animam, nec ulla doloris præbuit signa. Jubentibus Superioribus Lau- rentio, ut à Madeira ad Insulas Ter- tias proficisceretur, ubi civibus inno- tuit tale imperium, eum Senatus ur- bis impedivit, ægrè ferens, Insulam suam homine tam utili privari. Ve- rum ille ad tempus dissimulans, cum minus ipsi putabant, latenter navem conscendit, & explicavit vela. Ter- tias Insulas, quæ novem sunt, sacris excursionibus erexit ad mores pie- tate excolendos. Venerabantur omnes ut oraculum, & Virum cœ- lestem. Etenim eum ornabant scientiæ, & quæ dotes constituunt Concionatorem Apostolicum. Mul- tis annis edocuit Moralem Theolo- giam. Animæ suæ profectui assi- duam dedit operam. Laboris amans nec in postrema senectute, morbis gravantibus, sibi indulsit. Cùm suis pedibus non posset incedere, inter Sociorum manus ferebatur ad tem- pli Chorum, vel ad domum januæ, ibique audiebat pœnitentes. Po- stremò decumbens, tempus con- sumpsit alloquiis piissimis. Biduo post accepta Sacramenta obmutuit, & usum amisit facultatis attrahentis

 cibum.

cibum. Id par miraculo omnibus, quod diebus duodecim nec locutus verbum ullum, nec ullum genus cibi, aut potûs trajecit. Per tam longum temporis ſpatium oculos habuit fixos in Crucifixo. Proximus agoni ultimo, levato aliquantum capite oſculatus eſt Crucifixi pedes, & rurſus acclinans Cervicali caput, placidiſſimè efflavit ſpiritum. Concurſus, & in exequiis lachrymæ omnium, quales ſolent eſſe in funere Parentis ſuaviſſimi.

DIE III.

P. Antonius Coelho.

IN Miſſione Maranonis effudit poſtremum anhelitum anno 1709. Natus in oppido *Samgiamo* Diœceſis Lameceníis. Conimbricæ adjunctus Societati 2. April. anno 1670. Tum in Tyrocinio, tum annis ſequentibus, dum impendit operam litteris, præluxit exemplo reliquis ſui temporis. Sanctus erat omnium opinione, invaluerátque hujusmodi de eo fama in tota Provincia Luſitana. Quando eſt deſignatus ad miſſionem Maranonis, dicebant multi, non id permittendum, ſe cogendum vivere ſemper in Collegio Conimbricenſi, ut Socios exemplis ſuis ædificaret. Frequentiſſimus erat in cunctis virtutum exercitiis, humi cibos capere, & victus mendicare à cæteris, ut moris apud nos eſt, ſervire in culina, & ſimiles propriæ demiſſionis actus fuerunt illi quotidiani. Tenorem eundem vitæ in Maranonia conſervavit. Qui primis & poſtremis noverunt annis, affirmarunt, in eo ſe nunquam vidiſſe factum, aut verbum, quæ levis culpæ damnari poſſent. In veſtitu, ac cætera ſupellectili Sociis neceſſaria nihil eo egenius. Nec libros proprios voluit, nec præmiola conceſſa pietatis fovendæ causâ. Capſula, quæ in uſu eſt illic Miſſionariis ad comportanda, quæ ſunt opus, ex paleis erat confecta. Ejus mens & voluntas pendebant unicè à Moderatorum imperiis. Ubique, & ſemper quæſivit locum poſtremum. Non protulit verbum jactanter dictum. E continuo ac ferventi cum DEO commercio per orationem ſæpè illi mens ſolita debilitari: hinc exorti ſcrupuli, quibus multum exagitatus. Eos ut abolerent Superiores, diſtinuerunt externis occupationibus. Ipſi eſt imperatum, ut inter domeſtica mancipia ſederet reficiendo inſtar ſartoris veſtes, quod exequebatur promptiſſimè. Neceſſum erat Rectori ejus in caſtigando corpore temperare rigores, ne vitam ante tempus abſumeret. Tum Collegii, cum Miſſionis agens Moderatorem Sociis conſuluit tanquam Pater, & promovit in Spiritu; Ne quid commodorum illis deeſſet, magnopere curavit. Vix exprimi verbis poteſt, quanto odio habuerit detractionem: multis modis eum vexavit malus Dæmon, cæterſque moleſtiis addidit verbera; Ut ſuo muneri

ri satisfaceret, vitam minimi æsti-
avit. Rediverat à visitandis So-
s dispersis per Maranoniam, ac di-
ntis in excolendo animas; cum
avi morbo decubuit. Intellectum
, ipsi mortis horam innotuisse.
e secunda morbi Viaticum postu-
vit, & nocte Unctionem extre-
am: Postea flagitavit aquam ca-
lam ad corpus lavandum; Induit
suis vestibus, calceavit pedes, ac
per lectum dejecit corpus: Roga-
t, ne post mortem corpus nuda-
nt, abluerent, ac de novo vesti-
nt, hæc omnia à se jam præstita. His
è peractis, blandissimè obdormi-
t in Domino. Perspecto è vita
m dulci transitu, sensere, qui ade-
nt mirâ suavitate, ac solatio deli-
tos animos. Cum volebant ca-
ver ad templum efferre, coram
armelitanis, ac Fratribus Mercena-
s cecidit super defuncti brachia
rucifixus. Eam rem ut mirabilem
nt omnes venerati, ut talem Pro-
ncialis Carmelitanus pulpitum
nscendens populo narravit.

DIE IV.

P. Paulus de Valle Martyr.

)Unicali ad oram Piscariam in In-
dia anno 1552. morte gloriosâ
tam absolvit invidendam. Natus
urbe Visensi. Conimbricæ ad
s venit 6. Novemb. anno 1547.
dhuc Tyro Indiam petivit anno
48. Decimâ die Octobris ejusdem
ni Goam pervenit. Brevi adivit
Promontorium Comorinum ad red-
dendas S. Francisco Xaverio litteras
ex Europa. Mirificè est recreatus
Divi conspectu & colloquio. Jussit,
ut vineam oræ Piscariæ excoleret;
dum sudat convertendis Ethnicis,
venêre armati Badagæ legi Christia-
næ infensissimi, comprehensum Pau-
lum, & vinculis constrictum defe-
runt in suam arcem. Ibi barbarâ
habitus immanitate, & vexatus mo-
dis crudelibus, quod esset idolorum
eversor. Ubi Christianis patuit,
quid fecissent veræ Fidei jurati ho-
stes; sumptis armis eò convolantes
è vinculis Paulum extorsêre, rever-
sique ovantes victoriâ, ac Magistri
sui libertate. His crudelitatibus
tanta est facta in attenuato laboribus
impressio, ut cæperit febri contabe-
scere. Mensibus non minùs tribus
perpessus acutissimos dolores, donec
animam Martyrio, & virtutibus or-
natissimam Cœlis inseruit. De hoc
præstantissimo Viro ajebat Xaverius,
hominem esse virtutis perfectissimæ.
Eadem mens & judicium de illo fuit
Henrico Henricio, Xaverii sanctissi-
mi egregio æmulatori.

Melchior Dias Coadjutor.

IN Domo Professorum Ulyssiponen-
si anno 1599. de vivis excessit.
Natus in oppido *Villa Pouca* Diœcesis
Bracharensis. Eboræ nostris Tyro-
nibus additus 8. Junii anno 1587.
ætatis 23. Arsit insigni charitate,
cùm vitam suam sacrificasset conta-
ctis peste juvandis: dum ipsis opi-
tula-

tulatur, eâdem correptus lue interiit.

DIE V.

P. Antonius Monſerrate.

IN regione Salſetana prope Goam apud Indos anno 1600. vitam clauſit. Natus in oppido *Vic de Ozona* in Catalaunia. Barcinone adjunctus Societati. Venit Ulyſſiponem anno 1558. Tyrocinium abſolvit in Domo Profeſſa. Illius inſignis virtus maximè eſt perſpecta anno 1569. cum Ulyſſiponem vaſtavit peſtis, quam ob incredibilem ſtragem vocant *magnam*. Non periculis, non pepercit laboribus, ut animis, & corporibus inter innumeras miſerias gementium ferret opem. Non prætereundum, quin dicatur nominatim, ejus charitas erga puellas orbatas patre & matre, quarum erat amittendæ pudicitiæ evidentiſſimum periculum. Miſerandam turbam loco tuto receptam aluit ſubſidiis, & cibis à ſe conquiſitis. Ex his primordiis traxit originem Cœnobium Divæ Marthæ. Si quis monebat, caveret ſuæ ſaluti, attentiùs piis Miniſteriis incumberet, reſpondebat dictum referens Alphonſi Ægidii, qui in eâdem peſte occubuit: *Priùs peribit bos aliquis hominis egeni, quàm ego:* Quod Alphonſi dictum collaudavit multum, & multò plus Viri præclara exempla, de quibus ſuo loco memorandum. Invidit plurimùm cæteris Sociis, qui ſerviendo peſte infectis efflarunt animas. Anno 1514. navigavit ad Orientem, inſumpturus reliquam vitam Ethnicos convertendo. Rodolphum Aquavivam comitatus eſt ad regiam Mogoris. Cum eventus itineris non reſpondiſſet exſpectationi, reverſus ad Indiam, cogitavit Æthiopiam. Eò dum facit iter cum Patre Petro Paeſio, captus à Turcis. Multis annis remigavit in eorum triremibus ad ſcalmum alligatus. Vincunt fidem labores eâ in captivitate tolerati. Poſt ſeptem annos redemptus auro, ad Indiam redivit confectus inſanis ærumnis. Miſſus ad regionem Salſetanam, brevi attigit vitæ metam. Vir fuit celſo animo & nato ad res grandes. Multa illi cum DEO familiaritas. Excellentes ornabant virtutes.

P. Gonſalus Rodrigues.

GOæ anno 1564. vocatus ad Cœlum. Natus in oppido *Calheiros* Diœceſis Bracharenſis. Studiis operam dabat Conimbricæ, cum permotus Concionibus noſtri Franciſci Stradæ, ibi Societatem complexus 23. Auguſti anno 1545. Petivit Indiam anno 1551. Illò appulſus, imperiis Majorum contendit Ormuſiam ſucceſſurus in ea cultura Gaſpari Barzeo, de quo ſuo loco fiet illuſtris mentio. Ibi laboravit ſtrenuè, donec afflictæ valetudinis cauſâ revertit Goam. Pauló poſt ſe illi glorioſa obtulit navigatio. Joannes Rex Luſitaniæ ſtatuit Patriarcham La-

tinum Æthiopibus præficere; Id
x Abeſſinorum popoſcerat. Vi-
n eſt agi prudentiùs, ſi Legatum
emitteret animos explorandi cau-
ne tantam dignitatem ludibrio
poneret. Legato Comes additus
nſalus. Fuitque primus noſtræ
cietatis, qui Abeſſinos adiit. Poſt
gum mari iter tenuit Æthiopiam:
intra fauces maris Rubri. Adi-
Legiâ, diſputavit cum Schismati-
; Etenim ſequuntur errores Ale-
adrinorum. Expoſitâ Legatione
gis, invenit animos ſuis ſtultitiis
lictiſſimos; aliud de illis genti-
ſentiri in Luſitania, quàm ipſæ
nt; Igitur ſine emolumento tan-
aboris redivit Goam. Docuit
regem, quàm egregiè eſſent de-
, qui crediderant famæ de Æthio-
us. Migrans in Tanaenſem regio-
n ditionis Luſitanæ, magnum bel-
n indixit vanis ſimulacris. Ever-
dolorum templa. Unum ope-
ut vocant, Romano fabricatum
s ſuperbius, dedicavit SS. Trini-
. Cum Idalcanus Rex Viſaporis
lemcunque præberet ſpem abju-
di ſectam ſuam, eò profectus cum
è Dominicanâ familiâ. Verùm
a ex labore merces niſi meritum
gi itineris; Nam Rex homo va-
mus nihil minus voluit, quàm
rios ritus deſerere. Quodque
dius, interrogavit hoſpites, quæ
deſtè, & graviter exponi neque-
. Sequentes annos apud Ta-
nſes promovit fidem, donec Go-
receptus, fecit vivendi finem.

P. Gaſpar Ferraz.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi anno 1611. naturæ conceſſit. Natus in urbe Portuenſi. Conimbricæ conjunctus Societati 25. Febr. anno 1566. Semper edit panem in ſudore vultûs ſui. Amavit labores, quos complexus læto vultu; dum excurrit per Diœceſim Ulyſſiponenſem cum Patre Gonſalo Leitio prædicando adverſus mores corruptos, illis eſt propinatum venenum ab infenſis virtuti. Pater Gonſalus, de quo 19. Aprilis, brevi ſublatus è medio. Gaſpari hæſit longa, & moleſtiſſima infirmitas; ſi per eam licebat, non ceſſabat à laboribus. Annis pœnè octo tulit ſuas ægritudines è veneno ortas.

DIE VI.

P. Doctor Nicolaus Pimenta.

POſtremùm reſpiravit Goæ anno 1614. Natus in oppido Scalabitano Diœceſis Ulyſſiponenſis: Primam hauſit lucem 6. Decemb. anno 1562. propterea illi Nicolai nomen eſt inditum. Antequam eum mater pareret, fuit periculum, ne fœtum ejiceret mortuum. Juſſit ad ſe perduci cingulum ferreum S. Ægidii Dominicani, quo ſibi applicito, habuit melius, & erepta periculo eſt. Idcircò Nicolaus quotidiè poſt horas Canonicas fecit Commemorationem de S. Ægidio. Conimbricæ adjecit ſe noſtræ Societati 2. Maji anno

anno 1562. Rebus Divinis, & proprio contemptui tantum ſtuduit, ut vel Gymnaſii altioris jam Magiſter menſibus vacationum viveret inter Tyrones, & more Tyronum. Petebat, ſibi deſtinari inſtructorem, ut ſit cum Tyronibus, cujus dicto eſſet audiens. Nactus unum ſeveriorem, hic Nicolaum importuniſſimis vexavit imperiis. Ejus nutui ſemper obſecutus. Semel imperavit, ſe conjiceret ſub lecti tabulas, ibique oraret, dum jubenti placeret, ſine mora obedivit: at tantam ſibi vim intulit ad frænandos naturæ impetus reluctantes, ut evomuerit copioſum ſanguinem. Facultates, quibus operam impendimus, ſcientiſſimè didicit, ac docuit. Eboræ tradidit Theologiam, inſignitúsque Doctoris laureâ. Novem annis egit Rectorem Collegii Conimbricenſis. In concionibus ſacris ſui temporis æquavit ſplendidiores; Sæpè vocatus eſt Villamviſſoſam à Principibus Brigantinis eum audiendi avidis. Commercia cum fœminis, ut cum viperis & ſerpentibus, exhorruit, & fugit. Orans ante DEUM in Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi, die, quo Rex Sebaſtianus eſt victus in Africa, vidit Luſitanæ gentis ſtragem & Regem in loco ſemoto ab exercitu. Euntem Romam Procuratorem à Provincia de more electum Pater Generalis miſit Viſitatorem ad Indiam: eò profectus anno 1596. magnis laboribus, & vitæ periculis luſtravit operarios Miſſionum, quas multùm auxit: ſe-

mel naufragio ereptus ſingulari DE
protectione. Abſolutô Magiſtratu
ſe dedit exercendis noſtris Miniſte
riis. Obiverat Pater Nonius Rod
ricius, de quo jam eſt facta menti
Aliquoties in Bibliotheca Goan
Domus Profeſſæ luce circumfuſ
apparuit Nicolao, illíque dixit: *Ven*
Cui Nicolaus: *Eamus.* Ad hæc N
nius: *Modò non, nam adhuc gubernab*
Magiſtratu finito venies. His dictis,
conſpectu ſe ſuſtulit. Evenerun
quæ prædixit. Nam rexit Goanam
& Coccinenſem Provincias: Funda
vit novas Miſſiones & Reſidentias
ut Mogorenſem, Moſtambiquenſem
Senenſem, & Tetenſem, has poſtre
mas in ripis fluminis Cuamæ inter C
fros, & alias Gentes. Ubi eſt finis im
poſitus Magiſtratui, cognovit adeſ
moriendi tempus juxta Nonii præd
ctionem. Inunctus ſacro Oleo, m
nu tenens Crucifixum, hæc ait:
bone JESU, te rogo, ſis mihi tam fidelis
morte Socius, quàm in vita fuiſti; qu
niam 52. annis, quibus in Societate vi
nunquam te offendi lethaliter, ſemperq
tuæ Societati ſervavi debitam fidelitate
Paulò poſt animam reddidit Creat
ri ſuo. Illius exequiæ tanto hom
num celebratæ concurſu, & appar
tu, quanto nullius Proregis conſtab
factas. Adeò magnam omnes de ej
virtutibus opinionem conceperan

Alphonſus de Valle Coadjutor.

CONimbricæ anno 1648. è vita m
gravit. Natus in Paræcia Vi
ginis de Valle prope oppidum *Vald*
vês Diœceſis Bracharenſis. Conim

brica

ricæ adjunxit ſe Societati 11. Januar. anno 1589. Antequam ad oſtrum accederet Inſtitutum, manis à DEO cumulatus eſt beneficiis. nnis puerilibus non habens precaonum globulos, in templo per ditos fortè recitabat, cùm Vir ignos teruncios illi præbuit emendis obulis. Id valdè eſt admiratus, iod homo non viderit utentem ditis. Causâ conquirendi modum, io vitam aleret, è Patria ſua faceſſiit lyſſiponem; dum ingreditur Cœbium Capucinorum, obſervâtque rum virtutem, pungitur animus ſideriis illos imitandi: Conveniens rovincialem, aperit mentem ſuam. uod eſſet adhuc annis teneris, det conſilium, aliquod perdiſceret ficium, utiliter in Religione exerndum. Placuit tonſoris officium. actus Magiſtrum, qui Diſcipulum virtute non parùm promovit. requenter expiatâ per confeſſioem conſcientiâ, Sacroſanĉto pane reficiebat. Quotidiè audiendo cro intererat. Suſpiciebat Relioſos, & Sacerdotes, gratis eorum ſua officina radebat barbam. Oferentibus laboris pretium reſponbat: ſe DEO comendarent, aliud olle pretium. Eum juvit multùm miliaritas cum viro quodam pio, ii hortatus eſt, ut Societati nomen ret. Non defuerunt impedimen, hæc meditanti. Dixit illi ſuus agiſter: ſi habes jam, unde poſſis ctum comparare, ad quid vis eſſe eligioſus? cui ille: *Verum quidem n dubito mihi, unde vitam in hoc mundo ſuſtentem, eſſe: at modo neceſſum eſt, quærere, unde vivam æternùm.* Gaviſus Magiſter tam prudenti, & ſanĉtâ reſponſione; Heus, inquit, non præclarius Concionatores. E Condiſcipulis unus ſuaſit, ne talem iniret Religionem, quæ ſuos dimitteret. Idcircò, reſpondit Alphonſus, mihi plus omnibus arridet, nam is timor me coget eſſe bonum. Singulariter Angelus Cuſtos eum à præſenti morte eripuit. Ivit cum aliis natatum in Tago, dum cæteris nititur antecellere longius à littore recedendo; adeò eſt progreſſus, ut viribus ad redeundum deſtitueretur. Ultra modum laſſatus cæpit ſanguinem expuere, undasque ebibere. His in anguſtiis inclamavit JESUM & MARIAM. Sub talem vocem vidit prope ſe natantem juvenem, ut apparebat, æqualem ætate: poſcit, lentiùs eat, ut ambo ſe animent mutuo conſpeĉtu. Parum temporis decurrerat, cùm juvenem intuetur ſedentem. Eò properans, ibidem conſedit ſuper inverſam triremem, latentem ſub undis. Ubi ſedens conſtitit; juvenis evanuit ex oculis. Alphonſus quiete refeĉtis viribus, evaſit in littus. Cum egenis & mendicis magna illi charitas. Prandii ſui partem ipſis dividebat. Semel, quo tempore induebat primò veſtimentum novum, videns prætereuntem ſeminudum mendicum, ad ſe vocavit, flexúsque in genua, relictam veſtem ſuis manibus egeno aptavit, ac dedit. Forte dum tranſit

ſit prope oſtium Lupanaris meretricula in eum conjecit manum : hic adoleſcens caſtiſſimus dum nititur, ut ſe expediat, cum non poſſet, reliquit, ut alter Joſephus, ſuum pallium in manu fœminæ impudicæ, fugâque citatiſſimâ ſibi conſuluit. Aliquot menſibus fune cilicino Corpus fortiter cinxit, quin die noctéve eum deponeret. Niſi Confeſſarius prohiberet eo uti rigore, geſtaret menſibus multò pluribus. Diebus Veneris ac Saturni vivebat tantùm pane & aquâ. Audivit ab aliquibus Condiſcipulis, eum, qui pane & aquâ jejunium tranſigeret, intincturum, priusquam ederet, panem in aquam. Exiſtimans non aliter fieri rectè, edendum panem conciſum mergebat urceo lymphæ pleno. Hujusmodi pulte, ut ipſe faſſus eſt, inſulſiſſimâ iis diebus famem placabat. Feriâ quintâ majoris Hebdomadis quotannis cruentabat in publicâ ſupplicatione tergum flagello. His aliisque virtutibus exornatus ad nos venit. Habuit in Tyrocinio Magiſtrum venerabilem Patrem Vaſcum Pirium, de quo 21. Septembris. Primis diebus concitatus incredibili fervore in corpus ſuum flagris deſævit. Tantus effluxit ſanguis, totque factæ plagæ, ut fuerit adhibendus Chirurgus; Inde neceſſum fuit invigilare, ne ſe dirius, quàm par erat, tractaret. Sumens Religioſam togam, eam oſculatus, quod propter DEUM induebat, & quod, ut credebat, eſſet donandam pauperibus. Plurimi fecit gradum ſuum. Ajebat, ſe in mundo læto vultu ſerviiſſe peccatoribus, lætiori ſerviturum Domeſticis DEI ; cæteros eſſe nobili natos loco, ſe Laicum eſſe miſerum, & abjectum : ſoris non dignaturos eum numerari inter ſuos famulos. Quod Religioſi forent, ac DEI ſervi, illis deberi cuncta officia, & obſervantias. Submiſſius omnibus ſe geſturum, ut perſeveraret in Societate. Scholaſticos noſtros ſuſpiciebat ut Heros ac Dominos ſuos. Hanc humilitatem conſervavit, & auxit, dum vixit. Comes ivit Sacerdoti ad Monaſterium Sanctæ Crucis, dum Sacerdos privato ſermone cum uno de Religioſis loquitur, ex aliis multi ad Alphonſum urbanitatis causâ accedunt ; ut ipſi mos erat, de DEO ſermonem inſerit. Credentes cum è præſentia plenâ authoritate, tum è loquendi gravi modo, eſſe Theologiæ Profeſſorem ; nam & Calvities fefellit, interrogant, quam Theologiæ cathedram moderetur ? Subriſit Alphonſus. Hui, inquit, Reverendi Patres, quid ex me quæritis ? ne vos deludat ſpecies externa, latet ſub hac ſimplex Laicus : meæ Cathedræ ſunt culina, cæteræque domus viliſſima officia, in quibus inſtar mediaſtini ſervio meis Fratribus, ac Patribus. Quidquid faciendum injungebatur, peregit lætiſſimus, & accuratus. Dum barbam radit Patri Sebaſtiano de Couto Logicæ Conimbricenſis authori, ait illi Sebaſtianus : Frater Alphonſe, nihil eſt, in quo te

non

on occupent? Cui Alphonſus: *Mi ater, ego me exiſtimo craſſi, ac panni inguis centonem, quem Patres aſſuunt, bi volunt.* *Gratias*, ait Pater, *habe Deo, quod te centonem fecit pannis omnibus aptè ſervientem.* Sæpiſſimè publicos demiſſionis actus exercuit. Non dit unquam fructus, aut poma Soiis in mensâ primò expoſita. Eſcas elicatiores noluit deguſtare. De ibis ſumebat, qui ſatis forent conervandæ vitæ. Æedituus templi noſtri erat Conimbricæ, cum Scholaticus externus poſt acceptum Sarum panem evomuit; accurrit Alhonſus, & catino excepit vomium omnem. Cum foret jejunus, è recepit ad Sacellum Divi Antonij, tque ibi nemine vidente, totum auſit vomitum. Ubi tantum Deo acrificium obtulit, ſe mira ac cæeſti dulcedine ineſcatum ſenſit. Quotidie horis duabus, vel tribus lecto ante alios ſurgebat manè ad es Divinas contemplandas. His neditationibus, viſitandisque SS. acramento, ac Virgini, data occaione, indulgebat. In ſermonibus avebat, ne verbum proferret, uod ullum è mortalibus læderet. Curabat, quantum licuit per ſuum radum, proximos Deo conjungee. Cum eſſet in Villa ſuburbanâ, onveniebat operarios, quibus narabat eventus raros, ut ad virtuem incitaret, & à vitiis deterreet. Conimbricæ janitorem agens oſtij, quo noſtri ad ſcholas ingrediuntur, quotidie horâ conſtitutâ referebat Scholaſticis exemplum aliquod, ad id exaudiendum aderant multi. Sæculares non pauci ipſum convenire ſoliti, ut cum eo de rebus agerent ad ſpiritum pertinentibus. Tyronibus ſuis conceſſerat Magiſter, nudarent Alphonſo conſcientias, ac de ſpiritu conſulerent. Ejus charitas erga omnes æqualis, largiendas egenis conquirebat eleemoſynas. Annis quadraginta habuit ſibi curæ ludos in Villa, ad quam eunt Socij gratiâ laxandi animi: parabat ipſe, & conficiebat ſuis manibus cuncta inſtrumenta luſoria permotus charitate erga Socios. Colludebat cum ipſis, ejusque præſentia ſolebat eſſe magna recreationis pars. Scitè ac dexterrimè ludebat. Semel victoria pependit à feriendo globo in loco valdè diſtanti. Vix prudens ullus exiſtimavit impingendum ictum. Libravit Alphonſus globum, contorſitque tantâ felicitate, ut ictu validiſſimo hoſtilem globum percuſſerit, ultraque metam conjecerit. Plauſus circumſtantium, ut in re deſperatâ, tantus fuit, ut etiam titillaverit Alphonſi animum: hic ille ſtudio faciendi rem Deo gratam areæ in medio flectens genua, Deo propoſitum obtulit non amplius totâ vitâ ludendi. Protinus depoſuit inſtrumenta luſoria, & quæ pollicitus, tenaciter obſervavit. Semel, neſciens quid diceret, confeſſus eſt apparuiſſe ſibi Chriſtum, ſibique dixiſſe ſalvandum eſſe, ſtatim advertens, quæ pronun-

ciasset, curavit verbis obscuris dicta involvere; denique post longam vitam sanctissimè exactam justorum morte adscriptus æternæ felicitati, relicto apud omnes, qui noverunt, magno virtutis nomine.

P. Doctor Gonsalus de Morais.

ANno 1705. decessit Conimbricæ. Natus in oppido Campomajore Helviensis Diœcesis. Societatem iniit 9. Aprilis anno 1664. Ulyssipone. Conimbricæ tradidit Philosophiam, Eboræ morales Quæstiones & Theologiam, insignitusq; Doctoris laureâ. Id Magisterium Conimbricæ perfecit moderatus primam Cathedram in nostro Collegio. Rexit Portuense Collegium, deinde Conimbricense, in quo Magistratu expleverat quinque menses, cum eum intercepit morbus supremus. Ejus mores inculpati, omnibus studuit commodare. Affabilitas reddebat amabilem cunctis. Non ferebat subditorum quemquam abire tristem è conspectu suo. Habuit animos generosos & liberales, ambitionis alienissimos. Cursore proximo ante mortem per litteras rogaverat Patrem Generalem, ipsi sineret, abdicare se Magistratû. Natura formaverat modestum, gravem citra affectationem, & præsentia venerabilem. In suum cubiculum Religiosum Scholasticum vocans, genua ante eum flectens, egit gratias, quod speciali charitate assideret infirmo, ad quem vix ibat infirmarius, & Tyro ægrotis destinatus. Nec de eo privato, nec Superiore quisquam est conquestus. Propter has virtutes, ac singulares ad gubernandum dotes, quod ante tempus sit præreptus, & intra quartum diem pleuritide, magnus fuit in ejus obitu Sociorum dolor, inter quorum lachrymas sepulturæ datus.

Didacus Dias Coadjutor.

ULyssipone anno 1599. gloriosâ morte sublatus. Ortus est in oppido *Barcellos* Diœcesis Bracharensis. Eboræ se adscripsit nostræ militiæ 10. Februar. anno 1583. De ipso tantùm scimus mortem, & mortis causam. Sæviente peste, dicavit se totum sublevandis lue contactis: dum pio operi jungit omnes industrias, & ipse contagione perculsus, cùm nulla remedia malum vincerent, obivit.

DIE VII.

P. Franciscus de Almeyda.

IN Domo Professa Ulyssiponensi anno 1690. vitali privatus aurâ. Natus Ulyssipone è primaria Regni nobilitate. Parentes dicti sunt Joannes Almeyda, & Violantia Henriquia: ejus frater Petrus Almeyda Prorex Indiæ fuit. Educatus in Regia inter ephæbos sancti Principis Theodosij Joannis Regis primogeniti. Hæsit illi non parum de moribus innocentis Principis. Cum adjecit

...it animum ineundæ Societati, ...ldè eum Princeps collaudavit, ...diditque hujusmodi verba: *Ma...m in modum tibi invideo fortunam, ...nihi poteſtas fieret, non alij adoptarer ...ilia.* Non hæc ore tenus. Con...t enim ex vita Theodoſij typis ...ndatâ, ipſum cogitaſſe de com...ctendo Societatis noſtræ Inſtitu... Certò res noſtras, & noſtros ...mines tantùm dilexit, ut nullus ...gis. Franciſcus, de quo ſermo ..., Ulyſſipone dedit Societati no...n 7. Decemb. anno 1647. Vixit ...nper apud nos moribus inculpa..., nullius honoris appetens, mo...ſtus, ac manſuetus. Rexit Sca...itanum, ac Divi Antonij Colle...im. Poſtea ſe recepit in Domum ...oſeſſam, deditque operam omni...s Miniſteriis, quibus diſtinentur ...s Domus habitatores. Concio...batur, aſſidebat pœnitentium Tri...nali, comitabatur ſuſpendendos ...atibulo, inviſebat carceres, ac ...mnatos ad triremes: hæc obibat ...e ullo à cæteris Sociis diſcrimine: ...æ licet omnibus communia, ta...n magis ſpeciali digna laude in ...mine loco illuſtri nato, cui plu... ſunt facta Chriſti improperia, ...àm divitiæ, & favores Prin...um.

DIE VIII.

...Simon de Almeyda Collegij Portalegrenſis Fundator.

...Nno 1666. in Domo Tyronum Ulyſſipone è vita conceſſit. Natus in oppido *Cano* Diœceſis Eborenſis. Adſcriptus Societati Eboræ 18. Decemb. anno 1604. Antequam ſolemnem emitteret Profeſſionem quatuor votorum, ſunt mortui ejus Parentes, nullo præter Simonem relicto filio, ad quem pertinuit pinguis hæreditas: ex hac Societati fundavit Collegium Portalegrenſe. Bonitas, ſinceritas & candor morum vix per id tempus apud nos habuêre parem. Neminem læſit, benè voluit omnibus. Poſtremâ ſenectute vixit in Domo Tyronum; dum Natalitiis Domini ad ejus præſepe, colloquia, (ut moris eſt illis noctibus) Tyrones effundunt, & Simon acceſſit ad recens natum conſalutandum Infantem: inter alia pia verba, hæc pronunciavit: *Mi puer, mi Deus, eſto mei memor; tu ſcis me in totâ vitâ adverſus te commiſiſſe nunquam lethalem culpam.* Mirati ſunt, qui aderant; intellexeruntque voluiſſe Deum, illi verbum tale excidere, ut omnibus foret notum, quàm gratus Deo eſſet bonus ille ſenex, & antiqui moris homo, qui dolum neſcivit.

P. Sebaſtianus Mendes.

OBivit diem Eboræ anno 1666. Natus in oppido *Monſarâ* Eborenſis Diœceſis. Societati conjunctus 18. Maji anno 1651. Quibus vixit annis, nunquam diſpar fuit ſibi Tyroni, niſi in eo, quòd virtutes in Tyrocinio acquiſitas auxerit novis additamentis, ſequentibus an-

nsi

nis. Oculos demiſſos, ac fixos humi vel ſolus, vel coram aliis habuit ſemper. Quamvis Eboræ ejus habitarent Parentes, eſſentque valdè divites, nec unum teruncium ab ipſis voluit accipere ad emenda præmiola, remve ullam curioſam. Ipſius erant divitiæ imago Crucifixi in chartâ typo impreſſi. Quando adibat paternam domum, non permittebat ſibi eſcas offerri. Quotidiè per ſemihoram inviſebat venerabile Sacramentum, ac Matrem Virginem, ut ſolent Tyrones. Verbum imprudens, aut hominis minus cauti non pronunciavit. Cupedia ſaccharo condita non edebat: interrogantibus, cur non? reſpondere tantum ſolitus: Nocent mihi. Phthiſim longo tempore perpeſſus, quamvis per incuriam infirmarij deeſſent commoda, non queſtus eſt, aut ullam dedit ſui incommodi ſignificationem. Multis verbis oſtendebat gratum animum ſibi in re quacunque commodantibus; dum eſt fruitus integrâ valetudine, ægroti magis relicti, habebant Sebaſtianum ſibi continuum. Jam Sacerdos docuit humanas litteras Ulyſſipone, eodem in Collegio erat Socius unus frater Comitis Villarmajorenſis, qui poſtea fuit in ſua Domo primus Marchio Alegretenſis, dicebatur Ludovicus de Sylva, tum propter viſûs defectum, tum propter multa intolerandi odoris ulcera, egebat ad horum curationes homine raræ patientiæ. Vel famuli horrebant ea peragere Miniſteria. Hujusmodi totam curam ſibi ſum pſit unicè Sebaſtianus. Bis die mun dabat virulentas plagas, quas ſem per oſculabatur, ut eſt faſſus ipſ infirmus, ſui benefactoris admiran charitatem. Bis in hebdomadâ ver rebat cubiculum, providebat lucer næ, ſternebat lectum, cætera exe quens, quæ anteà vel Mediaſtinu refugit. Ubi Sebaſtianus ſe ſenſi Phthiſi correptum, nihil aliud egi accuratiùs, quàm ſe ad extremam luctam comparare. Cum Sacerdos illi aſſidens, audito campanæ ſigno, vellet pergere ad Litanias, eum rogavit infirmus, aurem admoveret volenti noxas exponere. Vix impertiverat abſolutionem, cum caput acclinans ſine motu exhalavit ſpiritum. Dicitur Picturam Virginis in cælum aſſumptæ, quæ modò eſt in altari Domus januæ communis Eborenſis Collegij allocutam Sebaſtianum. Olim fuerat in Sacello Templi, quod eſt ad latus ſiniſtrum aræ majoris.

DIE IX.

P. Franciſcus Manſo.

ANno 1671. Ulyſſipone in Domo Profeſſa deſiit vivere. Natus in oppido *Sardoal* Diœceſis Guardienſis. Societatem complexus 25. Januar. anno 1612. Splenduit in eo ſingularis obedientia. Egit Procuratorem incluſorum carceribus Ulyſ-

yſſipone, poſtquam eſt functus
inere Provincialis. Tulit æquis
mis patiendi occaſiones; nec il-
lefuerunt. Ea fuit è præcipuis,
n Luſitani è cervicibus ſuis de-
lerunt jugum Dominij Caſtellani,
tituentes ſolium vero Regi ſuo
anni Quarto. Franciſcus per id
npus Matriti tractabat negotia
cietatis. Plenus læto nuncio oc-
tis, & magnis itineribus feſtina-
in Luſitaniam. Ut erant omnia
pecta, Franciſcus in turrem eſt
luſus juſſu novi Regis. Crimina-
ntur nonnulli, Matriti magnam
amicitiam interceſſiſſe cum Di-
co Suario Luſitano, patriæ &
vo Regi infenſo. Poſt accuratum
men pronuntiatur innocens. Di-
ſos obivit Magiſtratus, Præpoſi-
n Domûs Villaviſſoſanæ, Recto-
n Scalabitani Collegij, Provincia-
n Tranſtaganæ Provinciæ, cùm
e fuerunt in Luſitania. Quos ſibi
lebat minus affectos, hos proſe-
us magis ſpecialibus benevolen-
ſignis. In conſervanda Inſtitu-
noſtri obſervantiâ minimi fecit
manos reſpectus. Quamvis po-
t abundare rebus, & ſupellectile
ioſâ, pauperrimus eſſe, & vide-
naluit. Ad ultimam ſenectam
utus, ut vocant, communita-
n, ſeu communem vivendi mo-
n, non ſe labori ſurripuit, an-
cauſans, aut dignitates. Illi
m ſedebat immotùm, vero So-
atis filio ſudandum, ac labo-
dum eſſe, dum ſpiritus reget
us.

DIE X.

P. Joannes Alvres.

EBoræ vitam explevit anno 1623. Natus in oppido *Parada* Diœceſis Mirandenſis. Adſcitus in Societatem 8. Julij anno 1562. Ulyſſipone in Domo Profeſſa. Poſt ſcientiarum ſtudia, propter attritam valetudinem miſſus eſt ad Reſidentiam Canalenſem hærentem Mondæ flumini. Multis ibi annis, velut in oblivione, latuit, ſibi ac Deo vacans. Sebaſtianus Moralius, qui primus fuit Japoniæ Epiſcopus, noſter Provincialis, perſpectas habens Joannis dotes ad quæque altiora idoneas, & rerum magnarum capaces, præfecit Rectorem Portuenſi Collegio, in quod perennem aquam adduxit, grandi ſumptu, majori induſtriâ. Poſteà ad Provincialis dignitatem evectus. Indictis per id tempus Societatis univerſæ comitiis, ratione ſui muneris interfuit Romæ ejusmodi Conventui generali: ab eodem eſt electus Societatis Aſſiſtens. In quo munere vix credi poteſt, quanta exiſtimatio de ipſo fuerit tum apud noſtros, tum apud Viros Principes externos. Multum potuit ejus opera in conciliando Henrico IV. Galliæ Rege cum Romanâ Eccleſiâ. Id tam notum, ac Regi gratum, ut Joannem in Luſitaniam redeuntem ſingulari ſit dignatus benevolentiâ. Dono illi dedit Cryſtallinam crucem: donum verè re-

gium, cui eſt incluſum veræ crucis lignum: Hodie monſtratur in templo noſtro Conimbricenſi. Româ veniens deſideravit ſibi tantum vivere in Reſidentia Sancti Felicis prope Minium flumen. Ibi conſtruxit ædiculam per omnia ſimilem Lauretanæ Domui. Veruntamen aliter eſt viſum Patri Claudio; nam eum præpoſuit Sociis à Divo Rocho Ulyſſipone, deinde conſtituit hujus Provinciæ Viſitatorem. Mortuo Claudio, electus eſt, ut ſuffragaretur in comitiis Romæ habendis ad novi Generalis electionem. Multi contulerunt ſuffragium in Joannem, quem cenſebant digniorem. Redditus Luſitaniæ egit Rectorem Collegij noſtri, & Eborenſis Academiæ. Poſt eum Magiſtratum direxit ſpiritum noſtrorum Juniorum. Non tot honores extraxerunt animum à Religioſâ demiſſione. Quamvis multis induſtriis noſtrorum profuit animis, non ideo ſui minùs memor; Nam priùs in ſe virtutes plantavit, & excoluit, quas in cæteris curavit eſſe. Præibat enim ſubditis non tam dignitate, quàm exemplis.

Hieronymus Mendes Coadjutor.

ANno 1625. in Regia urbe Congani Regis in regionibus Angolæ finitimis inter egregios labores vitam poſuit. Natione Luſitanus, patriam non inveni. Anno 1610. Societas noſtra jecerat primordia Collegio, ſeu potiùs nomini Collegij Cogenſis. E primis habitatoribus Hieronymus inſtituit ludum alphabetariorum, ut Æthiopum filii & characteres formare, & cum doctrina Chriſtiana doceret bonos mores; dum ſuoMagiſterio ſtudet, exarſit lues pernicioſa, & variolæ Æthiopum genti malum æquè metuendum, ac exitioſum. Multa millia ea calamitas abſumpſit. Collegij habitatores miſcuerunt ſe juvandis miſeris. Ex noſtris ſibi peſtis devovit Hieronymum; nam ægrotos curantem, ac inviſentem corripuit & extinxit.

DIE XI.

P. Emmanuel de Barros.

ANno 1606. in Inſula à Divo Jacobo, quæ ex Heſperedibus præcipua eſt ad Promontorium Viride, communi fato ſublatus. Eò contenderat cum Patre Balthaſare Barreira ad ponenda initia Reſidentiæ, quam illic erexit, ac juſtis de cauſis poſteà deſeruit Societas. Barreira ad oram continentem tranſiit, ac regiones illas jacentes in umbra mortis Evangelicæ doctrinæ radiis illuſtravit. Emmanuel Inſulanos quà verbis, quà exemplis ſuis excitavit ad collapſos mores inſtaurandos. A multis annis fæminæ Dæmon inſidebat, vocatus Emmanuel ad abigendum moleſtum hoſpitem; cùm reſiſteret, juſſit imperioſè, citiſſimè faceſſeret, dato ſigno

o non revertendi. Quod ſignum s, inquit? Oris flatu unico extinue duos illos cereos ardentes in tari (diſtabat multo ſpatio) pronus inſufflavit buccis plenis, extinxit lumina, ac diſceſſit. Infeſtaant Lemures vallem fructuum feciſſimam magno Dominorum deimento. Poſtulatum à Patre, ocul fugaret eam importunitam. Illuc adiens, reſperſit vallem uâ benedictâ, ampliusque non nt ibi conſpectæ hujusmodi lar:. Strumoſum puerum adduxeant parentes ad Emmanuelem, dicum intingit oleo ardentis lychni ram SS.Euchariſtia, ſtrumas unxit, omento evanuerunt. Poſt ejus ortem non eſt obliterata apud ils gentes opinio de Patris virtutis concepta. Sepulturam inviſeant, ut hominis ſancti piam meoriam.

Multi in Navigatione Indica.

ANno 1609. è noſtris viginti quatuor Indiam petiêre ſtudio crandi animas. Iter plenum ad:rſis rebus. Morbi multi nautas, vectores invaſerunt. Amplum eatrum noſtrorum eſt nacta chaas. Conſultum egregiè miſeris: lum potui ſcire nomina noſtrom, quos lethum rapuit. Diceantur *Vincentius Paciecus*, *Joannes à nea*, *Paulus Hieronymus* hi Sacerdos erant. *Emmanuel Alvarus*, *Barlomæus Alvarus*, *Michael Riberius*, *pio Dilerus*, hi nondum Sacris initiati & Poſtremus non erat Luſitanus. Dies obitus mihi fuerunt ignoti, propterea huc eos ſcripſi, quod ſit vacua hæc dies.

DIE XII.

P. Garcia Gonſalves.

BRigantij anno 1599. ad Superos exceſſit. Patriam ignoro. Inſignis micuit in eo charitas. Poſt jacturam Sebaſtiani Regis Garciæ parens captus à Mauris. Non tulit Garciæ pietas diu patrem eſſe in ſervitute. Ipſe petens Africam, ſe Mauro obtulit loco ſui Parentis. Commutatio difficilis non fuit, cùm daretur juvenis annis florentibus pro Viro ætatis provectioris; dum eam ſervit ſervitutem, ipſe, & alij captivi litteras ſcripſerunt ad Luſitanos, arces in ora maritima tenentes: deprehenſis litteris, captivi damnantur ad ſuſtinendam flagellationem; dum alij verberantur, Garcia recitat horas B. Virginis. Cæteris mulctatis, cum Garcia eſſet ſucceſſurus, abire liberum à ſupplicio juſſerunt; quod ille tribuit B. Virginis patrocinio. Ubi redemptus eſt, & patriæ reſtitutus, ſe noſtræ addixit Societati. Erat Brigantij, cum fames ſæva, & contagioſi morbi urbem totam funeſtarunt. Suppetias tulit miſeris Garcia. Quærebat ſubſidia depellendæ fami, & remedia laborantibus peſtilenti morbo. Curabat ſepeliri cadavera, quæ viis pu-

publicis jacebant. Admiratione dignum erat, eum cernere foventem amplexu teneros pueros, indumenta purgantem, occisis, aut abactis pediculis, quibus scatebant. Discurrebat per fora, carceres, & alia urbis loca tum audiendis confessionibus, tum sublevandis quibuscunq; necessitatibus. Ex assiduâ cum infirmis lethaliter decumbentibus familiaritate, hæsit illi febris perniciosa. Cum Rector certiorem fecit de morte vicinâ, id egit metuenti similis: subrisit ad hæc Garcia, illique dixit: sibi nihil potuisse lætiùs, aut jucundiùs nuntiari. Proinde impertiret filio profecturo sanctam benedictionem. Posteà intra se collectis sensibus aliquandiu, edito suspirio, inquit: die crastinâ multùm, & impensè me commendate Deo; nam egeo vestris orationibus, ac precibus, magnum mihi subeundum est prœlium. Intellexerunt, qui aderant, sequenti die expiraturum, id probavit eventus ipse.

DIE XIII.

P. Antonius Alvres.

ANno 1611. in Domo Professa Villavissosana ad felicem translatus patriam. Videbatur natus ad Ministeria Sacri suggesti. Tum Ulyssipone, tum Villavissosæ auditus cum plausu. Conciones non velificabant auræ populari, sed auditorum utilitati. Nec solum in urbibus, aut oppidis celebrioribus conscendit pulpita; discurrebat per vicos, ac finitimos pagos rudes, & rusticos excitans ad commissorum dolorem. Dum his piis laboribus dat operam, morbo tentatur: Recipitur domum, crescit infirmitas, ac noscitur febris perniciosa, quæ exæstuat. Vix dici potest, quantus dolor tenuit omne genus hominum. Factæ sunt à multis peregrinationes ad loca pia, ejus salutis obtinendæ causâ. Serenissimi Principes Brigantini suis jusserunt Medicis, assiderent ægroto maximis curis, nec parcerent etiam pretiosioribus Medicinis. Certior de morte factus, nihil eo nuntio turbatus est. Interrogatus si tam acerba notitia sibi esset tristitiæ? respondit; nec umbræ ullius tristitiæ mihi est. Ad exequias confluxit populus innumerus, Cantores Ducis, & Monachi Augustiniani eas celebrarunt. Illius fuerunt præclaræ virtutes, paupertas Religiosa, & tolerantia in adversis rebus. Familiaritates cum sæcularibus multum fugit. Extra suggestum Sacrum videbatur elinguis, & qui loqui nesciret: in suggesto erat eloquentissimus. Ex intimo corde Societatem amavit. Ajebat, si tantum foret ejus infortunium, ut expelleretur, non recessurum à januâ, ubi egenis tribuitur eleemosyna, alendumque offâ ipsis dividi solita. In Sacris excursionibus iter faciebat pe-

dibus & vivebat alimento ostia-
n mendicato.

DIE XIV.

Josephus de Arede Scholasticus.

ANno 1670. die incertâ vitam clausit in Mossambiquio, navi-ns ad Indiam. Ulyssipone Socie-i conjunctus, ob ægritudines assi-as revertit in domum paternam st mensem vigesimum secundum rocinii sui. Tribus annis vitam ris degit tantâ sanctitate, quantâ ud nos vixerat. Iterum punctus sideriis ad nos veniendi, rogavit, mitterent, sed ad missiones Indiæ, quas se vocari sentiebat. Rur-se dedit Societati. Magna illius navigatione fuerunt exempla, æsertim in sublevandis, & curan-infirmis. Eis, qui pejus habe-nt, accuratius invigilavit, singulos creans vel lavando, vel mundan-, ac detergendo sordes. Cum minaretur morbus à *Loanda* di-us, qui facilè diffunditur, & hæret ctantibus cum infirmis, Josephus i sumpsit infirmarii præcipui cu-n. Id muneris egit suæ valetudi-valdè oblitus, alienæ magnopere emor. Illud mirum fuit, quod mquam in mari valetudinem ex-rtus affectam; cùm labor satis et ad opprimendum validiores. terram descendens curavit urge-charitatis opera, ut navi fecerat. c invasit eum furiosè morbus, cui superando, quidquid erat medicami-num, inutile fuit. Aliquot mensi-bus probatus, ut in igne aurum, ad-volavit cœlo.

DIE XV.

P. Doctor Gonsalus de Silveyra Martyr.

IN Monomotapa Africæ regione Martyrio est illustratus anno 1561. Natus in oppido Almerino Diœcesis Ulyssiponensis ad ripam Tagi in Provincia Transtagana, parentibus illustrissimis Sorteliæ Comitibus, dicebantur Ludovicus de Silveyra, & Beatrix Noronia. Postremus fuit suorum fratrum. Ubi eum in lucem mater dedit, morte est sublata, cadaver deportatum ad oppidum Goesium suæ ditionis in Diœcesi Conimbricensi, ibique sepultum. Die tertio, antequam esset ortus, ploravit in utero matris. Educatus liberaliter apud Ludovicum Alvarum de Tavora Dominum Mogadouri, maritum suæ sororis. Ab annis teneris visus est ad virtutem natus. Splendorem vestium, equos, venationes, & cætera nobilium oblectamenta odio habuit. Tempus insumebat legendo pios libros, vel recitando per globulos precarios. Illi perjucundum stipe donare pauperes, ac discordes pueros inter se componere, & amicos reddere. Si puer aliquis suæ ætatis inopum filius ægrotabat, eum conveniens, solabatur

tum alloquio, tum datâ pecuniâ ad ſuſtinendum morbi ſumptum. Numquam vinum bibit, nec potuerunt ſuadere ipſi, hauſtum vini ore ſumeret ad ſtringendas gingivas, cum primi dentes ceciderunt. Id quod toto vitæ decurſu ſervavit, exceptô, cum ad aram fecit; dicendæ veritatis etiam contra ſe ipſum amiciſſimus. Primas litteras ſermonis Latini didicit in Cœnobio Sancti Franciſci à Divâ Margaritâ dicto prope Mogadourum in Transmontana Provincia. Non minùs litteris, quàm profecit in virtute tum magiſterio, tum ſanctis exemplis Patrum Franciſcanorum. Poſteà miſſus Conimbricam ad operam navandam altioribus ſtudiis, habitavit in Regali Cœnobio Sanctæ Crucis inter Canonicos Regulares Divi Auguſtini. Paulò antè noſtri homines iverant Conimbricam, & poſuerant initia Collegio, quod ibi Societas incolit. Quamvis eſſent propter Inſtituti, & moris novitatem omnibus Academicis contemptui, eorum Gonſalus admiratus virtutum exempla, ſtatuit imitari: nobiſque adſcriptus eſt nonâ Junii anno 1543. Ut vitaret conſanguineorum importunitates, qui erant ægrè laturi vitæ mutationem, & electionem Religionis novæ, & nullius authoritatis apud homines; repentè, nemine, quò contendiſſet, ſciente, faceſſivit Conimbricâ; & in villa duodecim milliaribus ultra urbem Portum delituit, animum excolens Exercitiis Sancti Protoparen-

tis Ignatii, quibus eſt corrobora[...] ad ventura cum ſuis conſanguin[...] certamina; Redditum Conimb[...] cam ubi eſt notum; eò convolaru[...] armati minis, potentia, ac Regis [...] plomatis. Admoverunt labefact[...] do omnes machinas; At juve[...] inſtar rupis undarum in medio, o[...] nes eorum irriſit conatus. Tande[...] ne ſe fatigarent incaſsùm, eos adm[...] nuit: ſcirent, ſi modo defuncti p[...] rentes adeſſent, vellentque impe[...] re, conculcaturum ipſorum cervic[...] & capita, perque ſic conculcat[...] iturum, quò Chriſtus vocabat. Cu[...] viderent perdi oleum, & operan[...] abjectâ vincendi ſpe deſtiterunt [...] incepto. Hinc Gonſalus diligent[...] ſimè incubuit virtutibus acquire[...] dis, præſertim ſui contemptui, [...] demiſſioni, ſæpe vilibus indument[...] veſtitus inſtar agaſonis, aut mulion[...] ductabat jumentum ad comporta[...] dam arenam ab ripa fluminis ad op[...] ra Collegii. Si caſu fiebant obv[...] conſanguinei curru, & famulatu ſp[...] ctandi, extollens vocem, ac virga[...] percutiebat caballum, aut mulu[...] incitans non alia voce, quam ſole[...] agaſones. Domos ſuorum non ad[...] vit, niſi cogentibus Majorum imp[...] riis. Illic diebus aliquot moran[...] verbis ſuis, & exemplis miras faci[...] bat morum mutationes in famili[...] domeſticâ. Quod polleret ingen[...] præſtanti miſſus Gandiam, ubi recen[...] Academiam erexerat Societati San[...] ctus Franciſcus Borgia Dux Gandiæ[...] ut acciperet lauream Doctoralem[...]

Re[...]

diens in Lusitaniam, se tradidit ris missionibus habendis, discurrit : Interamnensem Provinciam, gno omnium bono. Veneraban-, & audiebant, ut novum Aposto-n : Summâ paupertate, & rigore ractabat. Victum nolebat nisi itum ostiatim; ubi, quod satis t, collegerat, sedens humi ad so-, aut in urbis, oppidive angulo pellebat famem more mendici. nnumquam incedebat calceis n laceris, ut vix pedes tegerent erna parte. E Tomarensi Oppi- regrediebatur Conimbricam, cal-s inutilibus faciendo itineri: cum rent viri nobiles non admissurum liores calceos, circumsteterunt icii causâ, & prætextu, ac inter plexus dum alii eum è solo ex-llunt, ac vetustos rapiunt calceos, i novos inducunt pedibus. Hoc dolo, & jucundo consultum ejus upertati. Itinera conficiebat pe-ous. Erant illi vires robustæ, & tæ sustinendis fatigationibus, qui-s pro DEI gloria, & proximorum no non parcebat. Fuit primus yssiponensis Professæ Domus Præ-situs. Reges, ac Principes viri m, ut sanctum, intuebantur, & co-bant. Elevantis in sacrificio cali-m visæ sunt manus sanguine ru-ntes, quod creditum est non du-um Martyrii præsagium; DEUS i Martyrem futurum revelavit. uo die declaratus est Æthiopiæ atriarcha noster Joannes Nunius, um loquitur cum aliis de rebus In-dicis, novo inquit succensus fervore: *Ego sum iturus in Indiam, futurus sum Martyr, & non scribar in Catalogo Sanctorum.* Petivit à S. Ignatio facultatem migrandi ad Orientem, concessam petitionem impedire conatus Provincialis: cui Gonsalus: *Incassum laboratur in hac impedienda missione, cum non sit vis humana, quæ possit, nam decreta, & confirmata est ab ipso DEO.* Superatis difficultatibus ad Indiam vela solvit anno 1556. In mari ejus fuerunt curæ, nautas, & vectores rebus piis instituere. Provincialis effectus multum promovit bonum Societatis, & missionum. Inter alia ejus opera numeratur erectio Tribunalis sacræ Fidei ad frænandam Judæorum impudentiam, quorum multa fuerant deprehensa maleficia. Finito magistratu, arsit desideriis eundi ad Cafros, ut eos converteret ad fidem. Obtulerat se illò migrandi opportunitas. Menti identidem occurrebat, quod sibi contigerat in Lusitania. Dum è more Societatis sortitur Divum specialem mensis Patronum; præter Sancti nomen, erant scripta in schedula verba Psalmi 46. *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus escam.* Mirificè recreatus est hoc versiculo, dicens, pullos corvorum esse Cafrorum filiolos; præsagiri, fidem ipsis à se inculcandam, ac præbendam escam spiritualem. Etiam fuit persuasio, DEUM illi significasse electum ad eas gentes illustrandas. Cum iens è Lusitania, tenuit Mossambiquium, ro-

rogaverunt viri nobiles, maneret ibi ad obeundas conciones: Quibus reſpondit, tunc nolle, ſe ad illos venturum rurſus, & per otium ſatisfacturum hujusmodi votis. Id executus, cum ad Cafros iter fecit. De hac miſſione multus illi, & frequens ſermo; ajebat: Nihil avidius cupere, quam ſe videre inter Cafros fruſtatim conciſum propter DEUM. Succeſſit illi in Magiſtratu Antonius Quadrius, de quo vigeſimo Novemb. meminimus. Enixiſſimè ab eo precatus eſt, ſibi permitteret, Cafrariam adire. Conceſſit Quadrius; licet poſteà valdè ſit admiratus, quod huic petitioni ſubſcripſiſſet. Januario anni 1560. cum alio ſacerdote profectus Moſſambiquium. Inde per maxima incommoda tranſivit ad regnum Tongam, ubi multos Cafros tinxit Baptiſmo. Apud eos reliquit Socium tum conſervandis in fide Neophytis, tum aliis Chriſto adjungendis. Ipſe vi occulta Sancti Spiritus vocabatur ad magnum Monomotapæ Imperium. Rediens Moſſambiquium, navigavit ad Sofalam inter continuata vitæ pericula ob tempeſtatum, & maris ſævitiam. Tandem initio anni 1561. acceſſit ad urbem Monomotapenſis Regis ſedem. Benignè acceptus tum à Rege, tum à primoribus, prædicavit fidei myſteria. Sequuta eſt magna animorum commotio ad parendum Evangelico præconi. Inprimis Rex ipſe ablutus ſacro fonte, cujus exemplum primores movit, & Regem ſunt imitati. Negotiabantur in ea urb[illegible] Mauri noſtræ fidei jurati hoſtes. H[illegible] conſpicientes tantam rerum muta[illegible]tionem, in dies augeri Chriſti ſecta[illegible]tores, infinitis mendaciis aggre[illegible] ſurgentis Eccleſiæ initia opprimer[illegible] Regi ſuadent, Patrem eſſe vene[illegible] cum; quòd tingeret lymphis, factu[illegible]ros, quæ vellet, & juberet. Bre[illegible] regnum amittendum. Hæc, & ali[illegible] Neophyto Regi ſemel iterúmqu[illegible] repetunt importuni; quibus evictu[illegible] & metu plenus, promiſit neci dan[illegible]dum, ne malum ſerperet. Com[illegible]mendavit aliquibus Cafris, noct[illegible] Patrem adorirentur, atque interime[illegible]rent. Sentiens Gonſalus imminere quam tot laboribus, & votis mor[illegible]tem expetiverat, magnam nocti[illegible] partem inambulavit prope domun[illegible]culam, ubi habitabat; quid fieret obſervantibus Cafris è ſecreto loco nec enim audebant vigilantem inva[illegible]dere. Gravante ſomno, jacuit a[illegible] capiendam quietem. Id Cafri cer[illegible]nentes, proſiliunt è latebris, dor[illegible]mientem aggrediuntur: unus pecto[illegible]ri incubuit, quatuor manibus, a[illegible] pedibus arreptum tollunt ex humo, reliqui collo inſerunt laqueum, & fu[illegible]nem, quantâ vi poſſunt, ſtringunt, magnâ ſanguinis copiâ per os, ac na[illegible]res ejectâ. Poſtea tractum per ter[illegible]ram corpus projecerunt in flumen Mutatium. Invenerunt cilicio præ[illegible]cinctum, dixeruntque illic veneficia latere. Id eſt notatum, omnibúsque fuit admirationi, quod, cum flumen ſcateret Crocodilis, qui miſſa cada-

ve-

era momento devorarent, nec Pa-
is corpus attigerint, nec ulli mor-
lium ad ripam accedenti nocue-
nt. Quoniam DEI vir prædixerat
orpus suum non colendum à Chri-
anis, voluit omnium Dominus, es-
: venerationi feris, & volucribus.
am delatum à torrente fluminis, ac
ectum in sylvam, illic tigres, aliæ-
ue feræ, præterea in arboribus aves
rcumstetêre, instar satellitii excu-
as agebant, ne quis propiùs acce-
eret. Fuit unus è primis hujus
rovinciæ parentibus, virtute, &
bus admirandis præclarissimus.
ulla est virtus, in qua non relique-
: posteris exempla singularia.

Pater Ludovicus Gonsalves de Camera.

ILyssipone in Collegio Divi Antonii anno 1575. vitam exple-
t. Ortus in Insula *Madeira* paren-
ous nobilitatis primariæ, diceban-
r Joannes Gonsalvius de Camera,
Eleonora Vilena Comitis Tarou-
: Filia. Frater Ludovici fuit pri-
us Comes Caletæ in eâdem Insulâ.
uòd in Lusitania per id tempus
cademiæ non essent, missus Lute-
m Parisiorum. Ibi novit S. Igna-
um, & ejus Socios. Scitissimè cal-
t facultates, quibus operam nava-
:. Cum Joannes Tertius Lusita-
e Rex conderet Conimbricensem
cademiam, eò perrexit ad conti-
anda scientiarum studia. Paulò
st nostri homines ivêre Conimbri-
m ad nostrum fundandum Collegium. Cum eandem in urbem venisset Petrus Faber unus è primis Sociis Sancti Ignatii, eum Ludovicus invisit, ac tractavit familiariter. Illius sermonibus, & verbis penè Divinis, sic est delinitus, ac mutatus; ut secum decreverit, contemptis rebus humanis, sequi Societatis Institutum. Fassus est se id potius complecti, quàm ullius antiquæ Religionis, quod tunc ingredi Societatem reputaretur stultitia; cum ea Conimbricæ constaret ex hominibus alienigenis, & nullâ scientiâ præclaris, imò habitis risui, & contemptui. Solùm enim mens erat sibi Christum imitari vituperiis affectum; igitur secundâ Aprilis anno 1545. Conimbricæ nostros auxit Tyrones. Ad vitandos incursus carnis, & sanguinis secessit Cojam milliaribus viginti octo distantem è Conimbrica. In eo secessu vacavit Exercitiis Sancti Patris Ignatii. His peractis, missus in urbem, & regnum Valentiæ Aragonensis ditionis, ut ibi transigeret suum Tyrocinium: id enim postulaverat, quod ad tam longinquam urbem extra Lusitaniæ fines sitam non esset facilis consanguineorum accessus. Propter incipientis Collegii penuriam rerum necessariarum alendæ vitæ, magna illi fuerunt certamina cum fame: hanc placabat, aquâ puteali mitigando stomachi calorem pabuli defectu plus solitô furentem. Tum apud nostros, tum apud externos tot claruit virtutum exemplis, ut per multos annos ibi viva fuerit de illis

memoria. Anno exacto (nec ultra id ſpatium extendebatur initio Tyrocinium) reverſus Conimbricam, ejus adventum recreavit DEUS novo ſolatio. Leo Henricius Noronius, de quo Aprilis octavo, Ludovici conſanguineus, qui plus omnibus fremuerat contra Societatem, quod Ludovicum admiſiſſet, inſtinctu cœleſti perculſus, & afflatus ſe Societati adſcripſit. Vix abierat annus tertius, ex quo ad nos venerat, cum præficitur Rector Conimbricenſi Collegio. Obſervantiam regularem mirificè ſuis promovit exemplis. Id inter omnia clariùs ſplenduit, cum Simon Rodericius Provincialis abactum è magiſtratu imperavit ſervire in culina; paruit ſine morâ, tantóque ſtudio incubuit ejusmodi miniſterio, ut apparuerit nihil aliud avidiùs à ſe deſideratum. Per id tempus Præfectus urbis Septæ in Africa ad fretum Gaditanum poſtulavit à Patre Simone, mitteret ad ſe duos Sacerdotes ituros Tituanum ad conſulendum captivis, qui ſub Maurorum gemebant ſervitio. Trajecit in Africam cum Joanne Nunio, qui poſtea fuit Æthiopiæ Patriarcha. Nullis pepercerunt induſtriis, & ſudoribus, ut mortalium miſerrimos ſolarentur tum Divinis, tum humanis ſubſidiis. Reſtitutum Luſitaniæ voluit Rex Joannes III. eſſe ſibi à Confeſſionibus: attonitus honore tanto, ceu foret ictus fulmine; verbis præ ſe ferentibus religioſam demiſſionem ſe ſubtraxit Regis voluntati.

Quam rem Ignatius Parens noſte improbavit, laudatâ tamen rectâ Lu dovici intentione. Nec enim era conveniens illo ſolatio eum fraudar Regem, quem Ignatius Patrem So cietatis appellare ſolitus. Caus negotiorum magni momenti Ro mam profectus. Nullis poteſt e primi verbis, quantum placueri Sancto Ignatio, nemini mortaliur vitæ ſuæ initia, progreſſus apertiù manifeſtavit, quàm Ludovico: pro bavit tamen duris experimentis il lius virtutem, quam reperit ſolidam Eum conſtituit Domus Profeſſæ Mi niſtrum; idcirco potuit actiones San cti Patris exactiſſimè obſervare, ob ſervatas minutiſſimè ſcribere. Te ſtatus enim eſt Ludovicus omni Sancti Ignatii dicta, facta, & ſingula actiones continere virtutis docu menta, ac doctrinam. Remiſit eum Sanctus Fundator Viſitatorem So ciorum in Luſitaniam. Eò devenit cum imprudenter Moderatores Pro vinciæ in animum induxerant, de ſerere ſitum, quo cæperat ædificar Collegium Conimbricenſe, conten Collegio Artium, ut vocabant, no bis à Rege dato cum ſcholis ad radi cem montis non longe à Mondà flu mine loco parum ſalubri. Hui malo aliud non minus accreverat quod Rex Stationem à nobis relin quendam promiſerat aliis Religioſis Senſit Ludovicus ex animo tam in conſultum conſilium. Magnopere adnixus, perfecit, ut Rex aliis doni redderet contentos, quibus erat pol licitu

citus situm nostrum, eúmque nobis
rsus donaret. Quæ res tanta fuit,
jure merito ob illam debeat Lu-
ovicus recenseri primos inter Col-
gii benefactores. Mortuo Sancto
natio, electus à Conventu Provin-
æ, ut Romæ interesset Comitiis ge-
eralibus ad creandum novum So-
etatis universæ Moderatorem. Ibi
ansit Assistens Societatis effectus.
revi tamen Romæ commoratus.
am Regina Lusitaniæ Gubernatrix
defuncti Regis voluntate voca-
t, Magister ut esset Sebastiani Re-
s, qui adolescebat sub aviæ tutelâ.
ullâ diligentiâ, quamvis omnem
hibuit, subtrahi potuit honori, &
ieri. In Regis educatione exple-
t abunde partes omnes Magistri
cellentis. Nihil aliud curavit,
iàm DEO, suæ conscientiæ & com-
uni bono satisfacere. Doctrina,
semen in solo fælici, ejus curis, &
otis respondit. Nam Rex sic est
stitutus bonis moribus, & artibus,
nisi adulatores crescentē, & gran-
a meditantem incitarent ad præci-
tium, in Lusitaniâ parem non ha-
ret. Movit omnem lapidem Ma-
ter ad abolendas in alumno cogi-
tiones parum consideratas itineris
ricani. Idcirco censendi sunt in-
r fatuos scriptores, qui in Ludovi-
m conjecerunt Regis consilia tum
mora ducendi uxorem, tum in
denda Africanâ expeditione. Con-
t enim, neminem disertius illi di-
se, quam noxia sequeretur consilia.
idens non profecturis, ut ajunt, littus bobus arare, tantâ est animi ægritudine penetratus, ut eâ contabuerit etiam corpus. Sed his nostræ nationis omissis ulceribus, quæ nullâ die sanabuntur, dicamus aliquid de heroicis Ludovici virtutibus, quæ certatim in eo floruerunt. Charitas tanta fuit, quantam miramur in magnis viris. Flebat cum flentibus, cum gementibus gemebat. Sæpe extra Collegia degens cum Rege, si socium aliquem periclitari scivit; habita facultate, recipiebat se domum infirmo socio consulturus. Eboræ mensibus quatuor phthisico fuit continuus ad quæque ministeria, mutatâ etiam habitatione ad cubiculum ægroto vicinum. Noctu eum crebro invisebat, donec DEus eum donavit insperatâ sanitate. In Collegio Divi Antonii Rectori jusserat, curaret perduci aquam ex fonte salubriori ab urbe distanti duobus milliaribus pro recreando infirmo: cum esset oblitus, injunxit illi, sumeret amphoram, pergeretque ad eum fontem, ac plenam ferret. Ut imperavit, factum. Cum pestis immanissima Ulyssiponem anno 1569. miserandum in modum desolavit, ardentissimè est precatus, sibi darent facultatem serviendi contagiosis. Cum se multi de nostris pio muneri sacrificassent, non est visum petenti annuere. In itineribus, ac suis peregrinationibus amavit summopere paupertatem, & contemptum. Id observans vir sanctissimus Bartholomæus de Martyribus Archi-Præsul

Bracharenſis, eum ſic dilexit, ut vocaret Ludovicum partem animæ ſuæ. Indumenta vetuſta, & horrida Centonibus ipſi fuerunt in deliciis. Tunicam talarem, & pallium ferebat ſolito breviora. Dicentibus id non convenire, reſpondebat, magis decurtata geri à noſtris Sociis Romæ. Frequenter ſerviebat in culina, vel poſtquam eſt conſtitutus Regis Confeſſarius, ajebat; hominem non eſſe ſolidis virtutibus, qui propenſiones animi non interemiſſet. Jejuniis, ciliciis, ac flagris corpus ſuum maceravit aſſiduè. Singulare illi ſolatium, inſtituere peregrinationes, iter pedibus faciendo, & vivendo ſtipe mendicatâ oſtiatim. Cum Rex extra Ulyſſiponem degebat ruri, Ludovicus excurrebat pedes per vicos, ac pagos finitimos docens pueros, & rudes doctrinam fidei, dormiendo in noſocomiis hieme, at æſtate in areis triturandæ meſſi paratis, inter paleæ cumulos, ut ruſtici ſolent. Semel exiſtimavit agricola furem eſſe de tritico ſurripiendo cogitantem, propterea aggreſſus ob longo fuſte cæpit percutere, reliquiſſet malè mulctatum, niſi Socius exclamaret, quid hominis foret. Romæ dum per viam urbis procedit, vir impudens noſtris rebus adverſus, habens obvium, ejus maxillæ infligit alapam. Nihil turbatus, detecto capite tanquam officii causâ, progreſſus eſt. Tantum exemplum vir admiratus, ivit ad pedes Patris Ignatii, memorato Ludovici exemplo, ac

ſuæ culpæ cum lachrymis petitâ ve
niâ, Societatem dilexit, & coluit i
poſterum. Miſſionibus Ultramari
nis favit impensè, ad eas navigar
ſtuduit, & non ſemel mitti poſtula
vit. Solebat dicere, DEUM cumu
lata bona impertiri Luſitanæ Provin
ciæ, quod ſe privaret hominibus
dotibus, & ingenio præſtantiſſimi
ad excolendas, & promovendas miſ
ſiones Ultramarinas. Id multis com
probabat exemplis. Fervens ill
cum DEO familiaritas. Quidqui
erat agendum, prius cum DEO i
oratione conſultabat. Suis preci
bus multos aliis, multos ſibi favore
adeptus. Non paucis vitæ pericul
Divinitus eſt ereptus. Nec ea de
fuerunt ab æmulis gratiæ apud Re
gem habitæ. Amabat ſolitudinem
ut intentiùs cœleſtibus vacaret con
templationibus; propterea, ubi li
cuit per negotia, identidem ſeceſſi
ad prædium Collegii Divi Antoni
ſeparatum ab humano commercio
ibi pulchrum Sacellum ſuis expenſi
ædificavit Martinus Gonſalvius Lu
dovici frater. Secum geſtavit ſem
per Teſtamentum novum, & Con
temptum mundi, ſive aureum libel
lum de Imitatione Chriſti; hæc, data
occaſione, lectitabat, vel cum era
in Regia. Quamvis multum polle
ret apud Regem, & Principes, non
eſt uſus eorum gratiâ ad conſangui
neos altiùs evehendos, aut locuple
tandos. Unicè ſtuduit augendæ So
cietati; nec ullus eſt cui plus debe
ant noſtra Collegia. Dedito Rege
adu-

lulatoribus, & ſequendæ propriæ
oluntati, mœror ingens, & perpe-
us attrivit non ſolùm Patris ani-
um, ſed valetudinem; hanc ille
uſans, etiam ſeceſſit ab audiendis
umni ſui confeſſionibus. Cum
ex primùm ſine exercitu trajecit
Africam, ad eum ſcripſit *ſe mori,*
ſi ſtatim rediret. Hæ litteræ adeo
venem permoverunt, ut ſine morâ
ſtinaverit Ulyſſiponem, ac è navi
ſcendens contenderet rectà ad in-
ſendum Ludovicum ægrotantem
Collegio Divi Antonii, cui tradi-
t, quas ad ſe litteras dederat, di-
ns illarum causâ reverſum. Tria
EUM rogaverat, quæ ſunt illi con-
ſſa; primum, diuturnum morbum,
ſe accuratiùs ad extremam lu-
am compararet: ſecundum, dolo-
s, ut acerbitatibus morbi purgaret
teactæ vitæ crimina: tertium,
rvare integram mentem ad ulti-
um usque vitæ momentum. Cum
im eſſet paraliſis tentatus indiciis,
etuebat tolli morte repentinâ.
x menſibus eum tenuit febris len-
. Ituro Conimbricâ Ulyſſiponem
eli mutandi gratiâ Epiſcopus Lecti-
m obtulit ad iter agendum com-
odiùs, illud genus vehiculi recu-
vit, ne remitteret antiquum rigo-
m non utendi delicatorum com-
odis in ſuis itineribus. Cum illi
clararum eſt, Medicos ipſius vitæ
ffiſos, valde lætus ait: *Tantum ego*
neo mori, quantum ex Ulyſſipone tran-
e Tagum ad Aldeum Galegam. Oppi-
um eſt in altera Tagi ripa. *Verum*
me dolore afficiunt peccata mea. Adjecit,
illud ſibi & ſolatio, & eſſe conſcien-
tiæ quietæ; quod cum tanti feciſ-
ſent Reges, resque momenti ſummi
tranſigendas commiſiſſent, in nihilo
ſuam læſiſſet conſcientiam. Leva-
tis in cœlum oculis ac manibus in
hunc modum alloquebatur primos
Societatis noſtræ Parentes: *Beatiſſi-*
me Pater Ignati, qui me tantopere dilexiſti,
recordare hujus tui indigni filii. Beatiſſi-
me Pater Franciſce Xaveri, Orientis Apo-
ſtole, memento hujus tui egeni fratris. Sic
alios è primis invocans nominavit.
Sentiebat moriendi ardentiſſima de-
ſideria; hæc inter, ac Sociorum la-
chrymas tranquilliſſimè efflavit ani-
mam poſt horam quartam matuti-
nam. Ejus oſſa, annis volventibus,
translata ſunt ad Sacellum Crucifixi
in templo Domus Profeſſæ, ibi con-
dita cum oſſibus venerabilis Sacer-
dotis Martini Gonſalvii de Camera
ejus fratris. Lethi nuntium Rex
Sebaſtianus accepit Eboræ, protinus
lugubrem ſumpſit veſtem, claudi juſ-
ſit Palatii feneſtras: Ad altum, quem
conceperat mœrorem decoquen-
dum, ſeceſſit in Cœnobium Virginis
ab Spineto extra urbem. Ibi ſolus
in conclavi abditus, feneſtris occlu-
ſis, uno tantum accenſo cereo deli-
tuit. Poſt multas preces noſtri P.
Mauritii ejus Confeſſarii, extinctâ
face, permiſit parum feneſtræ aperiri.
Dicentibus morem Regum non eſſe
dolere tantum, ac tot argumenta
triſtitiæ in privati hominis præbere
letho, reſpondebat: *Quid vultis, fa-*

ciam, si non cognovi alium patrem, & matrem, nisi Ludovicum Gonsalvium? Rectissimè dictum: nam Pater Joannes Princeps obiverat eodem mense, quo Sebastianus editus in lucem, mater Joanna filia Caroli V. post natam prolem abivit in Castellam.

P. Doctor Didacus Luis.

ANno 1649. emortuus Eboræ. Natus in oppido *Alpalham* Diœcesis Portalegrensis. Eboræ Societati conjunctus 15. Maij anno 1602. Ob præstans ingenium Philosophiam tradidit Conimbricæ, Theologiam Eboræ, ibique Doctoris insignitus laureâ. Vitæ Religiosæ vixit observantissimus. Propter ejus singulares virtutes, ac doctrinam Rex Joannes ejus nóminis quartus Japonensem nominavit Episcopum; verùm sacratus non est, quod per id tempus Pontifex metu Castellani Regis non probabat Lusitani placita. Duobus vitæ postremis annis Didacus crudeles perpessus morbos. In diuturnâ ægritudine mira fuerunt patientiæ documenta. Animis æquissimis, & cum divinâ conformibus voluntate tulit acerba omnia; donec morbi sævitiâ, tanquam lustrali purgatus igne ad immortales excessit.

DIE XVI.

P. Franciscus Henricius.

ULyssipone anno 1590. Cælestis patriæ civibus additus. Cunas habuit eâdem in urbe. Conimbricæ nostræ militiæ nomen dedit 26. Maij anno 1545. De litteris eas tantum didicit, quæ satis essent facturo ad aram, & excepturo confessiones; verum tam plena fuit hominis prudentia ad gubernandum, ut ob eam sine solitis apud nos scientiis quatuor votorum solemnem emiserit Professionem. Quod exemplum unicum arbitror in hac Provinciâ. Eo Præposito Domûs Professæ Ulyssiponensis, pestis urbem infecit. Naviter dedit operam curandis, & invisendis infirmis contagio oppressis. Quamvis illi malum hæserit ex hujusmodi exercitio, & carbunculi non pauciores tribus fuerint ipsi exorti, non cessavit à pio munere, donec vires omnino succubuerunt furenti morbo. Diras passus curationes, à morte ægrè liberatus. Jam senex decapularis multus adhuc erat in audiendis pœnitentibus, quibus singulare solatium in explicandis ad ejus pedes conscientiis. Vocatus ad confessiones extra domum, ibat extemplò præ senectute innixus baculo. Electus, ut Romam ad tractanda negotia proficisceretur, (laborabat diversis valetudinis affectionibus valde molestis) oblitus sua incommoda, se paravit itineri. Monenti cuidam è nostris honestissimam morborum obtenderet excusationem, respondit: *Exempla obedientiæ necessaria Societati, non vitam suam.* Sic vixit semper, ut eum nec vi-

ixisse piguerit, nec pœnituerit
iori.

DIE XVII.

P. Franciscus Henricius.

Gnotâ mihi die anno 1556. apud
Indos Travancorensis regni vitâ
efunctus. Natione Lusitanus, Co-
mbricæ ad nos venit 10. Febr.
nno 1546. Eodem anno missus ad
ndiam, ubi tractavit cum sancto
averio, multumque hausit de il-
is spiritu. Diligentem operam ani-
arum culturæ impendit Coccini,
anæ, in Salsetana regione ad Se-
emtrionem, denique in regno
ravancorensi decem & novem
exit templa. Existimans alibi ex
oore suo futuram copiosiorem
essem, petivit à sancto Xaverio
ssionis mutationem: Cui Divus
quentes scripsit litteras, quas huc
serere, quod breves sint, grave
n est: *Ne te contristet, quod vides à
non effici tantum fructum cum ipsis
istianis, quantum desideras, quod sint
dediti idololatriis, & Rex sit contrarius
ram fidem amplexantibus. Vide, te
ijorem, quam credis, fructum facere
ndo vitam tot infantibus, qui nascun-
, & quos multa diligentia, & cura
ptismo abluis, ut exequeris. Etenim
bene consideras, invenies ex India ad
lum paucos ire tum ex albis, tum ex
ris, nisi qui moriuntur in statu in-
centiæ, ut sunt morientes infra deci-
um quartum annum. Inspice mi fra-
Francisce Henrici, te facere in ipso re-
gno fructum majorem, quam opinaris.
Cerne, postquam ibi sis, quot infantes à
te Sacro abluti fonte, sint emortui, &
vivunt securi in Paradisi gloriâ, qua non
fruerentur, si tu ibi non esses: & ini-
micus humanæ naturæ te multum odit,
cupitque extra ipsum regnum te videre,
ne ex illo aliquis eat ad Paradisum. Dæ-
monis est consuetudo proponere majora
Dei servitia sequentibus JESUM Christum,
idque intentione inquietandi, & tur-
bandi animam, quæ in eâ est parte, ubi
fructum Deo facit, ut eam depellat ex illâ
terra, ubi facit fructum. Timeo, ab ini-
mico te in hac parte concuti, afferenti la-
bores multos, & tædia, ut te istinc depel-
lat. Intuere, postquam in ipsâ es orâ (octo
possunt esse menses) te salvasse plures ani-
mas abluendo Sacris lymphis infantes, qui
post Baptismum sunt mortui, quam salva-
sti in Lusitania, antequam venires ad In-
diam. Si vero tam pauco tempore plu-
res animas salvasti in ipsâ orâ, quam,
antequam ad eam venires, ne mireris,
quod te hostis urgeat tentationibus, ut te
inde ejiciat in partem aliam, ubi non
tantum Deo servias, quantum servis istic.*
Hactenus Xaverij litteræ, quibus
acquiescens fervore majori segetem
suam ad vitæ finem excoluit.

P. Emmanuel Alvres.

ETiam die, & mense incognitis
anno 1617. inter Æthiopes
Guineæ regionis in saltu Leænæ;
sic vocant illam Africæ continen-
tem, natus est in oppido *Torres no-
vas* Diœcesis Ulyssiponensis. Conim-
bricæ Societati adscriptus. Ad In-
su-

ſulas Heſperidum navigavit anno 1607. Inde petivit continentem capitis viridis, ut juvaret in colligendâ animarum meſſe Apoſtolicum virum Balthaſerem Barreiram à multis annis illic ſine comite ſtrenuiſſimè laborantem: decem annis eas gentes inſtituit Sacris myſteriis. Nihili fecit vitam ſuam. Idcirco nullis nec laboribus, nec periculis abſterritus ab urgendo opere. Multos ſuſtinuit, ac fregit malorum hominum incurſus, & hæreticorum, qui negotij causâ eò appellebant. Nullum gaudium illi majus, quàm omnia, quæ habuit, liberaliter elargiri propter Deum. Illis regionibus inceſſanter diſcurrit Chriſtianos à Patre Barreira factos conſervando, & eos novis Ethnicorum converſionibus augendo. Idolorum delubra, vanaque ſimulacra evertit, ac contrivit innumera. Ejus mortem defleverunt inenarrabili planctu neophyti, qui amabant ut Patrem, venerabantur ut Sanctum. Id magnis in eo dignum laudibus, quod ſanctis exercitiis, quibus ex Regula damus ſingulis diebus operam in Collegiis, quotidie inter feras gentes ſatisfecit, tanquam vitam degeret ſub oculis Majorum.

DIE XVIII.

Antonius Mendes Coadjutor.

EBoræ in longa, ac ſancta ſenectute mortem oppetiit anno 1609. Annis triginta curam habuit de prædiis, ac villis. Nec libertas major fecit minus cautum, aut remiſſiorem in Religioſâ diſciplinâ. Sæpe die traducto pane tantum, & aquâ capiebat nocte ſomnos in areis vel agris inter operas, ut invigilaret bonis ſanctæ paupertatis. Diebus feſtis tradebat ſe totum orationi, cæterisque exercitiis Religioſæ pietatis. Hebdomadis ſingulis duos dies tranſigebat jejunio: in his non ſolitus eos computare dies, quibus fideles ex matris Eccleſiæ præceptis tenentur cibo abſtinere. Non annis, ac ſenectute gravis, & feſſus hujusmodi pepercit inediis. Siqui animadverterunt, mitius ſecum ageret, reſpondebat: *Abſtinentiam eſſe ſenectuti ſalubrem.* Tres vitæ poſtremos annos, deficiente viſu, conſumpſit in virtutum exercitiis, mirantibus Sociis innocui ſenis conſtantem in ejus vitæ genere fervorem. Dicente confeſſario, nec annos, nec vires effoetas ſenecta, pares eſſe rigori tanto, propterea ſibi temperaret; reſpondit: Comercium cum Deo ſibi nullam afferre moleſtiam, eo potius levari animum, & curas.

DIE XIX.

P. Antonius de Andrade Martyr.

GOæ apud Indos anno 1634. vitam explevit. Natus in oppido *Oleiros* Diœceſis Cratenſis in Provin-

incia Beirensi. Conimbricæ se tradidit Societati 15. Decemb. anno 596. Ulyssipone transegit Tyrocinij partem. Nondum post bienium effluxerant anni duo, cum udio consulendi animarum bono ela solvit in Indiam anno 1600. um Ecclesiæ propagandæ dat operam in regno Mogorum, sparsus est mor Tibetense regnum multis dians itineribus Christum colere. ostquam exploravit accuratè, inuisivitque de illis regionibus in siæ meditullio conditis, iter agressus supra fidem arduum, plessimum difficultatibus, ac immens vitæ periculis, ut suis oculis conspiceret, quæ forent illic nominis hristiani reliquiæ, Ecclesiamq; exnctam suscitaret. Anno 1624. se æ dedit cum paucis comitibus. eferre singulatim, quæ viderit, uæ sit passus, quos superavit monts ità opertos nive, ut Gangen, ntum flumen, transierit super ontem ex nive duratâ factum, res t largæ, sed non ingratæ historiæ. pe noctes transegit super nives ato corpore. Per eas incessit ersus magnam corporis partem. illies penè abjecit spem omnem incendi difficultatum cumulos; ntiebat tamen intus vim quamm incitantem ad urgendos cœps labores. Tantum luctatus est m ærumnis, aut earum montis, ut tandem ad viæ longissimæ, laboriosissimæ finem devenerit. uod erat vir gentis, & habitus, oris, & vultûs insueti, & ignoti, fecit apud omnes grandem sui admirationem. Regem alloquutus, à quo perbenignè exceptus, eum docuit itinerum victas difficultates, & causam adeundi tot pericula. Invenit non obscuras Christianæ fidei ibi quondam seminatæ reliquias. A Rege facultatem adeptus Evangelium prædicandi, quam liberaliter concessit. Ipsi, & Reginæ, ac regni Principibus explicavit nostræ Religionis præcipua mysteria. Cum videret omnia suo conatui favere, regionemque totam albam esse ad Evangelicas messes. Pollicitus Regi se, quàm primum liceret, eò reversurum, regnum Mogorum petivit, ut secum aliquot è nostris ferret ad tantam promovendam spem. Datâ opportunitate, sequenti anno, minoribus itinerum difficultatibus, quod essent jam magis explicatæ viæ, & exploratum commodum tempus, ad Tibetense regnum accessit. Rege, ac Regina propitiis, templum ædificavit Virgini ab spe sacratum. Cum Pater ægrotaret periculosè, Virgo illi apparuit, dixitque: *Nihil tibi, fili, dolebit amplius.* Quo dicto extinctus est dolor omnis. Primores regni, ut amorem erga fidem, & Christum ostenderent, è collo pendentes gestabant cruces. Jactis novæ Ecclesiæ fundamentis, ac relictis, qui haberent curæ crescentes plantas. Rege, ac Magnatibus mirificè benevolis, Antonius spe grandium rerum concepta,

ptâ, regreſſus ad Indiam, ut inde novos mitteret operarios. Goam perveniens declaratus Sociorum Provincialis. Id munus accidit illi percommodum, ut continuatis ſubſidiis ſubinde miſſis foveret novam Miſſionem. Ne lectorem ſuſpenſum relinquam, paucis dicam, qui fuerit exitus harum rerum. Propter viarum immenſas difficultates per regna, & nationes incognitas, ſpes tanta extincta eſt: Conantibus incaſſùm noſtris hominibus illò penetrare, multi vitas amiſêre, nec hactenus ceſſatum omnino eſt ab hac cogitanda expeditione. Deus viam aperiat, quâ tam remotæ gentes adiri poſſint. Antonius Goæ Deputatus ſancti, ut vocant, officij eſt conſtitutus; cùm ex munere ſuo adverſus perfidos Judæos inquirit, ex ipſis unus illi præbuit aquam veneno infectam, quâ de medio brevi ſublatus eſt. Prope mortem ſe dedit ei conſpiciendam Virgo Mater, ſuisque ſuaviſſimis verbis recreavit. Illud portento ſimile, quod conſepulti effigies vivis coloribus eſt expreſſa in marmore ſepulchrali; cum eradi nequiret, pro comperto fuit rem factam divinitùs. Non defuerunt, qui ſomniarent, venenum exhalatum ſuo vapore imaginem eam formaſſe in lapide, totumque penetratum fuiſſe, propterea nequiviſſe deleri. Sed hoc diſcurſu parvi habito, voluit eo ſigno Deus hominis indicare virtutem, quam in depellendis morbis graviſſimis infirmi non pauci ſu[r] experti.

DIE XX.

Gaſpar Freire Scholaſticus.

MOrtuus Eboræ ſalutis an. 162[5] Natus in Paroecia ſancti Gira[l]di in agro Montis majoris novi Dio[e]ceſis Eborenſis. Dedit ſe Societa[ti] Eboræ 28. Januarij anno 1618. Stu[]debat Philoſophiæ, cum phthiſ[is] eum adorta, paulatim extenuavi[t]. Nihil æquè illius mater fæmina n[o]tæ virtutis deſiderabat, quàm fil[ii] perſeverantiam in Societate. V[o]lens eam Dæmon conturbare, ſum[]ptâ Gaſparis perſonâ, matris d[o]mum ingreditur. Majorem in m[o]dum afflicta, & vix explicans v[o]cem præ lachrymis: oh me, inquit infelicem. Quid tibi nate cont[i]git? Quid culpæ fuit, cur meam d[e] te fefelliſti ſpem: hoc tandem p[oſt] tui parentis mortem mihi ſuperera[t] infortunium. Melius eſſet emori quàm pati tam acerbum vulnus. Dum ſe vocat fæminarum miſerri[]mam; ait fictus Gaſpar: Hæc ma[]ter mea dulciſſima, forent magi[s] toleranda, ſi crimen & Societate[] & te indignum commiſiſſem: ſe[d] illi boni Patres, nullâ per me dat[â] cauſâ, ut vides, ad tuam me miſe[]runt domum. His auditis altiùs doluit: ſumpto calamo ad Collegi[i] Rectorem ſcripſit litteras quereli[s] plenas; quas ut accepit, novita[]tem

m admiratus, Gaſpari juſſit, fa-
ulum matris alloqueretur. Stu-
it eo viſo, quem credidiſſet in
mo matris relictum. Protinus
tinavit, aperuit matri, quid con-
exiſſet; ejus filium & Eboræ, &
e in Societate. Illa, reſpondet,
quaquam ita eſt, foris erit, nam
ivit paulò antè à quam intrares.
um diligenter quæſitus non com-
reret, intellexit pia fæmina præ-
gias fuiſſe Dæmonis, eam illude-
, ac irridere, & turbare volentis.
aſpar diuturnum morbum plurimi
timavit, ut ſe firmiùs muniret ad
eundum è vita; ſeceſſit, ut juſti
lent.

P. Antonius Velles.

Boræ vitam explevit ſalutis anno 1609. Natus in urbe *Por-
egre*, latinâ dicunt *Amaam*. Co-
mbricæ amplexus Societatem 9.
nuar. anno 1569. ætatis 23. Pro-
ſionem trium votorum ſolemnem
iſit. Docuit multis annis huma-
ores litteras, aliquot moralem
eologiam: Septennio egit Eboræ
æfectum Academiæ: Metro ele-
ntiſſimo incluſit omnia præcepta
ammaticæ noſtri Emmanuelis,
o opere in eo genere vix ſpera-
poteſt aliquid nobilius, & altius:
mmentarios in eandem Gramma-
am typis mandavit tam eruditos,
non ſint, qui æquent. Cæterà
iniſteriis Inſtituti noſtri diligen-
ſimam navavit operam ſive con-
onando, ſive pænitentes audiendo.

Vitam omnem exegit bono communi utilem. Illius mores ſolidi, & inculpati. Singularis illi bonitas, & pax animi, quales, habent viri Deo ſoli, & animæ ſaluti viventes, & morientes.

DIE XXI.

Henricus Nunes de Gouvea.

IN urbe Portuenſi anno 1570. morte cunctis amabili vitam finiit. Natus, ut videtur, in Inſula Fayalenſi loco nobili. Duxit originem à Cornelio Dutra Flandro Inſulæ Præfecto, & primo, qui terram eam Oceano latentem invenit auſpiciis Luſitani Regis; propterea dicuntur etiam Inſulæ Tertiæ *Flandricæ*. Ex parentum voluntate in urbe Portuenſi matrimonio conjunctus Beatrici Madureiræ pari ſuo conjugi nobilitate, & virtute. E filiis, quos genuerunt, dedêre Societati Chriſtophorum Gouveam, & Joannem Madureiram, de quibus fit illuſtris mentio ſuis locis. Henricus, annis florentibus, indulgebat exercitiis nobilium, pompæ, veſtium nitori, & cæteris honeſtis animi laxamentis. Anno 1548. noſter Franciſcus Strada Portum adiens miras illic ſuis concionibus fecit morum mutationes. Præter alias notabilior fuit Henrici mutatio. Numerabat tunc temporis ætatis ſuæ annos triginta. Relictâ vanitate, ac Reipublicæ curis, ſe totum addixit ſan-

ctiſſimæ morum integritati, Divinis commentationibus, frequentandis templis & Sacramentis. De curis communibus voluit ſolum in Sodalitio Miſericordiæ ſervire, quod ejus Sodales ſint inſtituti ſublevandis inopum neceſſitatibus. Inviſebat noſocomia, ægrotantium componebat lectos, ſecum ad hæc, & ſimilia miniſteria ferebat filiolos, eorum impoſitis capiti fiſcellis, quibus portabant cupedia recreandis infirmis. Sæpe cum Sodalibus Miſericordiæ recipiebat cophinis oſtiatim petitas eleemoſynas ad ſuccurrendum detentis in cuſtodiâ publicâ. Anteibant filioli calathis pane refertis ſuper caput. Diſcedente ab urbe Patre Strada, Henricus ejus loco promovit in virtute inſtar Patris ſpiritualis, quos Strada Deo conjunxerat. Caſtigationibus voluntariis frangebat corpus. Illius domus videbatur Cœnobium obſervantiſſimum. Hæc omnia Cœlo gratiſſima, profanis reputabantur ſtultitia, & riſus. Verum nihil eſt commotus hominum ſibilis. Ex quo enim hanc inſtitit ſalutis viam, nihil minoris fecit, quàm dicta hominum. Inſtinctu ſuperiori prævidens famem venturam, è frumento ſuo ne granum quidem paſſus vendi, quo mendicis eſſet, unde ſervarent vitam. Subortâ fame, quicquid condiderat, effudit in pauperes. Fuit illi converſatio, & familiaritas non vulgaris cum noſtris Gonſalo de Silveyra, & Ignatio Azebedio, hunc nobis pepererant Henrici conſilia, nam ejus monitu ingreſſus Societatem. Ille domo ſuâ hoſpitio excepit Divum Franciſcum Borgiam; dedit ſuæ domus partem, ut poneret initia Collegio noſtro. Ibi habitavimus, dum commodior ſitus non fuit. Suſtinuit, contradictiones popularium, & explicavit, quas novæ fundationi obtendebant difficultates. Ubi per ætatem licuit, filios ſuos duxit ipſemet Conimbricam, ac mancipavit Societati. Ætatis habens annos 45. deſideravit, abdicato ſæculo, tradere ſe Societati noſtræ. Ingreſſus annum quinquageſimum, rem tranſegit cum Beatrice conjuge (à multis annis communi conſenſu torum jam ſeparaverant) conſtituto, quod illa amplexaretur inſtitutum Divæ Claræ, & noſtrum Henricus. Dum negotium communicat cum Franciſco Borgia Societatis univerſæ Moderatore, cui placebat Romæ potiùs, quàm in Luſitania nobis adſcribi, mors intervenit; cujus diem, & horam Deus ſervo ſuo manifeſtavit: ſtatim condidit teſtamentum: Tertiam bonorum partem, de qua ex Luſitano jure ipſi tantum erat libera diſpoſitio, legavit Societati ea conditione, ut aleret filiolum unum (tres enim jam apud nos erant) qui, ubi compleret juſtam ætatem, fratribus conjungeretur. Hanc bonorum portionem Societas poſtea donavit uni è tribus, qui redivit ad ſæculum. Tandem illuxit dies Be-

enedicto sacra transitui destinata. xpiavit animum confessione, refe- t se pane cælesti. Ante meridiem mpto prandio collegit se in con- ave. Paulò pòst vocat filiolum, tque: Ubi mater tua cibos sump- rit, illi dicito, ad me veniat. Dua- is horis fuerunt soli. Tunc Hen- cus: *Scito, mea fidelis Socia, hunc esse em, quo sum iturus in Cælum: decem olutis annis eâdem hâc die & tu mo- ris: id mihi prædictum à Deo.* Ad- cit: *Deus mihi declaravit, esse me ab feris liberum, an à flammis lustrali- s, non dixit.* His, aliisque verbis se dimisit commonitam, ne ultra m inviseret. Mox per filiolum cersiri jubet uxoris consanguine- n Gasparem Nunium Barretum, i aperuit à se relinqui testamen- rium: Commendavit illi uxorem am, ac natos, petivitque, cura- t, ad se deferri extremam Unctio- m; postquam est inunctus, in- rrogavit quota foret hora? re- ondenti puero horam esse vesper- iarum precum, imperavit, ad se caret Sodales à Misericordia, & Nosocomio. Singulis valedixit, gans, suis eum precibus apud eum juvarent. Post hujusmodi ficia quæsivit, in qua essent hora? cente puero, quintam personuisse, cesse, inquit, Patrem Rectorem, eterosque religiosos Societatis, aneat domi solus janitor. Cum rcumstarent, eos verbis suavissi- is, & piissimis alloquutus: ipsi ig- otum non esse, quantum in vitâ suâ cupiisset ad eos aggregari; sup- pliciter precari, Socium, ac fra- trem vellent, adoptarentque Socie- tati. Protinus ex facultate S. Fran- cisci Borgiæ nuncupavit vota Scho- lasticorum nostræ Societatis, estque ipsi conjunctus magno suo, & præ- sentium solatio. Horæ spatio pios cum ipsis miscuit sermones, tan- quam cum fratribus. Percontatus deinde, quota flueret hora? cum responsum esset, octavam; jussit ac- cendi duos cereos, qui erant in Al- tari, darique sibi Crucifixum dona- tum ab Ignatio Azebedio Christi Martyre: hunc ut accepit, dixit Pa- tribus, recitarent Litanias, & pre- ces alias pro morientibus. Interim tenebat oculos in simulacro fixos. Precibus absolutis, cum manu per- tentarent, invenerunt egisse ani- mam. Ad spectaculum tam pium, tamque admirabile, & rarum stu- puerunt, veneratique sunt hominis virtutem felicissimo dignam transi- tu. Ejus uxor post decem annos eâdem die è vivis excessit. Cum aperirent Henrici sepulchrum, il- lam ibidem humaturi, corpus re- pertum est incorruptum, cælesti fragrans odore. Vulgatâ famâ, ingens factus est ad ipsum veneran- dum concursus.

P. Doctor Petrus Luis.

ANno 1602. spiritum DEO red- didit Eboræ. Natus in regno Valentiæ Aragonensis Dominii. So- cietati conjunctus in Lusitania. Mi- cuit

cuit ingenio ad ſcientias, & magiſteria præclariſſimo. Eboræ Theologiam profeſſus annis viginti; Doctoris ibidem ornatus laureâ; de ipſo reperi ſcriptum, fuiſſe primum, qui UnionemHypoſtaticam DiviniVerbi aſſeruit in poſitivo conſiſtere, quam opinionem Academiæ poſtea ſunt complexæ. Qui laudant ipſius ſapientiam, id faciunt verbis ampliſſimis. Huic ſcientiarum ſplendori junxit ſingularem modeſtiam, ac Religioſam humilitatem. Quidquid placebat, ac ſpirabat, ſolebat ſuo, ac rerum omnium tribuere Factori.

Alphonſus Proenſa Coadjutor.

ULyſſipone in Domo Profeſſa anno 1613. deſiit vivere. Natus in oppido *Monſàrâs* Diœceſis Eborenſis. Manſuetudo, modeſtia, & modus planè religioſus agendi cum ſæcularibus, ſingulares illius fuerunt virtutes. Quantum licebat per leges ſui gradus, curavit omnes, cum quibus eſt ſermocinatus, DEO conjungere. Ob eum ſpiritum hominibus noſtris proprium, ſi veri ſunt hujus Societatis filii, gratus in paucis ſanctiſſimo Viro Ignatio Martinio, qui annis 18. eum habuit Socium in edocendâ Catecheſi. Poſt obitum Ignatii ſervivit Patribus Domûs Profeſſæ in colligendis oſtiatim eleemoſynis, quibus unicè vivunt. Id muneris explevit, ut res poſcit, & Societas vult.

DIE XXII.

P. Antonius de Morais.

CHaritatis egregius cultor vit claufit ambitum in urbe Po tuenſi ſalutis anno 1704. Natus i oppido *Chaves* Diœceſis Bracharenſi Conimbricæ huic minimæ Societa addictus 8. Mart. anno 1658. Illiu mores ſemper à Sociis probati, g nius ſuavis, & affabilis. Injuria æquo tulit animo, & vultu hilar Patienter audiebat confitentes pe cata ſua, & huic miniſterio erat aſſi duus. In concionibus contempſi plauſum, quamvis meruit. Stude bat auditores incitare ad animæ ſa lutem, & morum integritatem. Po ſtremis vitæ annis laboravit in urb Portuenſi magnâ virtutis opinione nec aliud merebatur ejus perſpect omnibus charitas. In reducendi ad ſanam frugem mulierculis perditiſſimis diligentes, & valdè fructuoſas adhibuit induſtrias. Magnum ex eâ fæce numerum convertit. Ne relaberentur ad lutum ſuum, domum conduxit, ubi eſſent more viventium in Cœnobio ſub certis legibus, & Moderatrice, quæ conſuleret obſervantiæ. Quærebat ipſe juvandis miſeris eleemoſynas, & ſolvendo locatæ domûs pretio. Præterea rogabat cives pios, & nobiles fœminas, illuc mitterent ſarciendas veſtes, ac de novo inſuenda lintea, & quidquid operis commendari ſolet fœminis domi ſuæ victum labore comparan-

rantibus. Si forte aliqua reverbatur ad vomitum, affici solitus œrore inconsolabili. Rursus ovem rantem curavit mille modis caulæ stituere. Triennio, ex quo id reptaculum instituerat, triginta ex is maritavit, tributa singulis comtenti dote. Sustentabat in ea do- fœminas triginta, aut plures. vit multum illius charitati Josefus Saldania urbis Episcopus vir nctissimus ex familia Capuccinom. Pertulit multum ab Præsulis mesticis; etenim stomachabanr adversus Patrem, quod toties em corrogaret; prætexebant fadium & bilem suam nomine virtis, dicentes ab eo falli Episcopum: erti eleemosynas, æquius insuendas alendo honestas fœminas. ujusmodi dicta parvi habuit, cum ret, quam forent stulta: nec Præem, quod his benefaceret, defurum cæteris, cum solum egenis llet Ecclesiæ suæ reditus. Id exemm pessimum imitata impudens tula, quæ Patri fuit instar Angeli tanæ: ajebat ad januam Episcopi, m Pater eum conveniebat, tum diente Patre, tum egenis, qui adent: sub eo prætextu avertere eleeosynas, ad quos vellet usus. Id um iterabat per domos, ad quas cedebat conquirendo victum. Si vius erat vetulæ in foro, aut aliis cis publicis, suam vetula repetebat ntilenam. Adivit etiam nostros tres, quibus exposuit animum um, & solitas de Antonio querelas.

Hæc omnia vir DEI transmittebat vultu miti, & blando. Cum indies cresceret conversarum numerus videns esse angustam domum tantæ capiendæ multitudini, adeptus est bonam pecuniæ summam ad emendas, quas laxaret, domos, hujus familiæ proprias. Hæc agentem, meditantem oppressit mors. Infirmitas Martyrio persimilis. Cum enim exonerari vesica nequiret, dolores acutissimi totum corpus mordacissimè excruciarunt. Mirabilis erat in sufferendo æquanimitas, & conformitas ad voluntatem Divinam. Nulla medicamenta suffecêre obici rumpendo. Tandem ritè comparatus ad supremum iter, eò profectus, ubi suæ charitatis gaudet præmiis abundè collatis.

Joannes Carvalho Scholasticus.

ANno 1659. reliquit Eboræ mortales. Ortus Ulyssipone ex parentibus illustrissimis, dicebantur Laurentius Pirius Carvalhus, & Magdalena Villena. Studebat Philosophiæ in Scholis nostri Collegi Divi Antonii unà cum Francisco Vasconcellio, de quo fit mentio 17. Maji, sibi in paucis amico. Decreverunt paternæ domui, & humanis rebus valedicere. Igitur ultimâ die Martii 1654. se tradiderunt nostro Tyrocinio Ulyssiponensi. Ubi Mater Joannis cognovit, quid egisset filius, præ dolore tantùm non amisit mentem. Convolat in nostram Domum, conqueritur irâ, & ululatu fœmineo, dolis,

dolis, ac fraudibus hominum de Societate deluſum filium ſuum. Hæc, & illa facturam, niſi reddant. Cum nihil profeciſſet, domum rediens, fingit ſe morbo lethali correptam. Jubet dari litteras ad noſtrum Viſitatorem natione Gallum, rogabat multis verbis, ad ſe mitteret Joannem ſuum, nolebat enim è vita proficiſci ſine poſtremis amplexibus, & monitis: æquum non eſſe matri hoc negari ſolatium. Annuit roganti Viſitator: ubi Joannes ad matris acceſſit conſpectum, eâdem arte, quâ finxerat agritudinem, levamentum ſimulavit. Gaviſa mirum in modum, exiſtimans facilè emolliendum filium, ut ab incepto deſiſteret: dixit, quæ verba ſuggeſſit amor maternus. Diebus aliquot domi habuit, nec die, nec nocte ceſſans ab oppugnando filio. At juvenis annis ſuis, & ætate major nullis delinitur verbis, propoſiti ſui tenaciſſimus. Ut eſt fœmineus ſexus, niſi ſuadenti pareas, ad iras rapidiſſimus; amorem in indignationem convertens totum; Ito, inquit, è meo conſpectu parentum tuorum dedecus, & improperium, faciem meam amplius non videns. Id unicè optavit Joannes, dicto citiùs ſe domum confert, ſucceſſu lætiſſimus, dixitque matri, ſe carnem, & ſanguinem non attendere, ex quo deſtinaſſet Chriſtum ſequi. Apud nos vitam traduxit innocentiſſimam, nullius rei magis immemor, quàm ſuæ nobilitatis. Ob celſam indolem, & præſtans ingenium conjuncta cum ſingulari pru-dentia Societas magnam de ipſo ſpem conceperat; quam omnem abrupi[t] immatura mors. Hydropiſi conta[-] buit.

DIE XXIII.

P. Sebaſtianus Gonſalves.

GOæ apud Indos anno 1619. cor-poris ſolutus vinculis. Natu[s] in oppido *Ponte de Lima* Diœceſis Bra-charenſis. Eboræ aggregatus So-cietati 29. Mart. anno 1614. In ea-dem Domo egerat Tyronum Magi-ſtrum, cum petivit Indiam, ubi mul-tum utilis fuit Societati tum guber-nando, tum ſcribendo Hiſtoriam il-lius Provinciæ, & vitas hominum virtute illuſtrium ad ſua usque tem-pora. Morum in eo candor, & affa-bilitas omnium captabat animos. Neminem offendit verbo, aut facto. Extollebat omnes memorando cu-jusque facta laude digna. In e-mendandis ſubditorum erratis vix ſuavior, & efficacior. Eos ſi pœni-tuit ex animo, non amplius recorda-tus, quæ commiſiſſent. Maxima illi in DEO confidentia. Eo moderante Domum Profeſſam, ſi rei temporariæ urgebat neceſſitas, ad DEUM recur-rens, unde minus putabat, habuit ſubſidia. Inſtituebat Tyrones in Inſula Choramo prope Goam, ubi eſt illorum domicilium, cum irrepſit illi mors. Invitatus ad Collegium propter meliora ægroto commoda, noluit

luit ſtationem deſerere, dictitans
lle ſe inter ſuos Tyrones mori.
c Pater anno 1615. veniens Pro-
rator Romam ſecum duxit bra-
ium S. Xaverii, quod Romæ coli-
r. Cum Luſitana urgeretur ab
llandica nave; oſtenſo brachio,
roparo hoſtilis ſubſtitit velis paſ-
quin poſſet progredi, dum Luſi-
nus fugit periculum.

Vaſcus Farrez Scholaſticus.

Nno 1547. in urbe Portuenſi,
ubi eſt natus, additus civibus
eleſtibus. Conſanguineus erat
anni Nunio Æthiopiæ Patriarchæ,
primaria urbis nobilitate. Cùm
c noſter Franciſcus Strada decla-
avit contra mores pravos, adſtitit
ncioni Vaſcus annos habens octo-
cim. Fruebatur pingui Canoni-
tu, magnopere deditus vanitati,
id ſtatum ſuum deceret, omnino
litus; ſæpe habitum induens pro-
um, ac ſplendidum ſe dabat po-
lo conſpiciendum. Cum fama
lgaſſet magna de Patre Strada, &
numerus confluxiſſet populus ad
m audiendum, adfuit quoque Va-
s, magis novitatis causâ, quàm
dio concionis audiendæ. Id quò
nifeſtius oſtenderet, juſſit ferri
concionis habendæ locum ceraſis
num calathum per jocum, &
ium edendis, dum Concionator
rba faceret. Alia mens DEO
at, quàm Vaſco. Ubi enim DEI
rbum enſe penetrantius diſtrictum
, ac fulminavit, concio ſoluta in
lachrymas, & Vaſcus punctus ignitô
Divini ſermonis jaculo, jam alius
erupit in fletum, anteactæ, & præ-
ſentis vitæ dolens inſanias. Rece-
perat ſe Strada in noſocomium,
cum Vaſcus illò properat: quid ſit,
& quid hominis fuerit, concionatori
declarat; velle ſe, inquit, faſtu, &
vanitate relictis, Societatem com-
plecti; mundo, cui ſervierat, nun-
tium remittere. Flentem ſolatur
Strada, collaudat eas cogitationes,
ſed rem tanti momenti eſſe, ut len-
tiùs, ac maturiùs perpendi debeat:
domum faceſſat: ſecum, & coram
DEO, quid optimum ſit factu, conſi-
deret. Hæ moræ juvenem magis
accenderunt. Videns poſt aliquot
dies Strada Vaſcum à DEO ſanam ad
frugem vocari, tradit ipſi litteras ad
Conimbricenſem Rectorem, ut in
Societatem adoptet. Quamvis oc-
cultè profectus; ex abſentia, quid
eſſet, odorati parentes, miſerunt ci-
tato curſu, qui domum ex itinere
retraherent. Conſecuti, ſecum no-
lentem perducunt. Dum tranſit
ante januam noſocomii, de manibus
comitantium elabens, quærit, tan-
quam aſylum, Patrem Stradam. Illic
parentes, & cæteri. Conſanguinei
quâ verbis, quâ lachrymis, & im-
portuniſſimis ſuaſionibus juvenis op-
pugnant conſtantiam, ipſo ſemper
rupibus firmiore. Sepiunt domum
excubiis; potuit tamen furtim eas
fallere, & Conimbricam accedere;
ubi ſui voti factus compos 14. Maji
anno 1546. Miro fervore novum

vi-

vivendi amplexus morem. Dedit se totum Divinis commentationibus, quibus nihil illi dulcius. Nesciebat aliud, nisi DEUM cogitare, & loqui. Castigandæ vitæ præteritæ avidissimus, cilicio, flagello, aliisque vexationibus corpus, ut hostem infensissimum, contorsit. Ex hujusmodi pio excessu nata est febris continua. Judicarunt Medici solum profuturas patrii Cœli auras. Idcirco cum alio Socio missus Portum. Adiit nosocomium. Dicens, se Religiosum esse egenum, & infirmum, venire, ut inter mendicos sibi mederentur. Facies attenuata, & oris mutatus color fecerant videntibus ignotum. Procedente die, vulgata est infirmi virtus, eam enim inculcabant illius facta, & verba omnia. Hac de causâ confluebant multi spectatum; donec patuit infirmum non alium esse, quam Vascum. Nuntiatur ejus Patri, somnium putat. Verum cum Henrico, de quo 21. hujus Mensis meminimus, intrat nosocomium: compertâ veritate, lachrymas tenere non potuit. Venit posteà mater: volentibus eum in domum suam portari, restitit: nec pervincerent, nisi noster Gonsalus Silveyra moneret, æquissimum esse, morem gerere tam sanctis parentibus. Non sinebat fœminam ullam, præter matrem, ingredi conclave, ubi decumbebat. Insumebat tempus vel meditando res Divinas, vel DEUM piissimis verbis, Virginem, ac Divos compellando. Intellectum est ex ipsius dictis, illi se conspicien dam dedisse Virginem, & aliquo Divos. Agiologium Lusitanum re fert ipsum octavo ante mortem di appetivisse cerasa; quæ sunt proti nus allata, & coram posita ab An gelo sub adolescentis specie. Co gnita fuit ipsi mortis dies: affirma vit 23. Martii obiturum. Parente rogavit, ne in suo funere plorarent potius inundarent lætitiâ, quod i Societate sit mortuus. Obsecravi etiam, corpus suum mandarent se pulturæ, quæ foret coram Venerabili Expiravit summâ corporis, & anim pace. Ad exequias currit urbs to ta: magnam enim fecerat in ea ad mirationem Vasci conversio, majo rem mors sanctissima.

P. Joannes de Payva.

ANno 1682. in Domo Professa Ulyssiponensi naturæ concessit Ulyssipone, ubi natus erat, pingui fruebatur beneficio in templo maximo. Numerabat ætatis annos 56. cum se totum DEO tradere constituit. Relicto beneficio, nobis adjunctus Ulyssipone 20. Novemb. anno 1660. Supra viginti annos apud nos exegit magno vitæ exemplo, deditus orationi, & castigando corpori, & audiendis pœnitentibus. Ostendit religiosissimam animi demissionem præsertim coram majoribus, quos ut imagines summi rerum Administratoris DEI suspiciebat. E suis bonis juvit multum paupertatem Domus Professæ. Vixit in Coadjutoris spiritualis gradu.

DIE XXIV.

Didacus de Moura Coadjutor.

[E]Adem in Domo vitam absolvit anno 1624. Natus in oppido *[Est]remos* Diœcesis Eborensis. Eboræ [So]cietatem amplexus 12. Martij [15]61. Raræ perfectionis Vir. Se [vo]to obstrinxerat obeundi, quæcun[qu]e Superiores injungerent facien[da], quin obtenderet ullam excusa[tio]nem. Anno 1599. pestilentiâ [Ul]yssiponem populante, se dicavit [co]ntactorum servitio, multúmque [sud]avit in eorum procuranda salu[te]. Omnes eum propter mode[sti]am reverebantur. Animum osten[de]bat valde gratum ergà Domus be[ne]factores. Nostros, qui domui [co]nquirebant eleemosynas, vocabat [Pa]tres, & Fratres Domus Divi Ro[ch]i; qui nullas conquirebant, voca[ba]t habitatores Domus Divi Rochi. [Be]nefactores tum externos, tum do[me]sticos scribebat in charta, ne me[mo]ria de ipsis periret. Semper stu[du]it nemini mortalium molestus es[se]. Id, quod totâ vitâ peregit, acci[di]t illi postremo de vita transitu: [na]m repentina sublatus morte, ad [qu]am imperatus numquam fuit.

P. Antonius de Amaral.

[U]Lyssipone in Domo Professa anno 1656. contigit vivendi me[ta]m. Natus in oppido *Assentàr* Diœ[ce]sis Conimbricensis. Absolutis [stu]diis scientiarum, missus est in An[go]lam, ubi magno zelo animarum exercuit nostra ministeria. Per id tempus erat Angolæ Præfectus nomine Regis Lusitaniæ vir nemini bonorum placens. Huic suaserunt ejus perversi adulatores, P. Amaralium, & alios de Societate in concionibus ipsius mores, & regendi morem carpere. Ut erat præceps, & parum consideratus, Collegium nostrum adit. Rapit à janitore claves. Jubet vocari cæteros Patres, vocatis denunciat, sine morâ navem conscendant paratam ad navigandum in Lusitaniam. Cum modestè responderent; id imperii pertinere ad suos Superiores, non ad Regis Præfectum, aliásque cumularent rationes ad hominis iram leniendam. Nihilo factus mitior, jubet Patres ratibus impositos (quod est genus vehiculi apud eas gentes) à Nigris deferri in navem. Ita festinanter est executioni mandatum. Sic malè parati provisione rerum necessariarum venerunt salvi in Lusitaniam. Illud solabatur omnes, quod innocenter, & in virtutis odium tam dura ferrent. Antequam ira Regis Præfecti pessumdaret dementem ferociam, ipsa sibi supplicium fuit; nam exosus omnibus abdicavit se Magistratu sine Regis facultate, ac petitâ Peruvia, illic comprehensus, ac vinctus Ulyssiponem deductus est; ubi in sordibus publici carceris contabuit ærumnis plenus. Innocentia Patrum apud Regem purgata, & laudata, ex eis nonnulli navigarunt iterum ad Angolam, ut honor debitus

 resti-

restitueretur nostris rebus. P. Amaralius substitit aliquot annis Matriti, hujusmodi negotio consulturus. Posteà ad annos viginti Ulyssipone naviter incubuit nostris obeundis ministeriis. Egit Collegii à Divo Antonio Ministrum, ac tandem per annos plurimos Præfectum templi Domus Professæ. Ob virtutis opinionem Nobilitas, ac dynastæ multi numero in ejus auribus deponebant animæ noxas. Ipse tam continuus fuit tribunali confessionum, ut inde sæpe præ labore exanimis deducendus fuerit inter manus ad cubiculum. Infirmitates corporis, quæ multæ illum vexarunt, tulit patientissimis animis. Horas canonicas attentè, ac devotè solitus recitare. Denique, dum semper vivit intentus æternitati, apoplexiâ correptus septuagenarius expiravit.

DIE XXV.

P. Augustinus Lourenso.

IN oppido Scalabitano Diœcesis Ulyssiponensis anno 1695. ad fortunatam patriam convolavit. Natus Terenæ Diœcesis Eborensis. 18. Januar. 1653. Docebat Philosophiam in Scholis Ulyssiponensibus anno 1675. Cùm navigavit Londinum unâ cum Patre Benedicto Lemio, ut servirent serenissimæ Dominæ Catharinæ Angliæ Reginæ. Ibi moratus est ad annum 1689. Per id tempus composuit, & typo dedit Philosophiæ tria volumina, Theologiæ duo, gratia tempus occupandi, ut ipse ad amicos scribebat, dicens, malle se reputari ignorantem præsumptioni deditum, quàm sapientem otiosum. Residuo congruæ sustentationis sibi à Regina tributæ, ditavit, & ornavit Sacellum majus Tyronum Eborensium, quod fuisset educatus in ea domo. Eum sumptum fecit in obsequium Virginis, ob illius venerabilem picturam, quam Eborensi Collegio donaverat noster Ignatius Azebedius Christi Martyr, & pinxerat unus ex ejus Sociis, qui cum illo Martyr occubuit. Ex Anglia rediens, temporis majorem partem vixit Eboræ. Illius industriâ, quæ multa fuit in promovendis cæmentariis operibus, ad perfectionem erectum rusticanæ villæ pulcherrimum ædificium, quod augebatur expensis Patris Lemii. E Londino vexit copiosam Bibliothecam, quam legavit Bejensi Collegio. Ajebat, quæ haberet, Societatis esse, non consanguineorum: etenim non propter ipsos, sed propter Societatem sibi collata fuisse, ipsique debere, quidquid hominis foret. Moribus nituit integerrimis, & conscientiâ sceleris purissimâ, ut sunt testati, quibus eam in confessione exposuerat. Usus victu parcissimo. In molestiis tum animi, tum corporis æquavit tolerantiores. Missus ad regendum Collegium Scalabitanum, hospites illac transeuntes, (transeunt frequenter) magnâ solitus est charitate, & liberalitate excipere. Subditis præibat exemplo, eratque acerrimus

ius observantiæ exactor, quin at-
deret personas hominum. Sæpe
alii sublevarentur, suscipiebat eo-
n pensum, & onus. Vicinus
rti tam ferventes actus virtutum
dit, ut qui aderant, sibi visum in-
: Divi Pauli affirmarent. In po-
emo discessu subditos comple-
ns, petivit commissorum veniam.
luit procul dubio Virgo Sanctissi-
compensare servo suo præstita
equia felici morte, die, quo cæpit
a esse, & nominari DEI Mater.

DIE XXVI.

Petrus Joannis Coadjutor.

I Domo Professa Ulyssiponensi
anno 1566. vitam explevit. Na-
in Diœcesi Visensi. Cum Magi-
: Simon Rodericius iniit possessio-
n Domus Divi Antonii Ulyssipo-
templi custos erat *Pedreanes*, sic
cabant, coalescentibus duobus in
um nomen, nos explicatius dici-
is Petrum Joannis, vel Petrum
iium. Permisit Simon, templo,
anteà, serviret. Cum eam ha-
isset curam annis quinque, quan-
nobis Domus est tradita, aliis
inque egit postea eamdem procu-
ionem. Perspectâ hominis san-
tate, & moribus incorruptis, eum
non in Societatem admisit. Quam
icitatem cum nec somniaret, miri-
è est lætatus. Simplicitas illi co-
nbina; & multus laboris amor.
ibat officia plura, seu foret ipsi
n unum, sed plura corpora. Fuit
imus æditues templi Domus Professæ. Tum nostri, tum externi suspiciebant, ut hominem DEO amicissimum, ut talis finivit vitam longam, & multis ornatam meritis.

P. Bernardinus de Reys.

ANno 1566. in prædio dicto *Valde Rosal* distanti quatuor milliaribus ab Ulyssipone finem vivendi fecit: Natione Italus. Antequam esset noster, vocabatur Bernardinus Excalceatus. Postquam in Indiam est profectus D. Franciscus Xaverius, cum videret Simon Rodericius agi frigidè à Joanne Rege de fundando Conimbricæ Collegio, quam ob rem ipse cum Xaverio non iverat, statuit anno proximo sequi Xaverii vestigia. Propterea commendarat Bernardino, ut quæ forent opus longæ navigationi, haberet parata: pollicitus, ubi vela solverent, eum à se in Societatem admittendum. Interea Rex dato Monasterio Carquerensi, quod Simon commutavit cum cœnobio Divi Antonii, jussit poni Conimbricensis Collegii primordia, abrupitque navigationis consilium. Tunc Simon stans promisso, Bernardinum adoptavit in Societatem; quod pervigilio Epiphaniæ migravit ad cœnobium, indidit cognomen Bernardino de Regibus. Initiatus posteà Sacris procuravit multis annis utiliter res missionum Indiæ, & Japoniæ. Semel dum facit Sacrum, adeò est elevatus à terra, fuitque tanto tempore in aere sublimis, ut minister sit palmis dimensus totum spa-

ſpatium inter ſolum, & Bernardinum non ſine admiratione, quam res poſcebat. Fuit enim id ſpectaculum argumentum ſanè præclarum de rarâ viri cum DEO familiaritate.

DIE XXVII.

P. *Alexius Coelho.*

DIe, menſe, & anno mihi non notis in Regno Siamo apud Indos Orientis efflavit animam. Natus in oppido *Viana* Diœceſis Eborenſis. Eboræ Societati Conjunctus 20. Nov. 1643. Quatuor jam vota ſolemniter profeſſus ad Indiæ profectus miſſiones anno 1672. Navabat operam colendæ Domini vineæ in regno Cambojenſi, cum DEUS illius honeſtati eventu miro conſuluit. Dux Luſitanorum illic negotiantium vitam ducebat perſimilem Ethnicis. Admonuit Alexius perditiſſimum, ſaluti ſuæ proſpiceret; nè foret offenſioni, qui debebat cæteris exemplo eſſe. Ad ſalubres voces inſanivit adverſus Patrem, utque augeret ſua ſcelera, vulgavit de illo eas culparum ſordes non ſolum ab ejus nota virtute, ſed à ſeptuagenario ſene alieniſſimas. Non minori audaciâ confecit ſcripturas firmatas falſis teſtibus ad Patris mittendas Superiores. Dum volvit, habétque inter manus in abaco ſcriptorio hujusmodi chartas infames, calumniis, & mendaciis ſcatentes; proſilit in abacum gallus albus incognitus, & quà roſtro, quà unguibus chart omnes lacerat fruſtatim. Obſtupu improbus ad conſpectum Divinæ tionis ſervo ſuo proſpicientis. V rum adeò in vitiis obcalluerat, mores ſuos ſpreverit emendar Alexius poſt diuturnam vitam ſa ctè conſumptam migravit ad cœlo Dux ille poſt mortem Patris Siamu adiens, ibi eſt occupatus ſupren morbo. Diverſi Sacerdotes inviſ runt ſuadentes, ut improbiſſima conſcientiam per confeſſionem e piaret. Diſtulit de die in diem, d nec avulſa eſt de corpore infelix an ma, æternis addicenda cruciatibus.

P. *Emmanuel Rodrigues.*

ETiam neſcivi diem, menſem, annum, quo eſt mortuus. Ob vit in Sinenſi Imperio. Natus in op pido *Sourel* Diœceſis Eborenſis. Ad ſcriptus Eboræ Societati 23. Febr an. 1658. Ad Indos profectus ann 1667. Laboravit egregiè in miſſio ne Maſſurenſis regni. De hujus vi ri præſtantia noſter Gaſpar Alphon ſus, qui poſteà fuit Epiſcopus Meli porenſis, recenſens operarios vine Maſſurenſis, hæc habet: *Sit prim Pater Emmanuel Rodericius natus Sozel in Transtagana Provincia, vir omnib numeris abſolutus, aſſiſtens in Reſidenti Cancanalina, cui tres eccleſiæ ſunt anne ubi Pater diſtinetur tum in convertend Ethnicis, ac inſtituendis Chriſtianis, tu in componendis, ac transferendis libris in linguam Canarinam ad majorem miſſionis utilitatem. Eſt excellens Theologus.* Ro-

ga-

ad tradendam Goæ Theologiam, ma- labores missionis, quam splendores dræ; Crucis cathedram existimans orem. Hæc Episcopus. Annis pe- viginti laborem impendit exco- lis Massurensibus magnâ anima- utilitate. Fame sævissimâ in- escente, erexit nosocomium in Regia tum neophytis, tum cu- lis Ethnicis egenis. Res apud gentes insueta magnas homi- admirationes excivit. Colle- est ex hujusmodi opere fructus ensus annis duobus, quibus fa- oppressit populos. Nam qui ad- t eam domum ad procurandam orum salutem, fiebant Christia- Perpessus multas ab Ethnicis ecutiones, sunt enim illic quo- næ adversus antiquum gentis n deserentes, & eorum Magi- . Perfunctus tot laboribus, orum jussu migravit ad Sinense erium: quæ ibi gesserit, gessisse ta non est dubium, mihi com- a non sunt.

DIE XXIII.

annes Henriques Coadjutor.

acharæ anno 1658. diem obi- vit. Natus Conimbricæ, ibiq; etati junctus 7. Decemb. anno 1. Maximi fecit gradum sui sta- Quod esset venerabili præsen- sæpe externi, qui non eum no- nt, tractabant amplissimis ver- tanquam foret aliquis vir apud nos litteris, vel dignitate conspi- cuus. Ad hæc vir humillimus eru- bescens, eos edocebat, quid ho- minis esset, dicens. Ne, mi Domi- ne, ne te fallat species externa, non omne, quod lucet, aurum est. Etenim sum ego domûs abjectissi- mum mancipium, Laicus rudis desti- natus omnium servitiis: his, aliis- que in eandem sententiam cumula- tis conceptam de se extinguebat opinionem. Magnoperè hanc de- missionem collaudantibus, & refe- rentibus, qui audierant. Socios Scholasticos adhuc non Sacerdotes ut suos Dominos colebat. Huic hu- militati accrevit virtutum cumulus. Viliora ministeria libentius est am- plexatus. Plurimis annis egit co- quum. Laborabat ipse pro multis. Non se voluit, nisi labori, & fatiga- tioni. Annis postremis chiragrâ, & podagrâ dirum in modum con- tortus, toleravit acres dolores pa- tientissimè: his, expurgatis la- bium, siquæ erant, fæcibus de vita excessit.

DIE XXIX.

P. Balthasar Affonso.

IN Angola anno 1603. vocatus est ad felicitatem non perituram. Natus in oppido *Portel* Diœcesis Ebo- rensis. Anno 1559. 30. Nov. Ebo- ræ Societati se tradidit. Anno 1574. cum aliis nostræ Societatis, & Pau- lo Diasio, qui ad condendum no- vum

vum Imperium in eis regionibus à Rege mittebatur, eſt profectus. Fuit unus è primis, qui ſunt exorſi Angolanum Collegium, & apud eos Æthiopes Eccleſiam fundarunt. Mira illi virtus, & poteſtas in diſſipandis idolis, & veneficiis, quibus magnopere ſerviunt illæ gentes. Sæpè igni dedit domos his ſpurcitiis plenas. Quacunque iter egit, idola innumera contrivit. Hæc cremandi, ac deſtruendi vana ſimulacra tanta fuit, & tam inſignis Balthaſaris virtus, & potentia, ut vir Apoſtolicus Balthaſar Barreira non dubitaverit affirmare, eum ad has edendas ſtrages enatum, & ſpeciali dono munitum à Deo. Quos Ethnicos Baptiſmo tinxit, innumeri fuerunt. Vitam ſuam objecit infinitis periculis, & laboribus ad Chriſti augendum gregem, ac debilitandum Dæmonis imperium. Ubi vulgabat fama Patrem ad hos, aut illos populos cogitare, Ethnici alio transferebant idola ſua, vel occultabant in dumetis, & ſpeluncis. Verum eas adhibebat induſtrias, ut ipſimet Æthiopes latibula oſtenderent, & veneficos accuſarent apud Balthaſarem. Quas ægritudines moleſtiſſimas, quas fames, ſudoresque alios in his pertulerit expeditionibus, vincunt numeros. E laboribus magnis ad majores gradum fecit. Per ea tempora ſæpiſſimè eſt comitatus Luſitanum exercitum, qui bello acerrimo Æthiopes vaſtabat ad poſſidendas Cambambenſes argenti fodinas, de qu bus tanta fuit expectatio, ut cred retur ſolidos montes ex argento ſe: ſed poſt infinita bella, & eff ſum ſanguinem, qui poſſet compl re flumina, res ipſa oſtendit, qua inanis ea foret hominum exiſtim tio, nam nihil inventum eſt. M gna Balthaſari apud milites, magr apud Duces authoritas. Sæpe ſcordias inter Duces, & milites f turas omnibus exitio feliciter pac vit. Id in epiſtolis ſuis ſæpiſſimè tetur, inter labores arduos, eis Deo conſolationibus deliniri, ut r hil magis eſſet oblivioni, quam bores. Annos octo ſupra vigin conſumpſit deditus luſtrandis a mis, & juvandis Luſitanis, quoru magno dolore è medio ſublatu Gradum habuit Coadjutoris ſpir tualis.

P. Alphonſus de Caſtilho.

EBoræ anno 1659. vitæ attig metam. Natus in Inſula Jama ca Americæ. Hæſit Societati Ulyſ pone 17. Maij anno 1635. Singu laris illi ſpiritus ad Sacras miſſion obeundas. Conimbricæ tradidit Ph loſophiam. Tum temporis intr duxit ſodalitium pænitentiæ noſt Patriarchæ ſancti Ignatij, quod a præſentem diem floret Conimbric in Sacello noſtrarum Scholarum Propter notiſſimam illius virtute conſtitutus Eboræ Tyronum Mag ſter. Ejus mores, & vita ſpeculum erant perfectionis Evangelicæ cum

no

ſtris, tum externis: Sanctum vo-
pant omnes. Semel Eboræ ob-
em habuit ad Divi Jacobi tem-
m egenum infirmum exhalantem
olerandum fœtorem: Cum debi-
eſſet Socius, ipſe cum ſæculari
o robuſto inter manus per me-
m urbem portavit ad noſoco-
um. Noſtri animam agentes ad
out habere curabant. Erat illi in
randis moribundis modus valde
s, & ſingularis. Orationem ma-
inam tranſigere ſolitus flexis ge-
us prope Sacelli altare coram
s Tyronibus. Singulis diebus
neris per Quadrageſimam cum
atuor Tyronibus ad triclinium
t, & flagellabat tergum. Nun-
am viderunt in menſâ acclina-
n parieti. Cum Tyrones humi
more noſtro capiebant cibos,
ulabatur ipſe ſolum ante eorum
umquemque. Ejus rara mode-
indicabat hominem Deo ple-
n. Singulis noctibus genu flexo
itabat Virginis Roſarium. Dum
ſtit uni de noſtris putri corru-
m febre, eâdem contactus. In-
nitatis tempore, quæ dixit, ac
it, habuêre ſanctitatem, & ex-
plum.

P. Alphonſus Freyre.

Nno 1659. perivit Eboræ. Na-
tus in oppido *Montalvam* Dioe-
is Portalegrenſis. Ulyſſipone ad-
us Societati 14. Julij anno 1646.
s obitus originem duxit à chari-
e. Luſitanus infeliciter obſederat
Pacem Auguſtam Caſtellæ urbem tempore valde incommodo. Peſtilens morbus funeſtavit totum exercitum. Deſertâ obſidione, milites diverſa miſſi in oppida ſalutem recuperandi causâ diffuderunt morbos ſuos. Magnus numerus Eboræ in noſocomio Academiæ Societati noſtræ ſubjecto decubuit. Eò ibant in orbem Socij, miſeros adjuturi. Ex miniſterio piiſſimo hæſit Alphonſo morbus idem, quo erant implici-ti milites. Gratiſſimum illi, Factori ſuo ſpiritum reddere in hujuſmodi ſanctiſſimis exercitiis. Agebat Socium Magiſtri Tyronum eâdem die defuncti.

P. Valerius Frias.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi anno 1639. ad cælites conceſſit. Natus Ulyſſipone. Sacerdos, & plurimis dives beneficiis, quod ejus pater eſſet primarius Regis architectus. Operam dabat litteris Salmanticæ, cum ad Evangelicam perfectionem aſpirans, ſe noſtro tradidit Inſtituto. Villæ Gartiæ Tyrocinium auſpicatus. Poſt bienium ob renuntiationem redituum Eccleſiæ nuncupavit tria vota ſolemnia. Poſt annos aliquot valetudinis causâ migravit in Luſitaniam. Egenos magnâ fovit charitate: ut illorum morbis occurreret, habuit prompta medica remedia quamplurima, quæ de facultate Majorum præbebat egentibus. Crebro inviſebat Deum Euchariſticum. Horas Canonicas recita-

citabat flexis genibus. Pervigiliis Magnæ Matris, ac diebus Veneris in Quadragesimâ victitabat solum pane, & aquâ. Sacris missionibus tum in Castella, tum in Lusitania multùm incubuit. Ad nocturnas morientium confessiones, carceres, & nosocomia nullus accurrebat diligentior. Quæsitis subsidiis pauperum sublevabat penuriam, & egestatem. Neminem vel minimo offendit verbo. Ejus mors nata est ex obedientia. Ad purgandos humores noxios utebatur tabaco in pulverem contrito. Hujusmodi usus medicamenti per id tempus erat apud nos insuetissimus, existimabaturque loco vitij, ne serperet, sub obedientiæ præcepto Societatis universæ Moderator jussit, ne Socius ullus eo uteretur pulvere, aut folio. Ubi id imperium est denuntiatum, quamvis Valerianus inspiceret vitæ periculum, prorsus abstinuit: defectu solitæ medicinæ cumulati humores pessimi genuerunt homini dolores gravissimos, quibus distortus lethaliter decubuit tam oppressus, ut nulla remedia debilitando malo satis fuerint.

DIE XXX.

Balthasar de Rocha.

IN Macaensi urbe, quæ Lusitanorum est Colonia in Sina, anno 1694. è vivis abiit. Natus in oppido *Vimieyro* Diœcesis Eborensis. Conjunctus Eboræ Societati 16. Feb. anno 1650. Studio lucrandi alie nam salutem profectus ad Indiam anno 1655. Eminuit dotibus præ claris ad sustinenda onera Sacri sug gesti. Cum deserti essent neophy ti Tunquinenses, quod Rex misisse in exilium extra regnum præcone Evangelicos: Illò navigavit anno 1669. cum aliis nostræ Societatis. Balthasar, & Sacerdos alter ivit ve stitus more nostro, cæteri vero ha bitu dissimulato, ut furtim se ad interiora regionis penetrantes Chri stianis consulerent: hi voti compo tes sunt facti. Ast Balthasar, & So cius jussi Macaum redire, postquam flammis traditum, quidquid Sacræ supellectilis secum portaverant. Po steà venit in Europam Provinciæ suæ ad tractanda negotia Procura tor. Rebus confectis, Macao re stitutus, & primis concionandi la boribus, & juvandi proximos. Ro gante Episcopo, ut Sacerdotibus traderet Moralem Theologiam, vo lenti paruit magnâ auditorum uti litate. Consulebatur ab omnibus in rebus dubiis. Quod esset bono communi ejus vita ob doctrinæ præstantiam utilissima, in illius obi tu doluerunt omnes. Sacerdotes gratum animum erga Magistrum ostensuri exequias apparatu magno concelebrarunt.

P. Petrus Correa.

ULyssipone anno 1580. gloriosè occubuit. Pestilentia urbem infecerat. Inter cæteros de nostris, qui

vitam obtulerunt contagioſo-
n ſervitiis, unus extitit, donec
lem contactus malo, quod cura-
in aliis, animam exhalavit. Ni-
amplius de illius virtutibus cog-
ri, præclaras fuiſſe mihi dubium
n eſt, quando hâc charitate ne-
habet majorem, quam ut pro
icis ſuis animam ſuam ponat.

Joannes Pereyra Coadjutor.

'Boræ anno 1666. vitam abſol-
vit. Natus in pago *de ſancto Mar*
de Abrim Diœceſis Bracharenſis.
oræ ſe junxit noſtris Tyronibus
Julij anno 1613. Rebus piis,
ſanctis accuratè ſtuduit. Neſcie-
vitam ducere otioſam. Quid-
id illi faciendum injungebatur,
itus peragere accuratè & ex-
iſſimè. Coquum agens culinam
buit mundiſſimam. Eſcas tempe-
iſſimè condiebat non ut homini-
s apponendas, ſed Angelis; ta-
enim reputabat Socios, quibus
pter Deum ſerviebat. Præfe-
s Sociis Subminiſter eos ſuſpicie-
, adhibitâ diligentiâ, ne quid
orum deeſſet commodis. In de-
tibus contra obſervantiam ex of-
o ſuo debitâ vigilantiâ perqui-
ndis, & fugandis non parcebat
i diligentiæ. Erat ejus veritas
n perſpecta, ut auderet nullus
iciari, quæ deferebat ipſe ad mo-
ratores. Ex altiori loco ad imum
dens ſic læſit brachium, ut ars
lla potuerit antiquæ ſanitati re-
uere. Propterea ſequentibus vitæ annis ſuſtinuit dolores graves ex hac ortos læſione. Non idcirco ceſſavit à laborando. Quantum permiſit infirmitas, ſui gradus obivit miniſteria, ne otioſus panem ederet.

DIE XXXI.

P. Joannes Lopes.

Conimbricæ anno 1671. contigit vitæ limitem. Natus Bracharæ. Ulyſſipone nomen Societati dedit 13. Sept. anno 1620. In magiſteriis potuit jure merito inter præſtantiores Societatis Magiſtros recenſeri. Philoſophicas, & Theologicas ſcientias tradidit Conimbricæ, præclariſſimo doctrinæ nomine. Ejus dictata maximi fiebant à viris doctiſſimis. Fuit acerrimus defenſor Conceptionis illibatæ Magnæ Matris. De ipſa in ſcriptis ſuis tractavit doctiſſimè. In Sacello B. Virgini Conceptæ dicato orabat multis horis. Cum de hoc myſterio ſermones inſerebantur, loquebatur ipſe tanto fervore, ut videretur velle omnium corda Virginis amore ſuccendi. Sæpe Conimbricæ in templo Divi Bartholomæi habebat exhortationes ad populum de Virginis Conceptione. Socij Scholaſtici ejus adeuntes cubiculum, ſi vellent ipſi morem gerere, erant oſculaturi Virginis picturam. Apparebat manſuetudinem cum ipſo natam, & cum ipſo adoleviſſe. Neminem unquam vel mi-

nimo pupugit, aut offendit verbo. Quod fuerit de cæteris in loquendo cautiſſimus, omnes eum amabant. Ultimis vitæ annis diros toleravit morbos. Multi illius patientiam, ac infirmitates componebant cum ſancti Jobi calamitatibus. Vivebat ad poſtremam incurſionem mortis diſpoſitus, tanquam metueret ſingulis momentis. Sedens in ſcamno ſubito afflatus ſyderis halitu peſtilenti decidit in terram; poſt hujusmodi lapſum, & ſyderationem triduo tantum fuit inter mortales.

APRILIS.

DIE I.

P. Ludovicus Henriques.

Ulyſſipone in Collegio D. Antonij anno 1580. naturæ ſatisfecit. Zamoræ in Caſtella nobiliſſimis ortus parentibus: dicebantur Laurentius Henricius, & Anna Fonſeca. Conſanguineus erat S. Franciſco Borgiæ. Eboræ nomen adſcripſit Societati 30. Martij anno 1560. Quo anno S. Borgia menſibus aliquot commoratus eſt in Eborenſi Collegio, ac Dominicis diebus per Quadrageſimam conciones habuit in maximo urbis Templo. Numerabat 30. ætatis annos: Apud nos erat omnibus exemplo. Sæviente peſtilentiâ libenter vitam obtulit, ut ferret miſeris & corporum, & animarum ſuppetias; Igitur miro fervore operi adjecit manum: arcendæ peſti nulla ſibi voluit remedia præter aquam benedictam, quam in ampullâ ſecum detulit ſemper. Ingreſſurus hoſpitia, vel domos contactorum lue, aſpergebat ſe luſtralibus lymphis, ac muniebat ſigno Crucis. Cætera contempſit antidota: Sex menſibus tam ſtrenuam huic charitati navavit operam, ut Patrem pauperum, & egenorum vocarent. Meditantibus, qui gubernabant, eum exonerare, ut caperet aliquid levamenti, Deo placuit recreare ſervum ſuum in æternâ felicitate. Duobus enim, aut tribus diebus, antequam eſſet amotus ab hujusmodi piiſſimis exercitiis, perculſus lue pernicioſâ, rogavit, præberi Sacramenta, velle ſe mori equitem Chriſtianum, armis Eccleſiæ Matris corroboratum; die Veneris ſanctioris hebdomadæ, quo Dominus expiravit in patibulo, petivit Crucifixum, & ſe ſolum relinquerent. Paulò pòſt

revertentes, qui discesserant,
enerunt mortuum, ac tenentem
plexu sacrosanctam effigiem.
gatâ morte, pauperes innumeri
fluxerunt ad præstanda funeri
Patris, ut nominabant, officia
rema.

DIE II.

P. *Alvarus Pires.*

Domo Professorum Ulyssipone
itam explevit. Eâdem in urbe
s parentibus sanguine præclaris-
: dicebantur Bernardinus Ri-
us Paciecus ob res gestas in Afri-
: India in Lusitanis historiis mul-
notus, & Maria Vilhena. Co-
oricæ complexus Societatem 10.
tii anno 1586. Tyronum Magi-
venerabili Viro Vasco Pirio.
monerent Alvarum, è duobus
ominibus (etenim vocabatur
rus Pirius Paciecus) abjecto
o, secundum, utpote gentili-
, & splendidius conservaret; re-
dit: ideò se domi suæ id primum
omen noluisse unquam depo-
, ut iniens Societatem, retine-
uod esset humilius, & se minùs
m redderet. Contigit illi in
ocinio res mirabilis, & quæ lo-
mereatur inter prodigia, quæ
tantur cæcam obedientiam.
os cum venit, solum attigerat
a Gramatices rudimenta. Dum
ster collationem de rebus ad
um pertinentibus habet cum suis Tyronibus, jubet Alvaro, manibus sumat Volumen Operum Divi Chrysostomi, & homiliam primò obviam legat, atque explicet fideliter idiomate Lusitano latini sensum, & sententiam. Nihil hæsit Tyro latini sermonis ignorantissimus, legit fidenter, eâdémque confidentiâ homiliam omnem est interpretatus tantâ certitudine, quantâ poterat sperari ab ejus linguæ peritissimo. Confectis apud nos solitis scientiarum studiis, reliquam vitam insumpsit obeundo nostra ministeria, & consulendo animarum bono. Instituit, aut instauravit multa Sodalitia, opificum Bracharæ in nostro templo, & Conimbricæ: Ulyssipone, id, quod à Doctrinâ nuncupant, in templo Domus Professæ. A se pariter eodem in templo introducta consuetudo Jubilæi singulis mensibus quartâ Dominicâ, qui tantæ celebritatis Ulyssipone fuit primis annis, ut in templo Domus Professæ tali die octodecim nonnunquam aut hominum viginti millia sacro pane sint refecti. Cum tantæ multitudinis confessiones apud nos audiri non possent, Cœnobia, & Parœciarum templa complebantur populo animas expiaturo, ut in templo Divi Rochi Dominicum Corpus acciperent. Posteà, quod similes Jubilæi sint instituti aliis in templis, deminutus usque adeo concursus, ut nostro tempore vix credatur tantũ olim fuisse. Verum & illæ, quæ ad hujus imitationem accreverunt institutiones, Alvaro nostro

ſunt gloriæ, qui facto ſuo aliorum excitavit pietatem. Magnis ſubſidiis Profeſſæ Domûs ſuccurrit paupertati. Dum vixit, paterna bona, Majoratum vocant, in quæ legitimus hæres ſucceſſerat, adminiſtravit. Bis ea bona tradidit duobus fratribus, ſed illis emortuis, redierunt ad Alvarum, qui retinebat, ut aleret matrem ſuam; non enim poterat cum dignitate vitam ſine his reditibus tranſigere; propterea ſolemnem Profeſſionem non emiſit. Sacram Catecheſim edocuit annis plurimis Ulyſſipone magno hominum concurſu. Quamvis addictiſſimus eſſet confeſſionum Tribunali, & genus omne audiret patienter, nunquam voluit excipere fœminarum homologeſes. Apud juvenes è primaria nobilitate ſingularem nactus authoritatem, eorum optimis conſiliis coërcebat mores. Libenter ad ejus accidebant pedes, expiabántque per confeſſionem animas. Inter alias hominum perditorum converſiones, quas per ipſum egit DEUS, ea procul dubio reliquas ſuperat, quâ homicida inſignis in lachrymas, ac dolorem eſt compulſus. Fuerat is vagatus Europæ oppidis celebrioribus: necaverat, aut vulneraverat lethaliter hominum capita circiter 130. præter alios ictibus minoris momenti vulneratos. Inſuper Dux erat cohortis ſicariorum, ac latronum Ulyſſipone. Id monſtri, non enim homo; Patris exhortatione inter exponendam Catecheſim auditâ, domum ſe conferens, noctem, qua longa fuit, tranſegit ſuſpirans, ac la chrymans ob immenſa anteactæ vit ſcelera. Mane facto Domum no ſtram feſtinans procubuit ad ped Alvari. Copioſo fletu culpas exti xit; ejus indicio deteſtanda facin ra, quæ parabantur, antequam pro dirent, ſunt obruta. Septuagenari major tandem è vitâ diſcedens, ſu vem de ſe transmiſit poſteris mem riam.

P. Paulus Mendes.

EBoræ anno 1687. vitâ defunctu Natus in oppido Monte-Majo novo Diœceſis Eborenſis. Societa adſcriptus Ulyſſipone 24. Maji ann 1630. Homo fuit antiqui mori doli, ac fraudis alieniſſimus. Rex Villævicioſæ Profeſſam Domum Collegia Funchalenſe, & Farenſ dum hoc poſtremum adminiſtrat res illi permoleſta contigit. Domu erat extra urbem Dæmoniis infeſta Vocatus eò Paulus ad malos hoſp tes exorciſmis abigendos, illos par faciens, in eadem domo voluit pe noctare. Multis importunitatibu hominem totâ nocte fatigarunt, ſe ea moleſtior, quod ejus crura ſic ſt cuerint, ut totâ deinde vitâ illi va cillaverint. Egit multis annis Ebo ræ Præfectum Juniorum, quoru Sacellum exornavit picturis, ac teſſ lis: Collegium Farenſe multum a xit: Poſtremò effectus Rector Co nimbricenſis: Paſſus ægritudine multas in eo Magiſtratu; Cùm ne ce

lum foret, corpus ferro penetrari
aperiendam viam, quâ pus excu-
etur. Quod erat nimis violen-
n remedium, & ſupra vires ſeni-
præviis morituro ſubſidiis muni-
, ictum altè penetrantem ſuſtinuit
n immotus, ut potiùs ſit viſus
ncus, & lignum, quam homo.
quantum recreatus, Medicorum
ſilio Eboram migravit, quod ſit
d Cœlum patrio affinius ob vici-
item: Ibi egregiâ patientiâ ſuas
ferendo infirmitates, & augendo
rita aliarum virtutum actibus in-
entem vitam abſolvit.

DIE III.

Andreas Anes Coadjutor.

Nno 1580. Ulyſſipone attigit vi-
vendi finem morte invidendâ.
tus in pago à *Sancto Mantio* Diœce-
Eborenſis. Adoleſcens erat cor-
e, & viribus robuſtiſſimis; Sæpe
vires ſuas oſtentaret, tenuit ac
t manu tauros ferociſſimos in
Eborenſi coram populo inter
os taurinos, apprehendens eorum
nua, vel caudam, impingebátque
ludibrium ſolo ora mugientium,
forent arietes, aut capri. Oſten-
one non abſimili tollebat è ſolo
tibus ſaccum benè magnum fru-
nto plenum. Aliàs manibus ſu-
terram extentis, unoque homine
ingulas palmas impoſito, ambos
ul erigebat in altum, tanquam
em plumam. Majorem in mo-
n gloriabatur hujuſmodi vanita-
tibus, cùm DEUS eum ad Societatem accivit. Pluvio cœlo, madentes imbre Andreæ oppidulo propinquarunt Patres Fernandus Carvalius, & Petrus Diaſius, qui Martyrio coronatus in itinere Braſilico; cùm non eſſet, qui domi ſuæ eos vellet, pulſantes in fine pagi ad oſtium Andreæ benignè recepit. Interius adiens conclave, matri nuntiat, quæ feciſſet: Iraſcens filio, colaphos, & alapas ejus infligit ori, & genis, Patribus audientibus, & tacentibus. Valdè ſunt mirati, quando conſpexerunt venientem ad ſe juvenem, læto vultu, ſine minimâ ſignificatione dolentis animi. Tantum apud hominem ruſticum, & jam ætatis adultæ valuit pietas debita parentibus; Igitur hoſpitibus calefaciendis, & exſiccandis veſtibus accendit magnum rogum, menſam deinde parat alimentis onuſtam, qualem divites ſolent agricolæ, de quibus erat unus. Actis gratiis ſequenti manè profecti, ſermonem miſcent de rebus, quas obſervarant in Andrea. Patrem Fernandum pœnituit non ſuaſiſſe juveni, ut, mundo ſpreto, Societati ſe jungeret. Id in reditu ſe facturum conſtituit, ſi foret obvia opportunitas. Revertentes pari charitate tecto excepit, reddideratque matrem mitiorem; nam & ipſa humaniſſimis & vultu, & verbis hoſpites conſalutavit. Tunc Fernandus beneficio gratificaturus beneficium, aptis ad rem ſermonibus Andreæ perſuadet, ſecum pergat Eboram, & Societatem amplexetur.

Quam-

Quamquam ſpoponderat Matrimonium puellæ diviti, ruptis his laqueis, Patres ſecutus, & nobis adjunctus eſt ſine Januar. anno 1563. ætatis anno 29. Quantum invideret illi dæmon, eventis non paucis oſtendit. Ut erat magno corpore, & magnis viribus, edere ſolitus, quantum ſufficeret tribus, aut quatuor alendis hominibus. Idcircò cùm ad ſe delatum eſt prandium, quamvis pro cæteris pingue, ſibi tam parcum, ac tenue viſum eſt, ut crediderit diætulam. Triduo urgentem famem ſuſtinuit, cum jam non eſſet tolerandæ, juſſit denuntiari Rectori, (erat is Leo Henricius) niſi cibus augeretur, ſe vivere diu non poſſe. Duplicavit Rector annonam. Cum nec duplicata ſatis foret. Iterum imperavit, qui Rectori diceret, vel darent cibum competentem, vel ſinerent in domum ſuam redire. Tunc Rector juſſit eſcas apponi ſine lege, ſine menſura, ſed cumulum bene magnum, qui tantùm conſpectus hominem ſaturaret. Hujusmodi lætus abundantiâ, paulatim, DEO juvante, ſic domuit aviditatem edendi, ut non ſolum viveret cibo cæteris communi, ſed etiam minori. Cum videret dæmon, quàm imbelle telum feciſſet ex fame, ſe convertit ad alia tentamenta. Modo ſub ſpectris metuendis, modo ſub figura relictæ ſponſæ, & conquerentis ſe dabat conſpiciendum. Aliàs arreptum manu inſtar pilæ conjiciebat in tectum cubiculi, ſinebàtque vaſtum corpus in humum

decidere. Non tamen lædebant artus his lapſibus. Semel deſcend rat ad vinariam cellam, dum hab amphoram applicitam epiſtomio d lii, & fluit in amphoram vinum cervici Andreæ ad rem intenti ta grandem impegit colaphum, ut co ruerit ſemimortuus; interim ſiſt vinum, quamvis erat apertum for men. Ubi ſibi eſt redditus, & v num cæpit effluere. Hæc, & his milia manifeſtabat Rectori, ſæpe ju ſit Andreæ, culcitram portaret ſuum cubiculum, ibique ſomnos c peret. Solabatur afflictum mem rando certamina ſua cum hoc mo talium communi hoſte. Etenin Henricius ſæpiſſimè cum ipſo co greſſus immanem belluam ſic fregi ac vicit, ut valdè timeret Leonen velut hædi tigres. Andreas tande ſingulari DEI beneficio à cacoda monis liber inſidiis, ſe DEO totu permiſit. Ad miniſteria ſui grad nemo ſedulior. Pro multis labor bat unus. Occidebat, & excori bat boves, & arietes edendos. Sub gebat, ac coquebat panes. Nih erat tam vile, & abjectum, ut pr DEO faciendum recuſaret. Cu dira contagio cæpit totam funeſtar Ulyſſiponem, ſuarum eſſe partiu duxit ferre ſuppetias miſeris. Ob tulit ſe animis corpore giganteo m joribus. Accuratam navavit ope ram, dum malum idem eum non involvit, & corripuit.

DI

DIE IV.

P. Gonsalus de Medeiros.

Nno 1552. in Collegio Divi Antonii Ulyssipone prostremùm elavit. Natus in oppido *Mejam* Transmontanæ Provinciæ. Pa- s studebat scientiis, cum in ea ur- gnatius Societatis Parens, ejus- Socii versabantur. Præclaris rum exemplis motus secum de- vit mundum contemnere, & spes nes, quibus irretit animos. Re vitæ genus severius, & totum præscripto Christianæ Legis & fectionis ingressus. Huic muta- i factum initium à comparatione ita sibi ab prædicatore. Dixit n aves non inferri mensæ Regis occisas, deplumatas, & assas, ac as igne. Et qui DEO placere lent, modo non dispari, moritu- rebus caducis, extirpandas pro- siones ad vitia, denique labori- , & castigationibus inurendos, fiant esca digna cœlestis mensæ. n altè in ejus descendit animum posita similitudo, ut vitam pror- austeram instituerit, deditam je- iis, ciliciis, ac flagellis. Ut se ovit hujuscemodi severitati, cæ- impudicis agitari tentationibus delissimum in modum. Quod ietus erat id genus præliis obstu- t, tanquam in eas venisset rerum gustias, unde sospes, & incolumis n posset foras exire. Pœnè diffi- est de salute sua. Inter hæc ani- cruciamenta prope se conspexit Angelum, qui nutantem firmavit his vocibus: *Confide, fili, tu salvus eris.* Hæc verba deterserunt ex animo densam, qua opprimebatur, nubem. Anno 1540. S. Franciscus Xaverius, & Simon Rodericius venêre Ulyssiponem. Quod eos Lutetiæ cognovisset Gonsalus, insinuavit se in ipsorum familiaritatem, quâ suaviter inescatus, nostrum est amplexus Institutum; & primus fuit, qui se nobis adjunxit in Lusitania. Sub præclaris Magistris Xaverio, & Simone brevi fecit in virtute magnos progressus. Vacabat Divinarum rerum contemplationi, & solidæ perfectionis studio totius animi contentione. Ajebat in comparandis virtutibus quærendam soliditatem, & non sistendum in quadam specie externa; eam virtutem habere instar ollæ focis admotæ, quæ dum ignis est, spumat, ac fervet; ast calore semoto frigescit rursus. Id contingere adulterinæ virtuti, si DEUS calefaciat solatiis, promittit montes; si recedunt talia spiritus blandimenta, momento in via perfectionis tepescit. Antelucano tempore è lecto surgens, habitis de more precationibus, assidebat in tribunali Confessionum. Id peragebat manè, idem vesperi secum ferens librum Moralis Theologiæ, quem volutabat, expectando pœnitentes, si non præsentes erant. Aurem commodabat omnibus sine discrimine nobilitatis, aut ignobilitatis. Ex hac assiduitate illi sunt oborti capitis ingentes, & acuti

dolores. Cum per hos non licebat diſtineri in confeſſionibus, purgabat ſcopis domus pavimenta, ſerviebat in culina, & his ſimilia obire ſolitus miniſteria. Siquis ſuadebat, valetudini conſuleret indulgendo quieti, dum caput dolores torquerent: reſpondebat, ſibi, necdum infirmo, non licere otioſum eſſe. Nutibus Majorum obtemperavit ſine mora. Erat Ulyſſipone, cum ad eum ſcripſit Magiſter Simon Provincialis, adiret Conimbricam. Facto pedibus itinere, Collegio accedens, prope januam expectat, dum fit certus Provincialis de illius adventu, ut jubeat conſcendere. Reſponſum fuit, ſe jam neceſſarium non eſſe, rediret bonis avibus Ulyſſiponem. Hic ille pronunciavit Luſitanum adagium ad rem natum, tacitum reliquo, propterea quod latinus ſermo vim, & leporem non exprimat; illius eſt ſententia: ſe, ad quæ luberet jubentibus paratum. Igitur nec Provinciali, nec Sociis præter janitorem ſalutatis, iterum eſt emenſus triginta & amplius leucarum iter. Cum inquirebant ex eo, vellet in hac, domove illa habitare? Unice reſpondebat: *Ubi Majoribus placuerit.* Multis infirmitatibus probata ejus in patiendo conſtantia. Poſtremo in morbo medicamina applicantibus dicebat: Ne ſe fatigarent incaſſum procurando ſanitatem decapularis, ac inutilis ſenis, truncos aridos non revireſcere. Multa viri pax, & quies in moriendo.

P. Georgius Tavora.

CONimbricæ vitâ defunctus an[no] 1599. Natus in oppido à S. J[o]anne *de Peſqueira* Diœceſis Lamece[n]ſis. Conimbricæ addixit ſe noſ[tro] Tyrocinio 20. Maji anno 1571. [...] lius virtus ab ipſis in Religione [...] tiis perſpecta, & multis experim[en]tis comprobata. Exploraturus M[a]giſter, quæ foret ad tolerandas in[ju]rias patientia, Tyroni parvulo jub[et] infligat Georgio in genas alapa[m] quantâ vi poſſit. Obedivit pro[m]ptè, & occaſionem nactus, face[t] præcepta. Ad ſtrepitum inexpec[ta]tum nihil eſt Georgius turbatus, [...] tiſque indicatum eſt, quod ejus v[ir]tus facie tenus non eſſet, ſed int[us] egiſſet radicem. In gradu ſuo Coa[d]jutoris ſpiritualis vix habuit pare[m] hæc Provincia ad noſtra obeun[da] miniſteria. Videbatur homo tot[us] ex charitate factus. Præterie[ns] prope aream ante aulas Academi[æ] ſub porticu voces audit gemen[tis] pueri; quid ſit, accurrit viſuru[s]. Reperit jacentem puerum ſemin[u]dum, fame, ac frigore morientem volutantem ſe inter ſordes. Verb[is] ſolatur, & poſtquam audivit con[ten]tentem; Collegium adiens, fert ca[li]dam, totum lavat, & induit veſtib[us] mundis. Obſervavit cuncta è ſu[a] domus feneſtra Academiæ Recto[r,] ac multis laudibus in Cœlum extul[it] viri charitatem. Commendatu[m] ipſi à Georgio puerum domi ſuæ ha[]buit, & aluit. Poteram, ſi permit[]teret

t, quod hic sequor scribendi ge-
, referre alios eximiæ charitatis
s; sed his omissis. Ajebat, si
Numinis offensione, aut regni
no posset evenire, ut sæviret pe-
d se vehementer desideraturum,
nancisceretur opportunitatem
) consecrandi vitam suam: Cum
us id sperabat, affulsit occasio de-
ia sua explendi. Cœpit Co-
bricæ ardere pestilentia. Ex-
plò Georgius Rectorem adit non
e petentis facultatem, sed san-
benedictionem, ut in se susci-
t onus serviendi contagione in-
s. Admiratus est Rector ani-
periculis majores, complexus,
ollaudavit. Additi sunt illi co-
s Emmanuel Rodericius Sacer-
, & Ludovicus Antunius Coad-
r ad eamdem fortunam & ipsi
te oblati. Totum profecto Col-
um, si per Majores liceret, prodi-
n aciem. Igitur tres supradicti
cedunt ad villam Suburbanam.
veluti ex arce, aut specula, quo
abantur, ferebant auxilia tum
oris, tum animæ. Castra dice-
stationem ægris curandis desti-
m, quod in campo jaceret in tu-
is multitudo adinstar exercitus
a metantis. Nocte, dieque Ge-
us oblitus sui, modo ad confessio-
audiendas, modo ad stipem do-
m à Collegio, & piis civibus di-
ndam ægris, volabat festinus.
Rectore Facultatem obtinuerat
di pauperibus quotidie dimidium
ndii sui. Scientes id pueri, ade-
rant permulti, quorum unicuique largiebatur partem exiguam, ut consolati facesserent. Ipse falce sumptâ, aut securi fruticem secabat in sylvis ad contegenda tuguria, & fœnum, ac juncum substernenda infirmis. His, aliisque innumeris id genus operibus desudaverat summâ contentione, cum eum pestis invasit, ac dedit lecto. Ubi patuit Sociis in Collegio, quàm esset morti propinquus; vix fuit, qui non expeteret laboranti servire, & in ejus locum suffici. Multæ præces ad DEUM fusæ pro retinenda fugienti vita. Cum intellexisset prope mortem esse, petivit accensam candelam, hanc ubi manu tenuit, efflavit animam. Ejus corpus inter lachrymas pauperum humatum est ad infimum gradum scalarum ante porticum ædiculæ S. Sebastiani extra muros urbis. Usque in hodiernam diem illic cernitur lapis sepulchralis, characteribus incisis, quis, & cur, sub eo condatur, indicantibus.

P. Andreas Palmeyro.

IN urbe Macaensi apud Sinas anno 1635. desivit esse inter mortales. Natus Ulyssipone. Nomen Societati dedit Conimbricæ 14. Jan. anno 1584. Fulsit dotibus ad quæque grandia spectabilibus. Apprimè scivit, ac magnâ cum opinione docuit litteras humaniores, Philosophiam, ac Theologiam Conimbricæ, & in nostro Collegio moderatus est primam Cathedram. Po-

 steà

ſteà præfectus eſt Rector Bracharenſi Collegio; id agens muneris ambivit, ac obtinuit inter Evangelicos Indiæ operarios numerari. Ubi rem fama vulgavit, Bracharenſes tam altè ſenſerunt, ut induxerint in animos, clauſis ſuæ civitatis foribus Patris diſceſſum impedire. Nam omnes majorem in modum captaverat Palmerij ſuavitas, conſuetudo, & benevolentia. Tamen demiſſiſſimis verbis gratias illis habens ob ſingularem amoris ſignificationem, eos ab eâ ſemovit ſententia. In itinere Ulyſſiponenſi noluit matrem ſalutare, quæ in pago proximè viam habitabat, ſecutus ſancti Xaverij ad Indiam proficiſcentis exemplum. Franciſcus Suarius Granatenſis in litteris ad unum è noſtris in India datis hæc de Andrea ſubjecit verba: *In Indiam proficiſcitur Pater Andreas Palmerius, magnus ſanè vir, nemini in Luſitania ſecundus.* Numerabat ætatis annos quinquaginta, cum vela ſolvit anno 1617. In India diverſos egit Magiſtratus, & præcipuos Viſitatoris, & Provincialis. Etiam fuit Viſitator Japonenſis Provinciæ, & Sinenſis. In eis luſtrandis ſeptem annos, & medium conſumpſit. Antequam initium faceret huic luſtrationi decem menſium ſpatio latuit abſconditus in navigio flumine Cantami; præ frigore ſic obriguerunt illi brachia, ut movere non poſſet. Peregrinatus eſt per eas regiones, quæ in Sinenſis Imperio ſunt præcipuæ. Intravit regias urbes Nanquinum, & Pequinum. Manarunt e
hac Viſitatione multæ miſſionib
utilitates, & incrementa. Poſi
ſunt exordia Eccleſijs Tunquinen
Camboienſi, Aynenſi. Conatus pr
mulgari fidem orthodoxam in reg
Lacrum. In tot, ac tantæ longi
quitatis itineribus, quæ pro D
gloria pericula ſubivit, quas perr
pit difficultates, quos voravit lab
res conſtanti ſemper vultu, & an
mo, paucis nequit explicari. Hæ
quæ attinent ad obitos Magiſtr
tus, quæ ad virtutes ſpectant, m
nora non ſunt. Religioſam paupe
tatem obſervavit, ut matrem ch
riſſimam. Ejus ſupellex aut nul
fuit, aut nullius pretij. Præterie
Conimbricâ, cum navem conſce
ſurus pergebat Ulyſſiponem, fer
bat tam attritum pallium, totqu
ſartum centonibus, ut Conimbr
cenſis Epiſcopus id egeſtatis ce
nens, lachrymas non continueri
In obediendo promptiſſimus. D
fectus nullos punivit acerbius
quàm qui hujuſmodi virtutem o
fendebant. Charitas præſertim a
verſus morbo implicitos fuit ipſi, ſu
pra quam dici poteſt, ſingularis
Si alicujus vita erat proxima per
culo ſupremo, ſepties, aut ſæpiu
in die ægrotum inviſebat. Man
ſuetudo, & affabilitas mirum i
modum omnium devinxit animos
Cum jubebat videbatur rogare
cum rogabat, jubere. Non ide
deſes ad obſervantiam exigendam
ſi res poſtulavit ſeveritatem, obli
ga-

tioni suæ non defuit. Ardentis-
nis patiendi martyrium desideriis
rpetuo æstuavit; hujus in locum
fectus est diuturnus morbus.
uamvis illius exordio sensit tenta-
m corpus, non propterea deseruit
mmunem vivendi morem, nec
oderatus solitos rigores; nocte
n alia ipsi cœna, quam intinctum
ua panis frustum sine ullo condi-
ento. Cum certior est factus de
lubitata morte brevi futurâ, vo-
lætâ respondit: Per viginti pro-
nos dies expiavi animam confes-
ne totius vitæ, mihi habens per-
asum eam extingui. Tantùm do-
, quod non peream succensus ro-
propter Domini mei amorem.
ost susceptum Viaticum arserunt
nquam admoto igne præcordia
sideriis fruendi Dei conspectu.
omplexus arctèCrucifixum, aman-
simè questus est, quod obiret in
cto, & culcitrâ, & non vel flam-
is dedisset cremandum corpus, vel
rvices gladio secandas, vel artus
rrandos leonibus, in sui amoris
gumentum. Aliàs manu tenens
ri ligni frustum, poscebat veniam
ccatorum, dicens se fuisse morta-
um maximè abominabilem. Osten-
rus conformitatem suam cum Di-
na voluntate, ajebat, instar state-
e se in manu Dei esse; imponeret,
uæ vellet pondera. Febris acces-
one vehementissimâ mens emota
t, solum cum sermones injiciebant
e gloria, tam certa, suisque locis
rant verba, ut mens ad has locu-
tiones illi restitui videretur. Ne uno quidem gemitu, aut suspirio dolores suos mitigavit. Die Mercurij majoris, & sanctioris hebdomadæ vitæ cursum absolvit. Quantum eum omnes amarent, fecit notum ingens dolor, & perennes ad ejus funus lachrymæ. Cadaver contumulatum est in sacello primario nostri templi prope sepulturam venerabilis viri Alexandri Valignani.

P. Joannes Barbosa.

IN regno Madurensi apud Orientis Indos anno 1671. gloriosis laboribus, & vitæ finem posuit. Natus in oppido *Viana* Diœcesis Bracharensis. Conimbricæ adjunctus Societati. Anno 1617. petivit Indiam. Præclaras dotes, quibus erat insignitus, Deo sacravit in Madurensi regione excolendâ. Hæc missio illi placuit præ cæteris, quod illius operarij vivendi morem insistant severissimum, & supra modum incommodis plenum. Graves sustinuit labores. Sæpe ab Ethnicis conquisitus, ut conjicerent in vincula. Propterea cogebatur vagari in desertis locis, cunctis temporum injuriis, & intemperantiis obnoxius. Ex immensis laboribus illi suborta molestissima infirmitas. Volentibus Majoribus, iret ad oram Piscariam, quod ibi sint mitiores auræ, deprecatus est, subsistere, & mori suos inter neophytos. Post septem menses, quibus tabes lenta attenuatum corpus debilitarat, successit, seu potius addi-

ta hydropſis. Integro menſe jacuit immotus corpore ſupino, facie in cælum verſâ, inſtar hominis affixi crucis patibulo. Incredibili patientia hujusmodi perferebat oppreſſi corporis anxietates, virtutum actus edens perquam ferventes. Semper integram ſervavit mentem. Suſpicans inſtare agonem poſtremum, rogavit Patres, qui convenerant, recitarent preces ad hanc luctam ab Matre Eccleſia deſtinatas. Popoſcit ille Crucifixum, quem ſuaviſſimè alloquens, emiſit ſpiritum caput ad latus dextrum inclinans. Obivit die Veneris, ipſa hora, qua Chriſtus expiravit in cruce.

P. Paulinus Ribeyro.

Conimbricæ anno 1652. exuit mortalitatem. Natus in oppido *Sancta Olaya* Diœceſis Viſenſis. Societatem complexus Ulyſſipone 7. Junij anno 1626. ætatis 14. Tum ad Magiſteria, tum ad conciones ingenium, ac cæteram præſtantiam habuit maximis viris parem. Singulariter dilexit Societatem. Ajebat enim à ſe non deſerendam, licet quotidie corpus ſuum peſſumdarent, ac per ſolum domus humi projectum traherent, ac raptarent. Valetudinis recuperandæ causâ ruſticabatur in ſuburbanâ villa, cum repente evomere cæpit vim magnam ſanguinis, qui remediis nequivit ſiſti. Altè dolebat, ut eſt faſſus, quod eum non effuderit cauſâ tuendæ fidei. Videns ſe mori, obſecravit Rectorem, ſibi de vita profecturo benediceret, ejusque manum ex oſculatus eſt. Loquebatur cum Deo verbis fervidis, ex intimo cordi detractis. Monentibus, abſtinere verbis, quod nocere poſſent, reſpondit, nil magis ejus levare animum, & corpus, quam locutione cum Deo ſuo. Recreatus poſtremi animæ ſubſidiis, exceſſit maximo Sociorum dolore, qui die illâ vacabant ſolitis apud nos levamenti animi. Protinus ceſſarunt villæ oblectamenta in luctum verſa.

P. Alphonſus de Silveyra.

In Domo Profeſſa Ulyſſiponenſ anno 1696. vitam explevit. Natus Ulyſſipone parentibus illuſtriſſimis Rodericio Silveyra, & Mari Vaſconcellia Comitibus Sarzedarum. Conimbricæ ad nos venit 11. Maij anno 1660. Quantum dilexit Societatem, vel anni primi oſtenderunt. Hieronymus Claremontius natione Venetus agens Provinciæ Viſitatorem, Alphonſum humanius, & mitius tractavit, quam conveniebat ſeveræ Societatis in ſuis educandis juvenibus diſciplinæ. Morem ſibi gerebat adoleſcens omni Moderatoris uſus indulgentiâ. Non erat illi curæ obſervantia. Faceſſente Claremontio ad ſuam Italiam, Collegio Conimbricenſi præpoſitus Rector Ludovicus Lopius (de quo Martij prima die meminimus) is, quâ ibi dixi, ſeveritate punivit Alphonſum, poſtquam vidit eſſe inuti-

iles paternas admonitiones. Pos-
t alium non tantæ nobilitatis in-
ntata castigatio reddere pertina-
m, & inobsequentem, ac Religio-
s desertorem. Nihil minus Al-
onsi pulsavit mentem. Totum
redegit in officium, seque ipsum
pso exuit. Ætate majori fassus,
quidquid haberet Religiosi, ac-
ptum referre Ludovico. Tradi-
t Ulyssipone Philosophiam, &
neologiam. Coluit multùm pau-
rtatem, & obedientiam. Annis
ultis exercuit nostri Instituti Mi-
teria in Domo Professa. Adibat
bis carceres ad excipiendas con-
ssiones; siquis ex eâ fæce ægrota-
t, humi ad ejus caput sedens au-
ebat, & consolabatur. Religio-
n humilitatem, & urbanitatem
buit familiares sibi, nullius exi-
mationis ambitiosus. Quo loco
tus esset, non curavit, nec signi-
avit. Quamvis utebatur valetu-
ne parum firmâ, & affectâ non
rcebat concionum, & confessio-
m laboribus. His, aliisque exor-
tam virtutum exemplis vitam ab-
lvit.

P. Gonsalus Sequeyra.

Onimbricæ effudit postremum anhelitum anno 1710. Natus oppido *Castello de Vide* Diœcesis Por-
legrensis. Societati adscriptus Ebo-
9. Januar. anno 1656. Parentes
melioribus Oppidi sui filios edu-
runt sanctis moribus. Nobis tres
derunt, unum Capucinis. Cum esset quidam eorum popularis ejectus de Societate, dimissionem suam purgando apud Gonsali patrem, dixit: *Brevi quoque illius filios paternam domum ingressuros de Societate pulsos.* Ad quæ vir prudens: *Si venerint, id mihi est perspectum non venturos, quod sint boni.* His auditis, erubuit, & obmutuit expulsus. Res ipsa comprobavit impudens mendacium; nam omnes apud nos & sanctè vixerunt, & sanctè sunt mortui. Gonsalus, de quo modo est sermo, vir fuit æqui tenacissimus, & conscientiæ purissimæ, quam etiam maculis levioribus non inficeret. Ex anxio timore Deum offendendi sunt illi exorti scrupulorum stimuli, quibus, dum vixit, est agitatus. Egit Rectorem Portalegrensem, Magistrum Tyronum Conimbricæ, & Ulyssipone, Socium Provincialis, & Rectorem Conimbricensem. In tantâ Magistratuum varietate omnes in eo venerati zelum observantiæ incorruptum, magnam æquitatem, & integritatem. Nulli hominum respectus dimoverunt à tramite, cui dictabat ratio insistendum. Ipse mihi asseruit, quod tot annis, quibus rexit Collegium Conimbricense, nunquam Superior ullus ad se scripsit, hoc, vel illud à se minus prudenter actum, aut administratum, aut minus ex æquitate. Siquis perpenderit hujuscemodi dictum nostrarum rerum conscius, & quam numerosum sit illud Collegium, in quo habitant omnis ætatis ducenti Re-

Religioſi, vix reperiet majorem integritatis laudem. De veritate Gonſali nec dubium, aut ſuſpicio mihi relicta: intus enim ejus noſcebam conſcientiam: & mendacium, quamvis orbis de ſuo cardine illapſurus eſſet; non pronunciaret. Rem temporariam in Collegiis magnopere promovit, habuit enim ad tales adminiſtrationes ſingularem induſtriam. In libro obituum hæc de ipſo: „ Pater Gonſalus de Sequeira
„ mortuus in hoc Collegio Febri
„ pernicioſâ quarto Aprilis anno
„ 1710. munitus Sacramentis. Erat
„ vir integris moribus, zelator ob-
„ ſervantiæ Religioſæ, propterea
„ caſtigabat aſperrimè defectus gra-
„ ves, & Religioſos minus obſer-
„ vantes. Fuit ſemper rectiſſimus
„ in ſuis Magiſtratibus, abominans
„ factiones, & privatos affectus,
„ peragens tantum, quod æquius
„ in Domino judicabat ſecundum
„ cujusque merita. Infirmitates,
„ quibus erat obnoxius, toleravit
„ multâ patientiâ. Gaudebat ſe-
„ qui communitatem, & curabat,
„ quantum per infirmitates licuit.
Hactenus verba codicis. Opinione bonorum omnium unus fuit ex inſignibus Rectoribus Conimbricenſis Collegii.

DIE V.

P. *Alvarus Froes*.

ANno 1695. in Reſidentia Sancti Felicis ad amnem Minium ob-

dormivit in Domino. Natus
oppido *Ferminham* Diœceſis Viſen
Admiſſus in tyrocinium, paulò p
ob ægritudines, quæ remediis n
parebant; redivit domum ſui
rentis. Ubi convaluit, iterum ju
ctus Societati Conimbricæ 10. Ju
anno 1643. ætatis anno 21. A
tum illi, & nobile ad ſcientias cap
ſendas ingenium. Moralem Th
logiam, in quâ eminuit, docuit B
gantii, in urbe Portuenſi, & Bracl
ræ. Huic præclaræ ſcientiæ conju
xit inſignem animi demiſſioner
Quamvis conſuleretur à viris mag
authoritatis, & dignitatis, quod e
ſententiæ multum tribuerent, nu
quam eſt in ipſo ullius ſuperbiæ
minimum notatum indicium. O
habuit ſæcularium familiaritates,
confabulationes. Vivebat in C
legiis tanquam in eremo. Nih
æſtimavit, quidquid oluit terren
mundum. Conſanguineos omni
oblitus, ceu nulli forent. Cum
bebant, immigraret ad aliud Col
gium, illius fuit ea ſolum cura, ſc
pta ſua convoluta, & ligata funicu
una cum Breviario ſumere ſub axi
brachii ſiniſtri, & ad januam deſce
dere. Caniſtrum, aut viatoria n
habuit inſtrumenta. Si quis ſuad
bat curam de conquirendis ejusmo
commoditatibus: reſpondere ſo
tus: *Meum eſt parere, jubentium præ*
re, quæ faciendo itineri ſunt neceſſari
ſe monitum ad profectionem, non ad con
parandas tales proviſiones. In conſult
tionibus de criminoſo aliquo punie
d

, ſemper indagando excuſationes,
lictorum gravitatem extenuavit,
foret mitius ſupplicium reo in-
ngendum. Poſtquam ceſſavit à
agiſterio, vix egrediebatur de cu-
culo, aſſiduus in libris volutandis.
eſponſiones ad quæſita de re morali
litteratiſſimis habebantur magno
pretio propter doctrinæ firmita-
m. Poſtremis annis memoriam
nnem amiſit. Tamen prope fi-
m vitæ, integræ mentis, & me-
oriæ uſus illi ſummo DEI beneficio
reſtitutus, ut poſſet abire de vita
cramentis corroboratus.

Gonſalus Coelho Coadjutor.

BRacharæ anno 1708. de medio
ſublatus. Primam hauſit lucem
pago à Sancto Joanne de *Covas*
œceſis Bracharenſis. Societatem
iit 22. Octobr. anno 1671. Innata
odeſtia vultum ornabat. Plurimis
nis egit æditum templi noſtri.
bſervatum eſt, cum ad crates ex-
piebat fœminarum mandata, nun-
uam ad earum faciem ſuſtuliſſe ocu-
s, habuiſſe ſemper humi defixos.
Sociis exiſtimabatur vir moribus
culpatis. Die Jovis Sanctioris
ebdomadæ ſe refecit ſacro pane.
sâ die horis pomeridianis exultan-
s animi lætitiâ in eo ſunt viſa ma-
feſta indicia, propterea magis no-
ta, quod eſſet naturâ ſubtriſtis.
uo tempore noſtri canebant in
horo pro ſequenti die matutinas
reces, extinguebat ille candelas, ut
olet fieri: & ſecum voce canora re-
petebat poſtremos Pſalmorum ver-
ſiculos, & mirum in modum lætus
eodem vocis tono cantabat Luſita-
nè: *Réo, Réo meos Padres venham todos
comigo pará ó Ceo* Quæ cantiuncula
ſumens exordium à ſyllaba Re, unde
Muſici ſuos auſpicantur tonos, latinè
ſonat: *Re, Re, mei Patres omnes mecum
venite ad Cœlum.* Hæc iteravit ſæpe,
fuêreque Cygnei cantus; nam ſubitâ
vertigine lethaliter turbatus in ter-
ram collabens, animam exhalavit.

DIE VI.

P. Joannes Soeiro.

ULyſſipone in Collegio Divi An-
tonii anno 1604. mortem op-
petiit. Natus in oppido *Alcacer Se-
guer* Luſitanorum olim Colonia in
Africa. Egit annis multis Indiæ, ac
Braſiliæ Procuratorem. Mirificè re-
creabatur, cum plurimi de noſtris ad
miſſiones Ultramarinas navem con-
ſcendebant. Eorum commodis ſtu-
duit accuratiſſimè. Charitas, &
humilitas Religioſa vel apud ſecula-
res illi promeruerunt nomen Procu-
ratoris Sancti. Duabus, unâve ho-
râ ut minimum ſurgebat mane, an-
tequam Socii, & ſæpe poſt mediam
noctem ad ſolitas fundendum pre-
ces, ne ventura negotia tempus om-
ne abripiendo cauſa forent, non ſa-
tisfaciendi conſuetis ad promoven-
dum ſpiritum exercitiis; Non enim
volebat, ſibi negotia, nec ſe negotiis
furari tempus. Tametſi jam ſenex,
ætate, & affectâ valetudine debilita-

 tus,

tus, ſemper tum hyeme, tum æſtate faciebat in templo primum Sacrum. Admonitus de morte proximâ, nihil eſt conturbatus; etenim totâ vitâ proluſerat horæ poſtremæ.

DIE VII.

Dominicus Joam Coadjutor.

COnimbricæ anno 1588. Cœlitibus additus. Natus in pago *Ameal* prope Conimbricam. Ubi per ætatem licuit, addixerunt parentes manuum, & corporis laboribus, ac ſudoribus, unde ſibi comparabant victum. Surgebat per id tempus ædificium noſtri Collegii. Serviebat inter viliores operas Dominicus vel calcem, vel lapides opificibus ſubminiſtrando. Obſervarunt noſtri ſingularem in Dominico modeſtiam, & manſuedinem: his accedebat honeſta facies, & habitus corporis meliori dignus fortunâ: Miſerantes adoleſcentis vicem, ut in labore mundiori diſtineretur, ſuaſerunt, vellet potius lapidem convellere cæmentarium; quando erant in eodem ſitu operis lapidicinæ. Commercio cum noſtris quotidiano ſuborta Dominico deſideria de amplectenda Societate. Verum intra ſe exiſtimabat riſui futurum, ſi, quod ſentiret, ipſe panderet, propterea quod neſciret legere, & ſcribere. Tantum eſt luctatus cum hujusmodi cogitationibus, ut tandem victo pudore, cor ſuum, & totum animum

Patribus aperuerit. Ex moribu jam perſpectis, & mentis no contemnendâ capacitate conjec Pater Didacus Miro, Dominicun in ſuo gradu futurum præclarum quamlibet neſciret formare chara cteres. Eum ſua non fefellit ſpes & conjectura; igitur in Societaten adoptavit Conimbricæ 27. Marti anno 1562. ætatis anno 25. Proti nus apparuit ejus indolem ad virtu tes enatam; enimvero ut cera mol lis admittit effigies, ſic imprimeban tur Tyronis animo ſancti mores. Ub viſum eſt domeſticâ diſciplinâ ſati eſſe inſtitutum, præfecerunt culinæ quo in miniſterio viginti continua tos inſumpſit annos, raro virtutun omnium exemplo. Id primò ſecun decrevit, ratione nullius laboris, au occupationis minuendum tempus a obeunda ſpiritûs exercitia præſcri ptum. Tam præclaras uſu ipſo con ſecutus propenſiones ad ſacras pre ces, ut inter dormiendum ſit in ventus, manibus ſublatis, & compo ſitis oranti ſimilis. Non ideo um quam horis ſolitis defuit cibus, & parata edulia menſæ invehenda. Su pellectilem omnem culinæ curaba eſſe mundiſſimam. Non permiſi ibi violari ſilentium. Grandibus no tis ſcriptum in tabula hoc verbun *Silentium*, ſuſpendit è culinæ pariet loco patenti, ut lateret nemini. S forte aliquis de Sociis ſervitum a diens intempeſtivè loquebatur, Do minicus digito erecto oſtendebat ta bulam ſilentii. Tam deditus vive

ba

t ſuo miniſterio, ut ipſi dormienti ntigerit altâ noƈte unico ſuper rpus induſio exurgere, ad culinam , applicare foco ollas, & lebetes. : dormiens regrediebatur ad leım, cum Georgius Rigius Collegii niſter huic phantasmati obvius rcuſſit ſcuticâ; tunc ſomno exci-, & receptus leƈto. Coram ſe n conſenſit defeƈtus ullos, & inſervantias committi; ſi nonnullus debat, ſine morâ improbabat, reitâ aliquâ ſententiâ ad rem ex lilo *Contemptus mundi*, quem omnem uit memoriter. Ejus toga Reliſa parum infra genua deſcende-. Socios, ut ſuos Dominos ſuiebat. Euntibus ad culinam ſon injungebat peragenda, quæ ſatis ent exercendæ humilitati; nam gis laborioſa, & oneroſa reſerva- ſibi, ac ſuis, ſive officinæ famulis. m prandii tempore, tum cœnæ t eſcas menſæ illatas, cubito innis ſuper limen inferius feneſtellæ; le prandentes, vel cænantes conciebantur Socii, eos contemplanti ilis intuebatur, DEO habens gra-, quod unus eſſet è numero ilum ſanƈtorum. Hac conſideraıe ſolebat affici tam tenerè, ut ex ılis ſponte ſuâ manarent lachry- dulces, ac ſuaviſſimæ. Cum nſibus vacationum Socios comitaur in villam Suburbananam, cibos s parandi causâ, erat ejus conſueo optima recreationum pars; nam fabulatio Religioſa, prudens, & ıris omnium animos gratiſſimum

in modum devinciebat. Triclinium componens, meliores eſcas in aliorum ponebat menſis, viliores in ea, ubi cibos capiebat, diƈtitans, illas eſſe Patritiorum menſas, ſuam populi, ſive gentis Plebeiæ. Nihil crebrius uſurpare ſolitus, quàm natalium ſuorum vilitatem. Ajebat, ſe ruſticum, & rudem, qui nec legere, nec ſcribere ſciret. Rem nullam magis rationi conſentaneam egiſſe Patres, quam imperaſſe, inter Collegii mancipia ſerviret. Coram externis eadem decantabat, ne ex Religioſa veſte alium, quam eſſet, putarent, eos edocebat, quid hominis foret, quam inſcius omnis litteraturæ, quam agreſtis, & Idiota. Magna de ſuo Dominico parenti dixerant. Credidit ſimplex, & bonus ſenex Doƈtorem perilluſtrem eum jam eſſe. Inviſens filium, interrogavit, eſſet ne Sacris initiatus, Sacerdos, & Concionator? ſermonem Dominicus abrumpens, ait: Hui? tam parum eſt, mi Pater, cum de fœce plebis ſim, inter Religioſos Societatis numerari, & in ſalutis viâ conſtitutum? ſufficiat hoc ſcire, cætera non curet. Sciſcitanti, quid eum magis in ſpiritu promoveret, reſpondit, præteritæ vitæ, & abjeƈtionis memoriam, recordari, quod in domo ſui parentis vix ſatiaret famem nigerrimi panis fruſto comparato terram excavando, vel famulando opificibus Cæmentariis. Nullis laboribus obruebatur. Vir fuit admirabilis manſuetudinis, ejus verbum

bum aſperius erat: *Parcat tibi DEUS.* Culinam ſuam vocabat: *Domum ſanctam.* Illam ingrediens flexis genibus orabat, antequam admoveret operi manum, volebatque id ipſum facerent Socii eam intrantes; ſiquis eſt oblitus, verbis humaniſſimis illi dicebat: credebam ego introeuntes Domum Sanctam primo loco flexis genibus oraturos. Cum plurimi laborantem juvabant, porrigebat Tyroni aureum *Contemptus mundi* libellum; ut, ipſo legente, cæteri ſilentes audirent. Ex lectione hujus libri toties, & per tot annos attentè auditâ, memoriâ tenuit librum omnem tam fideliter, ut ſi quis temere hic aut illic aperiret, unum vel duo legeret verba, Dominicus ſequentem ſcripturam, quin hæreret, repeteret. Ejus ſententias, ac dicta ponderis, & doctrinæ plena ſic in promptu habuit, ut oblatâ opportunitate his in rem aptiſſimè accommodatis uteretur, ſicut, qui Poëtæ ſunt, hemiſtichia, qui Medici aphoriſmos, & qui Jurisconſulti Leges inter familiarem confabulationem depromunt. E virtutibus unam obedientiam ſingulariſſimè coluit. Numquam, niſi Sanctam Obedientiam nominavit. Hujus venerationis causâ in more apud nos in Luſitania poſitum eſt; ut ſchedæ, quibus ſcribi, & legi ſolent in triclinio defectus puniendi; his verbis incipiant: *Dico ex ordine Sanctæ Obedientiæ.* Conſuetudo ex ſequenti eventu eſt orta. Socius Scholaſticus Philoſophus ejusdem

nominis, & cognominis erat in Col legio, cui fuit injuncta pœnitentia quod in Scholas non ſecum tuleri Ariſtotelis librum. Datâ ſubmini ſtro ſchedâ delictum continens, u author admonitus è ſuggeſto tricli nii notus fieret, exiſtimavit Domi nicum Joannem à Coquo diverſu non eſſe; Igitur coram ipſo leg ſchedam, & crimen, quod è ſuggeſt dicturus erat. Tacuit, & competen hora apparet in loco conſtituto, a eum omnium intentis oculis, ex fo mula, voce, quam omnes percip rent, ſic exorſus: „ Reverendi P „ tres, & Fratres chariſſimi, dico e „ ordine Sanctæ Obedientiæ culpa „ meam, quoniam mecum non tu „ Ariſtotelem in Gymnaſium, mi „ injungitur pœnitentia comeden „ in parvâ menſa. Perſpectus e ror eſt, & ſecutus plauſus, aut potii riſus; ſed tanta veneratio acceſſ virtuti hominis modeſtiſſimi, exordii verbis, quibus ſanctam nu cupavit Obedientiam, ut ſit induc conſuetudo, quâ in hac Provinc ſcribuntur, & leguntur hujusmo ſchedæ. Semel Sociis Tonos, ut v camus concionem brevem, habe tibus, propinquavit ad januam D minicus. Gonſalus Alvarus Rect exiſtimans rem indignam Coquu idiotam præſentem eſſe litteran proluſioni, voce paulùm commo ad eum ait: Ad quid huc veniſt conſcende & tu pulpitum, cerne volumus, quid novi profers: co cionare de hac materia; ne ſis i

oti

iosus. Nihil est moratus vir obe-
entissimus. Progreditur opinans
vocandum , antequam subiret.
acente Rectore, persuasum habens
m perfunctoriè non agi. Aptato
piti pileo, auditorum circumspecta
rona, detegens caput, signat se
ucis signo, ac tandem more con-
onatorio incipit loqui : Concione
ocedente, & ipsâ re exigente suc-
nsum oratorem, incenditur, ac in
tia declamat magna contentione.
c ferventem interpellat Rector.
stit, ac detegit caput, statque mo-
estissimus. Tunc Rector verbis
veris eum objurgans ait : Eccur
dis, & rustice, sumpsisti fiduciam
niendi ad actus litterarios ? de-
ende, ac citò te confer ad tuas ol-
s, lebetes, & culinam, ibique silen-
o hanc tuam castiga loquacitatem,
it potius garrulitatem, & nimiam
idaciam in ore aperiendo coram
ris doctissimis. E vestigio facessi-
t demisso capite, & oculis. Ve-
m ex omnium sententia discurrit
nto pondere, & verborum gravi-
te, & in materia proposita tam ap-
, ut videretur sapiens, ac doctus
editatam Orationem recitans.
uod omnes tribuerunt hominis
oedientiæ clausis oculis jubenti ob-
mperantis. Declamationem val-
e pulchram Socius adolescens cum
ausu dixerat. Supra modum tu-
uit, ac sibi placuit. Id Rector
iens, ejus puniturus vanitatem, ju-
et, ad se veniat, & orationem per-
ucat. Lætissimus, ac sibi magna
promittens, adit Rectorem, offert
scriptam chartam. Hic ille adductis
superciliis, & facie in severitatem
compositâ : Quid ineptiis, & nugis
intumescens tuo fastu domum totam
comples, factus Collegii fabula ? Ut
noscas, quam imperitè declamatio-
nem texueris, quam mendis scaten-
tem, citissimè perge ad culinam, ac
Dominico nomine meo dicito, ut
tuam emendet orationem. Ac-
ceptam de manu Rectoris, omni glo-
riolâ in tristitiam conversâ, defert
ad coquum : explicat, quid Rector
jubeat. Tunc Dominicus eam ma-
nu tenens, ad fornacem vadit ; se-
quitur adolescens minime dubius
mittendam in ignes. Dum suspen-
sus, & pallidus exspectat exitum, Do-
minicus pugillo cineris inspergit to-
tam chartam, adolescentique tra-
dens ; Ito, inquit, DEO comite, tuam
orationem defers emmendatam. Sic
eum edocuit, humana omnia vani-
tatem esse, & cinerem, idque consi-
deraturum in rebus suis. Ob exi-
miam prudentiam consulebatur à
moderatoribus Collegii in admini-
stratione rei domesticæ. Ex Acade-
mia Doctores sapientissimi sæpe il-
lum interrogabant scientiæ moralis
Quæstiones, quarum ipsi non solve-
bant nodos. Primùm solitus fuit
respondere : Idiotam se, rudem, &
ignorantissimum. Deinde instan-
tius perquirentibus eas dabat re-
sponsiones, ut stuperent ipsi facilita-
tem, quâ reconditos Quæstionum
sensus, & latebras explicabat : quod

ſolum lumine Divinitùs infuſo fieri potuit. Vir admirabilis Ignatius Martinius frequenter Dominicum juvabat in culina, ſed eâ conditione, ut conciones ſuas legentem audiret, ac ſignificaret, ſi quid addendum, adimendumve fuiſſet. Id Ignatius affirmavit: Quod cum è ſacro ſuggeſto pronunciavit verba, aut ſententias additas à Dominico, magnos animorum motus in auditoribus excitari: Poſt multos annos in culina conſumptos, conſtitutus ejusdem Collegii janitor. Mirum eſt, quantum utilis fuit in eo munere animarum bono. Ad januam ſedens rogabat venientes, ſibi legere neſcienti, caput unum *Contemptus mundi* perlegerent. Ex lectione pro re natâ ſententias perpendens lectores ad virtutem incendebat. Multi dolentes ſua crimina, ſe in domunculâ prope januam flagellabant, ibi piæ crudelitati parata habebat inſtrumenta. Viri ſuavitas, & urbanitas illaqueabat omnium corda. Cæteris virtutibus, quorum exempla longum eſſet vel carptim referre, admirabiliter colluxit. Præſcivit mortis ſuæ tempus; cùm expiravit, Sacerdos pius degens Ulyſſipone animam ejus in Cœlum ſubeuntem vidit. Ipsâ die, quæ conſpexiſſet, memoravit Religioſo Societatis, qui rem ac horam notavit: ex tabellario primo ita contigiſſe eſt compertum. E Coadjutoribus Societatis noſtræ unus fuit, de quo ſingularis apud nos invaluit exiſtimatio. Illuſtratum ſuperno lumine fuiſſe, à n mine, qui novit, dubitatum eſt.

DIE VIII.

P. Leo Henriques.

IN Domo ProfeſſaUlyſſiponenſi a no 1589. diem obivit. Natus oppido *Ponte do Sol* Inſulæ Madeir Ejus Parentes illuſtres ſanguine d cebantur Joannes Henricius è fam lia Dynaſtarum Alcacevenſium, Joanna Abrea. Pariſiis operam d bat litterarum ſtudiis, cum Prot parens noſter Ignatius celeberr mam Pariſienſem Academiam orn bat ſuis virtutibus. Familiarit tractavit cum Petro Fabro è prim uno, qui ſe Ignatio aggregarun Per id tempus Joannes Tertius C nimbricenſem fundavitAcademian & Luſitani Scholaſtici ex alienis Ac demiis, ubi ſtudebant, ad novar confluxerunt. Hos inter venit Le Henricius cum ſuo Conſanguine Ludovico Gonſalvio; cùm is adj cit ſe noſtræ Societati, Leo ſupr modum adverſus res noſtras excan duit, quod ſuum admiſimus conſan guineum. Ut erat juvenis perfe vidus, publicè affirmavit, peccaſſ lethaliter homines Societatis in Lu dovico ſibi conjungendo: ſi fore opus, id ſe argumentis Scholaſtici meridiano jubare clariùs oſtenſu rum. Anno devoluto, ſenſit intu quoſdam ſtimulos, Deo ſe, vitamq que ſuam conſecrandi in aliquâ Re li

gione. Post longum certamen
m hujusmodi cogitationibus, sta-
it de ingrediendâ Religione, So-
tate exceptâ: nondum enim de-
buerat adversus eam furor pristi-
s. Non ideò, quam optabat ani-
pacem, adeptus: Tandem secum
è pugnando, & luctando, decre-
, nullâ factâ exceptione, Reli-
ni se tradere: Tunc expertus
nquillari cogitationum rixam;
erim è regno ValentiæConimbri-
n adventavit Ludovicus Gonsal-
us; Eò enim secesserat ad transi-
ndum Tyrocinium liber à consan-
ineorum importunitatibus: Eum
nvenit Henricius salutandi causâ:
vitatem admirans janitor, quod
t ingressum Ludovici nostrum
n attigisset limen Henricius, hu-
nissimis ait verbis: *Nunquid Do-*
nus Leo Henricius vult esse noster. Sub-
t ille: dum vocatur ad januam
dovicus, templum adit, ibi fle-
ns genua ante Christi imaginem,
eriori voce, sive instinctu majori
ito, quali Deus efficaciter ciet
mos, sentit se impelli ad Socie-
em ineundam: dat manus vocan-
Deo, firmum apud se habet imi-
i consanguineum. Spreto mun-
, nostris adjunctus tyronibus 30.
rilis 1546. Viam perfectionis
angelicæ arripuit animosissimè.
corpus suum illiusque minus sa-
s propensiones studiosè animad-
rtit. Post Tyrocinium Sacris ini-
tus, diversa obivit munera: Erat
im præditus dotibus ad omnia
magna præclarissimis. Illius doctri-
nam magni fecit Doctor Navarrus
Pontificij Juris Vir doctissimus. An-
no 1552. S. Pater Ignatius Recto-
rem præfecit Conimbricensi Colle-
gio, posteà Eborensi: in hoc magi-
stratu contigit illi res planè mirabi-
lis. Cardinalis Henricus Eborensis
Fundator Collegij Ulyssipone lecto
hærebat, gravi dolore, & morbo
oppressus, id Leo sciens indixit So-
ciis preces pro salute Principis. Ip-
se vesperi cum uno comite proces-
sit ad montem, ubi visitur Monia-
lium Divi Bernardi Cænobium: Præ-
textu orandi discedit à Socij con-
spectu. Eodem tempore divinitùs
ingreditur Ulyssipone Principis Hen-
rici conclave, ubi jacebat ægrotus.
Post comunem salutationem inter-
rogat de statu morbi, & quâ parte
corporis latrantem sentiret dolo-
rem? Indigitavit Princeps. Hic Leo
eam partem signat Crucis signo, di-
cendo: rem nihil esse. Statim Car-
dinalis, cui somnos dolor non per-
miserat, dormire cæpit. Capto som-
no, ubi est excitus, imperat aulicis
ad se vocent Leonem Henricium,
qui paulò antè sibi præsens adstite-
rat. Mirati omnes dicti novitatem,
respondent Leonem à se nec visum,
nec esse Ulyssipone. Jubet Princeps,
eat famulus in Domum Professam.
Respondetur, Leonem abesse in suo
Magistratu Eboræ. Distat ea urbs
amplius viginti Leucis ab Ulyssipo-
ne: Is eventus Infantem rapuit in
admirationem, tantamque de Leo-
nis

nis virtute opinionem concepit, ut nullus, dum vixit, ſibi fuerit acceptior, aut tanti habitus. Hunc voluit omnium ſuarum rerum, & conſcientiæ arbitrum, nam confeſſarium elegit: Sæpe huic eventus ſimiles illi acciderunt. Conimbricæ altâ nocte ſe dedit extra urbem conſpiciendum homini paranti laqueum, ut ſe ſuſpenderet inter Oliveta, ſuaſitque amentem abjicere cogitationem. Romæ aderat cauſâ tertiæ Congregationis Generalis, cùm in patria ſua viſus eſt ad caput Joannæ Matris ſuæ morientis, eam piis verbis corroborans ad ſupremum anhelitum. In eis univerſæ Societatis Comitiis intrepido zelo impedivit eligi Generalem virum, ut erat fama, ſanguinis infecti; propterea quidam illius nationis ſcriptor Leonem carpit immeritò; quod valdè mirantur viri prudentes, cùm tali ſcriptori ea labes non poſſet occultasi; ſed cùm eſſet nationis ſuæ, potiorem apud eum vim habuit privatus affectus, ut videtur, quàm communis boni, ac decoris ratio. Septem annis egit Provincialem: Fuit etiam deputatus Judex Tribunalis ſanctæ Inquiſitionis, quod muneris genus ſolus ipſe, & Georgius Serranus de noſtrâ Societate in Luſitana Provincia obiverunt. Poſt mortem Regis Henrici vitaturus diſſenſiones ſubortas ob Regem ſucceſſurum, Bracharam ſe contulit, & illi Collegio eſt præpoſitus Rector. Poſtea, rebus compoſitis, migravit Ulyſſi-

ponem anno 1585. Ibi poſtremo
exegit annos tantâ auſteritate
quantâ vitam præteritam inſumpſe
rat. Micuerunt in Leone virtutur
omnium ſplendores. Totâ vitâ et
am annis ætate feſſis ſecutus com
munitatem, quidquid oleret priv
legium, admiſit nunquam. Sem
coram plurimis unumquemque i
terrogavit; Cui Sancto eſſet add
ctior? Aliis alium nominantibus
inquit Leo: *Aſt ego ſum addictiſſim*
cuidam Sanctæ, *quam vocant Sancta*
Communitatem. Nullus in eo ſenſi
carnis, & ſanguinis, id eſt ta
compertum ejus conſanguineis,
ab eo ſolùm poſtularent, ne apu
Reges ipſorum promotiones, & i
crementa impediret; nam rogar
ut juvaret, non pulſabat menter
Ajebat ſe mundum non reliqui
ad tractanda ſæcularium negoti
Quantum amavit Societatem, ve
ba nulla explicant. Non permitt
bat obſervantiæ laxari ſeveritatem
Apud Reges, vix fuit, qui Societ
tis incremento magis conſuler
Incipiebat tunc Societas Collegi
rum fundationes, propterea in
guit multum favore Principum,
liberalitate. Propter Leonem He
ricium, & ejus conſanguineum L
dovicum Gonſalvium Sebaſtiani R
gis Confeſſarium tantum eſt au
per ſereniſſimos Luſitaniæ Reges h
noſtra Provincia, & Ultramarin
ut jure merito poſſint hi duo Patr
earum vocari Confundatores. T
miſſionem propriam, ac ſui conte
ptu

ũm ambivit ſemper. In ultimo
ovinciæ Conventu, cui præſens
t, enixè precatus eſt; ne digni-
es, quibus eſſet functus, & an-
s ſuos venerentur, ſed ſe loco
ronis haberent. Nihil eo humi-
s. Abjectiora Domûs officia, obi-
t libentiùs, tanquam ſi ad ea ſo-
n eſſet natus. In his humillimis
ercitiis erat frequentior, cum ali-
id grande ſuſcipere meditabatur,
od augeret Dei, ac Societatis glo-
m. Abſoluto Magiſtratu Provin-
e, indutâ tunicâ talari ejus colo-
& panni, quo Tyrones utuntur,
ebus multis ſervivit in culina. Si
ia exequente miniſteria, veniebat
eum inviſendum aliquis Dynaſta,
omet linteo, quo præcinctus erat,
nitus hoſpitem quæſivit, & allo-
tus, cui dicebat, ſe coqui adju-
rem; idcirco ne novitati foret id
nus veſtis, & linteum inſigne ſui
niſterij. Findebat ſecuri ligna &
ncos, faſcemque ex aſſulis ador-
tum humeris ſuis ad fornacem
nvehebat. Ultimis vitæ annis in
mo Profeſſa ſæpè explebat vices
itoris. Conimbricæ obſiſtit exe-
tioni, neſcio cujus ordinationis
verendi Patris Everardi, qui ad
m ſcripſit, quando deliquiſſet,
e ſibi mulctam imponeret. Proti-
s ſumpſit tunicam talarem vetu-
ſſimam, & aliquot menſibus culi-
obiit miniſteria. Verrebat cu-
am, & corbes ſordibus, ac pur-
mentis plenos exportabat hume-
ſuis, & exonerabat. Nec id mi-
niſterium ab alio fieri conſenſit. Co-
quo dicebat: Grandia mihi imponi-
to onera, ſum jumentum vetuſtum,
& inutile, parum eſt jacturæ, ſi mo-
riar ſub onere. In contemplatione
Divinarum rerum erat aſſiduus:
Sæpe compertus inter orandum ſub-
limis à terra: Preces Canonicas re-
citabat flexis genibus. Charitatis
edidit multa, & præclara exempla:
Ibat Eborâ Ulyſſiponem cum So-
cio infirmo: in diverſorio Socius
propter frigus, & lectum incomo-
dum ſomnos capere non poterat:
Ejus vicem dolens Henricius inve-
nit exercendæ cum infirmo novum
charitatis modum: E ſuo pectore
veſtes removens infirmi pedes fri-
gidiſſimos applicat, & apprimit pe-
ctori. Tam ſuavi fomento calefactis
pedibus, & ceſſante incomodo ſom-
nis indulſit. Primus adibat confeſ-
ſionum Tribunal, & ultimus inde
ſurgebat, idque ſervavit etiam ſe-
nex; nec enim ad laborandum in-
ter ſenes paſſus numerari. Magna
fuerunt illi certamina cum Dæmone,
quem non ſemel abegit à corpori-
bus: Sæpe ſe dabat ipſi nequam ſpi-
ritus conſpiciendum. Aliquando
cubiculum ingrediens obvium ha-
buit Cacodæmonem ſuper lectum
cubantem; tunc Leo ſe immiſit ſub-
ter lecti tabulas. Eam humilitatem
ægrè ferens, ait: *Quam humilis Leo*:
cui reſpondit: *Te ſuperbior, te ſuper-
bior.* Ex aſſiduis conflictibus, tan-
tam adverſus id monſtrum nactus
poteſtatem, ut Leonem timuerit:

 Vir-

Virtutes omnes auxit mors egregia: Jacebat in carcere publico exitiali perculſus febri homo natione Gallus; Quod Leo Gallicam ſciret linguam, infirmum tum ad eum conſolandum, tum ad audiendum confitentem inviſit. Ex halitu peſtilenti eandem Leo ebibit febrim, quæ tantâ vi eum corripuit, ut biduo extinxerit magno Sociorum dolore, qui venerabantur ut Sanctum, & ut Parentem ſuſpiciebant.

DIE IX.

Antonius Machado Novitius Scholaſticus.

ANno 1562. vitam explevit Eboræ. Magnæ virtutis, & magnæ ſpei adoleſcens tantum omnium ſibi devinxerat animos, ut pro conſervandâ illius vitâ multæ preces ad Deum ſint fuſæ, multi loca pia, & imagines venerabiliores adiverint. Prope vitæ finem obſecravit Leonem Henricium Collegij Moderatorem, ſibi recitari Litanias. Paulò pòſt, quod modos muſicos non ignoraret; voce dulciſſimos in ſonos inflexâ modulatus eſt Simeonis Canticum: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*, comitante, & juvante Viro graviſſimo Petro Paulo Ferrerio S. Scripturæ Profeſſore. Ea res mirabiliter eſt conſolata Socios circumſtantes. Quamvis erat naturâ debilis, & timidus, nihil eum terrebat mors imminens: Illam expectabat animo tam firmo & ſecuro, quanto ſolent, qui rem nulla magis deſiderant, quàm ſolvi corpore.

DIE X.

P. Franciſcus de Noronha.

ULyſſipone in Domo Profeſſâ a no 1605. è vivis abiit. Nat Ulyſſipone ex illuſtri familia: dic bantur parentes Petrus Noronia, Catharina Ataydia Domini Villæ ridis: eorum deſcendentes, ſive p ſteri hodie ſunt Marchiones Engeij Paula Villena Franciſci amita, qu noſtræ Societati omnia bona cup ret, Sobrinum educavit ſanctiſſim inſtitutis, nihil aliud volens, quā ut Societati conjungeretur. Non le obſtitit amitæ placitis: Ubi p ætatem licuit, mundo valedixi Cùm erat Conimbricam profect rus, Vaſcus Pirius Tyronum Mag ſter, qui Ulyſſipone morabatur ca ſâ Provincialis Conventûs, Fran ſcum amplectens, ait coram Socii Fero mecum ad Lipſanothecam m am (ſic nominare ſolitus domu Tyronum) in hoc puero rem pr tioſam. Igitur Societatem iniit C nimbricæ 22. Aprilis anno 158 Apud nos vixit oblitus ſuæ nobil tatis, humilibus exercitiis deditu Poſt ſtudia litterarum operam in pendit Inſtituti noſtri miniſteriis concionando, & excipiendo conf ſiones. Quidquid præcipiebant M jores, ſine excuſationibus exequ batur. Cùm mortiferè ægrotaret

i

publico urbis carcere non pauci
tenti vinculis, eò ſe contulit ad
rum expiandas conſcientias, &
mandos ad agonem poſtremum.
hujus charitatis exercitio hæſit
perniciosa febris, quâ furiosè
ortâ brevi patuit de vita non
randum. Gaviſus eo lethi ge-
re, ſe ritè comparavit, ac piè
ceſſit.

Franciſcus Alvres Coadjutor.

Ahiæ in Braſiliâ ſanctè mortuus
anno 1617. Natus in Oppido
émôs Diœceſis Eborenſis. Adjun-
ſe noſtræ Societati Eboræ 24.
ovemb. 1561. ætatis 21. Fuit ger-
anus frater Emmanuelis Alvari,
i 15. Julij Martyrio exornatus
m P. Ignatio Azebedio. Motus
dio effundendi ſanguinem pro
hriſto adinſtar ſui fratris, petivit,
obtinuit in Braſiliam mitti. Quam
tabat Martyrij palmam, non ade-
us, verùm nituit ſingularibus vir-
tum exemplis: Egenos mirâ fovit
aritate. Agens oſtij, ad quod præ-
r mendicis eleemoſina, janitorem,
orabat ſuis manibus atramenta-
, & pyxidiculas arenarias, quas
ndendas largiebatur pauperibus,
è pretio ſuam egeſtatem ſubleva-
nt. Ad talia habenda, quæ daret
bſidia, didicit opificium tornato-
, corpori ſuo nunquam indulſit:
ajoribus dicto audiens fuit: Annis
. & quidem continuatis Coquum
it in Collegio Bahienſi, ubi meri-
plenus, & annis, nam 76. æta-
tis numerabat, Societatis 57. ad
cælos migravit.

DIE XI.

P. Valerianus Mendes.

IN urbe Funchalenſi, quæ caput eſt Madeyræ Inſulæ, & anno, & menſe incompertis ſuâ morte defunctus: Ibi eſt natus. Societati adjunctus Conimbricæ in primordiis ejus Collegij. Simon Rodericius Aprilis 14. primum lapidem jaciens, ut augeret diei celebritatem, indidit tribus Socijs nomina Sanctorum Maximi, Tyburtij, & Valeriani: hoc poſtremum contigit Christophoro Mendeſio, qui illud conſervavit, alij, ſumptis ad tempus impoſitis nominibus, ad ſua rediêre. Valerianus ex animo ſtuduit animæ ſuæ bono, & aliorum ſaluti. Ad Miſſiones multus ipſi fervor, & indefeſſus ſpiritus. Fuit è primis noſtræ Societatis, qui per Luſitaniam excurrit obeundo ſacras Miſſiones incredibili animarum proventu. Non ſe reputabat Chriſtianum, qui, ipſo concionante, non curavit intereſſe. Sæpe ægroti jacentes in lecto alienis humeris importabantur ad eum audiendum. Ex nimiâ fatigatione contraxit hecticam febrim. Valetudinis reficiendæ causâ miſſus ad Reſidentiam S. Felicis prope amnem Minium, nihil minus curavit, quàm ſui corporis ſalutem. Per vicos, pagos, & oppida finitima prædicando, & expiando pœnitentes ultra

vires suas incessit. Dei habuit speciale donum ad pace firmandos animos inter se discordes, & infensos. Ejus erat humilitatis, & amoris in Societatem, ut ad epistolarum calcem subjiceret hæc verba: *Mancipium Societatis JESU Valerianus.* Ne diligens ulla cura deesset Majoribus in conservanda vita tam utili, & pretiosâ, miserunt ad patrium Cœlum, ut aurâ natali, quæ benignior unicuique esse solet, amissas vires recuperaret. Verùm febris tam altè ossibus, ac medullis insederat, ut fomentis nullis extingui, aut mitigari potuerit, donec infirmum absumpsit. Celebratæ magno hominum concursu exequiæ, quas celebriores fecit sequens eventus. Canonici ob nescio quam cum Franciscanis controversiam nolebant simul cum illis adesse funeribus sepeliendis aut alij concursui. Verum, quo die erant Valeriani justa peragenda, & humandum corpus, tum Canonici, tum Franciscani sponte sua, & vi quâdam occultâ permoti deposuerunt prisca dissidia, & omnes simul amico fœdere sociati, cantu, & magnâ pompâ cadaver sepulturæ commendarunt; Deo scilicet volente, ut etiam post mortem discordes animos amicaret Valerianus.

DIE XII.

Antonius Martins Coadjutor.

ANno 1659. Eboræ ad immortales se contulit: Nemo gradum suum pluris fecit: serviit Societ multâ satisfactione, deditus quibu cunque ministerijs destinabatur Superioribus. Annis 16. admi stravit bona Residentiæ à S. Igna dictæ, quæ pertinet ad Portalegr se Collegium prope oppidum C num. In ea procuratione se trac bat instar operarum sudore suo rantium sibi victum. Ipse terr aratro vertebat, ipse findebat, secabat securi ligna, ducebat pl strum, & obibat omnem laborem cui manum admovent agricolar viliores servi. Utebatur victu; vestitu rustico, & aspero. Relig sas observantias, etsi longè erat strictâ Collegij disciplinâ, & Mo ratorum oculis, non omitteb Nec enim suarum actionum ins ctorem alium magis timuit, qu Deum, qui ubique præsens est. M bo tentatus Eboram se contulit nitati consulturus; Verùm plus te valuit febris atrocitas: Adsti morienti Alphonsus Castillius Ty num Magister, Vir, ut suo loco ximus, præclarissimæ virtutis. duce se Antonius ad extrem comparavit anhelitum, quem ef dit morte justorum.

DIE XIII.

P. Ludovicus Cardeira Martyr.

IN Æthiopia ad mare Rubrum a no 1640. Martyrio laureat Editus in lucem prope Bejam in P rœcia Virgini ad Nives dica

Eb

oræ ſe conjunxit Societati 25.
cemb. 1600. Conimbricæ dabat
eram Theologiæ, cùm Deus eum
cavit ad Orientis miſſiones. Illò
ofectus anno 1611. Duodecim an-
commoratus in India exercens
tituti noſtri miniſteria. Ex India
m P. Emmanuele de Almeyda pe-
it Æthiopiam. In Dofario Ara-
e portu conditi fuerunt octo men-
us ſub imâ contignatione na-
gij, ne forent ab indigenis cogni-
Annis 16. naviter in Æthiopia
oravit, magno zelo urgens Fidei
opagationem. Linguam regio-
s cultiorem tam politè locutus, ut
ſos Æthiopes eam docuerit, de
aque artem, & præcepta compo-
erit. Auxit multum Divini cultûs
ajeſtatem ob muſicæ peritiam, &
ſtrumentorum, quibus uti ſolet
cleſia. Non parvæ etiam fuit uti-
ati Matheſis ad illuſtrium captan-
os animos. Vidit apud Abbaſſinos
axima noſtræ fidei incrementa,
m Seltamus gentis illius Rex ab-
ravit errores ſuos, & excepit
lphonſum Mendeſium Patriarcham
miſſum à Romano Pontifice. Ve-
m rebus in deterius mutatis, &
ccedente Regi Seltamo ejus filio
aciladio homine nequiſſimo, dura
mnia ſunt experti Æthiopicæ vi-
eæ cultores. Aliis cum Patriar-
ha per ſummam injuriam, & mille
nſolentias Regno pulſis, & in Tur-
arum traditis poteſtatem, alii di-
erſa latibula quæſivêre, ut eſſent
uxilio Chriſtianis: Hos inter ſub-
ſtitit occultus in Æthiopia Ludovi-
cus: Incredibiles pertulit ærumnas:
ſe contulit ad oppidum cujusdam
Dynaſtæ Catholici, naturâ munitiſ-
ſimum, ſub ejus patrocinio tutus
fuit ab fidei hoſtibus, qui nocte die-
que montem obſidebant milite. Id-
circo crevit rerum victualium pe-
nuria: Exhauſtâ jam ciſternâ, (nec
enim ibi erat aqua nativa) limum, &
lutum exprimebat manu ad linien-
dam ſitim. Corpus ipſe, & Socius te-
gebant panno interiori veſtium Sa-
crarum. Moriente Protectore ſuo,
ejus frater, qui loco ſucceſſerat, au-
cupaturus Regis benevolentiam, il-
li tradidit per ſummam perfidiam
Ludovicum, & Brunum Brunium
illius Socium. Ligati catenis ad pu-
blicas nundinas, ubi maximus erat
concurſus, delati ſunt, ut coram
multitudine de patibulo penderent
collo ſuſpenſi. Antequam moreren-
tur, dixerunt inter ſe verba noviſſi-
ma ſuavitatis plena. Brunus roga-
vit Ludovicum Superiorem ſuum,
ſignaret benedictione funem. Tunc
ille: *Benedicat Deus Omnipotens huic fu-
ni, huic loco, & huic regno, tot Marty-
rum ſanguine fœcundato, & irrigato.*
Primùm ſuſpenderunt Brunum dein-
de Cardeiram: diebus quatuor fue-
runt in patibulo: Poſtea per terram
tracta cadavera conjecerunt in mon-
tem, ut feris, & diris volucribus
eſſent eſca: diſpoſitis circumdiſtan-
ti loco excubiis, ne Chriſtiani illa
tollerent. Manè ſequenti non ibi
comperta, nec viſa ulla ipſorum

 ve-

vestigia, aut reliquiæ. Schismatici veneficiis id miraculum tribuêre.

P. Doctor Antonius Fernandes.

LOndini in Anglia contigit vivendi finem anno 1674. Natus in Oppido *Evora monte* Diœcesis Eborensis. Ulyssipone se dedit Societati 28. Augusti 1627. Magnum in eo ingenium ad omnes facultates capessendas. Præter Latinas litteras tenuit Græcas, & Hebræas. Tradidit Philosophiam Conimbricæ, Theologiam Eboræ, ibique laureâ Doctoris insignitus 24. Februar. 1651. Eamdem scientiam docuit Ulyssipone, & rursus Eboræ moderans primariam Cathedram. Posteà regressus Ulyssiponem exposuit Quæstiones Morales tanto plausu, & auditorum concursu, ut aula multitudinem non caperet, nec anteà, nec posteà similis aviditas Magistrum ullum audiendi visa est in iis scholis: Consulebatur ab omnibus viris gravissimis, & Tribunalium Judicibus; Cùm Princeps Catharina nuberet Anglicano Regi, electus est Antonius, ut illi foret à Confessionibus. Ejus vita vel ipsis Anglicanis Hæreticis non vulgari fuit admirationi: Nihil in eo observatum, quod non modestiam, & insignem virtutem præ se ferret: In publicis functionibus, quibus ex sui muneris ratione assistebat cum cæteris Aulicis Reginæ, nihil fuit ejus modestiâ spectabilius. Rex ipse Carolus hominem reverebatur. Semel dum Antonius Regem alloquitur, sibi è manu decidit in terra
galerus, hic Rex ad solum corpus i
clinans galerum arripit, ac trad
Antonio, quod officii genus ipse cu
nullo è Regni Principibus exercere
Quamvis esset Antonius erga cæt
ros suavis, in se multâ usus severit
te. In suis itineribus deferebat s
cum sui castigandi corporis instr
menta. Eboram ex Ulyssipone co
tendens viatoriam perdidit mant
cam, eam agaso reperiens, dum so
vit, inspecturus, quid intus habe
in ore cilicium, & flagellum conv
luta sunt inventa. Tunc ait ad S
cios: *Hâc transiit Vir aliquis de Societ
te, id satis indicant pietatis instrument*
Igitur nihil attigit, sperans obvi
sibi fore manticæ Dominum. Acc
dens noctu ad proximum divers
rium, ubi hospitabatur Antoniu
cùm ex eo jacturam novisset, rest
tuit manticam, dicens: se non fals
delusum opinione, quod Societa
homines inter aliam provisionem
hæc in suis itineribus non obliviscan
tur instrumenta. Londini quidqui
suppetebat de congruâ sustentation
Reginæ Confessario destinatâ, egen
distribuebat. Vacabat multùm re
rum Divinarum commentationibu
& orationi: denique talis vixit, &
est mortuus, ut sanctissimæ vitæ con
sonafuerit mors sanctissima.

Alphonsus Nogueyra Coadjutor.

ANno 1683. Conimbricæ excess
vitâ. Natus in pago *Fala* Diœ
cesis Conimbricensis. Iniit Societa
ten

Conimbricæ 15. Februar. 1640. atuordecim annis administravit rmacopolium, usus singulari chate tum erga nostros, tum erga ernos. Noctu furatus multum quiete, ac somno, ut plus tempomeditationi, & precationibus imderet. Ad consolandos curis os, & tristitiæ nubibus obrutos dus illi perquam suavis, & affabis. Specialissimè procuravit vel ès quosque vitare defectus adsus Religiosam paupertatem. amvis ratione sui muneris sub nu habuit bonam pecuniarum mam, & tot annis: nihil accuus providit, quàm ne se contamiet aliquid suis usibus applicando. pter morbos liberatus ab procudâ medicamenturiâ, cum invefet apud se tres imagunculas æreas vi, aut nullius pretii, tactus conntiæ stimulo, quod sine facultate sideret, Rectorem adiit causâ fatatis obtinendæ. Valde ille est miratus & viri paupertatem insiem, cum licitè posset rebus curioabundare, & conscientiæ puritaa, quæ vel atomis turbaretur. ltum est passus ex morbo articui, sive arthritide; sustinuit mira tolerantiâ. Horis duabus ante itum, interrogatus; aliquo ne ngeretur conscientiæ morsu? rendit: Non: quod semper expiavi per confessionem animam, ceu statim essem moriturus.

DIE XIV.

P. Doctor Sebastianus Barradas.

Conimbricæ anno 1615. solutus è corporis vinculis ad perennem evolavit fælicitatem. Ulyssipone in lucem editus. Ejus parentes adeò sanctè eum instituêre, ut cum est ingressus Societatem, de illo dictum sit, quod solam vestem mutaverit, mores enim mutatione non indigebant. Cùm serenissimi Reges Joannes III. & Catharina ejus Conjux pro amore paterno, quo complexi nostram Societatem, audire vellent ex nostris scholis aliquos pueros carmina recitantes. Inter eos, qui dicturi erant, unus fuit Sebastianus. Pronunciatione, actione, & gestu tantum excelluit, ac plausum meruit, ut Regina ad Magistrum versa dixerit: *Hunc benè diverbera, erit sanè magnus homo.* Fama est Virginem ab Scala dictam in Cœnobio Dominicano voce manifestâ illi suasisse aditum in nostram Societatem. Viri amor erga SS. DEI Genitricem huic famæ astruit veritatem. Societati addictus 27. Sept. 1558. Ulyssipone in domicilio, quod annis aliquot Tyrones occuparunt in Domo Professa. Biennium continuavit, & absolvit Conimbricæ: Latinas, Græcas, Hebræas litteras, Philosophias, & Theologias didicit, ac tenuit excellenter. Post Philosophiam Conimbricæ traditam, cùm polleret egregiis dotibus ad concionandum, visum est eum Mo-

Moderatorem, ac Lectorem præficere cathedræ Divinarum litterarum. Id magisterium Conimbricæ, deinde multis annis egit Eboræ, ubi est exornatus laureâ Doctorali, fuitque è præclarissimis Doctoribus, & Magistris, qui illam Academiam in hac re fortunatissimam exornarunt. Profundam Viri sapientiam comitatæ sunt omnigenæ virtutes. Ipsius scripta, Viri non solùm eminentem scientiam, & eruditionem, sed etiam virtutem testantur eminentem. Affectus, quo Virginem Matrem prosecutus, tantus fuit, quantum in aliis Viris Sanctissimis veneramur, & commendamus. Vacillanti Socio in sua perseverantiâ suasit multis rationibus, ne missâ ad aratrum manu, retro inspiceret. Volens illi ostendere, quantum bonum esse Societas, subjecit hæc verba : *Tantum est, & tale, ut Virgo Sanctissima mihi dixerit : Ingreditor Societatem : illa mihi dixit, illa mihi dixit.* Quando miscebat de ejus prærogativis sermonem, lætitiis omnibus inundabat animus, os, & vultus : Ajebat illius gratiâ DEUM ferre & se, & cæteros peccatores. Hunc amorem expressit in primo suorum operum Volumine de Virginis scribens vitâ : Doctorum hominum opinione Scriptor nullus eum in hac materia superavit : Non minori sensu animi tenerrimi SS. Eucharistiam, coluit : Aliquando post sacram Communionem tot est oneratus, ac delibutus suavitatibus, ut, quod ferendis non esset, collapsus

fuerit examini similis. Vocat
Medicus ex venarum pulsu, quid
set rei, conjiciens, ad præsentes a
Utinam hujusmodi me morbi invadere
Quotidie Sacrum fecit, & sæpè t
infirmus, ut necessum fuerit in
manus ad aram ferri, & ex arâ
cellam : Ad id celebrandum pa
bat animum horis duabus, aut trib
orationis, quæ mente fit : Horæ s
tium, & sæpè longius consumebat
Sacrificio peragendo. Adeò pe
trabat mentem totam, & absorbe
inter celebrandum pia de præse
Mysterio comentatio, ut opus ess
apprehensis sacris vestibus eum
luti excitare, ac docere locum,
tempus, quo erat : Accepturus D
minicum Corpus contremiscet
omnibus artubus, & toto corpor
propter eximiam reverentiam,
tantæ rei cognitionem : In oratio
se DEUS illi infudit, ut solet suis n
solùm amicis, sed amicissimis : C
lescente spiritu, inter orandum e
bat nunnumquam voces DEO p
nas, idque tam altè, ut eas audire
ejusdem pergulæ omnes habitat
res. Semel orationis tempore pr
diens è cubiculo, dixit obvio Socio
Meditabar modo formidabiles i
ferorum pœnas, & ignes æternù
depasturos animas ; hujuscemo
tetræ, & horrificæ imagines ad v
vum adeò sese mihi objecerunt,
stupore attonitus perirem, nisi à m
ditatione desisterem ; Idcircò exi
de cellâ, mentem ut à tali conside
ratione avocarem, & reciprocare
spiri

ritum : Sæpe eſt inventus ſuccen- vultu, tanquam in exceſſum men- raptus. Familiares ſermones m quocumque hominum genere s verbis concludebat: *Sic perit mun- r , ſic perimus omnes.* Identidem ncionando uſurpabat hanc vo- m : *Æternitas.* Interrogatus, cur ties id verbum repeteret? reſpon- : *Quia mihi timori, & tremori eſt, me cogit virum eſſe bonum.* Horas nonicas attentè, ac devotè reci- bat. Ultimis vitæ annis quinque ſex horas inſumebat in perſolven- hujusmodi penſo. Quod me- eret, ne Superior propter nimiam bilitatem eum ab hoc onere libe- ret, cùm ipſe & Medicus intrabant us cubiculum, ex compoſito ſe gis vividum oſtendebat, dicens: i vires, & vigorem eſſe. Cùm ector jocandi gratiâ illi dixiſſet, ul- n vim ipſi non eſſe, quando edere morem unum non poſſet : Re- nſum fuit, clamorem edere, quan- potuit voce, ſubjecítque : Mihi es ſuppetunt ad concionandum, eóque magis ad recitandum, cùm minor labor. Quod inter perſol- ndas horarias preces ſomnus irre- ret oculis, hos aquâ frigidâ ſpar- bat hyeme: Nonnunquam remo- veſte de pectore ſtabat prope fe- ſtram apertam, ut temporis incle- ntia ſomnum arceret. Medico dente, quod viribus foret attri- imis, abſtineret ab officio Divino rcurrendo, hominis irridens ſua- nem inquit : *Jucundè dictum : Ego poſſum loqui cum hominibus, & cum DEO loqui non poſſum? ne te fatiges id mihi præcipiendo.* Orationi conjunxit cor- poris afflictiones caſtigando ciliciis, ac flagris : dum ſe verberat, auditus has voces effundere : *Sebaſtiane, con- cionaris? ſic es concionaturus.* Sub hæc verba majore vi ſe flagello tundebat repetens : *Sic es concionaturus.* Cùm veniret ab prædicando, lectum ipſi ſtraverant commodiſſimè; Tunc ad ſeptum vadens collegit urticas, po- ſuit inter lintea, in quæ nudum con- jecit corpus : Sæpe eſt uſus hujus- modi cruciatu : Prædicavit Conim- bricæ in templo Cœnobii Divæ Cla- ræ ; tunc erat proximè Mondam amnem, ob cujus alluviones migrâ- runt noſtris diebus Moniales ad montem celſum fluvio imminentem. Poſt Concionem Academiæ Rector mulam ſuam obtulit Sebaſtiano, quod iter ſit longum, & valdè mole- ſtum, & aſcenſu difficile maximè ſe- nibus debilitatis, qualis jam erat Se- baſtianus. Rejecit obſequium, & commodum. Ipſo die humi ſumpſit cibos lapideâ ſub mensâ: dum pran- dit, ſæpe caput impegit lapidi, hæc iterans : *Barradi, volebas eques venire in mulâ phaleratâ?* Non permittebat, quod Socius ullus obiret ſibi cubi- culi miniſteria, revocans illud in me- moriam, & linguam : *Filius hominis non venit in Societatem miniſtrari, ſed miniſtrare.* De victu ſemper pejo- rem, & viliorem optavit. Ad fu- giendas corporis omnes delicias, & commoda vehementer deſideravit,

 vitam

vitam traducere in Missionibus præsertim Ultramarinis, quarum narrationes avidissimè perlegebat. Cùm loqueretur de his Missionum desideriis, dixit illi Sacerdos è nostris: Quomodo posset omittere libros suos, & eorum compositionem? *Mi Pater inquit, ego, quæ sentio, verbis exprimo: dent mihi facultatem in ignem mittendi libros meos, statim faciam, & non invitus: mihi fiat potestas convertendi animas.* Postremo in morbo cum pedes haberet tumentes, ajebat: *Si ambularem obeundo Missiones baculo innixus, & manticâ ex humero pendente, ut æquum erat, non ita tumerent pedes.* Nec provectâ senectute cessavit à laborando. Solebat dicere: *Meus calamus est meus sarculus, quo victum adquiro.* Post magisteria conscientiæ est punctus stimulis, quod in Collegiis vitam transigeret, ac sustentaret ex eorum reditibus, quamvis sciret ratione suos componendi libros, id esse licitum: studium Religiosæ paupertatis in nullo è nostris existimo fuisse accuratius. Post ejus obitum Codices manuscripti magni Voluminis reperti, quos ipse compegerat ex schedis rejectaneis: Indumenta tam vilia, vetusta, & attrita erant, ut nihil magis: Noctu, ipso dormiente, ab eo auferebantur, substitutis commodioribus. Manè furto cognito adibat vestiarii custodem & irato similis ajebat: si nollet sibi molestiam, & stomachum excitare, caveret in posterum ejusmodi technas, & fraudes: semel thoracem lineum ab eo noctu surripu[...] tam vetustum, centonibus opert[...] & lacerum, ut non posset fingi al[...] inutilior: Credidit Socius optim[...] furno verrendo, propterea ad [...] usus furnario tradidit, qui illum [...] ligavit longo fusti. Compertâ fr[...] de, convenit furem, multis precib[...] ac lachrymis petit, restituat sibi t[...] racem suum, nihil sibi esse de re[...] caducis pretiosius: Cum insta[...] jam importunus, respondet Soci[...] id fieri non posse, quod furnario [...] disset. Tacuit Sebastianus, ac cit[...] gradu properat ad furnum, ubi r[...] suam inveniens, recuperavit; dis[...] sitque tam lætus in cellam, ut ap[...] mortales inventio thesauri, ill[...] non æquet gaudium. Reliqua [...] stis interior post ipsius mortem [...] vilitatem nec mendicis potuit se[...] re. Semel exhortationem hab[...] ad Socios de paupertate hæc ve[...] protulit: *Octo sunt anni, ex quo [...] eisdem calceis, quos pedibus nunc hab[...] & propter id, mihi suboritur vana [...] ria.* Ut profani homines tenent q[...] dam honoris puncta, sive apices, [...] gravatè ferunt, ab cæteris in his v[...] ci, sic Sebastianus nolebat à quopi[...] in materia paupertatis superari. P[...] magisteria habuit solum in cubic[...] sacra Biblia, & Concordantias. [...] hyeme, & æstate, cæterisque tem[...] ribus studebat in Bibliothecæ Do[...] Id egit amore paupertatis. Fr[...] ciscus Suarius Granatensis valdè [...] rabatur, quod Sebastianus in t[...] librorum penuriâ scripsisset lib[...]

nni refertissimos eruditione. Has
tutes est comitata singularis hu-
litas: Numquam voluit guber-
re, cùm Majores scirent faciendum
rem molestiâ plenam, si cogerent;
Magistratibus injungendis absti-
erunt: Putabat, sub cœlo majo-
n se peccatorem non esse: usque
vitæ finem timuit de perseveran-
in Societate; Etenim anno pro-
no ante suum obitum cùm Geor-
us Rigius; de quo 15. Julii, esset
postremo vitæ articulo; Barra-
um, velletne aliquid ad cœlum, &
ad DEUM? interrogavit: cui il-
Id volo, mi Pater, ut obtineas mihi à
O perseverantiam in Societate. Non
ebat se ab ullo mortalium lauda-
aut honorari. Multi tum Lusi-
i, tum alienigenæ ibant Conim-
cam studio videndi hominem,
em scripta sua typis vulgata, &
na de virtutibus reddiderant val-
celebrem. Ut fieret satis his ho-
ibus, sub aliquo prætextu de cella
rahebant, ac exponebant viden-
n id cupientibus, quin Sebastia-
s rem intelligeret; secularium
m commercia sic fugit, ut Eboræ
itori se vocanti dixerit: *Vide, ne*
ris, à novem annis ad januam non
vocatus, ut loquerer cum homine ex
io. Rectori Academiæ Conim-
censis roganti, verba faceret ad
ncionem in Academiæ Sacello,
pondit coram nostro Rectore: *Mi*
niné, hic est hujusmodi jumentum:
me gubernat, illic (Rectorem no-
um indigetat) *jubeat ipse, conciona*
, ut potuero, quantum potuero. Mi-
ratus Viri humilitatem affirmavit,
nunquam se meliorem ex eo con-
cionem audivisse. Concordiæ li-
bros scripsit obedientiæ coactus im-
perio: Illius prædicationes mirum
in modum commovebant auditores.
Conimbricæ per Quadragesimam di-
cens ad populum, & Academicos, tot
scholastici moti sunt ad Religiosam
vitam amplexandam, ut Guardianus
Capucinorum veniens ad nostrum
Collegium, Rectori dixerit; vel Pa-
trem Barradium amoveret à Sacro
suggesto, vel in Societatem admitte-
ret, quotquot postulabant in Reli-
gionem adoptari: innumeros enim
hujus petitionis causâ per eos dies
suum adiisse Cœnobium. Materia
Concionum erat plerumque de mun-
di contemptu, brevitate vitæ, pœ-
narum, & gloriæ æternitate. Hæc
tanto fervore, & spiritu tractabat,
ut auditores contremiscentes sibi
suaderent, severam daturos Numini
rationem, si Concionatori non obe-
dirent. Ajebant multi, ad moven-
da corda tantam vim habere, illum
videre, quantam audire. Qualis
foret de ipsius virtutibus existima-
tio, paucis explicari non potest.
Franciscus Suarius Granatensis eum
nominabat *Sanctum Senem*, æquè ad-
mirans ejus virtutem, atque sapien-
tiam. Res adhuc vivi servabant
multi, tanquam alicujus Divi reli-
quias; denique postremùm ægrota-
vit. Vicinum jam morti rogavit
Collegii Moderator, aliquid loque-
retur ad consolandos Socios, qui
postrema illius exspectabant verba.

Quamvis haberet jam vocem tam obſcuram, ut, quæ diceret, intelligi nequirent, ſimilis reviviſcenti ſuſtulit vocem claram & more concionantis ait : „ Humiliamini ſub potenti manu DEI, ut vos exaltet „ in tempore viſitationis : Aliud „ conſilium non eſt, ſimus omnes „ multum humiles, Chriſtum Deum „ noſtrum, ac Dominum imitando, „ qui omni vita Magiſter fuit humilitatis, & quando mortuus eſt, inclinato capite emiſit ſpiritum. His dictis inclinavit caput ſuper brachium ſiniſtrum, illud deorſum multum inclinans, ut Chriſti modum exprimeret: Et repente vox illa ſuavis, & canora reddita tam debilis, & confuſa, ut ampliùs non ſit intellecta. Ad ipſius exequias tanta confluxit multitudo, ut convolvi non poſſet. Ejus oſſa modo ſunt in Sacello interiori dicato Divo Antonio, inter oſſa aliorum hominum virtutibus eminentium. In quo habitavit cubiculo, leguntur ſcripta grandibus litteris ea verba Scripturæ, quæ ante mortem pronunciavit : HUMILIAMINI SUB POTENTI MANU DEI.

Balthaſar Dias Coadjutor.

ANno 1618. naturæ conceſſit Eboræ. Natus Bracharæ. In Societatem adſcitus Eboræ 14. Octobr. 1562. Vir fuit probatæ virtutis, laboris amans, & eximius charitatis cultor. Anno 1569. Ulyſſiponem vaſtante peſtilentiâ, navavit operam

eo malo contactis, quamvis & ip
dirâ perculſus lue ; at DEO prot
gente, mortem effugit. Cum Reg
Sebaſtiano contendit in Africam
præſensque fuit infauſtiſſimo pro
lio. Videns cuncta jam perdita,
erat animoſus, & robuſtis viribu
cogitabat de ſumendis armis, quibu
campus reſertus, ac de profundend
vitâ hoſtem cædendo : dum me
pulſatur his cogitationibus, acceſſêr
Mauri, multaque inflixerunt vu
nera. Ipſe Balthaſar eſt faſſus, Deu
permiſiſſe hujuſcemodi vulnera
pœnam non removendi cogitati
nes, quæ magis militem, quàm viru
Religioſum decebant. Captus,
penè omnes, qui ſuperfuêre prœli
ac deductus ad urbem Feſſam, pe
peſſus incredibiles ærumnas. H
rum partem explicat in Epiſtola h
verbis : „ Maledictæ voces Alcor
„ ni me magnopere contriſtant
„ plus has abominationes ſentio
„ quàm reliquam captivitatem
„ Nec enim tantùm ſentio hum
„ dormire duobus lateribus capi
„ ſubjectis, ut dormio, & una lodic
„ tam vetuſtâ, quâ die tectus ince
„ do, & tam lacerâ, ut poſſim pe
„ foramina immittere brachia
„ Identidem venit in memoriam
„ gura, quam Eboræ vidi ſcenæ in
„ ductam, erat Diogenis Philoſoph
„ qui contempſit mundum, ejusqu
„ divitias, ſeque induit attritâ,
„ craſſâ veſte : Solùm deeſt mih
„ dolium, in quod ſe miſit, ut ven
„ tos, & tempeſtates vitaret. Cæ
„ ter

tera talis ſum, qualem ſpectandum
ſcena dedit. Hæc ille de ſe ipſo.
idit in poteſtatem Mauri tam ſæ-
ut, quamvis propter vulnera penè
um amiſerat uſum dexteri bra-
i, coegerit ſiniſtro molam rotare,
frumentum conterere. Tandem
emptus auro, & Luſitaniæ reddi-
, anno 1580. graſſante per Ulyſſi-
nem peſtilentiâ, rurſus tulit opem
ſeris, quos peſtis neci dabat. Poſt-
am Rex Philippus adivit Luſitaniæ
ſeſſionem, Hieroſolymam duos
oſtrâ Societate miſit ad inviſenda
ſancta loca, alterum nomine Re-
Henrici, Sebaſtiani alterum. Ivit
eronymus Rodericius Sacerdos,
Balthaſar. Conſpectu veſtigio-
n, in quibus ſpirat adhuc Chriſti
ga mortales amor, maximè affe-
s Balthaſaris animus. Frequen-
inpoſterum occurſarunt piæ me-
oriæ; Inde natus eſt illi non vul-
ris amor in Chriſtum Dominum
ientem. Volentibus Majoribus
um initiari Sacris, enixè rogavit,
mitterent, ſe mori in Coadjuto-
n gradu, quem, Societatem iniens,
t amplexus: ſeceſſit Eboram, ubi
iquam tranſegit vitam conſulens
irmis, quod munus tum ob exi-
am charitatem æquam omnibus,
n ob peritiam medicamentorum,
it magna cum utilitate: Quotidie
eces in templo fundebat pro Re-
ioſis ibi conſepultis. Tempus,
od ſuppetebat, conſumpſit oran-
, aut alia ſancta obeundo exerci-
, donec mors ſuavis eum ad cœ-
s tranſtulit.

DIE XV.

P. Ludovicus Duarte.

ANno 1683. Eboræ ſolutus è corporis vinculis. Natus Ulyſſipone, ibique conjunctus Societati 13. Februar. 1668. ætatis 15. Eboræ docuit Rhetoricam: Ab omnibus magni habebatur ejus virtus; Nam erat illi cum Deo per orationem multum commercium. Agens Socium Magiſtri Tyronum ibat noctu ad abſidem in templo, unde Tyrones concionem audiunt, illic coram SS. Chriſti Corpore vacabat contemplationibus rerum Divinarum: dum orat in eo noctis ſilentio, umbra inſtar hominis è templo aſcendens tranſibat ante ipſius oculos. Cum id non ſemel eveniſſet; opinans aliquid myſterij latere ſub ſpectro, tranſeuntem percontatur: *Quid ſit, quid velit?* Ad hæc verba reſpondit: Nihil aliud, quàm tuam loquelam, exſpectabam. Tunc aperit, ſe talem eſſe Religioſum, qui de vita migravit omittens negotij talis impoſitam executionem, à Deo ſe mitti, ut eum faciat certiorem de hac negligentiâ, competensque adhibeatur remedium. His dictis, evanuit, nec amplius ſe ſtitit oranti: Quæ monebatur, procuravit fieri. Illud eſt charitatis ſingulare argumentum: Dormiebat nocte concubiâ, cùm pulſantur fores cubiculi, quo ſolemus more, cum paramus introire alienam cellam; Idque bis,

 ac

ac ter eodem modo peractum, nemine, cum ipse juberet, ingrediente. Cum rem fortuitò contingere non crederet, nec enim erat ventus, etsi flaret, tam certis spatiis valvas ferire non posset; è lecto surgens reserat ostium: Cum nullus appareat; subit mentem, infirmum aliquem periclitari in valetudinario. Sine morâ illò descendit, invenitq; Socium unum animam agentem, juvat piis alloquiis, ac demortui componit corpus. Tunc apud se conjecit illius animæ Custodem Angelum percussisse fores, ne suus cliens in eâ moreretur solitudine. Magna vis febrium incubuit Collegio, nactus suæ charitati amplum theatrum, strenuissimè decumbentibus servivit, & invigilavit, nulli parcens labori. Viri charitas tanti exempli fuit, & tantâ laude digna, ut in admonitionibus, quæ legi solent apud nos in triclinio ante Votorum renovationem, Ludovici charitas amplissimis verbis sit collaudata, non sine ipsius rubore, qui nollet tales honores. Dum prospicit aliis, hæsit illi ex commercio cum ægrotis, eadem febris exitiosa: se moriturum ex Deo cognovit, ut testantur ejus dicta. Valedicens sociis Junioribus, quando pergebat ad lectum valetudinarij, dixit illis: quod si audissent venarum cæsuras sibi ultra quatuor factas, se mori non dubitarent, tamen eos non relicturum post mortem. Aliis dixit, obitum suum futurum sine tono, & sine sono. Eventus ipse solvit obscurita[tem] verborum; Etenim de vivis ex[cessit] die Jovis hebdomadæ sanctio[ris]; idcirco non pulsatæ campanæ nec tono solito funeratus, quo[d] templum esset impeditum. Humatu[s] est in Sacello Juniorum ad latus E[van]gelij. Tunc ipsis innotuit dict[i] veritas, nempe quod post morten[m] suam eos non esset relicturus.

Antonius Cardozo Coadjutor.

EXtremum Spiritum efflavit Co[nim]bricæ anno 1669. Natus i[n] pago de *Sancta Maria de Puzelo* Diœce[sis] Portuensis. Conimbricæ com[plexus] Societatem 13. Junij 161[?] Longam vitam traduxit sine quere[la] prorsus inculpatam. Quamvi[s] esset jam effætæ senectutis, & pro[p]tereà liber à penso, & labore, ma[]nè cum cæteris de lecto surgebat, etiam hyeme. Matutinas horas ve[l] orando, vel audiendo Sacra consumebat in templo. Solitus eligere locum aliquem, unde simul posset in altaribus plurimos intueri Sacerdotes. Pomeridianum tempus vel decurrendo precarios globulos iterum atque iterum, vel commentando mysteria Divina, vel invisendo aras expendebat. Sciens è nostris aliquem actionem obire litterariam, quâ ille horâ rem peragebat, Antonius eum, ac felicem exitum Deo commendabat impensè. Parcus cibi, delicatas escas, aut gratiùs conditas non attingebat; causam inquirentibus, *Quoniam*, respon-

ndebat, *suo pondere me sursum im-*
iunt conscendere ; deditus multum
legendis libris asceticis. Janito-
officio Conimbricæ fungens, ad
num habuit suavissimum libel-
ı : *De mundi Contemptu* ; si licuit
occupationem suam , dabat le-
dum alicui ex hospitibus, petens
n sibi fieri gratiam, quod rudis
t, & legeret imperitè. Captans
portunitatem ex rebus lectis, uti-
mas instillabat monitiones. Præ-
it mortis horam. Quo die est
rtuus, interrogavit Sacerdotem:
ota foret hora? respondit, quar-
n ante meridiem. Tunc ait infir-
s : Bene habet, tertiâ pomeri-
nâ proficiscemur in nostram pa-
m; Ita contigit. Idem biennio
e mortem disertis verbis affir-
rat; nam uno de Sociis vitâ fun-
, devolutis, inquit, annis duo-
, ibo ego. Dum lecto jacuit,
uavit Deum conspiciendi arden-
imis desideriis. De illo refertur
od cum esset coquus Conimbri-
, & cecidisset è cælo fulmen in
dem fornacem,in qua erat, dedis-
irca ipsum gyros , ac reliquisse
actum, & incolumem.

P. Dominicus Leytam.

N Domo Professa Ulyssiponensi
nno 1704. vitam clausit. Natus
oppido *Grandola* Diœcesis Eboren-
Anno 1647. 10. Jan. ætatis 17.
lit Eboræ nomen Societati. Præ-
luit ingenio ad scientias traden-
. Eboræ Philosophiam, Theolo-
giam docuit Conimbricæ magnâ
omnium sapientium existimatione,
qui eum, ut singularem Magistrum,
suspiciebant. Par fuit opinioni de
ipso conceptæ. Rexit Bracharense
Collegium , ac Domum Professam
Ulyssiponensem. Propter eminen-
tem scientiam, & Consilij præbendi
donum ab omnibus in rebus magni
momenti consultus, multo fuit ho-
nori nostræ Societati Ulyssipone.
Illius scientiam laudanti Reginæ An-
gliæ Catharinæ, dicentique nullum
illi in Lusitania parem, reposuit Se-
renissimus Rex Petrus II. *In Europa*
dicere debueras charissima Soror illi parem
non inveniri. Nullis Instituti nostri se
subtraxit oneribus ; Quamvis mul-
tæ jam ætatis post magisteria, & alia
munera, in templo Divi Rochi con-
cionatus est per Quadragesimam
Dominicis diebus horâ vespertinâ,
qui labor vegetos poscebat annos,
& non attritos morbis, & aliis la-
boribus. Postremis annis non semel
inter brachia deductus à Tribunali
confessionum ad suum cubiculum,
quod præ labore vires eum defice-
rent. Quotidie sedulus fuit in ex-
ponenda conscientia apud aures con-
fessarij. Ut erat longâ debilis sene-
ctute, flagello non pepercit ; in se
flagris tanto temporis spatio, & tan-
ta virium contentione animadver-
tens; ut appareret velle se dilacera-
re. Frequenter osculabatur in tri-
clinioSociorum pedes; Qamvis eum
cæteri haberent tanti , se multùm
contempsit. Vestitus ostendebat
pau-

paupertatis amantiſſimum. Monachus Trinitarius prædicans de Ignatio in templo Domus Profeſſæ, cùm mentionem ageret de Societatis paupertate, hæc verba protulit: Ad hanc comprobandam ſufficit exemplum Reverendi Patris Dominici Leytami hujus Domûs Præpoſiti, cùm enim ſit, qualem Ulyſſipone ſuſpiciunt omnes, utitur pallio tam vetuſto, tot refecto centonibus, ut qui hominem cognoſcunt, & intuentur, non poſſint non mirari amorem paupertatis, & collaudare. His auditis, erubuit Pater Dominicus. Aderam ego concioni, quæ, ut verum dicam, fuit ex elegantioribus, quas de noſtro Protoparente hactenus audivi. Cùm jam non poterat exequi res magni laboris, inſtituebat fidei myſteriis catechumenos. Excelſam mentem, quâ eum Deus donavit, maximè patefecit accuratiſſimâ diligentiâ, quâ poſtremis annis ſe comparavit ad mortem, & rationem ſupremo Judici de ſe, factiſque ſuis reddendam.

P. Didacus Jacome.

IN Præfectura à Spiritu dicta apud Braſilos anno 1565. ſupremum diem explevit. Conimbricæ aggregatus Societati 12. Novemb. 1548. Sequenti anno miſſus in Braſiliam, ubi collocavit induſtrias omnes in adjuvandis animis. Multa de illo Joſephus Anchieta reliquit ſcripta, quæ probatiſſimam virtutem indicant. Humilium officiorum exercitia maximi æſtimavit. Ex imper obedientiæ tornum paravit, ac, Magiſtro, didicit eam artem; cor nas, & Roſaria globulorum di denda neophytis conficiens. Ut l crandis proximis idoneum fieret i ſtrumentum, multo labore, qu ipſi parum faveret ingenium, & m moria, ſtuduit latinæ Grammatic quâ mediocriter imbutus, initiat Sacris in Braſilia, ſuccurrit mag zelo animarum bono. In Præfect ra à S. Spiritu curæ habuit Braſil rum oppidum, quorum neceſſita bus tum animæ, tum corporis n viter juvandis incubuit, dum val tudo permiſit: hâc morbo tentat causâ vires recuperandi ſe domu noſtram contulit. Viribus utcun refectis, ad operam redivit. M renaſcente morbo, coactus deſiſt re, ac domum regredi. Malo i dies creſcente, morti ſuccubuit quam ille non timuit, quod null torqueretur conſcientiæ ſtimulis.

P. Joannes de Coſta.

ANno 1581. in urbe Portuen glorioſos inter labores occ buit. Natus Balſæ, ſive Taviræ Algarbiis. Eboræ adjunctus Soci tati 18. Septemb. Urbem Portu crudelis peſtilentia complebat fun ribus, cùm Joannes ſe libentiſſim devovit curandis eo malo labora tibus. Poſtquam intra muros urb occurrit omnium tum corporis tum animæ neceſſitatibus, placu Superiori, ut tantisper ſe reficere aliu

s Sacerdos, qui assistebat cum ẽris extra urbem; iretque Joan- ipsius loco. Superstes illic fuit em tantùm diebus. Nam con- nens perniciem, quæ plebem abat, die Veneris sanctioris heb- nadæ ad cælos transiit.

DIE XVI.

P. Emmanuel Ribeyro.

Oandæ in Angola naturæ satisfe- cit anno 1675. Natus in oppi- *Alcacere do Sal* Diœcesis Eborensis. bus annis jussu Majorum com- ratus est in Mazagonia Lusita- um Colonia in Africa Tingitanâ. teà missus ad Angolam, ibi 22. duxit annos, ex his aliquot in legio, quod habuit Societas in ngo, quod annis currentibus, issimas ob causas desertum est. edictis annis discurrit sæpè per iones Angolæ illuminans Æthio- , ac Sacris tingens lymphis. Adi- crebra vitæ pericula, & labores umeros, ut lucem veræ fidei cæ- gentibus inveheret. Non con- tus laboribus Missionum, adjecit cilicia & flagra, quibus excru- vit fessos artus. Anni majorem tem solitus jejunio transigere. pedia, delicatiorave edulia, si ſæ inferebantur, reliquit intacta. rpus somno & quiete fraudans, ltam noctem vacabat orationi. aritas omnes, præsertim infirmos ificè est complexa. Id intellexit ns, id voluntas amavit, quod

Superioribus est visum conveniens, & ipsis placuit.

DIE XVII.

P. Gonsalus Ares.

IN Collegio Insulæ à Divo Michaele anno 1681. vitam finivit. Ibi natus ex melioribus suæ Insulæ Familiis. Annorum majorem partem eâdem in Insulâ traduxit. Quamvis esset, uti dictum, ex nobili, ac locuplete ortus familiâ, se habuit semper, ut qui nihil pluris faceret, quàm humilitatem, & paupertatem. Consanguineos curavit, tanquam si nulli forent. Solam Societatem eorum loco singulari amore prosecutus. Divinis litteris magnopere eruditus, ad concionem verba fecit lucrandi animas zelo incensus. Annis plurimis ante obitum glandulæ ex indurato purè collo innatæ patiendi, & merendi præbuerunt amplam materiam, quod eas dolores acuti sunt comitati. Non tamen impediverunt ejus fervorem, quò- minùs audiret pœnitentes, dum essent: nec enim deseruit destinatum audiendis Confitentibus locum, quamdiu ullus adfuit, qui vellet levare conscientiam. Multis coluit obsequiis Virginem Matrem, sollicitans alios, ut similia, vel majora ipsi præstarent officia. Quod erat multæ authoritatis, Religiosum è nostris sui statûs parum memorem, commonefecit obligationis suæ ver-

bis gravibus, ac ſeveris. Qui debuerat gratias habere ob monitum ſalutare, exulceratus medicamentis inſaniit adverſus Medicum, cujus impoſterum vitavit conſuetudinem, averſum animum vultu ipſo, verbis, ac factis indicantibus. Per id tempus cœpit Gonſalus poſtremo laborare morbo, ægrè ferens Socium illum animo parùm amico in ſe relinquere è vivis abeundo, jubet ad ſe venire, & verbis ſupplicibus rogat veniam, ſi quid offendiſſet. Paulò pòſt quievit tranquillâ in pace efflans poſtremum anhelitum.

DIE XVIII.

P. Michael Affonſo.

ANno 1649. Congano in Collegio in regionibus Angolæ mortem cum vita commmutavit. Natus in oppido *Arrayolos* Eborenſis Diœceſis. Anno 1610. 11. Januar. ætatis 27. & jam Sacerdos adoptatus in Societatem Eboræ. Anno 1615. imperio Majorum trajecit ad miſſiones Angolæ. Apud eas gentes ad vitæ finem perſeveravit magno Æthiopum bono, à quibus eſt habitus loco Patris. In rebus ad gloriam Dei pertinentibus, quanquam difficillimis, animum præ ſe tulit omnibus altiorem periculis. Nactus eſt magnam authoritatem inter eos populos, illorumque Dynaſtas, quorum non ſemel extinxit diſcordias, & ſeditiones communem ruinam minitantes. Quo tempore ſub ditione
Batavorum gemuit Loanda, jun
omnes induſtrias, ut Congi Rege
Luſitanis redderet benevolum: na
ille, gentibus eis ingenitâ mutabi
tate, & inconſtantiâ, videns re
Luſitanam attritam, Hollandis hæ
rat, quanquam propter Michaele
diſſimulabat animum infenſum. R
gante Patre, ut juberet Comiti d
Sono, Hollandos depelleret ab opp
do Pinda in oſtio Zairi fluminis, il
Rex cum hujuſmodi mandatis eu
miſit, ſecretis tamen nuntiis decl
raverat Comiti, legationem Patri
& mandata Regis nomine nihili æ
maret, rem eſſe merum fucum. V
dens Michael contemni mandata
verbis diſertis Comiti denuntiavi
vindices flammas de cælo timere
niſi hoſtes fidei cogeret abire. Ri
has minas impudens Æthiops. F
ceſſente Michaele, decidit è nu
bus globus igneus, qui domum C
mitis redegit in cineres. Quamv
Dei ultrices iræ terruerunt hom
nem, non mutarunt. Cùm Æthi
pes, & Rex ipſe propter fœdus cu
Hollandis odio haberent Luſitan
gentem, moleſtiſſimi erant noſt
Collegio. Utque rebus inclinati
non meminerunt amicitias, & an
qua officia; pacatè cum noſtris n
agebant, ſed tanquam cum hom
nibus infenſis. Idcircò non mult
diſſimiles captivis Patres erant. H
inter ærumnas, & victualium inge
tem penuriam Michael afficitur mo
bo. Non Medicus, non remedi
non victus, aut alia fomenta, qu

bu

s occurritur morbis, inventa sunt
eo misero solo. Propterea quid-
d mali ægrotum premebat, uni-
nedicabatur patientia. In tantâ
tudine opis humanæ non defue-
t Divina Solatia. Crucifixum
nplexu tenens alloquiis compel-
at suavissimis. Id tanquam ra-
n, qui intererant, adverterunt;
od ipsius vultus Puniceum induit
orem instar ostri, aut rosæ, mox
ctus est albus, ut nix, aut ala-
rites. Et hoc spectandus colore
argumentum animi candidissimi
remum edidit spiritum. Funus
t comitatæ abundantes lachry-
, quas ipse Rex suis auxit, veris
ictis, in incerto est.

P. Franciscus de Amaral.

'Onimbricæ anno 1685. vitâ de-
' functus. Natus in oppido *Gui-
rais* Diœcesis Visensis. Ulyssipo-
Societatem amplexus 1. Julij,
no 1645. ætatis 17. Ad sacri sug-
ti conciones summam eruditio-
n habuit, ac cæteras dotes, quas
etit tale munus. Idcircò Regius
cionator ab Rege Alphonso VI.
minatur, assignatâ de more su-
ntatione ex Regis ærario. Ve-
n Alphonso, quod esset admini-
ndo Regno parum idoneus, ho-
tæ tradito custodiæ, tempestas
am afflavit, quos ille benignis
ulis intuebatur. Propterea Fran-
cus actus in exilium, seu potiùs
ra Ulyssiponem, cogitur vivere
oppido Scalabitano. Ibi transe-
git aliquot annos deditus commentationi rerum Divinarum, & concionum ministeriis. Otiosam vitam odio habuit quàm maximo. Rebus in adversis, quæ ipsi non defuerunt, ostendit semper altitudinem animi generoso plenam spiritu. Postremam vitam exegit Conimbricæ eisdem virtutum exemplis. In codice obituum dicitur fuisse & exempli, & virtutis hominem.

DIE XIX.

P. Gonsalus Leyte Martyr.

IN Domo Professa Ulyssiponensi anno 1603. desiit vivere. Natus Brigantii. Junctus Societati Ulyssipone 26. Decemb. 1563. in domicilio Tyronum Domûs Professæ. Emisit tria vota solemnia. Nostris ministeriis diligentem operam adhibuit, non parcendo labori concionum, & confessionum audiendi. Ulyssipone sæviente pestilentiâ, miro spiritu se miscuit vaganti, & serpenti latissimè pestis incendio, serviens die, ac nocte dirâ tabe infectis. Emersit incolumis. In agro Ulyssiponensi magnoperè commovit omnium animos ad exonerandas conscientias. Nullum oppidum, aut pagum ingressus, ex quo abiret, antequam summi, infimique labes animi ad pedes confessarii deponerent. Copiosæ messis colligendæ insudans ab inimicis DEI, ac virtutis propinato veneno occiditur. Paucos intra

dies post sumptam exitialem potionem solutus è corpore. Ejus Socius Gaspar Ferrazius, quamvis ereptus morti, vitam traduxit cruciatibus, & doloribus plenam, quos pepererunt veneni reliquiæ.

DIE XX.

P. Balthasar Telles.

ANno 1675. Ulyssipone Professorum in Domo migravit ad cœlites. Natus eâdem urbe. Conimbricæ conjunctus Societati 24. Maji 1610. ætatis 15. Humaniores litteras apprimè calluit. Rhetoricam docuit Bracharæ, Ulyssipone, Eboræ, & Conimbricæ, Philosophiam Conimbricæ, Ulyssipone Theologiam. Typis vulgavit Cursum Philosophiæ, Historiam Æthiopiæ, ac duo volumina Chronicorum Lusitanæ Provinciæ usque ad obitum S. Ignatii. Præter alios Magistratus egit Provincialem Lusitanæ Provinciæ, cùm duæ erant in hoc regno, altera Transtagana, altera Lusitana. Dissentientes gravissimas ob causas Portuenses, & Bracharenses Canonicos magnâ Diœcesium offensione, nunc hos, nunc illos conveniendo invicem composuit, & firmos in amicitia reddidit. Ipse morem induxit legendi nocte Martyrologium in pervigilio Natalis Domini ante cœnulam. Collocavit tabernaculum cum Venerabili in Sacello Villæ Suburbanæ Collegii Conimbricensis, quam dicunt *Villamfrancam*. Præp[...] situs Domûs Ulyssiponensis acqui[...] vit multa subsidia, quibus est auct[...] Divinus cultus in templo nostr[...] Animus illi benevolus omnibus, [...] benefactor naturâ ipsâ. Libent[...] morem gessit volentibus ejus uti p[...] trociniis. Propterea valde char[...] etiam dynastis, quorum multis pr[...] fuit, quando ab Rege Alphonso V[...] aut ab Regentibus Regem, coac[...] sunt exulare in locis ab Ulyssipo[...] distantibus; Ultimis vitæ annis or[...] bat ante cœnam in templo cora[...] SS. Sacramento, id inter alia post[...] lans; ne sineret seipsum è vita m[...] grare, nisi sacro pane refectum. Vo[...] sui, & petitionis compos gratias eg[...] post sumptum Viaticum Domino[...] quod suo desiderio non esset fraud[...] tus. Ejus obitum doluerunt mul[...] & Petrus postea Rex ejus nomin[...] Secundus, cui Balthasar gratissimu[...] eum verbis amplissimis laudavit, [...] gnificans & ipse animi dolorem in [...] Societatis jacturâ.

Gaspar de Cunha Coadjutor.

ULyssipone in Collegio Divi A[...] tonii anno 1598. attigit vitæ [...] mitem. Natus in oppido *Guim[...] raens* Diœcesis Bracharensis. Anim[...] demissio, ac mansuetudo illi sunt h[...] bitæ in pupillis. Amans laboris fui[...] supra quam dici potest. Assider[...] infirmo febri perniciosâ decumbe[...] ti, tam diligentem in eo curando, [...] servando impendit operam, ut æg[...] mortem effugerit; & febris eade[...]

G[...]

ſparem corripuerit, & extinxerit charitatis aras.

DIE XXI.

P. Balthaſar de Coſta.

N Oceano Indiam repetens anno 1673. Heros meritis cumulatiſſimis vivendi complevit ſpatia. Na- in Pago *Aldea nova*, parœcia Divi tri Diœceſis Guardienſis. Ingreſ- Societatem Ulyſſipone 20. Junii 27. ætatis 14. Studens litteris nimbricæ, habitus eſt tam du- ſanitatis, ut putaretur phthiſi-s. Per id tempus venit ex Italia Indiam præclariſſimus vir Mar-lus Maſtrilius, cum eo Balthaſar ofectus. Evenerat, ut anno ante-denti fuiſſet deſignatus inter So-os ad Indiam ituros; verum infir-valetudinis causâ juſſus ab itine-deſiſtere, non depoſuerat eas co-ationes. Hoc anno, quo tetendit, s non facta mentione, Provincia- plurimos Socios de more in Sa-lo Collegii Conimbricenſis nomi-vit, quod multis precibus miſſio-s exoraſſent, ad Indiam profectu-s. Sperabat Balthaſar, ſe quoque clarandum in eandem fortunam; m ſecus factum videret, per con-tos Socios irrumpens provolvit ad genua Provincialis, quà voci-s, quà lachrymis, quà multis pre-us, & obteſtationibus obſecratur, ſe privet eo ſolatio; ne virium tendat imbecillitatem; ſolere EUM, eligere infirma mundi, ad quæque fortiora confundenda. Hæc, multáque alia fermè in eandem ſententiam depromenti repugnare noluit Provincialis, exiſtimans, id quod erat, à DEO vocari Balthaſarem, eum corporis daturum firmitatem, ut ſæpè conſuevit; & in præſenti caſu res ipsâ comprobavit. Igitur anno 1635. cum P. Marcello navem conſcendit, ac vela fecit. Adſcriptus Malabarenſi Provinciæ, primus è præconibus Evangelicis ille fuit, qui in Madurenſi Miſſione Joguiorum vitam, & victum, & veſtitus complexus. Eo vitæ genere nihil apud ſacras familias in Europa ſeverius. Inſtituit hunc apud nos ibi vivendi morem, quod experimentis eſſet compertum, Profeſſionem Brachmanicam, quam ſequuti ſunt alii exemplo venerabilis Patris Roberti Nobilis, laborioſam ſupra modum eſſe parvo admodùm fructu. Propter uſus regionis contaminantur Brachmanes, ſi cum gente inferioris conditionis tractent, aut miſceant familiaritates. Etenim apud eas nationes viget quædam tribuum diſtinctio Judæorum tribubus non abſimilis. Propter has conſuetudines nobis ridiculas, ipſis Sacroſanctas, & inviolabiles, qui fidei Magiſter tenet morem, & nomen Brachmanum, viliores tribus non docet, aliàs infamiſſimus, & ſceleratiſſimus crederetur, eſſetque nullo in pretio, nec ullus eum vellet audire. Ne gens inferior cœlo excluderetur; victis aliquot difficultatibus (nec enim deerant)

erant) Balthaſar aliam ab Roberto Nobili ſecutus viam, nempe Joguiorum, vocant alio nomine Rajos, & Pandáras : hanc imitati poſtea ſunt noſtri Sacerdotes præclaro ſucceſſu, & converſione Ethnicorum propemodum infinitâ. Referre, quos aggreſſus, & ſuſtinuit labores ad plantandam, & extendendam fidem Balthaſar, chartæ exiguæ non eſt. Sæpè propter calores inſanos vultûs, & manuum cutis immutata. Quinquies excuſſi ungues pollicis pedum. Vi enim gradum figendi in ſolo lubrico, & glutinoſo moti de ſuis locis ungues, quibus præcipuè nitebatur, deſilierunt incredibili dolore. Cum Madurenſem vineam ingreſſus, quingenti ſolum erant Chriſtiani ; & ſi fides ab anno jam quadrageſimo à noſtris hominibus eò fuiſſet invecta; ſed poſtquam modum prædictum ad imitationem Balthaſaris inſtiterunt Evangelici Operarii, numerus incredibilis acceſſit ad Chriſtianum gregem, factaque eſt Eccleſia ex nobilioribus nationum Orientis. Pater Andreas Frerius, de quo ſuo loco fit memoria, Balthaſaris egregius imitator, deflens ejus obitum, hæc habet in ſuis litteris : „ Si voluerimus labores memorare, quos hic „ DEI ſervus pertulit in hac miſſio- „ ne, neceſſum nobis eſſet condere „ librum integrum. Quis non mi- „ ratur, quæ confecit itinera, quas „ viarum emenſus longitudines pe- „ dibus nudis, enectus fame, & ſiti? „ diebus integris nihil ciborum at-

„ tigit, quod non invenerit, ſæp
„ omittens eſcas, ne foret offenſi
„ ni, guſtando, quas uſus nation
„ in Joguiis non permittit. In fl
„ minibus, ſylvis, & montibus i
„ viis inter latrones numero care
„ pericula, cum quibus eſt luctatu
„ Maleamios ſaltus ingreſſus El
„ phantorum, & tigridum incurſ
„ expavit, & expertus acres morſ
„ hirudinum hyemali tempore. S
„ pe bellorum causâ latuit in dum
„ tis, præter alia incommoda, veſ
„ bus à Mauris exutus ; utque r
„ perent in aures, quas ferebat mo
„ regionis, imam ſciderunt auric
„ lam. Ter comprehenſus ab h
„ ſtibus Chriſtianæ fidei. Prim
„ cum Patribus Emmanuele Mart
„ nio, & Joanne Sylvio. Semin
„ dorum lacertos vinxerunt p
„ terga funibus. Poſt colapho
„ impactos genis, damnati capiti
„ Decreverant eos in fluvium me
„ gi. Sed hâc revocatâ ſententi
„ in exilium miſerunt onuſtos o
„ probriis & injuriis. Iterum i
„ Regno Tanjaorio traditus vinc
„ lis, ejus perniciem machinantib
„ Mauris. Rurſus ab Tricheraj
„ lenſi Præfecto in eum manus inj
„ ctæ. Ab his, aliiſque anguſti
„ emerſit vivus ſingulari DEI fave
„ tis beneficio. Hactenus Andre
Frerius. Europam venerat ſuæ mi
ſionis Procurator, redibàtque ſtip
tus ſexdecim electiſſimis Operarii
inter quos erat Joannes Brittus i
ſigni poſteà laureatus Martyrio. Pr

P

Æquatorem lethali febre corre-
s. Sacerdoti ſciſcitanti, haberet
aliquid confeſſioni ſubdendum,
ondit, ſe, propter ſummam DEI
itatem, ne levi quidem pungi
ſcientiæ ſtimulo: poſtulatis Sa-
mentis, ac ſuſceptis, evolavit ad
eros. Poſt S. Xaverium fuit
is è præclarioribus, qui Orientis
leſiam excoluerunt, & multis au-
unt incrementis.

mmanuel Teyxeira Scholaſticus.

Nno 1643. vitam finivit Eboræ.
Natus in oppido à S. Jacobo
œceſis Conimbricenſis. Se dedit
ietatiConimbricæ 17.Nov.1638.
nnium abſolvit Eboræ. Illius
res integri, ac ſancti cæteris erant
ctabiles. Ob amorem, & obſer-
ntiam ſilentii vocabant alii *Silentia-*
n. Extra conſueta loquendi tem-
ra, ſolum reſpondit, quæ forent
us. Illius ſermones nonniſi de
tutum ſtudio, præſertim de ſui
toriâ, ac de frangendis ſiniſtris
penſionibus. Matutinam ora-
nem, quam ille ſemper extendit
quintum horæ quadrantem, ha-
it flexis genibus, inde pergrandes
li exorti. Eandem corporis po-
onem tenuit Sacrum audiens, &
ſemihoram viſitans DEUM Eu-
ariſticum, ac B. Virginem: diebus
iatis in villa hæc Magnæ Matri
æſtabat obſequia ad truncos arbo-
m longiori temporis ſpatio, quod
n eſſet horologium, horas diſcri-
inans. Flagellis in ſe animadver-
tit tam aſſiduis, & fortiter impactis, ut plagis ſcateret. Quotidie Præfectum ab Spiritu flagitavit ſpecialem corporis vexationem. Sua commoda neglexit; Cum ob hanc negligentiam illi charitas Majorum ſubvenit, ajebat, potius facturos, ſi rebus ſibi datis aliorum bono proſpicerent. Supervenit illi febris, quæ tredecim intra dies vitam conſumpſit. Per id tempus exactè nutibus jubentium obedivit. Mortis nuntio mirificè recreatus. Momentis paucis ante profectionem repetiit verſiculum: „ Maria mater gratiæ, „ dulcis Parens clementiæ, tu nos „ ab hoſte protege, & mortis horâ „ ſuſcipe. Magna de ipſo ſpes propter ingenii felicitatem virtutibus conjunctam.

P. Emmanuel de Reys.

BRacharæ mortuus anno 1699. Natus in oppido *Loures* agri Ulyſſiponenſis. Venit in Societatem Ulyſſipone die 20. Novemb. 1652. Floruit præſtantiſſimis ad noſtra miniſteria dotibus. In dicendo ad concionem illius actio, vox, & geſtus pares dulci veneficio. Tradidit Rhetoricam, & Philoſophiam magno plauſu, & non minori explicavit Scripturam Sacram in noſtro Collegio Conimbricenſi. Fuit ex optimis ſui temporis concionatoribus, laudatus ab Antonio Vieira, cui in eo dicendi genere facilè omnes concedunt. His plauſibus, quod pluris eſt faciendum, conjunxit raram animi

mi ſubmiſſionem, & Religioſam humilitatem. Honores refugit tantâ contentione, quantâ expetunt ambitioſi. Invitatus ex Ulyſſipone, quod omnibus dynaſtis, & Regi eſſet eum audiendi aviditas, omni conatu ſe furatus eſt tantis exiſtimationibus. Cupidus in oblivione hominum vivendi ſeceſſit Bracharam. Illi Collegio præfectus Rector ſic doluit, & expavit ad honoris aſpectum, ut ſe crediderit ictum flumine. Propterea tam importunus fuit in ſe excuſando, ut Pater Generalis, ne amplius eum affligeret, onere liberaverit. Vitæ reliquum tranſegit, ſibi, DEO, ac obedientiæ vivens. Ex ipſius concionibus poſt multos annos ordinavi tria volumina, quorum primus jam lucem vidit maximo plauſu exceptus, cætera immediatè videbunt.

DIE XXII.

P. Antonius Carvalho.

IN Domo Profeſſorum Ulyſſipone humanis rebus eſt exemptus anno 1616. Natus in pago *Alverga* Diœceſis Conimbricenſis. Se conjunxit Societati Conimbricæ 20. die Martii 1568. ætatis 18. Honeſtatus Coadjutoris ſpiritualis gradu: præclariſſimus fuit in obeundis miniſteriis ad Sacerdotes ejus gradus ſpectantibus. Erat aſſiduus in noſocomiis, & carceribus inviſendis, & conſolando miſerorum genere omni. Nullus locus, aut morbus tam horridus fuit, ut adeuntem arcere Potiùs quò major erat ſublevan calamitas, eò audebat animoſio Illius charitas in adjuvandis reis p tibulo addicendis tam nota Ulyſ pone fuit, ut *Pater pendentium de fur vocaretur*; die, ac nocte promptiſ mus advolabat in domos morie tium, vel ut eorum audiret conf ſiones, vel ut animaret verbis pi Illius pœnitentes erant Æthiope bajuli, & quidquid fœcis hujusmo fuit Ulyſſipone. Affecti Patris be gnitate confluebant catervatim ipſius pedes: hos vocabat ſuos D naſtas, & Magnates. Suæ par ch ritati nactus eſt theatrum año 159 cùm peſtilentia funeribus, & rui complevit Ulyſſiponem. Objecit curandis infirmis. Non minùs a mis ſanandis conſuluit, quàm corp ribus. Vehementer optavit vit ponere in miniſterio tam pio. V rum incolumem DEUS voluit, aliis operibus augeret merita. I tur tot funeribus ſuperſtes, labor vit usque ad ultimum anhelitum.

P. Doctor Franciſcus Coelho.

IN Domo Profeſſa Ulyſſipone obiit anno 1708. Domo Tranſt ganus ex oppido *Villanova* Diœce Eborenſis. Societati conjunctus boræ 6. Martii 1651. ætatis 15. ſcientias capeſcendas, & tradend claruit acutiſſimo ingenio. Phil ſophias, Moralem, & Scholaſtic Theologiam Eboræ, hanc etiam t didit Conimbricæ. Eboram reverſ

m

oderatus est in Academia primam
thedram, & insignitus Doctoris
ureâ. Rexit Collegium Conim-
icense, Romam adivit suffragator
comitiis universæ Societatis habi-
anno 1696. Post Magistratum
onimbricensem, docuit Quæstio-
s de Conscientia in Scholis Ulyssi-
nensibus. Mox egit Præpositum
omûs à Divo Rocho: ubi cæteros
nos traduxit. Propter eminen-
n sapientiam in rebus gravissimis
bita maximi ejus sententia. Quod
inet ad ejus mores, innocui fue-
nt, quales solent illorum esse, qui
gunt libris addictissimi, & Evan-
licæ perfectioni. Facto, & verbo
minem offendit. Post ultimum
gistratum nihil impensiùs cura-
, quàm sanctis exercitiis animum
mponere ad supremam cum mor-
luctam. Etiam in senectute de-
sa rigori non pepercit. Multi eum
avarunt morbi. Non ideò quis-
am illi persuasit carnes edere die-
s vetitis. DEUM enixè rogabat,
ita tolleret morbo non diuturno,
molestus esset Sociis. Id obti-
it.

DIE XXIII.

P. Alvarus Lobo.

Onimbricæ anno 1608. diem
obivit. Natus in oppido *Villa*
d Transmontanæ Provinciæ. So-
etati addixit se Conimbricæ ulti-
Februarii 1566. ætatis 15. Tra-
dit mansuetiores litteras, Rheto-
ricam, & Philosophiam. Egit stu-
diorum Præfectum Bracharæ, &
Ulyssipone. Rexit Portuense Colle-
gium; Quamquam duxit vitam attri-
tâ valetudine, non se dedit otio in-
utili, sed expendit tempus opera di-
versa componendo. Manuscriptum
reliquit Martyrologium de Sanctis
Lusitanis. Etiam aggressus Histo-
riam hujus Lusitanæ Provinciæ So-
cietatis, ne Majorum nostrorum in-
terirent exempla. Congessit, ac di-
sposuit res ad primos 16. vel 17. an-
nos spectantes. Opus urgebat, cùm
mors intervenit. Micabant in ipso
mansuetudo, Religiosa humilitas,
animi pax, & ingens dominium in
affectiones animi. De illo Codex
obituum hæc habet: „ Pater Alva-
„ rus Lupius, quatuor votorum
„ Professus, Chronographus hujus
„ Provinciæ Vir fuit multis litteris,
„ virtute, & humilitate præditus.

DIE XXIV.

P. Bartholomæus Guerreyro.

Ulyssipone in Domo Professa de
vivis abiit anno 1642. Natus
in oppido *Almodovar* Diœcesis Ebo-
rensis. Adjunctus Societati Eboræ
7. Decembr. 1578. ætatis 18. Præ-
cipuæ ipsius curæ fuerunt sacræ Mis-
siones, quas peregit annis multis, &
magno sui laboris lucro. Non mi-
nus prædicavit exemplo, quàm ver-
bo. Longitudines itinerum emen-
sus pedibus, victitans stipe mendica-
tâ. Propter eximiam virtutem ma-

ximè gratus fuit Principibus Brigantinis Theodosio hujus nominis secundo, & ejus filio Joanni Lusitaniæ assertori augustissimo. Illustravit Martyres Societatis libro in lucem edito de gloriosis eorum agonibus.

Sebastianus Barreto Scholasticus.

ANno 1598. transiit ad fortunatam patriam Eboræ, ubi fuerat Societatem complexus 25. Martii 1593. Natus est Fronteiræ Diœcesis Helviensis. Ex animo se totum DEO mancipavit. Externorum sensuum collectio, & compositio mentem significabat rebus Divinis addictissimam. Theotonius Archi-Præsul Eborensis in triclinio nostro prandens, è mensa sua Sebastianum videns, per Socium servientem illi misit delicatum ferculum his verbis: *Meo nomine hoc appone ferculum illi Socio modestissimo.* Cum exeunti de triclinio Sebastianus gratias haberet: *Id*, respondit Archi-Præsul, *merita est tua singularis modestia.* Voto se obstrinxerat procurandi toto conatu facultatem obeundi Missiones Ultramarinas. Inter Condiscipulos animos leviter discordes componere maximè studuit. Septem mensibus pertinax phthisis lecto affixum habuit: Inflammatus desideriis fruendi Divino conspectu, nihil præter Deum ferebat corde, nihil aliud in verbis erat. Proximè mortem Socii ejus recreandi causâ modulati sunt de cœlesti patria suavem admodùm cantilenam. Audiens Sebastianus rem tam jucundam, & gratam, impatie[ns] vivendi petit candelam accensam dicens se velle mori. Præbent m[a]gis solatii gratiâ, quàm quod fide[m] adhibeant dicenti, vix manu tenu[it,] cùm blandissimum edidit anhelitu[m] & cum eo spiritum.

P. Didacus Cardim.

EBoræ vitâ defunctus anno 166[..] Domo Transtaganus ex oppi[do] *Viana* Eborensis Diœcesis. Societ[a]ti conjunctus Eboræ 27. Martij 161[.] ætatis 15. Moribus suis ostendit genus Sanctorum esse. Nam pare[n]tes præditi fuerunt singulari virt[u]te: tres filios dederunt Societat[i,] de quibus suis locis recordamu[r.] Præterea tres parentis fratres n[o]stri fuerunt. Didacus, de quo præsenti sermo est, magno fervo[re] conatus ad Missiones transire. [..] vento contrario, & tempestatib[us] jactata, ac lacera navis in portu[m] unde solverat, redivit. Non fract[us] his laboribus, iterum parabat se n[a]vigationi committere, quod n[on] permiserunt Majores. Incubuit e[x]ercitiis Instituti nostri diligent[er.] Ejus charitas perspecta Ulyssipon[e,] consuluit enim necessitatibus vi[n]ctorum in carceribus, eorum age[ns] Procuratorem. Quod munus pl[e]nissimum est operibus charitati[s,] dum succurritur corporibus, & a[ni]mis. Ille destinatus à Rege est, [..] Sebastianum Mattium Archiepisc[o]pum Bracharensem infidelitatis da[m]natum, redactumque ad postrem[..]

a[..]

gustias, & miserias ob sui crimi-
s in patriam, & Regem atrocita-
m, piis verbis consolaretur, &
mpararet ad fatalem horam. Quo-
es coram illo fiebat mentio de Jo-
ne Cardimio fratre suo Viro san
ssimo, à lachrymis non tempera-
t, ex animo dolens, quòd talis
set, cùm tam sanctum haberet
atrem. A morbo articulari vehe-
entes passus dolores, quos tole-
ntissimè sustinuit, hisque diu ex-
citus, tanquam igne lustrali, è
rporis solutus carcere.

P. Dominicus Fernandes.

ANno 1715. desivit esse inter mortales. Natus in urbe *Por- legria.* Societati adjectus Ulyssipo- e 21. Novemb. 1665. ætatis 20. ut ud nos esset Coadjutor spiritualis. ropterea missus ad Insulam Madei- m navatum operam studiis de uæstionibus Conscientiæ. Posteà men est visum Provinciali, muta- t gradum. Idcircò vocatus in Lu- taniam, incubuit Philosophiæ Co- mbricæ, in Eborensi Academia heologiæ. Illius vivendi tenor mper sibi concors, & constans præ tulit singularem morum integri- tem. Generosum illi cor, & pe- us ad quæque difficilia pro Dei loria, & animarum utilitatibus au- enda. Absolutis Theologiæ stu- iis missus Mazagoniam, quæ Lusi- anorum est colonia in Africa, ubi ferumque duo de nostrâ Societate acerdotes colonos in spiritu juvant. Tanquam præsentiret Cacodæmon, quanta ex zelo Dominici forent emolumenta colligenda, vix dici potest, quàm importunis tempesta- tibus navem sit aggressus. Sæpe ve- ctores, & nautæ actum de vitâ cre- diderunt. Portus in Algarbiis non fuit, quem ex medio itinere coacti procellis non petierint. Tranquillo mari cùm se rursus viæ darent, ceu nihil aliud expectarent procellæ, de novo prodibant è suis latebris. Cum id ter, quaterque contigisset, & conarentur se ad portum aliquem in Algarbiis conferre, quò minùs id facerent prohibiti, cedendo undis, & ventis invecti sunt Tago. Ultra mensem colluctati fuerunt cum pro- cellis, periculis & morte; cùm so- leat inter Lusitaniam, & Africam interjacens pontus biduo, vel tri- duo superari. Julio sequenti profe- ctus iterum, usus felici navigatione, cum alio Sacerdote tenuit Mazago- niam. Illius conciones, & explana- tiones catechesis tantum excitarunt ad contritionem incolarum animos, ut vix ullus fuerit, qui non insti- tuerit confessionem universæ vitæ. Præter labores cæteros in excolen- dis animis docuit pueros latinum sermonem. Magnum illi negotium exhibuerunt furta, & rapinæ Quæ- storis Regij, hominis avaritiæ insa- tiabilis, qui sine respectu divini, & humani juris milites suis fraudabat stipendiis. E duodecim numi par- tibus ipse cuique militi unicè dabat septem, servatis malo dolo sib-

quinque. Res erat notiſſima plena offenſionis. Nemo tamen audebat mutire. Igitur vir Dei, cum nihil eſſet ſatis molliendo latronis cordi, cœpit è ſuggeſto ſacro, & in Catecheſis explicationibus tonare contra commune malum, & onerare conſcientias tot rapinis conſpurcatas. Id ingratum contigit arcis Præfecto, quanquam ad eum attinebat his malis occurrere, maximè cum ipſius ſtipendium ungues Quæſtoris non attingerent. Non ſemel Dominicus in ſermone familiari ejus gravavit conſcientiam; verum ille non contentus ſpreviſſe ſalutaria monita, ſcripſit ad Provincialem, & Patrem Generalem multa adverſus concionatorem. Per id tempus ægrotavit illius Socius, fuitque neceſſum cauſâ recuperandi vires in Luſitaniam commeare. Voluit populus, maneret in arce Dominicus. Non acquievit precibus; nec ipſi conveniens erat ſine alio Patre morum ſuorum teſte apud eos eſſe iniquorum falſis obnoxium teſtimoniis. Conati ſunt etiam eum rerum ſuarum Ulyſſipone curam ſuſcipere adverſus Regium Quæſtorem. Rejecit hujuſcemodi onera noſtris Inſtitutis contraria; Igitur omnium bonorum, & pauperum dolore inter comitantium turbam, templum adiens colloquio permixto lachrymis Deum precatus, illi faveret coloniæ, & ſibi concederet itineris felicitatem. Inde progrediens ad mare, navem conſcendit. Appulſus

Ulyſſiponi, antequam noſtras d
mos adiret, convenit Regem,
quo perbenignè auditus, expoſu
inſolentias, & rapinas Quæſtoris
ac Præfecti diſſimulationem. Imp
ravit Rex, ſcriberet, quæ ſibi narr
verat, per otium diſcutienda. I
iretur obviam tot miſeris, Mazago
niam miſſus eſt Regius Miniſter in
quiſiturus de Quæſtore, & Præfecto
& cum poteſtate adhibendi plag
opportuna remedia. Provincialis
quantum aſſequor conjecturâ, ut
non contemnere Præfecti quer
las oſtenderet, Patrem ſuſpendit
munere concionandi, reprehendi
que tanquam inſigniter impruden
tem, quod læſiſſet Regis Præf
ctum. Nihil hâc procellâ comm
tus. Ajebat enim ex omnibus v
tæ ſuæ factis Divino ſolum eſſe co
ſpectu dignum, quod egiſſet in M
zagonia. Poſteà bis Eborenſis Co
legij Miniſter fuit, ſemel Procurato
Rexit Helvienſe, Farenſe, & Eb
renſe Collegium. Cum ſe excuſar
à regenda Domo Profeſſa Ulyſſip
nenſi, miſit ad eum Pater General
patentes litteras, quibus præfici
batur Collegio Conimbricenſi. M
leſtiſſimus illi accidit talis hono
verum tam amplis verbis injung
batur, ut excuſationi locus à Pat
Generali non ſit relictus. Evaſera
è mortis faucibus præter opinio
nem: at ex morbo tam attritus
additâ curandæ valetudinis negl
gentiâ, vivebat, ut jam non eſſe
longis itineribus conficiendis, ne
ex

ɔeriendo novo, & frigidiori cœ- Paratus tamen erat itineri ; n venit Eboram Infans Luſitaniæ eniſſimus Dominus Franciſcus nnis V. Regis Frater, diverſatus in Suburbana Collegij villa, tra- tusque à Dominico Rectore, ut rebatur tantus hoſpes. Magni nceps Dominici faciebat virtu- n ſibi perſpectam ex aliis occaſio- us. Modò illi ſuaſit, ne excede- Conimbricam, ætatem feſſam nis, & morbis ſimul afflictam non e his mutationibus, & experimen- Ad hæc ille: *Quid faciendum, mi nceps, ſi jubent Majores?* Cui reſpon- : Non difficile remedium; qui loco præficiendus huic Colle- , pergat Conimbricam. Præter- verba ſignificabant, ipſius inter- nendam authoritatem, ut nodus cunque ſolveretur. Tunc Do- nicus intelligens, quorſum illæ nificationes tenderent: *Abſit mi mine*, ſubjecit, *ut turbentur diſpoſi- nes Superiorum*. His auditis, aliò monem Princeps avertit. Quod virtutes, quibus micuit, attinet, erunt multæ. Secum modum ſer- vit prorſus auſterum, & rigoris enum. Gaudebat occupari, & erceri in miniſteriis abjectioribus, rvi pendens, quod mundi pruden- s eum exiſtimarent ſubruſticum. ordine domeſtico ne latum qui- m unguem diſceſſit. Si quid ſin- laris edulij in triclinio ſibi tantùm batur, vicinioribus porrigebat, in vel ipſe libaret. Regens Ebo- renſe Collegium, portionem capita- lem per duas Quadrageſimas, exce- ptis diebus Dominicis non guſtavit. Liber à gravi morbo, quamvis otio diuturno ad firmandas vires egeret, iis mediocriter refectis, attempera- vit ſe totum communi domûs ordi- ni. Patri Præfecto ſanitatis incu- riam notanti reſpondit: *Mi Pater, qui præeſt cæteris, debet exemplo præire, & ſi nolit, vel non poſſit, abdicet ſe ma- giſtratu.* Audiens pro menſa noſtro- rum hominum virtutes, pendebat ab legentis ore. Si quid erat pecu- liariter dictum, vel factum, quod contineret documentum, notabat poſteà in chartis, ut ſe ad imitatio- nem incitaret. Obſervatum eſt in Collegio Farenſi, quod duabus, aut tribus horis, antequam alij, de lecto ſurgeret, oraretque in templi Cho- ro. Exarſit animarum zelo. Con- ciones illius de ſuggeſto ſacro non- niſi ſolidæ, & quæ poſſent animas ſuo jungere Creatori. Cùm docuit latinas litteras, non ſolum fuit ſoli- citus de profectu Diſcipulorum in ſtudiis, ſed etiam, & quidem multò magis de progreſſu in virtu- tibus; idcirco vocabant *Magiſtrum ſanctum*. In continendis vigore ſuo Regularis diſciplinæ obſervantiis nullus ipſo conſtantior, & magis in- trepidus. Hominum dicta, quibus nimiæ ſeveritatis arguebatur, quod ſciret ea plerumque imperfectorum eſſe, minoris fecit, quàm terunci- um, & pilum. Rector Collegiorum nunquam ad alios Superiores ſcripſit,

quicquid ſubditi adverſus Rectorem ſuum commiſiſſent. Illius erant curæ aliorum plagas tegendo ſanare. Hâc charitate multos in Societate conſervavit, ac meliores reddidit. Si neceſſum erat commiſſas noxas publicis animadverſionibus caſtigare, nulla patrocinia liberabant nocentem. Tales protectores his verbis ſolitus excipere: Mi Pater, magni pendo, quod tantum diligat hunc Socium criminoſum, illius commiſſa, ut æquitas, & commune bonum poſtulant, vulganda ſunt, & punienda in triclinio: modo ſi veſtra Reverentia in ſui amoris, & amicitiæ majorem ſignificationem, ſumptâ veſte pænitentiæ, vult eum ſociare, & cum ipſo ſe tergo cædere, libentiſſimè concedo: de culpato liberando curas omittat. His, & ſimilibus noxias obſervantiæ interceſſiones ſuffocabat, & in poſterum abſterrebat. Maximè gratus erat ſecularibus ob officia, & obſervantias, quibus iis ſe oſtendebat benevolum. Eo Rectore ter Domus noſtra Sereniſſimum Dominum Infantem Franciſcum, de quo ſuprà, hoſpitem habuit & apud noſtros, quos *Patres ſuos* vocabat, cum Regia familiâ ſuâ pernoctavit. Mirificè captus eſt Princeps Rectoris modo, & modeſtiâ. De illo ſæpè coram aliis amplè loquutus, laudans hominis gravitatem, & virtutem, quæ ſe prodebat in ejus dictis ac factis. In Algarbiis illius reſpectu Dominus Antonius Pereyra Epiſcopus Farenſis

nobis adjudicavit litem de deci[...] magno Collegij bono. Paucis m[...] ſibus ante mortem, tanquam d[...] nans eam imminere, ſe collegi[...] exercitia S. Patris Ignatij, in qui[...] dies ſolito plures inſumpſit rig[...] incredibili, qui etiam crevit ex [...] rium debilitate, nam paulò ant[...] morbo periculoſiſſimo emerſe[...] Elegit in Tyronum domicilio il[...] cubiculum, in quo S. Franciſcus B[...] gia hoſpes fuerat, cùm eſt comita[...] in legatione ad Reges Cardinal[...] Alexandrinum: Ibi etiam Tyron[...] dederat cuſtos Angelus conſpici[...] dum. Propterea duplici de ca[...] pietatem, ac Deum locus ſpi[...] His diebus ſolùm nocte depelle[...] famem iis ferculis, quæ cæteris [...] ponebantur. Nunquam aperuit [...] biculi feneſtram. Matutinum te[...] pus terebat orando coram SS. [...] chariſtia in Tyronum Sacello cla[...] feneſtris. Veſpere horis aliq[...] fundebat ibidem precationes. Is[...] gor magnæ fuit admirationi, q[...] vires firmatæ non eſſent, & ip[...] corpulentia largius expoſceret [...] mentum, & ſæpiùs refici: dum [...] profectioni Conimbricam accing[...] ingraveſcente corporis valetudi[...] cœpit habere pejus, ſentienſque [...] tam in extremas conjectam an[...] ſtias, deliberavit de viâ æter[...] tatis aggrediendâ, quam inii[...] multis cumulatis virtutibus.

DI[...]

DIE XXV.

Chriſtophorus Ferreyra Martyr.

Nno 1652. Nangaſachij apud Ja- pones die, ac menſe nobis ig- to, Martyrio exornatus. In lucem tus eſt in Oppido *Zevreira* Diœce- llyſſiponenſis. Conimbricæ con- ctus Societati 24. Nov. 1596. tis 17. Fuit unus è primis Tyro- us, quibus factum eſt initium vo Tyronum domicilio Campili- prope Ulyſſiponem. Aliquot an- poſt exactum Tyrocinium peti- mitti ad Indiam. Notatus in eo dam præſumptionis ſpiritus ha- t inſtar ominis, & præſagij fata- caſus, cujus ſtrepitu cohorruit, contremuit univerſa Societas : hactenus, quod ſciam, æquale nus eſt paſſa. Navigavit Goam o 1600. inde profectus ad Japo- m : Ibi ſtrenuam per multos an- impendit operam Ethnicorum verſioni. Propter ejus virtutes fectus eſt Moderator cæteris il- vineæ operariis. Anno 1633. a ab Ethnico Rege adverſus Chri- nos, eorumque Magiſtros exci- perſecutio florentiſſimam tur- it Japonenſem Eccleſiam. Com- henſus Chriſtophorus, ac dam- us capitis. Longâ morte neca- tur Chriſtiani, ut eſſet ſpatium , qui vellent, fidem negandi. In- erant Japones tormenti genus nè formidandum præ cæteris cru- itatibus. Tignis in morem fur- erectis, ac transverſis, martyris corpus fortiter contenſis funibus ſuccingebant. Sic convolutum ca- pite deorſum ſuſpendebant è trans- verſo tigno ; umbilico tenus con- debatur in ſubjectâ foveâ, manibus liberis, ut poſſet, ſi vellet, præbere defectionis â fide ſignum. Contin- gebat ex corporis inverſione, ut in- teſtina ſuas paulatim mutarent ſe- des dolore tam atroci, & incredi- bili, ut ferri non poſſet niſi Dei præ- ſentiſſimis auxiliis. Hujusmodi tor- mento addictus eſt Chriſtophorus, metuendum humanæ fragilitatis ex- emplum, & miſerentis Dei monu- mentum inſigne. Impar cruciatibus ſignum fecit deſerendæ fidei. Statim accurrunt Ethnici, liberant patibu- lo magnis idololatriæ plauſibus, at in- finito Chriſtianorum, & noſtræ So- cietatis mœrore. En quid eſt ho- mo, ſi Deus non fulcit. Quis cre- deret virum ab ineunte ætate nutri- tum ſanctiſſimis Societatis Inſtitutis & moribus; ut apparebat, virtutis probatæ tot annis, & tot laboribus exantlatis ob lucrandas animas, mo- mento Dei, hominum, ſuique obli- tum inter fidei deſertores numeran- dum? *Judicia Dei abyſſus multa.* Nihil in rem aptiùs pulſat mentem, quàm ſacræ paginæ verba : *Humiliamini ſub potenti manu Dei.* Sumus homines : nihil humanum, & fragile à nobis alienum eſſe putandum eſt. Cumu- laverunt Ethnici multis honoribus, & reditibus infelicem hominem. Quo enim res erat magis inexpecta- ta, eo fuerunt majores plauſus gra- tu-

tulantium ſibimet ipſis de victoriâ tam illuſtri. Ut redderent firmiorem, coëgerunt ad nuptias. In omnibus ſe attemperavit Ethnicorum voluntati, non præceps ullo mentis errore, ſed fragilitate ſua tormenta horrente. Ubi fama vulgavit per Societatem univerſam infandum caſum: Verborum non eſt, explicare luctum, & mœrorem, & ſquallorem, in quem Societas ſe conſideravit, & gemuit, merſam. Afflata tantâ nube, & fulmine, ubique ſe convertit ad placandum Numen, ſacrificiis, jejuniis, precibus, lachrymis, & nihil omiſſum, quod irato Deo propitiando è re viſum eſt. Poſt tale, & tantum infortunium nullus de Societate Japoniam ingreſſus; quod erant illius regni aditus infinitis excubiis ſepti, & atrociſſima ſupplicia intentata navarchis, & nautis eò pertantibus ullum Evangelicum Præconem. Per id tempus Divus Franciſcus Xaverius, quem propiùs tangebat dolor, utpote ejus nationis Apoſtolum, miraculo cunctis noto ſalutem Neapoli reſtituit noſtro Marcello Maſtrillio, monuitque, iret in Japoniam, ut exemplo ſuo Chriſtophorum animaret ad ſanam frugem repetendam: ſin minus ſuo ſanguine labem detergeret, quæ Societatis egregium nomen, & in tuenda fide conſtantiam contaminaverat. Per innumeras ambages, & labores Japoniam Marcellus intrans perilluſtri Martyrio eſt laureatus. At perſeveravit in ſuis erroribus Chriſtopho-

rus. Marcellum ſecutus Pater P[...] trus Caſſuyus Japonenſis, quem n[...] lingua, nec facies tegere potuit: [...] ab Ethnicis cognoſceretur: hu[...] cum ferrent ad locum Martyrii, p[...] ductus in conſpectum Chriſtoph[...] rus, ut Petro ſuaderet defection[...] à fide. Ubi vidit impudentiſſim[...] audaciam, totus in iram juſtiſſim[...] ſuccenſus; Heus, inquit, mortaliu[...] improbiſſime, Societatis JESU nul[...] ſæculis abolendum dedecus, ipſo C[...] codæmone fœdius monſtrum, au[...] ad meum venire conſpectum, & [...] ominandam vomere exhortati[...] nem? Non vides, in quod te ba[...] thrum conjeceris? Non tremis [...] riarum ora, quibus incedis ſtipat[...] ipſismet furiis animal furioſius? H[...] aliiſque verbis, quæ ſubminiſtra[...] DEI, Societatis, & fidei amor, [...] perculit obſcœniſſimum apoſtata[...] ut oculis, & auriculis demiſſis di[...] citiùs è conſpectu ſe proripuer[...] Petrus verò glorioſam oppetiit m[...] tem. Nec tam generoſum exe[...] plum Chriſtophorum commov[...] Anno 1643. Antonius Rubinus V[...] ſitator cum aliis quatuor de noſ[...] Societate tentavit eandem ale[...] Secum (quam legi in tabula[...] Conimbricenſi) ferebat ſcriptam, [...] à ſe compoſitam Epiſtolam trad[...] dam Chriſtophoro. Et hi quinq[...] Martyrio ſunt illuſtrati. Perductu[...] in præſentiam deſertorem ea men[...] quâ Petrum convenerat, non a[...] mili reprehenſione Rubinus excep[...] pari ſuffuſus pudore è veſtigio, inſ[...] vol[...]

ucris lucifugæ, ſuas petivit tene-
s, & latibula; verum nullus ſan-
s ferreo cordi ſuffecit molliendo.
per eos annos eſt obſervatum,
od nunquam abjecit Virginis Ro-
um. Evangelium ad caput mo-
ntium, ſive ægrotantium recita-
. Inceſſit ſemper vultu triſtiſſi-
, & qui facile proderet animum
leſtiſſimum. Fugiebat hominum
nmercia: Quærebat loca ſolitaria
ſibi inviſus, & ſe, & quidquid poſ-
explicare frontem, exoſus. Nun-
m potuerunt ipſi perſuadere, ut
icaret, quibus locis homines So-
tatis in Japonia delitescerent.
nfeſſus eſt Antonio Sylvio Luſita-
de fide ſe malè non ſentire in cor-
ſuo; ſibi ſpem eſſe Divinâ freto
mentiâ, tandem aliquando re
enſurum mentem ſuam de fide,
m ore tenus deſeruerat. Ætatis
. explebat annum, cùm miſericors
US pro ſuâ infinitâ clementiâ di-
tus eſt aurem accommodare tot
ietatis noſtræ precibus, & voci-
ſanguinis tot Martyrum, qui pro
ciendo Societatis, ipſiúſque DEI
nore vitam in Japonia profude-
t. Igitur Chriſtophorum, qui
nſenuerat in ſceleribus ſuis, mor-
percellit, & pungit conſcientiæ
nulis acrioribus. Conſiderans,
m eſſet prope ſupplicia æternæ
rationis; quem DEUM offendiſ-
, Summum Bonum, miſericordia-
n Patrem, altos edit gemitus ani-
dolentis indices: deteſtatur Ja-
nicas ſuperſtitiones, & inanes

DEOS. Fatetur ſe mortalium de-
mentiſſimum, quod genu flexiſſet
ante Dæmonum figuras. Hæc & ſua
ſcelera inexhauſtis lachrymis die
noctéque flentem audientes Ethnici
nuntiant urbis Præfecto. Protinus
miſit, qui ſenem conſolarentur. Ubi
præſentes habuit, crevit incenſus do-
lor, vehementiùs execratur ſuam
ſtultitiam, & lacerat vituperiis ne-
farias Religiones, Deosque commen-
titios Japoniæ: Ad hæc illi: deliran-
tis morbo, ac ſenio eſſe verba, depo-
neret animi moleſtias, ſibi, ſuæque
valetudini conſuleret, relictis Chri-
ſtianorum næniis, & fabulis, quas ip-
ſe peregregiè cum plauſu totius Ja-
poniæ jure merito ſpreviſſet. His
magis ac magis conceptus æſtuavit
dolor, ut oleo ignis injecto. Multa
dicit adverſus idola, ac defectionis
ſuaſores: ſe tunc planè deliraſſe,
cum deliria Japonicæ Religionis eſt,
quanquam verbo tenus, complexus,
amenti permotus terrore; nec enim
ex corde crediſſe, lapidibus, & li-
gnis, quæ colerent ipſi, numen ineſ-
ſe. His & ſimilibus diſertè declara-
vit ſe Chriſtianum pro vera fide mo-
ri paratum, & ardenter cupere ſan-
guine ſuo tantam, quantam nullus
commiſiſſet, noxam delere. Retu-
lerunt Præfecto fideliter, quam mu-
tatus, quamque alter foret Yendus;
hoc enim nomen cum falſa religione
aſſumpſerat: ſine mora jubet, qui
de lecto rapiant, & in patibulo ſu-
ſpendant; dum perducitur, non ceſ-
ſat per viam à deteſtandis idolis, &

Gg ab

ab vera fide inculcanda. Supplicio addictus foveæ, brevi glorioso fine scelestam vitam, & contractas sordes purgavit. Id multis retro annis prævidérat Petrus de Basto Coadjutor, vir cum virtutibus, tum Prophetiæ spiritu insignis; Cui DEUS ostenderat Christophorum pullâ veste contectum, & postea indutum albâ. Id profectò summâ, quâ cuncta moderatur, DEUS permisit sapientiâ; ut nostri homines, qui se totos applicant convertendis Ethnicis, timeant, nec se putent tam firmos, ut extra ruinam sint. Habuit in Christophoro & suum Marcellinum nostra Societas; ut nobis præcaveamus, & qui stat, timeat, ne cadat.

DIE XXVI.

P. Gaspar Villela.

ANno 1572. Goæ die ac mense mihi non comperto vitam conclusit. Domo Transtaganus ex oppido *Avis* Diœcesis Eborensis. Primas litteras didicit apud Religiosos Ordinis Militaris à S. Benedicto, quorum augustum Cœnobium est Avisii. Sanctissimis moribus iidem instituerunt. Ostensurus, quàm memor esset hujus institutionis, ad ipsos è Japonia rediens, scripsit Epistolam, quæ typis vulgata est. Ad Indiam profectus anno 1551. Goæ Sacris initiatus anno 1554. Cum Melchiore Nunio Barreto petivit Japoniam. Duobus annis, dum alios, atque alios adeunt portus devolutis, tand[e] post varios casus, & labores app[...] si Japoniæ. In Bungo, ac Firan[...] aliquot annos insumpsit Ethnicos [...] veram fidem incitando, & excol[...] do neophytos. Multas ibi, & c[...] bras perpessus vexationes, & inco[...] moda ab idolorum sacrificulis; *B[...] zos* vocant. Cupiens Cosmus T[...] rianus nostratium Moderator pl[...] tari fidem in urbe Meaco totius [...] poniæ Metropoli, quam post S. [...] verium nullus Præco Evangeli[...] erat ingressus, eam Gaspari dem[...] davit Provinciam occasione litte[...] rum, quas ad Turrianum dede[...] Bonzus unus ex Academia pr[...] Meacum celeberrima. Roga[...] Turrianum Bonzus, ad se mitte[...] qui coram differeret de mysteriis [...] stræ fidei. Illò contendit cum L[...] rentio Coadjutore Japonensi, u[...] ageret interpretem. Per multa [...] ricula confecit iter, DEO propi[...] & liberatore. Comperiens B[...] zum è vita migrasse, transiit ad M[...] cum; ad quam urbem accessit [...] finem Novembris anno 1559. N[...] lum erat humanum patrocini[...] Rem tantam aggressurus, dies [...] quot insumpsit DEUM precand[...] aperiret sibi modum, & viam, [...] tium faciendi tantæ urbis conver[...] ni. Tandem manu sumens ligne[...] Crucem prodiit ad fora, & loca, [...] major concursus, clamans, unum [...] DEUM, unam fidem, in qua tant[...] salus est. Frequens circumsta[...] populus novitate motus, vide[...]

ma[...]

gis causâ, quàm veritatem ſe-
ndi. Dies 39. effluxerant, qui-
cœleſtis, & Evangelica tuba ur-
ſuo complebat ſono, quin una
em anima ſuum cognoſceret Au-
rem. Non tamen à ſuſcepto
ſtebat labore. Conſilio cujus-
Bonzi prudentis, & antiqui mo-
inventus modus authoritatis,
multum pollet apud eas gentes;
ciliandæ, tum concionatori, tum
trinæ: Deo ſcilicet facilem red-
te viam per ipſos veritatis inimi-
. Is Patrem exhortatus, ut ſi
et exiſtimationem adipiſci, Cu-
imam Regni Moderatorem invi-
t: nam ſi eum tantus Princeps,
ijus nutu pendebant omnes, ſuo
naretur conſpectu, & alloquio,
era fore mitiora. Paruit mo-
ti, & quidem belliſſimo eventu.
gratum Principi obſequium, ete-
præter alias animi benevoli ſi-
ficationes hoſpiti propinavit Thè
ionem eâdem paterâ, quâ bibe-
ipſe; qui honos, ut ſingularis,
eſt vulgatus, & Patrem, & ejus
aliis oculis intuebantur. E vili
nuncula migravit in ædem loco
ebriori: Illuc ad eum audiendum
fluebant multi tum de Populo,
de Bonzis, penes quos eſt admi-
ratio, & cura religionum apud
ones. Hi, ut eſt curioſiſſimum
us hominum, diſputationibus
bris diſceptabant cum Patre de
i noſtræ myſteriis, explorantes
um radices, & fundamenta. Ex
argumentis non apparebat fru-
ctus alius, niſi riſus Bonzorum. Il-
ludebant alienigenam, & religio-
nem, ac doctrinam Japonibus ad id
tempus inauditam, & nationis riti-
bus contrariam. Non fuerunt ta-
men omninò irrita Concionatoris
verba. Vetula de fæce plebis prima
fuit, quæ fidem eſt complexa: hanc
imitatus Amangucienſis Dynaſta
cum decem è ſuo famulatu. Timen-
tes Bonzi, ne ex parva ſcintilla exur-
geret incendium, quod extingui non
poſſet niſi ſuâ, ac ſuorum Deorum
ruinâ, Patrem calumniantur mille
mendaciis: dictitabant ipſum veſci
humanis carnibus, ubicunque con-
cionatus eſſet, ibi ſeditiones, ibi rui-
nas, & incendia, aliasque calamita-
tes exortas, Deos Japoniæ vaſtita-
tem, ac deſolationem eis injeciſſe
Populis, qui nefarium audiſſent ho-
minem, ac doctrinam. Id compro-
babant incendio, quod Firandi con-
tigiſſet, & alio, quod recens depopu-
laverat multas domos plateæ, in qua
habitabat. Non contenti has ſpar-
ſiſſe calumnias, hoſpitem terrent,
niſi protinus è ſuâ domo depellat
alienigenam urbis ſuæ peſtem. Tam
crudeli metu penetratus hoſpes Pa-
tri denuntiat, quàm primum aliò fa-
ceſſat, cùm moraretur, nudato gla-
dio mortem intentat. Igitur cum
Socio novum diverſorium quærit:
Invenit unicè domunculam, aut po-
tiùs tugurium ſine foribus, nec do-
meſticis aptum animantibus. Hyems
erat, & quidem atrox. Temporis
injuriis accreverunt inenarrabiles

plebeculæ injuriæ: inſtigabant Bonzi genus omne. Nec die, nec nocte quies ulla. Verbis & multò magis exemplo incredibilis patientiæ fidem prædicabat. Ad Aprilem anni 1560. Chriſtiani facti ſunt circiter centum. Variarum ſectarum Bonzi cum Patre diſputantes reſiſtere non poterant veritati: diſcedebant ſemper convicti, & confuſi. Hos inter acceſſit unus apud Japones magnæ ſapientiæ, & ſanctitatis. Dixit, illò ſe venire gratiâ terendi tempus, non quod ſibi foret opus pertractare de rebus ad animæ ſalutem attinentibus; id ſe poſſe docere omnes alienigenas, cum nullus eſſet, qui ſe æquaret litteris, & ſapientiâ. Hâc tam illuſtri præfatione Patrem conſalutavit. Protinus Gaſpar ſermonem miſcuit de fidei noſtræ capitibus. Audivit attentè rerum pondera, & ſolidas rationes. Ut erat mentis acutæ, juvante DEO, qui eum in multorum ſalutem ſibi volebat adjungere, cognovit ſe hactenus falſis deluſum opinionibus vixiſſe. Tandem fidei doctus myſteria, tinctus eſt Baptiſmo. Hujuſmodi converſio utpote hominis maximæ exiſtimationis tanti fuit momenti, ut non pauci nobiles ad Chriſtum acceſſerint. Ad vitandam plebis moleſtam importunitatem illius creſcentem patientiâ, & ſancta turbantem exercitia, rogavit urbis Prætorem, ut frænum injiceret plebeculæ inſolentiis. Juſſit voce præconis Populo denuntiari, ſub hac vel illa pœna, ne

quis in poſterum auderet Patri ne
gotium exhibere. Tum Prætor
interpoſitus metus, & authoritas
tum, quæ virtutis eſt vis tacita, G
ſparis probitas duriſſimis ſpecta
experimentis, petulantem plebe
coërcuit. Auxit de rebus noſtr
opinionem ultionis Divinæ evider
argumentum. Precibus neophyto
rum piè importunis erexerat Pat
magnam crucem in campo ſepelie
dis Chriſtianis deſtinato. Cont
ſurgebat nobile Cœnobium, & in e
turris, qua nullum erat in Mea
opus ſuperbius. Invidiâ corre
Bonzi Crucem avulſam lacerant,
indignantes per contemptum in c
linæ focos conjiciunt. Sequenti n
cte denſis nubibus aer inhorru
E nubibus inter tonitrua, & m
tuendum fragorem emiſſum fulm
ligneam turrim in cineres, & fav
lam redegit, ne veſtigio quidem t
tæ molis relicto. Vel ipſiſmet Bo
zis non dubium fuit Cœlum
vindicandam Crucis injuriam ja
latum ultrices flammas. Vide
Pater in dies augeri hoſtes ſuos,
fidei. Ad majorem ſecuritatem
cultatem obtinuit à Cuboſama
vendi liberè, & ſine cujuſquam i
juria legem ſuam in Meaco prom
gandi. Conceſsâ, & firmatâ Reg
diplomatis facultate, domos coem
extruxit templum, fuitque primu
quod in tanta urbe vero DEO æ
ficatum. Dedicavit naſcenti Virg
ni. In eo primum fecit Sacrum
Septemb. anno 1560. Hic ſup
m

dum ferbuit Bonzorum iracun-
. Lapis non fuit, quem tantis ini-
evertendis non moverint. In-
ſe conſtituerunt medium aptius
eſſe, quàm pecuniis corrumpere
giſtratus ſuadendo eam legem
tium ferre Diis, ac Populis Japo-
: nihil ſub cœlo peſtilentius.
entes neophyti negotiationem,
ri ſuaſerunt, daret locum iræ, ac
ori cedens ad tempus è Meaco.
è ſenſit Cuboſama contra ſua di-
mata tales admoveri machinas.
rum res ipſa oſtendit, eam com-
tam procellam ad majus Eccleſiæ
rementum. Sacayus urbs eſt
t Meacum nulli ſecunda. Igitur
acenſemEccleſiam aliquibus com-
ndans neophytis in fide robuſtio-
us, Sacayum contendit cum Lau-
tio. Ibi felicitate majori, quàm
rabat, multos convertit Ethnicos,
novam fundavit Eccleſiam. Pa-
t etiam digreſſionis utilitas ex
ntis rerum Meaci: Nam vita per
nmum nefas erepta Cuboſamæ.
tanto turbine citra dubium peri-
Gaſpar, quem DEUS præſtitit in-
umem. Meacum, rebus compo-
s, iterum petens, magna ſubiit vi-
pericula, DEO tamen protegente,
pes evaſit. Cum jam tantus eſſet
ophytorum numerus, conſiderans
laboribus, & colligendis meſſibus
piosis imparem, ſcripſit ad Coſ-
m Turrianum, Socium aliquem
tteret, qui juvaret. Miſit Ludo-
cum Froeſium virum ſanè Apoſto-
um, & egregium rerum Eccleſiæ Japonenſis Scriptorem. Crevêre tempeſtates adverſus duos Evangelii Præcones; nunquam tamen defuit tuendis ſervis ſuis Divina providentia. Anno 1566. relicto Ludovico, Bungum petivit, ut coram diſquireret cum Coſmo Turriano ineundam viam promovendi converſionem, quando certatim, & agminatim piſces adnabant ad retia. Poſtea in regionibus Ximi pari zelo, & ſucceſſu propagavit fidem. Oppidum Nangaſachium, quod annorum decurſu crevit in magnam celebritatem, totum fecit Chriſtianum. His præclariſſimis rebus geſtis, cum venirent ex Europa novi operarii; Gonſalus Alvarus Viſitator Sociorum per regiones Indiæ litteras dedit ad Gaſparem, ut rediret Goam, tum ad vires immenſis laboribus attritas reficiendum, tum ut ipſe ex homine rerum Japonenſium apprimè conſcio perdiſceret vias, & modos ad tantam Eccleſiam in eis terris ſurgentem ſtabiliendam, ac latiſſimè quam poſſet, prolatandam. Annos ſexdecim in Japonia Gaſpar laboraverat indefeſsè, cum Goam reverſus; quò devenit tam debilis, & tam exhauſtis viribus, ut non multùm vixerit. Calore febrili correptus, intellexit adeſſe vitæ finem, & æternæ felicitatis initium. Igitur animi ſummo ſolatio, circumſtantibus Sociis, & ſolitis ad eam luctam ſubſidiis morientem juvantibus, exuit mortalitatem.

DIE XXVII.

P. Gonsalus Diniz.

COnimbricæ anno 1602. supremum diem explevit. Natus in oppido *Tavarede* Diœcesis Conimbricensis. In excipiendis hospitibus, & infirmorum procurandis commodis eluxit multùm ipsius charitas. Tam oblitus consanguineorum, quàm nostratium Sociorum memor. Quamvis degeret vitam non longè à solo patrio, nihil minus cogitavit, quàm suos. Aliquot annis habuit curæ prædii Goletani prope Mondam fluvium agriculturam. Quanquam erat ipsi locus insaluber, mutationem non petivit, quod nollet suo regi consilio. Magnopere dilexit Societatem. Examina Conscientiæ, & statum orandi tempus nunquam diminuit. Commentans Christi martyria, tenerrimè afficiebatur. Ad aram faciens dulces effundebat lachrymas, quibus sic molliebat auditorum corda, ut & ipsi à lachrymis non abstinerent. Coram SS. Sacramento mirus illi respectus, & reverentia timore sancto permista. Forte, dum immolat sacram hostiam, super ipsam una, vel altera consedit musca. Finito Sacro, clausis sacelli fenestris, specularibus tantum admissa luce, quotquot potest, capit muscas, ac vorat, repugnantem vincens naturam, ut eas, quæ hostiam attigerant, consumeret: eoque supplicio negligentiam suam in abigendis muscis puniret. Nemini mortalium obtrectavit. Sermones alienar
vellicantes famam mirâ dexterita
suffocabat, neque coram se permit
De rebus ad spiritum attinentib
multus illi, & frequens sermo, & q
dem citra conversantium fastidi
Ægritudines, quas plurimas est p
sus, sustinuit cum magna tolerant
eisque tandem absumptus est.

DIE XXVIII.

Vincentius Alvres Scholasticus, Martyr.

ANno 1606. Dabulæ apud Ind
sui sanguinis laureatus diad
mate. Natus est in oppido *Ferre*
Diœcesis Eborensis. Vocatus
Societatem eventu miro. Studeb
litteris Eboræ cum alio suo frat
Nocte sedebat ad apertam suæ d
mûs fenestram, applicata manu
faciem cubito innixus, tristis,
cogitabundus; cum de castello pr
ximo displosa ferrea fistula, & gla
des plumbeæ digitis tribus, aut qu
tuor infra cubitum sedentis impact
sunt lapidi, Vincentio perterrito
sed intacto. Inter præsentem p
vorem secum ait: Quid esset de m
futurum, si me modò hæ gland
occiderent? dubium non est, æte
nis damnandum ignibus. Hac c
gitatione se collegit in lectum,
somnis indulsit. Nocte intempe
vivissimis imaginibus sibi est visu
se apud inferos perpetuis addictu
suppliciis. Considerabat ex una pa
te suas tunc pœnas incipere, ex al
per mille, & mille annos eas jar

pe

pessum, & singulis momentis
ium habere, & nunquam attin-
dum finem. In has angustias
sus excussit somnum: citissimè
tem induit, & gratiâ captandæ
æ, ac levamenti per domum in-
bulat attonito similis, fletu exor-
& manantibus ubertim lachry-
. Reliquum noctis spatium vi-
i est par infinitis annis. Orto
, festinat ad nostrum Collegium,
xè rogat in Societatem adoptari.
t solitas probationes Conimbri-
i missus nostræ militiæ conjun-
s est 22. Febr. 1595. Absoluto
nnio profectus Ulyssiponem cau-
tudendi Rhetoricæ in scholis no-
Collegij. Pedibus iter confe-
m, victus ostiatim mendicatus.
tequam *Tancos* oppidum in ora
gi accederet, obviam anum ro-
rit stipem. Hæc Vincentio dixit.
mi, perge auspiciis non pœnitendis; ibis
n ad Indiam, erisque Martyr. Exi-
probavit, quo vetula esset spi-
i loquuta. Namque anno 1599.
Indiam navigavit. Goæ didicit
ilosophiam. Speciali quadam re-
one B. Virginem colebat. Abso-
is Philosophicis studiis, obedien-
jussu commigravit Bassaimum
cturus Grammaticam. Eo finito
gisterio Aprilis 12. 1606. cum
o Societatis nostræ Sacerdote
am redibat. Incidit navigium
manus piratæ Mahometani, à
o vectores in captivitatem ducti.
on longè ab urbe Dabulæ volue-
nt Lusitani capti, ut Vincentius

cum alio ex Lusitanis Dabulam adi-
ret, & pecunias redimendis capti-
vis conquireret ex Procuratore Re-
gis Lusitani, qui Dabulæ commora-
batur. Cupiens Vincentius, iret
potiùs Sacerdos, ne maneret Barba-
rorum obnoxius injuriis, se ab illa
excusavit suscipiendâ Provinciâ. Ad-
euntes excepit magnâ benevolentiâ
Regius Procurator. Interim pirata
stetit in anchoris in flumine Coltorâ
proximè Dabulam. Contigit per
eos dies à Mauris Dabulensibus con-
celebrari Mahumetis natalitia. Ut
cresceret plausus, miserunt, qui pi-
ratam deprecaretur unum suo Ma-
hometi Christianum sacrificaret. An-
nuens rogantibus, conjecit oculos
in Vincentium, quod ex modestia
crederet sanctiorem, ideoque magis
gratam Mahometi victimam. Pro-
tinus jubet ejus colligari manus.
Obmutuit tanquam agnus coram
tondente se, & quàm maximas po-
tuit, habuit cælo gratias, quod se
vellet novum incolam. Sub noctem
perduxerunt ad navis proram. Ibat
lætissimus pronuntians Psalmum,
Miserere mei Deus. Ad proram genua
flexit accepturus ictum, & carnifex
elato ense innocentem victimam ju-
gulavit. Manante, & fumante san-
guine, lætum clamorem, quantâ
potuerunt voce, Mauri edidêre:
se prosternentes, tetigerunt facie,
& pectore navis pavimentum. Hâc
barbarâ cæremoniâ sua consuescunt
offerre sacrificia. Egêre Mauri Da-
bulenses amplissimas gratias piratæ,
quod

quod tam insigni victimâ Mahometis natalitia exornasset.

P. Franciscus de Nervais.

Conimbricæ anno 1672. de vivis excessit. Natus Monte majore veteri Diœcesis Conimbricensis. Ad Societatem adjecit se Conimbricæ 4. Aprilis 1644. ætatis 16. Quamvis in eo multæ colluxerunt virtutes, oratio, & macerationes corporis, & animi cæteris præstiterunt. Vel hyeme sæviente noctu ad orandum exurgebat è lecto. Totâ vitâ seipsum persecutus. In Missionibus, quas habuit, exemplo magis prædicavit, quàm verbo. Ejus Socius è missione stabili scribens ad Collegij Rectorem, hæc ait de Francisco: Cum essent ipsius conciones de Pœnitentiâ, hæc ejus erat panis quotidianus. Id testabantur indusia sanguine conspersa. In ipso sancto Collegio notum, quam se puniret acerbè. In missione sum ego testis. Quotidie manè horæ quarta parte feribat se flagris, interim pronuntians aliquem Psalmum, aut alias preces. Erat hospiti nostro magnæ admirationi, quod sic se affligendo, & extenuando esset ferendo missionis ponderi. Hactenus Socij litteræ. De ipso refertur, quod somnum in culcitra, & lecto non caperet. Utebatur victu moderatissimo. Escas delicatiores mensæ illatas ipse non gustavit. Secum decreverat ad mortem usque corpus suum, ejusque, & animi cupiditates effringere: propterea nunquam in re ullâ sibi n
rem gessit. Scrupulositas, diri
sanè viris sanctis tormentum, su
modum totâ eum vitâ lancinav
quas molestissimas anxietates su
nuit, animum suum ad voluntat
Dei conformans. In vestitu, &
bus cæteris micabat amor paup
tatis; & in sermonibus, quem
bebat in corde, Deus, & cælu
ac virtutes, ex quibus videba
factus.

DIE XXIX.

P. Sebastianus Rodrigues.

Ulyssipone in Domo Professa a
no 1642. vitâ defunctus. N
tus in urbe *Miranda:* Societati co
junctus anno 1575. Vitam be
longam traduxit innocentissim
Nec fecit, nec dixit, quod aliqu
offenderet. Vir è nostris alieni
na cum volenti eum indigitare n
men proprium non occurreret; *I*
Pater, inquit, *qui nemini nocet, ac*
nemine loquitur malè. Hanc animi b
nitatem cæteræ virtutes sunt co
tatæ. Juvit Romæ multis annis P
trem Assistentem, cui erat à secr
tis. Rediens in Lusitaniam dive
obivit munera; Quamquam vi
illi tenues, nullos à Superiorib
injunctos recusavit labores. Æt
tis anno 84. meritis cumulatus, n
tivo deficiente calore, extinct
est.

Lu

udovicus Machado Scholasticus Novitius.

'Onimbricæ anno 1660. suaviter ' de vita excessit. Natus in pago *Flor* Diœcesis Bracharensis. Co-ibricæ se addixit Societati 26. Ju-1619. A primis in Tyrocinio die- patuit, quàm sanctis esset mo-us institutus: Exercitiis orandi genter incumbebat: sermones nisi de Deo: Inerat ipsi singula-ad res sanctas animi propensio: earum considerationibus affici tus, ut lachrymæ dulces sponte deciderent ex oculis. Metus, ne lachrymandi assiduitas ocu-noceret, propterea Magister illi it, ut abstineret à fletu, respon-suum non esse lachrymas con-re: speciali quodam affectu ve-abatur B. Virginis Conceptio-, ac Divum Josephum: doman-corporis avidus, scuticam, quâ eriebat, priùs mersit aquis, ut s forent acerbiores: Quidquid cij vilioris erat agendum, hoc commendari expetebat; deni-talis fuit, ut ante tempus rapi visus, ne malitia ejus mutaret llectum.

DIE XXX.

P. Doctor Emmanuel de Valle.

Nno 1612. Eboræ contigit vi-vendi metam. Natus in oppido a Diœcesis Eborensis. Adscriptus ræ Societati 17. Septemb. 1563. Litteræ, ac virtutes in eo tam præ-claræ fuerunt, ut nescias, quibus magis splenduerit. Bonitas, & an-tiqua sinceritas doli, ac fraudis alie-na, non magnâ præditum sapientiâ, sed indicabant adhuc infantiæ can-dorem in ipso extinctum non esse. Loquendi tempore quærebat ple-rumque Socios Coadjutores, cum ipsis de rebus sanctis utiles misce-bat sermones. Theotonius Brigan-tinus Archipræsul Eborensis injunxe-rat suæ curiæ Senatoribus, ne lites, & causas deciderent, antequam ex-plorarent in eis rebus judicium Em-manuelis. Inquisitionis Tribunal sæ-pè in negotiis dubiis illius est usus sententiâ. Quamvis propter emi-nentem scientiam ab omnibus maxi-mi fieret, nec minimum edidit pro-priæ existimationis indicium. Non permisit, fessis jam annis, ut ipsi de-serviret aliquis Socius, licet omni-bus serviendi summum illi esset stu-dium. Accuratissimè consuluit ani-mi, & suæ conscientiæ puritati: Quotidie genu flectebat ad confessa-rii pedes, quamvis absolutioni de-esset materia. Annis multis habi-tavit cubiculum laterè constratum: Voluit Superior ipsius miserens, pavimentum ex tabulis confici. Mo-tus amore paupertatis enixè obstitit, dicens, sumptum esse otiosum, cùm non audiretur, tactus est scrupulo delinquendi adversus obedientiam, si urgeret suum propositum. In cel-la aliam non habuit effigiem præter plumbeam Crucifixi, ex eis, quas

catecheſim explicantes tribuebant pueris aptè reſpondentibus: deciſiones caſuum conſcientiæ, quas dabat ſe conſulentibus, ſcribebat in chartis rejectaneis, ut tegumentis epiſtolarum, & ſimilibus: ſignificavit cuidam Socio, pedes ſuos calefieri non poſſe propter nimiam frigoris ſævitiam; cum Socius perſuaderet, curaret ſibi laneos parari ſocculos, reſpondit, viſurum ſe, utrum lineis poſſet hyemem traducere, ne à communi Sociorum uſu in eo veſtis genere deviaret. Animadverſum eſt, ut illi neceſſitati occurreret, ſolitum chartas inutiles ſoleis pedum ſupponere, quibus ex parte ſe ab temporis inclementiâ defendit. Cuilibet nutui voluntatis Majorum paruit, tanquam præcepto Divino, nec potuit conquieſcere, antequam obiret mandata. Omnes vires adhibuit ad rejicienda gubernandi onera, nec irriti fuerunt conatus, quod eſſent ex corde. Divum menſis tutelarem, ut apud nos moris eſt, ſingularibus proſecutus obſequiis: die ipſi feſtivo, legebat ejus vitam, de quâ ſermocinabatur cum Sociis. Illius mors vitæ ſimillima.

P. Antonius Franciſcus Cardim.

MAcai apud Sinas anno 1659. reliquit mortalitatem. Editus in lucem Vianæ Diœceſis Eborenſis. Fuit germanus frater Joannis Cardimii Viri ſanctiſſimi. Eboræ conjunctus Societati 24. Febr. 1611. ætatis 15. Petivit enixiſſimè profectionem ad Miſſiones Ultramarina[illegible] Cùm obſtaret virium exilitas, [illegible] propterea multas paſſus eſſet repu[illegible] ſas, non deſpondit animos. Ann[illegible] ſeptem pertinaci quadam, at ſanc[illegible] contentione ſudavit in expugnan[illegible] Majorum voluntate. Sibi enim pe[illegible] ſuaſerunt conatum illum ex D[illegible] eſſe; & res ipſa oſtendit. Quod [illegible] pe eſt obſervatum in aliis candid[illegible] tis earumdem miſſionum. An[illegible] 1618. navem Indicam conſcen[illegible] cum Didaco Valente Epiſcopo, m[illegible] tiſque aliis de noſtra Societa[illegible] Infeſtarunt navem crudeles mor[illegible] nullus fuit è noſtris, qui non ægr[illegible] taverit, excepto Antonio. Deo [illegible] licet manifeſtante, ſi velit, nul[illegible] eſſe vires infirmas, & nullas fort[illegible] ac robuſtas. Abſolutis ſtudiis Go[illegible] migravit ad Macaum Luſitanor[illegible] coloniam valde celebrem, ut ind[illegible] ſi poſſet fieri, Japoniæ, quo ſua e[illegible] vocabant deſideria, tentaret ingr[illegible] ſum. Quod ſui voti patronum [illegible] gerat S. Xaverium, Franciſci nom[illegible] ſuo adjecit. Cum Japoniæ perdi[illegible] cilis eſſet ingreſſus, in Cantamu[illegible] emporium Sinenſe tranſivit, ubi [illegible] duit animarum culturæ. Poſteà [illegible] boravit tribus annis in Regno Sian[illegible] excolendo Luſitanos, qui mer[illegible] turæ causâ illic negotiantur, [illegible] Chriſtianos ex aliis nationib[illegible] Nam Siamenſes tam duri ſunt, ta[illegible] que addicti ſuis religionibus, [illegible] natio æquè reprobata non videa[illegible] ſub ſole vivere; ſcripſit enim Ant[illegible] nius, ex quo Luſitani eſſent in Ind[illegible]

unum quidem adultum ex Sia-
ensibus amplexum veram fidem,
n tamen eam ibi prædicandi fue-
semper potestas ampla: quod
non sine ingenti admiratione le-
Variis de causis coactus redire
caum, intravit Regnum Tunqui-
ise finitimum Imperio Sinensi;
n esset compertum Laorum reg-
n ultra fines Siami ad id temporis
stratum non fuisse Evangelicâ lu-
missus est iterum ad Siami Reg-
n, quod ex eo facilius esset iter
Laos in mediterraneis locis ha-
antes. Quanquam omnibus est
s industriis, ut per Siamum ad
os transiret, id non est assecutus,
od Rex nollet Regnum suum ab
enigenis penetrari, timeretque
rti merces, quæ ex Laiis ad ma-
mos portus per Siamum extrahe-
ntur: quod si contingeret, fieri
n posset sine magnis Siami detri-
ntis. His incommodis acceden-
valetudinis affectione, coactus est
redi Macaum, ubi rexit Tyrones,
Collegium nostrum. Habito Pro-
ciæ Concilio, Electus Procurator,
it in Europam. Aliquot annis
ratus Romæ, solicitans negotia
ssionum: Curavit, probatas legi-
is testibus, & omni juris Cano-
i cæremoniâ conscribi Joannis
rdimij fratris sui virtutes, ut suo
npore ab Ecclesia Divorum hono-
us colatur. Composuit, ac in lu-
n edidit obitus eorum, qui pro fide
mas profuderunt in Japonia. Au-
or fuit Bartholomæo Guerrerio, ut
Coronam Martyrum Societatis con-
scriberet, & Bartholomæo Pereiræ,
ut pangeret aureum epicum poëma
de martyrio nostri Francisci Pacie-
ci. Obtinuit ab Rege Joanne IV.
amplos reditus, & favores alios suis
missionibus. Cùm existimarent om-
nes virum annis, laboribus, ac im-
mensis navigationibus fractum po-
stremam vitam Ulyssipone transactu-
rum, noluit posteris exemplum tale
de se relinquere: Rursus petiit In-
diam: Ad oram Africæ ante Mon-
sambiquium Leucis viginti fecit nau-
fragium: Nave perditâ, ægrè ad
terram evasit. E Goa Macaum con-
tendens, captus à Batavis, apud
quos multa perpessus annis duobus,
ac septem mensibus. Ab hac tan-
dem servitute liber, & Macao re-
stitutus, ibi vitâ defunctus est.

Joannes Nunes Novitius Scholasticus.

ANno 1577. Conimbricæ satisfe-
cit naturæ. Natus in urbe Fun-
chalensi Insulæ Madeiræ. Illius ad
Societatem vocatio plena fuit ani-
mo teneris annis majore. Anno
1570. cùm nostri homines posue-
runt initia Collegio Madeirensi, cœ-
pit studere latinis litteris. Vix dici
potest, quantum nostrorum dilexit
mores. Ignatium Tolosam illac ad
gubernandos in Brasilia Socios præ-
tereuntem instanter rogavit, ut se
ferret admissum in Societatem. Va-
rias ob causas eam mentem exuit
Pater Tolosa. Post ejus abitum,

venêre Patris Generalis litteræ, quibus jubebat, ne quis ſcholaſticus minor anno 18. cooptaretur in Societatem. Cum ætatem hanc non expleviſſet, dilata fuerunt ejus deſideria; degebat interim vitam innocuam. Singulis hebdomadis, expiato per confeſſionem animo ſe refecit pane cæleſti. Modeſtia, & honeſtas Angelicæ, peritia latini ſermonis, & fidium reddebant amabilem non ſolum condiſcipulis, ſed viris primariis civitatis. Per id tempus Inſulæ Præfectus, qui primus fuit Calletenſis Comes, nobilium filios more Regum educabat in ſuo Palatio: Sciens ille Joannis egregias dotes, eum à Patre petivit, ut ſibi eſſet ab epiſtolis. Propenſo patre ad morem Præfecto gerendum, Joannes timens, ne hâc viâ removeretur ab ineundâ Societate, quid fieret, noſtros edocuit. Ipſis negotium moderantibus, deſiſtit à ſuo conſilio Præfectus. Ad alia, quæ ſupervenerunt impedimenta, illud non parvum adjecit momentum, quod eſſet unicus ſuorum Parentum filius, qui, ut oculorum pupillas, eum amabant. Has moras, modoſque rumpens, conſcensâ nave, laborioſâ navigatione, appulit Vianæ Interamnenſi. Profectus inde Conimbricam, tradidit commendatitias litteras, & additus Tyronibus 15. Novemb. 1575. ætatis 18. Statu novo maximis incrementis ejus ſunt auctæ virtutes: Cæteros præibat exemplo. Demandata eſt illi ægrotantium cura: jacebant non pauci febre pernicioſâ Non potuit ejus charitati gratiu aliquid accidere; Rogavit ex anim Magiſtrum, ut ſe dejiceret ad gra dum Coadjutoris. Id precatus ſtu dio humilitatis, & ſerviendi in offi ciis abjectioribus. Volente Magi ſtro Tyronem alium in ejus locun ſufficere, quo labore ex tanto emer gens quietem caperet, decidit in le ctum, eodem morbi genere, qu reliqui affligebantur, & creditun eſt ex commercio cum ipſis contra ctum. Deum obſecraverat, ut ſe d medio tolleret, antequam abſolve ret biennium Tyrocinij. Multæ pr ipſius ſalute fuſæ à Sociis in cælun preces, ſuſceptæ corporum afflicta tiones, verum Deo placuit ad ſ eum ferre, donareque præmiis æter nis inſignem, & in Tyrone prove ctam charitatem.

P. Emmanuel Gonſalves.

ANno 1670. ad non perituram translatus vitam in Reſidenti Dominæ *à Lapa.* Multus illi, & indefeſſus zelus in obeundis Sacri Miſſionibus. Cùm Socios in ſacello domeſtico ad virtutes exhortabatur, verbis incendebat corda. Modeſtia, pietas, & ſilentium viſa ſunt cum ipſo enata. Cum ſentiret proclivem ad impetus parum conſideratos naturam ſuam, frangendo ſe ipſum multas adeptus eſt victorias. E Reſidentia Carquerenſi ad Lapenſem contendens frigidiſſimo tempore, & ſupra modum ventoſo, pervenit,

nit, contractis præ frigore pedum nervis. Ut foverent torpentem, merserunt illius pedes in latices calidos. Ad remedium attulit perniciem; nam frigus calorem fugiens, collegit se totum in stomachum. Hinc exorti dolores acuti, & in dextro latere lethalis punctio. Protinus non dubitans finiri vitam: Quidquid peccasset, expiavit generali confessione. Ad extremum anhelitum integram servavit mentem. Quintelæ mandatus sepulturæ, quod templum Virginis Lapensis fundatum sit vivo saxo.

P. Joannes Carvalho.

BRacharæ anno 1684. efflavit animam. Natus in oppido Monte majore Diœcesis Conimbricensis. Anno 1636. 1. April. ætatis 14. Conimbricæ Societati conjunctus. Ad quidquid est in Societate splendidum, claruit præstantissimis ornamentis. Rhetoricam, Philosophiam, & Theologiam tradidit Conimbricæ merito plausu. Ad oratoriam tum sacram, tum profanam scatuit omnibus elegantiis, quibus accessit personæ dignitas, & totus corporis habitus in majestatem, & gravitatem compositus: His præclaris dotibus æstimavit pluris virtutem: Modestia venerabilis reddidit spectabilem: Alienissimus ab ambitione; Idcircò contristatus est, cùm præfecerunt Bracharensi Collegio Rectorem. Adversitates, quæ ipsi non defuerunt sine suo merito, sustinuit toleranter. E Roma, quo Procurator iverat à Conventu Provinciæ Electus, redierat, cum valetudinem jam affectam tentavit morbus, & vitam abrupit suprema dies.

MAJUS.

DIE I.

P. Franciscus Lopes.

ANno 1597. Fremonæ in Æthiopia prope mare Rubrum ærumnosæ propter DEI gloriam vitæ finem imposuit. Natus Fronteiræ Diœcesis Helviensis. Anno 1556. profectus ad Indiam unà cum Andrea Oviedo Episcopo; cum ipso adivit Æthiopiam; ubi per 40. annos naviter applicuit omnes industrias in reducendis Æthiopiæ Schismaticis prava Alexandrinorum dogmata sequentibus. Turcis præsidio militum tenentibus captos ejusdem Æthiopiæ

piæ portus, erat prorsus impedita communicatio cum India; Etenim metuentes Turcæ, ne Lusitanus occuparet ea loca, & juvantibus indigenis redderet mare valdè infestum, immineretque Mecanæ domui, vi armorum Æthiopas arcuerunt ab stationibus maritimis ad interiora Regionis. Id contigit, postquam Franciscus, & alii cum Episcopo Æthiopiam introgressi; dum vixit Oviedus, tulit ærumnas, quas ipse graves, & acerbas est expertus, quæ tot fuerunt, ac tantæ, ut explicari vix possint. Fames, exilia, nuditates, & vitæ cætera pericula continenter eos vexarunt. Semel Franciscus, ejus Socio Gonsalo Cardozo multis vulneribus ab Schismaticis interfecto, impias effugit manus gravissimè sauciatus. Post obitum Andreæ Patriarchæ, ipse solus annis 20. summos inter labores eam rexit Ecclesiam. Ajebat vitam sibi unicè datam ad laborandum, & agendam pœnitentiam: Corpus erat tam extenuatum, ut appareret ex ossibus tantum constare, ac pelle superindutâ: Charitas eum fecit egentissimum; quidquid, mortuis Sociis, domi est inventum, tribuit pauperibus; Cum stipem rogantibus mendicis, aliud ad manum non esset, scidit in fragmenta pallium suum, ac elargitus est. Aliàs divisit talarem tunicam, dimidiumque sibi tegendo reservans, partem alteram apricando mendico impertivit. Verum paulò pòst & eam partem donavit, interiori tantùm servatâ veste, quando aliud non p[…] tiebatur modestia. Exinde pelle c[…] prinâ, vel animantis alterius teg[…] bat, ac defendebat corpus ab tem[…] porum injuriis. Obvium haber[…] cadaver insepultum, ut honestè t[…] mularetur, sibi detracto indusio co[…] volvit, & humavit. Nihil restaba[…] jam præter illam caprinam, vel bo[…] vinam pellem; hac incedebat lætior quam suâ Reges purpurâ. Vultu[…] ad aram facientis sæpe à populo vi[…] sus est splendores effundere. Factu[…] à DEO certior de mortis die, con[…] vocatos Christianos, multis conso[…] lans verbis, edocuit, se de vivis exi[…] re, DEUM eorum immemorem no[…] futurum; ex India venturum Sacer[…] dotem, qui sui vices expleret. Om[…] nia, quæ prædixerat, evenerunt Ante obitum illi se dedit clarâ in lu[…] ce B. Virgo conspiciendam. Jace[…] bat super durum corium, alio tectus; nec enim erat sibi vestis, aut supelle[x] altera. Annis 40. excoluit vineam Æthiopicam. Ejus sepulchrum visebatur ab Christianis, quorum petitiones, invocato Francisci nomine, DEUS ob suum servum exaudiebat.

Nonius Fernandes Scholasticus.

CONimbricæ anno 1580. clausit vitam. Natus in Oppido *Ribeyra fria* prope Alenquerium Diœcesis Ulyssiponensis. Conimbricæ Societati adscriptus 30. Novemb. 1576. Meditationi deditus, depellendo somno, à quo multùm fatigari solitus,

us, frigidam è collo projiciebat in ergum, quâ perfusus & se cruciavit, & abegit somnum. Lentâ, & non intermittente febri paulatim contabuit. Præ se tantam tulit in vultu lætitiam instante morte, ut qui adeant, causam sciscitarentur. Respondit triplicem esse: quod brevi DEUM visurus foret: quod moreretur in Societate: quod conscientiam sentiret pacatissimam. Vacillante judicio, quamvis non aptas ad cætera responsiones daret, non ita, si permissus de DEO est sermo; tunc videbatur mens sibi restituta.

DIE II.

P. Joannes Pereyra Martyr.

ANno 1635. in Æthiopia finitima Rubro mari Martyrio illustratus. Exortus est in oppido *Cella* Diœcesis Ulyssiponensis. Conimbricæ se junxit Societati 12. Martii 1619. Sub anni ejus finem universis Provinciæ Tyronibus Ulyssiponensem in Domum, quod cœpisset habitari, migrantibus: illic absolvit biennium. Anno 1625. profectus ad Indiam, inde ad Æthiopiam, quam ingressus per media vitæ pericula. Egregiam Evangelicæ culturæ dedit operam ad annum usque 1634. quo Patriarcha Alphonsus Mendesius, & cæteri de Societate sunt in exilium pulsi. Nonnullos placuit occultatos ibi subsistere, quo continerent in fide Romana illum Christi gregem lupis expositum, & orbatum Pastoribus: Ex his fuit unus Joannes. Ubi Schismaticis innotuit, quâ loci parte cum alio delitesceret, eò festinant armati; deprehensum afficiunt multiplici lethali vulnere, ac mortuum existimantes relinquunt. Ex ipsa statione à Christianis unà cum Patre Bruno etiam semivivo comportatus ad speluncam, quod esset locus minus incommodus. Ibi 6. vel 7. diebus luctatus cum plagis suis, ac morte; hanc vicinam esse credens, petivit, ut se ad auram patentem extraherent. Integrâ die dolores pertulit acerbissimos, obtestans, se propter virtutem mori. Eo semper usus verbo: nam apparentibus primò armatis, cum illi gladium, & clypeum ad hostes arcendos obtulissent, respondit, armis non esse rem agendam, sed Christi patientiâ ferendam mortem propter virtutem. In ea rerum mortalium, & caducarum solitudine post noctem mediam sanctissimus spiritus è corpore per tot exivit portas, quot erant vulnera. Solum enim una viam tantæ capacem animæ non poterat explicare.

Emmanuel Dias Coadjutor.

ANno 1708. expiravit Eboræ. Natus in oppido *Estremós* Diœcesis Eborensis. Bis est Societatem ingressus. Primò jubentibus Moderatoribus, ne Laici nostri uterentur pileo Sacerdotum, sive clericali, Coadjutores multi stolida suasione voluerunt potiùs Societatem deserere, quàm privari eo panni frusto.

Hos

Hos secutus Emmanuel non tam suo, quàm aliorum consilio. Posteà adinstar juvenis prodigi cœlum, & fælicitatem, unde erat lapsus considerando, eum suæ piguit amentiæ, cœpitque rursus Societatem ambire. Ut experimenta probarent animum, & constantiam, Collegii Procurator eum misit ad prædium *Montes claros*, quò simul cum aliis operis terram excoleret. Noscebat enim artem agriculturæ. Præterea vires illi tam firmæ, robustæque ad corporis labores, ut inter alias ostentationes taurum apprehensum cornibus teneret, ejusque ora, & nares nequidquam reluctantis humo affligeret. Cum exspectationi satisfecisset, secundò iniit Societatem 20. Maji, anno 1669. ætatis 38. Annos vegetiores traduxit in prædiis Collegiorum, moribus semper inculpatis, & naviter consulens paupertatis Religiosæ bonis. Vitam postremam exegit Eboræ magno virtutis exemplo. Cùm esset janitor portæ, ubi mendicis succurritur ab omnibus, ut Pater, amabatur, Sanctum ipsi vocabant: Quamvis id genus plebecula sit importunissima, & patientiam exasperet, numquam egenum ullum minus læto excepit vultu; Si ad manum non fuit petitum subsidium, amicis verbis dimittebat consolatos. Postquam senectus, & morbi eum solverunt oneribus sui gradûs, matutinum tempus insumebat Sacris ministrando, vel ipsa audiendo: Vespertinum orando, vel consuetas effundendo precationes: Quotidie, dum incedi[t] pedibus, flagello se contudit, & qu[i]dem longo spatio. Præter dies, qu[i]bus se tergo verberant in triclin[io] Socii, sæpiùs ipse solus ibat se flag[el]latum; Cum audiebamus strepitu[m] notum erat Emmanuelem adess[e]. Res erat multi exempli, senem vid[e]re, qui se moveret ægrè, hunc piu[m] cruciatum toties repetentem. Ut[e]batur talari tunicâ ejusdem color[is] Tyronum tunicis. Custodi vestia[rii] dare volenti pullam tunicam respon[]dit: *Moriamur in ea tunica, quâ nascentes Religioni sumus induti, ut finis conso[]net principio.* Cæteris morbis acce[]dente nervorum torpore, postremi[s] temporibus, hæsit affixus lecto di[e] ac nocte; magnâ certè patientiâ. Pertulit afflictationes, quibus, pur[]gatis humanæ fragilitatis erroribus animus ad cœlestes oras conscendit.

P. Maurus Fernandes.

ANno 1705. Mortuus Eboræ. Natus in oppido *Montalvam* Diœcesis Portalegrensis. Societati conjunctus Ulyssipone 29. Septemb. 1689. Cum DEO fuit illi per meditationem, & orationem multa familiaritas. Temporis spatio benè longo preces ante Venerabile effundere consuevit. Vultûs compositio, & colligendorum sensuum cura mentem Divinis addictam Commentationibus indicabant. Vel iret per domus pergulas, vel esset ad mensam in triclinio, seu comitaretur quempiam sæculares invisentem, fœminas

minas præsertim; Oculos gessit humi defixos. Quidquid in hac virtute laudis est apud viros Evangelicæ perfectionis studiosissimos, in Mauro sumus venerati. Par fuit illi studium se, animsque sui, & corporis domandi, seu radicitùs evellendi cupiditates. Nullo modo adducere potuerunt, ut florem olfaceret, aut aliquid odoriferum admoveret naribus. Cum ægrotanti morbo supremo Balsamum offerrent medicarum variis odoribus ad recreandum cerebrum, ne sibi gratum faceret, manu rejecit. Forte Mauri pileum per errorem sibi assumpsit alius Socius, cum intus fixam reperit aciculam, quâ solebat ipse carnem suam, & manus pungere. In aula Theologiæ non sedebat scamnis parieti proximis, ne corpus acclinaret. Cum esset necessum chyrurgo scarificare ægrotantis carnem, quò cucurbitis admotis corruptum exugeret sanguinem; tam induratæ à flagellis erant illæ partes, ut eas ægrè scinderet scalpellum. Satis illi fuit minima Majorum significatio, ut imperiis obsequeretur. Si nequibat detractiones coram se insurgentes protinus obruere, tentatis frustra remediis, cedebat è conventu sermocinantium. Infirmis servire in deliciis illi fuit. Tenebatur Magnæ Matris singulari religione, colebátque frequentibus obsequiis. Omnibus, quoad ejus fieri potuit, curavit morem gerere. Habebat in Insulis Magister alius aviculam canoram sanè gratissimam, & cantu facilè in suo genere Principem, solùm displicebat, quod illiciis nullis domari posset, ut vel è manu caperet oblatā escam, vel se tangi sineret; imo ipsismet blandimentis fiebat alienior, huc illuc per totam caveam volitans metuenti similis. Tunc Maurus petit commodatam; diebus paucis sic mitigavit, ac mansuefecit, ut nihil passerculo amœnius, Dominove jucundius acciderit, quam mutationem ille tribuit non artificio, sed Mauri virtuti. Ajebat providentiam ad mortem se comparandi, non reservandam ad postremum morbum, & horam mortis. Propterea decidens in lectum, non multùm solicitus fuit, quid sibi agendum esset eo tempore, cùm per totam vitam, quæ opus forent, peregisset, & procurasset. Postquam se munivit Sacramentis, judicio delirante, crebrò usurpabat hæc verba: *Mihi de morte nulla cura est, salutem animæ teneo firmam, ac securam; egi bene.* De ipsius sanctimonia fuit apud eos, qui noverant, non vulgaris opinio.

DIE III.

P. Doctor Georgius Cabral.

ANno 1637. in oppido *Fornos* Diœcesis Visensis, ubi erat natus, ad Cœlites concessit. Conimbricæ ad nos venerat 20. Octob. 1587. Educatus Sanctis Institutionibus Patris Vasci Pirii per ea tempora Tyronum insignis Magistri: Cùm pulsus esset

de Societate unus è Tyronibus, Georgius obrutus est tristitiæ nube densissimâ. Quid rei foret Vascus intelligens, ipsum animat his verbis : *Fili mi, ne contristeris, moriere in Societate, eris Professor, ac Doctor Theologiæ.* Vaticinio dies ipsa fidem adstruxit. Unus fuit è viris sapientissimis, quos procreavit Lusitania. Theologiam docuit Conimbricæ, & Eboræ, in eaque celebri Academia donatus laureâ Doctoris. Judices omnium tribunalium ipsum in rebus magni momenti consulebant. Excellentissimi Duces Aveirenses eum sibi elegerunt Confessarium, licet maximi fieret à viris præclarioribus, ipse putabat se nimimi. Tantum se contempsit, studuitque vilescere, ut fuerit, qui ipsi nimiam de honore suo incuriam reprobaverit. Ejus hominis judicium minoris fecit, quàm res suas. Nihil enim æquè desideravit, ac exprimere Christum pro se contemptum, irrisum, & spretum. Ardens charitas eum reddiderat non suum, sed proximi totum. Quod apud viros Principes multum polleret, ad ipsius patrocinium certatim confugiebant mendici, & omnes destituti ob inopiam aliis patronis. Cum Dionysius Mellius, cui erat à Confessionibus, esset promotus ad Lamecensem Episcopatum, voluit secum ferre Georgium cum alio Sacerdote de nostris, ut se comitarentur, & juvarent, Diœcesim primò recognoscentem. Non potuit non parere novi Præsulis voluntati, Magnæ dissensiones, & odia miserandum in modum à mu[...]tis annis *Fornos* Georgii patriam l[...]cerabant. Nec extinguendis suff[...]cerant viri potentes opibus & a[...]thoritate. Georgius rem sibi com[...]mendatam perduxit in exitum opt[...]tum, magno utique suorum popul[...]rium bono. Jam recedebat in u[...]bem Visensem, cùm eum adortus e[...] morbus. Idcirco *Fornos* rediens, si[...] persuasit è lecto non amplius surge[...]dum. Accepto viatico, suo temp[...]re se Sacram Unctionem dixit post[...]laturum ; Unde conjici potuit ip[...] mortis horam innotescere. Maji [...] paucis ante obitum horis signific[...]vit, adesse ungendi tempus : Al[...]quot horis post Unctionem expir[...]vit. Funus est celebratum, quant[...] pompâ in ea terra fieri potuit. Co[...] sepultus in templi loco præcipuo[...] cunctorum maximo solatio, quod[...] qui eos vivus protexerat, protega[...] mortuus.

DIE IV.

P. Stephanus Dias.

IN Collegio Divi Antonii Ulyssipo[...]ne anno 1583. ignotâ mihi die vi[...]tam clausit. Natus Conimbricæ[...] Regebat Angrense Collegium, cùm post Regis Henrici mortem Insula e[...] secuta partes Antonij, eumque pro[...]clamavit Regem : Volebant primo[...]res, ut nostri homines adhærescerent ipsorum opinioni. Verum tamen, cùm obtenderent Institutum nostrum vetans, quemquam de Societate Princi-

ipum ſe miſcere controverſiis in-
ıntam feritatem Inſulani adverſum
oſtros homines ſunt accenſi, ut ipſis
aquâ & igni interdictum. Obſe-
ıtis deforis Collegii valvis, ac di-
oſitis excubiis interdiu, noctúque
lvigilatum eſt, ne quà inferrentur
bi, ut eos dira conficeret inedia.
itra dubium periverant, niſi perſo-
æ piæ vel deluſis, vel diſſimulanti-
ıs excubiis, victum ſilenti noctis
mpore per ſepta injicerent. Per
tempus cervices ſunt abſciſſæ in
ro publico Joanni Betancorio Va-
oncellio, quod partes Antonii ſe-
ıi nollet: Divinitus id notum fuit
ephano, ac Sociis rem manifeſta-
t. Per idem tempus dum legit
rum ſibi à Bentacorio commoda-
m, videt illius tegumentum per-
ndi oleo ignoto ſuaviſſimum ſpar-
nte odorem. Quod ſignum planè
mirandum ſignificavit occiſi dy-
ſtæ iñocentiam. E Collegio coa-
ſunt carioſam navem muribus re-
tiſſimam, & pene ſubmerſam con-
endere, eo conſilio, ut cum ipſa à
lago vorarentur. Multis diebus
fuerunt enecti fame, & ſquallo-
conſumpti. Tandem in Angliam
quot navigiis proficiſcentibus, illò
ierunt. Quas ab Hæreticis in ea
vigatione ſint paſſi injurias, conji-
ur ex odio, quo noſtros homines
ectantur. Certè Stephanus ex ea
udeli ſervitute redditus Luſitaniæ,
ribus tam attritis, ac debilitatis
ceſſit, ut non diu ſuperfuerit. Vir
it notiſſimis virtutibus, & animo
cunctis humanarum rerum calami-
tatibus, & caſibus altiori.

Franciſcus Nunes Coadjutor.

ANno 1587. diem obivit in Angola: De Loanda exierat cum uno de Sacerdotibus noſtris in flumen Coanſam verſus, ut eas gentes ad fluminis oram habitantes edoceret fidei myſteria. Sunt regiones illæ cœlo alienigenis admodùm gravi: dum Franciſcus opus Evangelicum urget indefeſsè, contactus pernicioſâ febre ſub ipſo onere poſuit animam, valdè gaudens illam profudiſſe alienæ ſaluti conſulendo, ubi quamplurimi eam amittunt Æthiopes mercando, ut lucris augeant pecunias.

P. Franciſcus Pereyra.

ANno 1594. diem explevit in oppido *Caldas* à balneis ſalutaribus ſic dicto. Natus in agro de *Feira* Diœceſis Portuenſis ex illuſtri genere. Antonius Pereira, & Philippa de Sylva dicebantur ejus Parentes. Tantæ nobilitati conjunxit miram animi Religioſi demiſſionem. Videbatur columba ſine felle. Incumbens Theologiæ, morborum cauſâ miſſus ad eas aquas ſulphureas & ſalubres; quæ mortem ipſi attulerunt. Diebus, quibus illic vixit, tantum ſibi fecit virtutis nomen, ut Sanctum omnes exiſtimarent. Sacerdotes ſeculares juſta funeri perſolverunt; eâdem moti pietate viri Religioſi defuncto ſolemniter parentarunt, dum cadaver expoſitum in

feretro, pueri certatim accedentes exoſculabantur.

DIE V.

P. Ignatius Rodrigues.

ANno 1702. in navigatione ad Indiam emiſit extremum ſpiritum. Natus in oppido *Chaves* Diœceſis Bracharenſis. Multa fuerunt, quæ ab annis primis ejus ſingularem indicarunt virtutem. Ejus Avia furore adverſus filiam ſuam percita, diras evomuit, ne ipſius ulla proles diu viveret. Permiſit Deus, ut irrita non foret execratio. Nam quotquot in lucem edidit filios ante Ignatium, rapiebantur im̃aturo fato. Ad iram numinis placandam, multis precibus ſollicitavit opem ab Chriſto Domino, ac Magna ejus Matre: Non fuit ejus ſpes vana. Huic filio curavit indi nomen Antonij. Eventus oſtendit, & imprecationum vim noxiam abolitam, & filium Deo natum. Nam ſponte ſua virtutem amabat, præſertim erga mendicos charitatem. Ex his unus ad januam ſtipem rogavit: Erat ſeminudus, & afflictus nimio frigore; Admovit eum Antonius ſuæ menſæ, poſteà fovit in ſuomet lecto, ubi quievit, & cepit ſomnum. Tam inſignem charitatis actum ſecutæ ſunt in Antonio magna deſideria ſe Deo conſecrandi in Societate. His fecit ſatis Conimbricæ 11. Maij 1695. ſumpto Ignatij nomine. Paulò pòſt migravit Ulyſſiponem. Ut erat naturâ

vividâ, citra vitium indulgebat h
lari genio. Verum Patris Michael
Diaſij Tyronum Magiſtri, ſic eſt e
hortationibus ad perfectionem e
citatus, ut naturam domans, cup
ditates ſingulari ſtudio coërcens,
omni voluptati bellum indicens
evaſerit in virum alium. Ab cæt
ris ſuſpiciebatur, ut exemplar virt
tutum. Eâdem in domo vacav
mitioribus ſtudiis. Id genus litt
raturæ apprimè ſcivit, juvante i
genij felicitate: Inde profectus Eb
ram gratiâ dandi operam Philoſ
phiæ, quam abſolvit Conimbric
Erat in poſtremo ejus curriculi ann
cùm Indiam cogitavit. In itine
ægrotis ſerviens, eorumque inf
ctus morbis æternæ felicitatis appu
lit portui. Illius virtutes vald
ſimiles Aloyſij Gonzagæ; Etenim e
quo ad altiorem perfectionem adj
cit animum, hunc ſibi propoſuerat
quoad ejus fieri poſſet, imitandum
& Angelicum adoleſcentem Joan
nem Berchmanium. Vix aliquid ex
quiſitæ ſanctitatis, in ipſis fuit, quo
non ſtuderet in ſe ad vivum expri
mere. Mentem divinis commenta
tionibus, ac Dei præſentiæ mirum
in modum uſu ipſo addixerat. Cùm
erat publicè Euchariſticus panis ex
poſitus, fermè ſemper aderat. S
caſu aliquo diebus ſolitis nequivi
ſacrum epulum ſuſcipere, totus ef
fundebatur in lachrymas, mor
pueri, quem mater ſuo fraudat ar
denti deſiderio: Integram conſume
bat horam in agendis gratiis. Ante
Do-

omini natalitia per menſem ſoli-
ım noctibus ſingulis, ubi horolo-
um indicavit ſonitu mediam no-
em, tollebat ſe de lecto, ſumptâ
per induſium talari tunicâ, ac fle-
s genibus orabat per ſemihoram,
ıdiebatur ſuſpirans adventum Do-
ini, more antiquorum Patriarcha-
ım. Ut eo tempore ſomnum ex-
ıteret, antequam cubaret, certas
eces fundebat pro animabus flam-
æ purgantis, tam mirabili effectu,
: ad primum ictum horologij ſom-
ıs evaneſceret. Virginem coluit
nquam Matrem ſibi ſuaviſſimam.
jús quotidianas horas recitabat fle-
s genibus, & modo eodem Roſa-
um. Cum incubuit litteris huma-
oribus, proluſiones de more ſtu-
entium componebat de ipſius lau-
bus, pronunciabatque è ſuggeſto
ultu tam hilari, ut in ipſa facie le-
eremus ſingularem, quo æſtuabat,
irginis amorem. Diebus vacatio-
is in villâ Suburbanâ Socios ætatis
ıæ invitabat, ut ſecum adirent Sa-
ellum ſacroſanctam Matrem invi-
ım. Ajebat, impoſſibile ſibi vide-
ullum Virginis Clientem damnari.
am venerabatur multiplicatis obſe-
uiis. Exponi paucis non poteſt,
uàm ſibi fuerit infenſus. Quidquid
rat jucunditatis refugit. Oculos
on fixit in alienum vultum, geſta-
at ſemper demiſſos. Cum intererat
ebus magni plauſus, oculos vel
lauſos tenuit, vel avertit aliò, ne
ecrearentur læto ſpectaculo. Ebo-
am venienti Anglicanæ Reginæ

Catharinæ obviam prodivit civitas multis hilaritatum artificiis, ac tripudiis. Inter Societatis homines, ut poſcebat officium, ivit Ignatius. Sciſcitantibus poſteà Sociis, qui domi permanſerant, ab eo res ſingulas, reſpondere neſciit: non enim adverterat oculos ſuos ad tales plauſus. Muſicos concentus, & inſtrumenta fidibus ſonantia, ut aures eâ fraudaret lætitiâ, nolebat audire. Ad menſam ſedens offulam meliorem, vel exquiſitiùs conditam non guſtavit. Anni principio ſecum decernebat in B. Virginis honorem hoc, aut illud pomorum genus anno toto non edere. Temperatas condimentis epulas, infusâ frigidâ, fecit inſulſas. Sæpe, quod ſurrexiſſet è menſa penè jejunus, ad eam juſſus redire, & victum ſumere. Semel humi videns ſputum craſſum, & pingue, quod intuenti movit nauſeam, ut ſe vinceret, proſtratus lambit, ac glutiit eas ſordes. Lintea, quibus indulgebat ſomno, aliquando ſparſit urticis, & ſuper eas conjecit nudum corpus. Eſſem infinitus, ſi vellem recenſere, quos ad ſe torquendum excogitavit modos. Ut hanc ſe macerandi frænaret aviditatem, eum monuit Rector, è Societate dimittendum, niſi ſibi modum in ea re poneret. Unicè cupiebat ab omnibus contemni, ac pedibus conculcari. Cùm ſibi foret tam ſeverus, cæteris erat lætus, ac jucundus in ſermone familiari. Cum petivit Indicas Miſſiones à Provinciali, qui eum

in Tyrocinio erudierat, non parva fuit in concedendo difficultas; nolebat enim privare Collegia noſtra tanto exemplo, & tanto ingenio. Tamen intelligens unà cum ſuis conſultoribus adoleſcentem à Deo vocari, & S. Xaverium eſſe in poſſeſſione quosque optimos eligendi ad miſſiones Indiæ, quamquam invitus annuit roganti. Navem conſcendit anno 1702. Cùm ſupervenirent morbi perniciabiles, ſuccurrens miſeris oppetiit mortem omnibus bonis invidendam.

P. Ludovicus Grana.

ANno 1613. Pernambuci in Braſilia Venerabilis ſenectute, & meritorum cumulo venerabilior naturæ conceſſit. Natus Ulyſſipone. Se conjunxit Societati Conimbricæ 20. Junij 1543. Fuit quartus Rector Collegij Conimbricenſis. Maximè deſideravit vitam traducere convertendo Braſilicas gentes. Eò miſſus eſt à S. Ignatio cum poteſtate Provincialis, ut partiretur curas cum Emmanuele Nobrega; ob diſtantias enim locorum utrique eſt conceſſa par poteſtas. Poſteà totum onus penes ipſum fuit. Subditos gubernavit non tam verbis, quàm exemplis. Ipſe primus adibat arduas expeditiones, ut animas Deo lucrifaceret. Multa millia ſacro lavit Baptiſmate. Intravit vaſtas Braſiliæ ſolitudines, emenſus itinera longiſſima, ut incolas ritu ferarum viventes ad humanos transferret mores,

edoceretque Cæli viam. In ſuis l
teris alius ejusdem vineæ operari
hæc habet verba de Ludovico:
frigeria, & quietem Patris Granæ per
deſerta ego non refero; ſunt enim fam
& pluviæ; ubi non eſt diverſorium,
tugurium, quo ſe recipiat. Non ſem
fecit naufragium, & ope B. Virgi
emerſit, cum jam omnes mortuu
crederent ob longum tempus, q
ſub undis fuit. Itinera conficieb
pedibus nudis, veſte lacerâ, &
tritâ ſummam inter paupertate
Quod Provinciales per id temp
non uterentur navigio proprio, m
gnis incommodis ab eo navigati
nes agebantur; Quamvis ob ſing
gularem, quo illum colebant, r
ſpectum, ipſi darent navarchi locu
præcipuum, Ludovicus elegit ſen
per pejorem in navigij foris. Ali
nos errores verbis excuſatoris ſo
tus minuere, & mitigare. Idcirc
per jocum eum vocabant Socij *P*
trem unguentorum: Scilicet, quonia
non erant vulnera, quæ non lenire
excuſando. Superiores reverebatu
etiam poſtquam abiverant magiſtr
tu. Annis 12. egit Provinciale
ſine ullius querelâ. Ne quidem ſ
nex annis, & morbis debilitatu
deſeruit comunem vivendi morem
& ordinem domeſticum. Ciborum
parcus vinum non bibit. Religio-
ſæ paupertatis tam amans fuit, u
nemo magis. Propter ſummam rerum penuriam incedebat ipſe nudis pedibus ſine calceis. Miſeratus Braſiliæ Præfectus Eduardus tantam ege-

ſta-

atem, eleemosynæ titulo calceos
i præbuit. Nunquam est usus cap-
, aut scrinio; Cum nihil haberet,
iosa censebat hujusmodi recepta-
la. Postremis annis illi est con-
ssus reditus in Lusitaniam, ut se-
ctutem commodiùs exigeret. At
luit potiùs suos inter Brasilos ani-
am efflare. Noster Petrus Acosta
exquisitæ virtutis illius animam
diis micantem vidit cælos con-
ndere.

P. Emmanuel Barradas.

Onimbricæ anno 1548. vivere
desiit. Natus Pace-Julia Diœ-
sis Eborensis. Jam sacris initiatus
nos venit Conimbricæ 24. Sept.
47. Contigit ejus ingressus die
bbati horâ nonâ. Decessit è vi-
altero Sabbato, & horâ nonâ.
ragenti sancti Patris nostri Exerci-
Deus indicavit non diu inter
ortales futurum, idcircò totis
ibus incubuit acquirendis & au-
ndis virtutibus. Decidens in mor-
m, magnoperè cupiit mori die
ucis inventæ in honorem Domi-
æ Passionis. Illi tamen à Deo
nificatum postridie 4. Maij diem
cælos iturum. Ipsâ die quintâ,
edia hora ante mortem petivit
ndelam, edicens, se mori; nec
us evenit. De Societate nostra
mus fuit, qui diem obivit Conim-
icæ. Quod adhuc nobis templum
n esset, humatus est in æde sacra
rginis à Salvatore propè nostrum
llegium.

P. Georgius Carvalhal Martyr.

IQuizuci apud Japones anno 1592. gloriosâ morte sublatus. Patriam habuit Visensem urbem. Conimbricæ Societati se conjunxit 14. Maij 1567. docebat latinas litteras in scholis Ulyssiponensibus, cùm de missionibus Indiæ cogitavit. Illò profectus anno 1578. Goæ instituit Tyrones. Transiens ad Japoniam, ibi in diversis regnis fidem promovit. Cùm ethnici necassent Firandi aliquos de Societate propinatò veneno, suppleturus eorum locum, ad eam urbem contendit. Brevi tamen veræ Religionis hostes poculo venenum dissimulantes, eripuêre Georgio vitam. Diebus octo acutissimis cum doloribus est luctatus.

Barnabas de Sousa Coadjutor.

IN Domo Professa Ulyssiponensi vivendi tempus explevit. Natus in oppido *Crato*, Anno 1594. 19. Decemb. Eboræ Societati adscriptus. Agebat gregis Pastorem, animæ suæ nequaquam oblitus, eam excolebat sanctis moribus, quos polivit in Societate. Dedebat se multùm legendis libris asceticis. Præfecerunt culinæ. Pauci majore virtute hujuscemodi ministerium obivêre. Annos supra 30. culinam habuit curæ. Magna ipsi fuit animi tranquillitas. Nihilo turbabatur. Suo tempore cuncta præsto erant. Hospites excipiebat notâ Charitate, ex qua videbatur factus. In codice obituum de

de illo dicitur; fuisse hominem magnæ mentis, & maximæ charitatis.

DIE VI.

P. Alvarus Semedo.

CAntoniæ apud Sinenses an. 1658. die mihi non compertâ vitæ finem attigit. Natus in oppido *Niza* Diœcesis Portalegrensis. Eboræ Societati se dedit 30. Aprilis 1602. Navabat operam Philosophiæ, cùm animum induxit vitam consumere animas lucrando apud Indos. Absolutis Goæ studiis, trajecit ad Sinas. Anno 1617. Nanquimi Evangelium prædicabat, cùm orta est ingens procella adversus Christi præcones. Injectæ illi sunt impiorum manus, & catenæ, detrusus in carcerem, atque immanissimè contusus fustibus, quo tempore acutâ tentabatur febri. E Nanquimo conclusum in ferreâ caveâ adinstar feræ immansuetæ portaverunt Cantoniam, inde Macaum usque: Ipsa cavea tam stricta fuit, ut corpus extendere nequiret. Hoc modo transegit dies omninò 30. tot enim tenuit illud iter. Victus erat adeò parcus & tenuis, ut ægrè traxerit vitam. Ministri, qui succollabant, diri prorsus, nulli parcebant immanitati. Macai recuperavit consumptas vires. Sciens procellæ motorem nequissimam profudisse animam, in Sinam regrediens primos repetiit labores, donec Majorum imperio cogente, venit in Europam ad procurandas missionum utilitates; quod egregiè præstitit tum Ul[...]sipone, tum Romæ, ubi, typis [...]dit Historiam Missionis Sinensis [...] lingua Italica. Iterum naviga[...] Macaum Septuagenario major vita[...] cum morte commutavit.

P. Didacus Ferraz.

IN Domo Professa Ulyssipone[...] vitâ defunctus. Natus in ur[...] Portuensi. Vixit apud nos in gra[...] Coadjutoris spiritualis. Qui de i[...]so scribunt, eum numerant inter i[...]signes operarios. Sodalitium in L[...]sitania valdè pium, & celebre sanc[...] Crucis, sive Passuum Domini tende[...]tis sub cruce ad Calvariæ locum or[...]ginem debet huic Patri. Ita ref[...]runt Domûs Professæ antiqua man[...]scripta, & annuæ litteræ nostr[...] Societatis typo vulgatæ. Multi ado[...]lescentes virtutibus dediti sub ma[...]gisterio Didaci conveniebant ad so[...]litas fundendas preces, & audien[...]das exhortationes in Sacello dicat[...] Sanctæ Cruci, quod postremum est in compluvio Domûs Professæ prop[...] januam. Cum indies & eorum au[...]geretur numerus & pietas, cona[...] sunt erigere, novum Sodalitium sub titulo sanctæ Crucis ipso in Sacello. Non consignatas litteris comperi ra[...]tiones, quibus moti Patres id non permiserunt: dedêre tamen consilium, ut tale Sodalitium constituerent potiùs in cœnobio Patrum Eremitarum S. Augustini. Quod illi consilium amplexi eventu sanè fœlicissimo. Vix enim quid pium magis

es[...]

ſt in Luſitaniâ Supplicatione Paſ-
ium Domini.* Proceſſio prima fa-
ta eſt 23. Sept. anno 1588. Verùm
oſteà juvit potius Quadrageſimæ
empus ad explicandum agmen piiſ-
mum. Placuit è noſtro exire tem-
lo, & longâ certorum paſſuum de-
ursâ ambage colligi in ædem Sa-
ram Eremitarum, ut alibi refero,
ùm in ſuis initiis oppugnaretur ſa-
tare inſtitutum, à noſtris homini-
us defenſum eſt.

DIE VII.

P. Amator Rebello.

ULyſſipone in Collegio Divi Antonij anno 1622. Vitam finivit. atus in oppido *Mejamfrio* Diœceſis ortuenſis. Conimbricæ ſe addixit ocietati Aprilis initio, anno 1559. egem Sebaſtianum docuit legere ſcribere. Socius fuit individuus atris Ludovici Gonſalvij Regis Maſtri, & Confeſſarij. Summa viri onitas, & mos antiquus doli neius, & nudæ veritatis amans reddit acceptum omnibus. A multis, agniſque periculis ope divinâ libeatus, cùm perverſi homines Societi tribuebant Regis Sebaſtiani pam conſideratas expeditiones. Seebat confeſſiones in templo auens, cùm vir ignotus eum conatus t pilo transfigere. Poterat ictum eclinare, ſi complectens hominem, llicitaret vocibus alienum auxiim; ſed timens, ne talis impetus ret offenſioni, injuriusque Societatis modeſtiæ, decrevit quieto corpore ictum exſpectare. Tantæ modeſtiæ Deus præſentiſſimo conſulit ſubſidio. Nam quo tempore volebat impius librare contorquendum pilum, vir quidam & ipſe ignotus, à tergo brachia complexu tenens arcto, & ictum impedivit, & verbis ſeveris improbavit audaciam, cumque indignatione projecit extra fores templi. Protinus, abacto periculo, vir, qui eum erat tutatus, ex oculis evanuit. Non dubitavit Amator fuiſſe Cuſtodem Angelum. Simili periculo iterum laboravit, ſed paribus auxiliis mortem evaſit. Cùm poſſet multa poſſidere, nec injuriam minimam inferre voluit ſanctæ paupertati, quæ ſibi ſemper in oculis, & ante res omnes fuit acceptiſſima. Poſt fatalem caſum Regis Sebaſtiani, cum capti eſſent, quibus pepercit ferrum, trajecit in Africam ad redimendos captivos. Reliquos vitæ annos attrivit virtutes augendo, & prælucendo ſociis exemplo.

P. Emmanuel Feo.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi anno 1631. migravit ad cælites. Natus Pace-Julia Diœceſis Eborenſis. Sacerdos erat multæ authoritatis apud ſuos populares, concionator egregius, & abundans opibus. Inibat jam ætatis 65. annum, cùm mundanis rebus valedicens Societatem ingreſſus anno 1604. Nonnullis fortaſſè videbitur eum in tanta ætate ad nos veniſſe, quo ſolutus omni fœnore,

re, laborumque immunis otiaretur; Verùm ſecus fuit. Annos 27, quibus vixit, exercendis noſtris miniſteriis diligenter incubuit exoſus otioſam ſenectutem. Multi, qui tot annos in Religione tranſegerunt, quot habuit Emmanuel, cùm nobis eſt additus, non tantam collegerunt meritorum meſſem, nec meruerunt tam benè Religionis panem. Inſtituto noſtro adjectus ſenex venerabilis, ut credo, quo juveneſceret, ſed ſolum ad labores, in quos nec ſegnis, nec ſenex eſſe, aut videri voluit.

P. Joſephus de Coſta.

ANno 1696. in Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi pervenit ad vitæ ſuæ metam. Natus Conimbricæ, ibiqueSocietati conjunctus 2. Auguſti 1668. Semper apud Socios fuit de ipſius virtute ſingularis exiſtimatio. Poſtquam Conimbricæ tradidit Philoſophiam, illi eſt injunctum munus procurandi cauſas, & commoda vinctorum in carceribus Ulyſſipone. Ad tam pias curas deſtinat Societas in Domo Profeſſa Sacerdotum unum notæ charitatis, ut res ipſa poſtulat. Non potuit Joſepho labor adjungi gratior. Nulli rei magis ex animo ſtuduit, quàm bono proximi ad extremas conjecti miſerias. Ad id temporis deducebantur ad patibulum fœminæ nudis pedibus, id contra Chriſtianam modeſtiam cenſens, Regiis Miniſtris author fuit, ut juberent calceatis

ſtrent pedibus. Non contentus ſi muneris labore immênſo, erat aſſ duus in confeſſionibus audiendis, & habendis concionibus. E multis pa tuit argumentis ipſi cognitum fuiſſ mortis ſuæ tempus. Nam è noſtri uno moriente, dixit Joſephus: *Pri mus ego hunc ſequar.* Diebus paucis an tequam ſe Medicis traderet, valed xit devinctis in carcere his verbis *Valete tempus in omne, nam ego ad aliu mundum abeo.* Pecunias collectas a ſublevandos miſeros tradens alter Socio iturus ad vâletudinarium di xit; Non ampliùs revertar ad ho cubiculum; Illud admirabilius, quod ipſi contigit cum mercatore. E vin ctis unus pecunias ab eo ſurripuit eâ de causâ conjectus in vincula era cædendus flagello per urbis fora, & vias, inurendus ſtigmate, ac mit tendus in exilium. Si mercator de ſiſteret ab accuſatione, res eran molliendæ. Hominem rogavit Joſephus, ut condonaret miſero ſuum commiſſum ob ejus Domini amo rem, qui toties nobis impertit deli ctorum veniam; Promiſit facturum poſteà tamen promiſſo non ſtetit Eum rurſus conveniens Joſephus, quà verbis, quà lachrymis obſecrat promiſſa exequatur: Eo ad omnes obſurdeſcente preces, altiore motus inſtinctu, ac dolore penetratus; Benè habet, inquit Joſephus, quando, ruptâ fide, me illudis, te cito, ut mecum ſimul ſtes coram tribunali ſupremi Judicis, meque accuſante tucides rationem. Subriſit mercator,

tor, putans verba ex fervore pro-
ata. Intra breve tempus uterque
lecidit in morbum, ac lectum. In-
lies crescente periculo, mortuus est
nercator: id ubi fuit Josepho nun-
iatum, modo, ait, ego sequor.
Ne, multò post animam Deo red-
lidit.

P. Gaspar de Castro Martyr.

ARimæ apud Japones anno 1626.
vitam profudit in fidei testimo-
nium. Natus Bracharæ: Conimbri-
æ Societati mancipatus 25. Maji
578. ut esset temporalis Coadju-
or. Amavit multum laborem &
rationem. Ob ejus virtutes, alias
otes, & nonnullam de medicinis
eritiam sibi eum elegit comitem
. Sebastianus Moralius, cùm est
reatus Japonensis Episcopus. In na-
igatione mortuus est Sebastianus.
Gaspar aliquot annis commoratus
India. Videntes, qui regebant,
ominis præstantiam, ipsi jusserunt,
um ut latinitati, tum ut studeret
asibus conscientiæ: Sacris initia-
us, ad Japoniam est profectus anno
596. Tale de se principiò dedit
pecimen, ut antiquos illius vineæ
ultores fateri non puderet, se mul-
ùm in urgenda opera vinci per Ga-
parem. Profuit ipsi non parùm ad
erferendos labores corporis firmi-
as, & robustus vigor cum animi
onjunctus fortitudine. Annis 18.
rat operatus Evangelicæ culturæ,
ùm & ipsum, & alios Tyrannus ex-
erminavit de Japoniæ finibus: dis-
simulatâ veste eodem regressus, fa-
cta exscensione, flexis genibus, hu-
mum est exosculatus. Arimæ con-
sedit occultissimus; inde, quo res
poscebat, advolabat ad consolandos
& animandos Christianos. Quanta
sit per id tempus perpessus, explica-
ri paucis nequit. Longo tempore
delituit in foveâ, in qua ægrè cir-
cumvolvebat corpus. Semel, ut ef-
fugeret excubias, & exploratores,
qui propemodum erant infiniti, ad
expiscandos Evangelij præcones; in
feretro sepulchrali, tanquam mor-
tuus, humeris hominum exportatus
in dumeta, & loca invia. Illic, quod
esset valetudine nimium affecta, ja-
cens sub tugurio è ramis, & arbo-
rum, foliis adornato, ab alio de no-
stris sacro refectus Pane cælesti, ca-
ducarum in summa rerum omnium
penuria efflavit animam. Rogave-
rat, ut se humarent eodem loco,
in quo ex laboribus, ac molestiis
propter amorem fidei toleratis diem
obiverat.

Franciscus Gonsalves Coadjutor.

ANno 1618. in oppido *Ovar* Diœ-
cesis Conimbricensis repentinâ,
at non improvisâ sublatus morte.
Natus Calahorræ in Castella. Ante
initam Societatem militiam secutus
opinione hominis justi vel apud mi-
lites, & contubernales. Conimbri-
cæ dedit Societati nomen 6. Januar.
1584. Monetas aliquot aureas ser-
vandas tradidit Vasco Pirio Tyroci-
nij Magistro. Cùm paulò pòst sen-

tiret à Dæmone ſe tentari, quod in eis pecuniis haberet, unde viveret; rogavit Magiſtrum, illas impertiret pauperibus. Jam eſt factum, inquit Magiſter, quod petis. Tunc eſt penitus deterſa moleſta cogitatio. Nihil illi charius Religioſâ humilitate. Crebrò uſurpabat hæc verba: *Sum unus idiota, ſum una beſtia.* Si deerat ipſi aliquid in menſa: dicebat: *Parum refert, nam ego ſum una beſtia.* Singulis diebus Veneris tergum flagellabat in triclinio. Superfluum ex officiis domeſticis tempus orando conſumebat. Cum Sæcularibus rarò, & nonniſi de Deo conſuevit loqui. Plurima Miſſæ ſacra exaudiebat. Nonnunquam matutinis horis quinque vel ſex Sacerdotibus ſacris ſucceſſivè operantibus miniſtravit. Agebat Collegij janitorem, cùm noctu ſine luce adiens cubiculum ſuum, ubi habebat reſtituenda Dominis fictilia pretioſa Sinenſia, vulgo *Porſolana*: inconſideratè ſuper ea conjecit portæ claves. Ad ſtrepitum inquit: JESU. Credens omnia confracta. Verum accenſâ luce, reperit integra. Qui rem ſunt contemplati, divinitùs non dubitarunt fuiſſe ſervata, ne Dei fidelis ſervus alto defigeretur mœrore. Ibat ex Aveiro ad Ovarium Sacerdotem comitans, cum ſubita pernicies eum invaſit. Quamvis in anteacta hebdomade ter conſcientiam expiaverat, & ſe epulo ſacro refecerat, petivit confeſſionem, abſolutione donatus, JESUM, ac Mariam nominans, vitam exhalavit. Id valdè notatum eſt, quod afflatum pernicie, & viventem adhuc cum ægrè ſex homines eum portarent poſt mortem duo tantum, & quidem facilè extulerunt. Etiam eſt obſervatum lychnuchi oleum, quod ſole ret horis certis flammæ præſtare pa bulum, ipſo die præter conſueta horas aluiſſe flammam horis octo. Quæ ſunt notata tanquam magn virtutis argumenta; conſepultu eſt in ſacra Divæ Catharinæ ædicul prope maris æſtuarium.

P. Doctor Dominicus Cardozo.

VIr tum litteris, tum virtutibu inſignis obivit in navigation Indica anno 1571. Ortus eſt in oppido Gouvea Diœceſis Conimbricenſis. Conimbricæ venit in Societatem 22. Februar. 1550. Eboræ docuit Theologiam, & illuſtratus Doctoris gradu. Acceptus fuit Cardinali Henrico ob præclaras virtutes & egregium concionandi talentum quo fulſit inter excellentes ſui temporis concionatores. Ob eas dote gratiſſimus fuit ſanctiſſimo Archipræſuli Bartholomæo de Martyribus qui voluit Dominicum Epiſcopum fieri, ut ipſum in adminiſtrand Diœceſi adjuvaret. Verum nihil minùs, quàm tales honores, Vir religioſiſſimus appetebat. Rebus humanis meditans altiora ſummoperè nixus eſt ad Indiam proficiſci, ut vitam animas convertendo finiret. Adeptus, quæ concupiverat, navem conſcendit anno 1571. Prætoria,

qua

ua vehebatur Antonius Noronia ndiæ Prorex, & Pater Dominicus um aliis de Societate, morbis congiosis est infestata. Non sibi Dei ervus pepercit, incubuit ægrotis urandis admirabili diligentiâ. Ex oc labore contraxit morbum, quo andem perivit.

DIE VIII.

P. Urbanus Fernandes.

NAvigans ad Indiam anno 1553. imposuit vitæ finem. Natus llyssipone. Conimbricæ aggregaus ad Societatem 27. April. 1545. git Tyronum Magistrum, & Rectoem Conimbricæ. Cum ad hunc vectus magistratum, tanto est affetus dolore, totque profudit lachryıas, ut subditi eum habuerint conslandum; Etenim se credidit ictum Deo metuenda calamitate. Fortè ono misit Collegij molossum civi Conimbricensi. Rem sciens Simon odericius Provincialis ut nosceret, uàm obediens foret Urbanus, ipsi ussit, ut constitutis diebus, aut ebdomadis, civem conveniret, eteretque Collegio suo canem reitui. Quamvis semel, iterumque esponsum est, apud civem molosım jam non esse. Dum assignati on effluxerunt dies, non destitit Irbanus ab sua, ut apparebat, inurana petitione, nihil cogitans, quid ivis diceret, sed quid obedientia oscebat. Regebat Ulyssiponense Collegium, cum motus studiis animas salvandi, habitâ facultate, ad Indiam profectus. Pernicioso morbo se diffundente per nautas, & vectores, omnibus ex æquo consuluit, ac serviit Urbani charitas. Ex hujuscemodi servitiis hæsit illi morbus idem, qui cæteros prostraverat. Vicinus morti, vocatis ad se sociis, in lecto confidens, illis dixit; se valde consolatum mori, quod vitam poneret eo in itinere. Protinus manu sumens Crucifixum, eumque suavissimis compellans verbis in osculo Domini emortuus.

P. Doctor Ludovicus Brandam.

ANno 1663. in Domo Professa Ulyssiponensi exhalavit animam. Natus Ulyssipone ex parentibus tum opibus, tum nobilitate præclaris. Conimbricæ adscriptus Societati 21. Novemb. 1598. Tradidit Ulyssipone Philosophiam, & aliquo tempore in Eborensi Academia, & postea Theologiam, Doctorisque insignitus laureâ. Electus ad suffragandum, in Comitiis universæ Societatis Romæ creatus est Assistens: Quod munus obivit non longo tempore propter obitum Generalis. Reversus in Lusitaniam, rexit Domum Professam Ulyssiponensem. Postquam è Româ venit, licet magni fieret ab omnibus, essetque valdè notus ob litteras, virtutem, & nobilitatem, refugiebat commercia, & sermones cum Sæcularibus, dicens: ex animo se dolere, quod tam tardè bonum, quod in ea re sit, cognoverit. In

proferendis verbis adeò cautus fuit, ut eis neminem offenderit, deque ipso nemo sit conquestus. Etiamsi premeretur alicujus rei necessariæ penuria, ne uno quidem verbo suam indicavit necessitatem. Intimis sensibus amavit Societatem. Cogitabat de fundando nobis collegio ex bonis cujusdam suæ sororis viduæ. Quam addictus fuerit rerum divinarum contemplationi, satis probant aliquot Volumina Meditationum, quæ post ejus mortem sunt commissa typis, in quibus splendet, eminetque tum pietas Authoris, tum elegantia multa cum Divinæ Scripturæ scientia, & fideli sensu conjuncta.

Josephus Anchieta Scholasticus.

ANno 1707. præmaturè vitâ privatus Eboræ. Natus in oppido *Estremós* Eborensis Diœcesis. Eboræ Societati adscriptus 23. Julij 1694. Sanctus moribus, ingenio felix, & indefessus studio: Nemini mortalium obtrectavit: Orationi destinatum tempus, & conscientiæ discutiendæ traducebat flexis genibus: deditus, silentio, ferebat æquis animis, quidquid illi contingebat acerbum. Morienti singularis conscientiæ pax, & tranquillitas.

DIE IX.

P. Gaspar Vaz.

ULyssipone in Domo Professorum anno 1596. die mihi non compertâ migravit ad immortales. N tus in oppido *Chaves* Diœcesis Brach rensis. Conimbricæ additus Soci tati 17. Julij 1572. Fulsit præsta tissimo ingenio. Theologiam trad bat Eboræ, cum Illustrissimus, Reverendissimus Dominus Ferna dus Martinius Mascarenius Alga biensis Episcopus rogavit, ad se mi ti Gasparem, ut in sua Diœcesi præ dicaret verbum Dei. Ex nimio labo re cœpit ægrotare. Portatus Ully siponem, ut mitiori cælo, cæteris remediis, & commodis convalesc ret. Sibi videbatur restitutus, & se comparabat ad emittendam so lemnem Professionem, cum erupi morbus de novo, signis atrocibu indicans brevi subeundam mortem Nihil eo commotus nuntio, quo eum non arguerent conscientiæ mor sus. Funestavit Socios obitus homi nis immaturè rapti, de quo firman spem ad quæque magna concepera Societas.

Aliqui vitâ defuncti in navigation ad Indiam.

ANno 1599. viginti de nostris ad Orientem profecti, quibus erat Præpositus Pater Carolus Spinola Martyr gloriosus. Septem ibant naves. Nullus fuit Sacerdos ex Sæcularibus, vel ex aliis familiis Sacris, qui vellet, ut solebat fieri, curam animarum in navibus suscipere. Cum per id tempus infecisset pestis Ulyssiponem, metuebant Sacerdotes illi, ne secum naves ferrent auram per-

ni

ciosam, quâ interirent omnes. Idreo à navarchis nostri sunt rogati, dividerentur per septem naves; forent in singulis, qui animabus ospicerent. Annuentes tam piis otis, maximo fuerunt omnibus soio. In eo itinere perierunt *Petrus rcamius*, *Blasius Cardozus*, *Alphonsus varus*, Sacerdotes Lusitani, *Petrus ixianus*, & *Philippus Augerius* & ipsi cerdotes ex aliis nationibus, qui tas suas consecraverant non solùm dorum saluti, sed etiam navigantm.

P. Felicianus de Sylva.

N vastissimo Sinarum Regno anno 1614. vivendi constitutum tems explevit. Natus in oppido *Olira de Frades* Diœcesis Bracharensis. nimbricæ adjunctus Societati 15. cemb. 1593. P. Franciscus Sua- Granatensis quoties eum intuetur, solebat illud scripturæ repee: *Filius accrescens Joseph, Filius accres.* Migravit ad Indiam anno 01. Inde petivit Sinam, ubi mao zelo locavit industrias in Ethni- veræ fidei lumine illustrandis. ngularis erat apud omnes de Felini virtutibus opinio. Tertio an- post ejus obitum, cùm aperiretur ulchrum, illius corpus inventum incorruptum, & suavissimum exlans odorem; Cum Ethnicus ndarinus conaretur, invidiæ cau- ejus tumulum evertere, subitò uit cœlum more tam insolito, ut territus à conatu plenus pavore destiterit. Anno 1637. rursus apertâ sepulturâ, ut transferretur in locum decentiorem. Arbor enascens tumulum ambibat suis ramis singularem in modum, & ex ipso loco, ubi erat tumulus, perennis fons scaturiit: Quæ res magnoperè auxit, quæ jam apud omnes invaluerat de Feliciani virtutibus existimatio. Cum neophytus quidam crus nervis contractis in eas lymphas immergeret, subitò est sanatus.

DIE X.

P. Emmanuel de Almeyda.

GOæ apud Indos anno 1646. finiit vitam. Natus in urbe Visensi. Societati conjunctus Conimbricæ 12. Novemb. 1594. Non multum effluxit tempus post biennium Tyrocinii, cum paruit Deo ad Indiam vocanti. Quò vela solvit anno 1597. Goæ litteris studuit, ac posteà docuit sacram Theologiam. Post multos annos in India gloriosè consumptos, contendit ad Æthiopiam. In eo itinere perpessus famem, timores, & ægritudines; qui labores fuêre veluti gradus ad multos in Æthiopia tolerandos. Plurimis annis vixit in ea regione nulli parcens labori, ut plantaret fidem, quam illic vel ab ipso Imperatore conspexit publicè coli, ac regiis diplomatis prohiberi ritus antiquos hæresis Alexandrinæ. Rebus in deterius mutatis & ejectis in exilium Evangelij prædicatoribus, sustinuit cum aliis ærum-

rumnas incredibiles. Regebat ipſe Socios Æthiopicæ vineæ, cum exorta tempeſtas adverſus fidem. Placuit omnibus, ut ipſe migraret protinus ad Indiam quæſitum opem afflictis rebus. Habitâ facultate à Turcis occupantibus Æthiopiæ loca maritima, tranſivit Ademum in faucibus maris Erythræi. Vix poſſunt explicari, quot acerba tulerit Ademi, priusquam expedivit iter ad Indiam. Goam pervenit anno 1634. Reliquam ibi tanſegit vitam plenam virtutum exemplis. Provincialem, & Viſitatorem egit Goanæ Provinciæ. Illi dies abibant integræ vel comendando res Divinas, vel evolvendo libros aſceticos. In expellendis de Societate, quos parum idoneos noſtris obſervabat miniſteriis, fortis habitus, & conſtans. Minimi faciebat moleſtias ob eam cauſam ipſi creatas ab imperfectis hominibus. Goæ fuit Judex Deputatus, ut vocant, Sanctæ Inquiſitionis. Ut viveret ſibi, ac Deo liber ab ejus Tribunalis negotiis, & à Proregum, receſſit ad regionem Salſetanam; Ibi ſupremus eum implicuit morbus. Patefecit ſervo ſuo Deus obitûs diem. Maji decima, in quam anniverſarium Aſcenſionis feſtum incurrerat, audiens horologij pulſationem, quota foret hora? ſciſcitatur. Cum reſpondederent, ſemihoram eſſe poſt meridiem, dixit ægrotus: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Sub hæc verba petivit candelam accenſam; vix acceperat, cum mirâ vu[ltus], & animi pace efflavit an[imam]. Rerum Æthiopicarum Hiſto[riam] diligentiſſimè, & elegantiſ[ſi]mè ſcripſit.

Patres Didacus Viva, Antoni[us] Vivas, & Scipio Conſulino.

ANno 1629. dum quærunt In[diam], antequam eò appell[e]rent, emortui ſunt. Unus ſupr[a] quadraginta de noſtris hominibu[s] illo anno profectus erat. In navi[gatione] gatione cohors febrium & nautis & vectoribus incubuit. Non defue[runt] runt noſtri curandis animis, & cor[poribus] poribus ægrotantium. Ex ipſis tre[s] ſibi mors devovit. Hi fuerunt *Di[dacus] dacus Viva* Neapolitanus hac die, *An[tonius] tonius Vivas* Luſitanus, & *Scipio Conſul[i]nus* Italus ambo incertâ die. De ip[ſis] ſis nihil amplius mihi eſt comper[tum]. Sit illis longa hiſtoria feli[x] exitus.

Joannes Semedo.

ANno 1673. ſuſceperunt Indicam expeditionem 27. de noſtris. Crudeles morbi corripuerunt navigantes. Magnâ miſſionum jacturâ perierunt 13. Socij. Alios dicam ſuis diebus, Joannes natione Luſitanus hac die vivere deſiit. Quem apud nos gradum habuerit, non inveni, nec virtutes alias præter mortem hominis juſti, qui ſe totum conſecraverat animabus ſalvandis.

DIE

DIE XI.

Dominicus de Cunha Coadjutor.

ULyssipone in Domo Tyronum anno 1644. fecit vivendi finem. atus Ulyssipone. Professus artem ćturæ, in eaque magnum nomen leptus, & multam pecuniam ex ujusmodi exercitio. Nummus abunns adolescentem alioquin vanum oidini mancipavit. Vivebat aniæ suæ oblitus, cum misericors eus è veterno, quo sopitus erat, ccitavit acutis doloribus. His morrn illi minitantibus, conspexit, uàm proximus esset Inferis. Conentiæ laniatus stimulis, convenit uemdam cœnobitam, qui, consiratis vitiis Dominici, timens inmum non peccandi propositum, ominis tentandi gratiâ, verberavit ri reprehensione, ac distulit absotionem. Supra modum contristatus ivit nostram Domum Professam, i nactus mitiorem confessarium, prudentiorem; nam ex circumntiis verum esse dolorem non ducans, afflictum valdè est consolas, & absolvendo dimisit spe pleım: demum reversus scripsit supcem libellum, in quo rogabat . Virginem, sibi à suo Filio impeiret commissorum veniam, ac vi tempus ad agendam pro tot, nque atrocibus delictis pœnitenm. Post eam chartam magis larymis, quàm atramento conscriam, illud contigit admirandum, quod evanuerit penè ipsas inter manus, nec diligentissimè quæsita comparuit. Hanc felicem jacturam secuta est animi pax, & non turbanda tranquillitas, tanquam ad id tempus vitam traduxisset innocentissimam. Accesserunt ardentia desideria totum se Deo mancipandi. Cùm ob ægritudines æstuaret caloribus immodicis, petivit, sibi darent potionem refrigerando cordi, & temperando calori confectam. Famulus per errorem propinavit poculum olei amarissimi ad usus artis suæ parati. Quamvis errorem agnovit libato primis labris poculo, revocans in memoriam peccata sua, & fel in cruce gustatum à Domino, potionem totam impigrè hausit. Incitatus ad studia se Deo strictiùs conjungendi, votum emisit Societatem ineundi. Indè vacabat multum orationi. Cupiditates animi, & corporis diligenti studio conterebat: Magnam lucri partem tribuebat egentibus, & mendicis: suamet ars multum illi proderat ad erigendam in Deum, ac cælos mentem: Semel secessit orandi causâ ad interiorem partem vineæ. Ibi, dum oculos habet apertos, ac cælo defixos, culicum nubes in ejus oculos, & faciem involat. Ut se vincat, ac frangat, stat immotus dirum inter tormentum integrâ horâ, oculis inconniventibus, quin manu, aut motu aliò tantam abigat importunitatem. Pingebat in Domo Generalis Inquisitoris, ibi etiam noctu dormiens,

cum per quietem viſa ſibi eſt ante oculos quædam fæmina, quæ virtutis nomine obiverat prope domum Dominici, cuique ipſe faverat eleemoſynis; hæc illi dixit, latrones irrepſiſſe in ejus domum, & ſcrutari angulos. Excitus ſomno credidit merum ſomnium eam fuiſſe imaginem; quod tamen altè animo maneret impreſſa; primo mane ſe domum contulit, tunc reperit cardine ſuo fores amotas, eſſe transverſum ſcrinium ſuum in ipſa apertura forium; cùm enim vellent integrum ferre, ſic hæſit in medio, ut nullâ vi poſſet foras trahi. Ruptis eis loculamentis, quæ in exteriori erant parte, cum nihil præter inutiles inveniſſent chartas, timentes, ut conjectura fuit, lucem, vel ne ſtrepitus eos proderet, abierunt. Etſi, ut ipſi priùs exiverant per aperturam, ut ad ſe traherent ſcrinium, intus manerent, ut propellerent foras, non dubium fuit, clauſo, & impedito omni exitu, fuiſſe deprehendendos: tam firmè ſcrinium in eis hæſerat anguſtiis, ut, niſi forium reclusâ ſerâ, moveri non potuerit. Specialis eum, ipſiusque res Dei protegentis favor in eo micuit, quod loculamenta, in quibus erat repoſita pecunia, & quidquid ſervabatur pretioſius, erant in ea ſcrinij parte, quæ manſit intus, & quam perfringere, poſtquam hæſit prædicto modo, nequirent. Gratias Deo habuit, & magis animatus eſt ad ſubveniendum egenis. Multò plura extra

communem rerum ordinem illi ac
ciderunt, antequam ad Societater
veniret, quæ latiùs in ejus vita ſcri
bo. Cum aliis operibus indies ac
creſcerent alia, videretque proro
gari ſuum ingreſſum hujuſcemod
impedimentis; Secum deliberavit
nemine ſalutato, conjungi Tyroni
bus. Id executus Ulyſſipone 30
Martij an. 1632. ætatis 34. In Ty
rocinio præter opinionem ſuam ex
pertus inter orandum tantam aridi
tatem animæ, quantam foris nun
quam ſenſerat. Non ideò, quod ſ
cerneret ſpoliatum deliciis, quibu
ſuos Deus in oratione recreat, de
ſpondit animos, aut abjecit orand
ſtudia. Tolerabat patienter, done
paulatim ſibi eum Deus adjunxit pe
altiſſimam contemplationem, in qu
erat patiens Divina. Ad eum oran
di, ſeu contemplandi evectus gra
dum, cujus Deus efficit participe
ſibi amiciores in hac vita. Coram
imagine B. Virginis à Gratia illum
Deus certiorem reddidit unum eſſ
de prædeſtinatis ad æternam felici
tatem. Marcellus Maſtrillius Chri
ſti Martyr illuſtriſſimus quoſque Eu
ropæ pictores celebres fatigaverat
ut ſibi ad vivum pingerent S. Fran
ciſcum Xaverium eis oris lineamen
tis, quibus ipſi ſe dederat Neapol
conſpiciendum; Quamvis Marcellus
præſens verbis exprimeret Sanct
apud ſe conceptam imaginem, nul
lus Neapoli, Romæ, & Matriti pi
ctor inventus, qui ſuo ſatisfaceret
voto. Jam deſperatâ re, profectu

ru

ıs erat ad Indiam, cum Tyronum
ector eum invitavit, ut experire-
ır Dominici penicillum, paruit
on tam motus ſpe ullâ, quam
e videretur obſequium reſpuere.
atis indiciis, Dominicus in panno
m vivis coloribus depinxit, quid-
uid habebat in mente Marcellus,
t ipſe compos voti, nec ſe præ læ-
tia capiens, exclamaverit: *Hic meus Sanctus, hic meus eſt Sanctus.* Eam
cturam tulit ſecum ad Japoniam
arcellus, illius unum extat exem-
um in Domo Tyronum à Domini-
o exaratum. Septum domeſticum
cus erat, ubi ſe Deus oranti libe-
liùs impertiebat. Sæpe vis occul-
eum rapiebat ad ligneam crucem,
i extentis brachiis totus aptaba-
r, nec inde divelli poterat niſi per
mdem vim, quæ cruci ipſum ad-
overat. Impetus alij ex Deo ad
nores inſolitos, diverſosque mo-
s prorſus mirabiles incitabant.
d has contemplationes ex virtuti-
ıs gradum fecit. Quantum ſe ma-
raverit jejuniis, ac inediis, quan-
m fregerit, ac ſubjecerit inordi-
tas animi propenſiones, ex eo in-
lligitur, quod ſe perſecutus ſit
lio inſatiabili. Præcipuâ quâdam
neratione colebat Sanctiſſimum,
risti crucem & Martyria, ac B.
irginem Matrem. Multarum re-
m futurarum Deus eum fecit con-
um. Nolebat ab ullo juvari fa-
ulo in conterendis pigmentis, ne
i qualecunque levamentum con-
deret. Exiſtimatum eſt phthiſim,
quâ putruit, ortam ex odio ſancto, quo ſibi intulit vim perpetuam. Vehementer deſideravit in ſumma rerum mori ſolitudine, tum ut Chriſtum morientem expreſſiùs referret, tum ne Sociis ulli eſſet labori. His votis ſubſcripſit Deus, nam manè inventus eſt mortuus corpore modeſtiſſimè compoſito, & facie tam lætâ, ut facilè apparuerit, cujus animæ domicilium, id corpus fuerit. Apud omnes, qui noverunt, non vulgaris de illius virtutibus fuit exiſtimatio. Ea poſt mortem rebus admirandis eſt comprobata.

P. Emmanuel de Moura.

IN Domo Profeſſa Villæviſſoſæ ad cælos conceſſit anno 1697. Natus in urbe *Faro*. Adſcriptus Societati 6. Octob. 1651. Antiqua bonitas, manſuetudo, humilitas, & modeſtia in ipſo fuerunt ſpectabiles. Vixit ſemper rebus Divinis mente tam addictâ, ut vi morbi delirans neſciret pronunciare niſi Davidicos Pſalmos, & verba ſancta. Repentè converſus ad angulum cubiculi cæpit alloqui ſuavibus colloquiis. Sciſcitantibus, ad quem eos dirigeret ſermones? reſpondit: ad ſanctos Angelos, quos præſentes intueor, exſpectantes, ut anima mea ſolvatur corpore, ut ſecum eam deducant in cælum. Propter ſingularem de ejus virtutibus opinionem multi petebant aliquid ex rebus, quæ ipſi

fuerunt uſui, ut cum veneratione conſervarent.

DIE XII.

P. Garcia Simoes.

LOandæ in Angola anno 1578. cœpit frui ſuorum laborum præmiis. Natus in oppido *Alemquer* Diœceſis Ulyſſiponenſis. Conimbricæ Societati aggregatus 5. Martij 1556. Cum alio ſacerdote, ac duobus Coadjutoribus anno 1574. miſſus ad Angolam in claſſe, quâ vehebatur Paulus Diaſius Novalius Luſitani Fundator Imperij apud eos Æthiopes: Invenit Garcia mores Luſitanorum ibi negotiantium perditiſſimos: Vix retinebant Chriſtianorum nomen. Prorſus ignorabant, quid eſſet confeſſio de peccatis. Per Quadrageſimæ tempus non guſtabant piſces. Quod Patres improbarent morem tam barbarum, conati ſunt ipſis Patribus ſuadere, id fieri ex neceſſitate; ſi enim piſces ederent, valetudinem graviter offendendam. Nihil vanos terrores curaverunt, ſed exemplo ſuo convicêre falſitatis illorum abuſum, & abſurdam opinionem: nam veſcentes piſcibus, gaudebant integrâ valetudine. Ut obviam iretur egenorum neceſſitatibus, monente Patre Garcia, inſtituta eſt Domus, & Sodalitium Miſericordiæ. Simul curandis infirmis eſt ædificatum noſocomium. Secundum hujusmodi curas aggreſſus eſt totam Loandæ Inſulam ad veram fidem converte re. Fregit idola, quibus gens era ſupra modum dedita. Maximo ſuo & ſociorum labore Catecheſi inſtru ctos lavit ſacris undis. His labori bus diligenter incumbentem occu pavit mors non ſine magno omnium dolore, qui eum tanquam Virum ſanctum multâ proſequebantur ve neratione.

P. Joannes de Beira.

GOæ apud Orientis Indos anno 1564. extremum emiſit ſpiri tum: domo Gallecus ex *Ponte Vedra* Coruniæ fruebatur Canonicatu, cum illuc appulſus eſt veniens è Flandri noſter Franciſcus Strada cum aliis de Societate Conimbricam anno 1544. Ut erat Strada vir Spiritû Apoſtolici, & qui ſuis concionibus ad arbitrium verſaret auditorum animos, & incenderet vitæ Sanctio ris deſiderio, habuit concionem, quâ ſic eſt permotus Beira, ut ſpretis re bus perituris Stradam decreveri non ſolùm imitari, ſed etiam ſequi Conimbricam usque, ibique Socie tati ſe tradere, ut fecit 7. Februari prædicti anni. Sequenti anno cum aliis miſſus ad Indiam, fueruntque primi de noſtris, qui poſt Xaverium id iter ſuſceperunt. Illius virtus era tanta, & tam nota, ut Didacus Bor banus presbyter egregiæ Sanctitatis Beiram dixerit *Paradiſi Cherubinum* Poſtquam in ora Comorini promon torii dedit operam animarum cultu ræ, & meſſi, ab S. Franciſco Xaverio

miſſus

iſſus ad Molucas Inſulas ; ubi po-
it initia domûs, quam illic habuit
ſtra Societas. Terrâ, marique
ſſus incredibiles labores ad ſtabi-
ndam fidem apud eas gentes. In-
meros ethnicos Chriſto conver-
. A fidei deſertoribus per ſum-
am fraudem venditus, ac Mauris
aditus. Verum eos DEUS fame,
llis, aliiſque metuendis ſuppliciis
tantam injuriam attrivit. Ab
piorum liber manibus rediit ad
imarum culturam. Ædes ſacras
exit quamplurimas. Geiloli Rex,
fenſiſſimus Chriſtianis, miſit, qui in
lium fidei eum trucidaret. Tam
æſenti periculo ereptus ope Divi-
, ut Molucenſem promoveret Ec-
eſiam. Semel navigio, quo fere-
tur, undis obruto, credentibus
nnibus ipſum periiſſe, repertus eſt
littore ſiccis veſtibus, ac Brevia-
o etiam arido ſub axilla brachii.
ercontantibus, qui natando emer-
rant, quomodo adnataſſet littori,
ſtibus ac libro ne leviter quidem
adidis? ſolum reſpondit: *Illò ſe à*
EO perductum. Sæpè conſpiratio-
es Maurorum adverſus Luſitanos
mperit, ac difflavit. Regreſſus
oam, ut nova ſubſidia operariorum
l Molucenſem vineam conduceret,
i juſſus à Majoribus ſubſiſtere, quod
boraret affectâ nimium valetudi-
e. Goæ tranſegit reliquos annos
ultis virtutum exemplis. Ejus
anctimoniam erexit laudibus S.
anciſcus Xaverius.

DIE XIII.

P. Stephanus Coelho.

ULyſſipone in Domo Profeſſa anno 1696. conceſſit ad non perituram quietem. Natus Villævicioſæ Diœceſis Eborenſis. In Societatem adoptatus 11. Aprilis 1636. Ab omnibus ſemper habitus eſt vir moribus incorruptis, & ad noſtri Inſtituti miniſteria ſingularis operarius. Ubi primum noctu ſonans januæ tintinnabulum exaudiebat, continuo ſurgens è lecto ſolitus offerre ſe ad peragendam Confeſſionem, vel morientes juvandum. Paupertatis ſic eſt amore captus, ut vulgò Socii vocarent eum *Pauperrimum*. Agens in Collegio Divi Antonii Procuratorem, & in Eborenſi Præfectum Typographiæ Academicæ multùm ſuis auxit induſtriis Religioſæ paupertatis bona. Poſtremis annis vixit in Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi. Pecuniis emendicatis primariam templi noſtri campanam, quod eſſet fracta, ideóque ad ſuos uſus inutilis, de novo curavit fundi. Quotidiè horis pomeridianis adibat januæ peryſtilium viſurus, ſi quiſpiam eſſet vir externus, qui per confeſſionem vellet expiari. Ex aſſiduitate confidendi in Confeſſionum Tribunali torpentibus nervis, coactus eſt affigi lecto, quod pedibus uti non poſſet. Ibi audiebat confitentes, transgreſſuſque 77. ætatis annos, adſcriptus eſt immortalibus.

DIE

DIE XIV.

P. Gonſalus Vaz de Mello.

ANno 1563. in Domo Profeſſorum Ulyſſipone ſupremum diem explevit. Natus in oppido *Villar* Diœceſis Viſenſis. Filius fuit illuſtriſſimi Viri Antonii de Mello, qui Rhodum migrans præfuit cum omni maris poteſtate triremibus Equitum Divi Joannis. Poſteà fuit ſummus Præfectus Triremium Papæ Clementis VII. Gonſalus, amplo reditu à Conſanguineis aſſignato Conimbricæ navabat operam altioribus ſtudiis, pleniſſimus ſpei magnæ tum ob ingenii, tum ob nobilitatis præſtantiam; cum ad Societatem ineundam adjecit animum: eam amplexus 7. Februar. 1544. Fuit è primis de noſtra Societate, qui anno 1547. ſacras obivit Miſſiones. Cùm enim Rector Collegii nonnullos deſignaret ad hujusmodi excurſiones, Gonſalum gratiâ reficiendi extenuatas vires miſit ad Reſidentiam S. Felicis proximam flumini Minio. Valetudinis immemor, & otii neſcius per pagos,& oppida vicina diſcurrit concionando magnis animorum motibus. Certatim enim accidebant ad confeſſariorum pedes. Poſteà adivit Algarbiam, idque regnum totum illuſtravit miris doctrinæ radiis. Concionatoris virtus, & exemplum pro concione erat obſervantibus. Vix fuit alius ſui commodi negligentior. Eodem induſio, in quo de Conimbrica egreſſus, illò redivit, exuitque tam putre ſudoris causâ, ut am pliùs nulli fuerit uſui. Ad tale mi niſterium tantus fuit, tamque fer vens, ut eum vulgò dicerent: *Alu rum Joannem Baptiſtam.* Quot homi nes ad meliorem traduxerit frugem vix quis aſſequi poteſt numerum dum Conimbricæ tonat in vitia, ſi verbum Dei mutavit animos,ut Aca demici Religionum clauſtra conqui rerent, ut ita dicam, agminatim Scholaſtici 32. uno ſolùm menſe ſ diverſis tradiderunt Religionibus Seſqui anno noſtram Societatem in greſſi ſunt octoginta, permoti omne concionibus Gonſali. Cùm fore unus ex optimis ſuæ ætatis concio natoribus, nihil eo erat humiliu Primus fuit, qui Ulyſſipone in Dom Profeſſa ſuſtinuit onus Magiſtri ſan ctæ doctrinæ, ſecundúsque ejusdem Domûs Præpoſitus. Non conten tus tolerantiâ ſuorum morborum, adjecit alias ſpontaneas vexatione Diebus jejunio deſtinatis necdum phthiſi laborans voluit manè jenta culo ſe reficere. Colligens ſe ad Profeſſam Domum infirmus, noluit cubare lecto, quod lodix, & cervical eſſent ab externis commodata, propterеáque magis pretioſa, quàm deceret Chriſti pauperem. Non obſtante virium imbecillitate, & valetudine affectâ, nec ibat ad conciones extra domum, nec redibat niſi pedes. Cùm ſe reficiebat cibis, conſiderabat ita ſe à vermibus rodendum, & comedendum. Magna ipſi charitas adverſus ſubditos, & in eorum

m commodis procurandis, ac tuen-
s constantia. Cum Hieronymus
atalis Commissarius imperasset mi-
i pondus carnis in portione capi-
li; Gonsalus jussit, id solum fieret
portione Patris Commissarii, ut
a eum doceret experientia, quàm
rum esset conveniens id impe-
m. Ubi Commissarius in suo ca-
o coctæ carnis vidit paucitatem,
utavit sententiam, jubens tribui
nsuetum pondus. Virginem Ma-
em singularibus coluit obsequiis,
a, ut ostenderet, quàm sibi gratus
ret, in nube sedens suo Clienti,
m iter facit, præivit, tanquam
am docens. Ex Missionibus in Al-
rbiis contraxit initia phthisis evo-
ens sanguinem. Provincialis erat,
m ex eo morbo defecit. Illius
equiæ tot nostratium sunt irriga-
lachrymis, ut hæ cantum impe-
verint, quem continuarunt Ludo-
cus Granatensis Dominicanus, &
udovicus Montoya Eremita S. Au-
stini, viri sanctitate ac litteris præ-
rissimi, qui præsentes erant.

P. Michael Minois.

Anno 1628. excessit vitâ Ulyssi-
pone. Natus in Japonia. Ut
taret molestias à Consanguineis,
i ferebant ægrè eum patrios Deos
seruisse, fugit ad Indiam, ex quâ
vigavit ad Lusitaniam. Eboræ
duit Philosophiæ, ac factus Ar-
m Magister. Motus desiderio Ec-
esiam in suo fonte videndi, & simul
orandi Sanctorum illustres memo-
rias Romam profectus. Ibi se junxit Societati, & absolutis studiis scientiarum, revertit in Lusitaniam. Anno prædicto, ut suos populares contineret in orthodoxa fide, navem ad Indiam conscendit; sed ventorum à prora flantium pertinaciâ impedito itinere, navis Ulyssiponem rediit. Ex tot laboribus pro DEI susceptis gloria Michael ægrotans, animam suo reddidit Conditori.

DIE XV.

P. Doctor Paulus Carvalho.

Bahiæ in Brasilia anno 1621. fecit vivendi finem. Natus Eboræ, & ibidem iniit Societatem 7. Maji 1591. Raro ad scientias nituit ingenio: propterea magni eum habuit Christophorus Ægidius Clarissimum nostræ Societatis lumen. Tradidit Eboræ Theologiam, & insignitus laureâ Doctorali. DEUS eum ad Missiones vocavit peculiari modo. Dictaverat suis auditoribus nescio quam quæstionem solidis firmam rationibus, quæ displicuit ob novitatem. Delata est ejusmodi doctrina apud Moderatores Societatis. Post varias altercationes, ut moris est in similibus controversiis, rei judex est constitutus Franciscus Suarius Granatensis. Ingenuè fassus est eam doctrinam rationibus stabiliri nequaquam infirmis, tamen propter novitatem à se non probari. Tunc Paulo injunctum fuit, ut ex cathedra juberet auditoribus eam in dictatis

ac-

acceptis doctrinam, & quæftionem obliterarent, ac transverfo calamo delerent, quando ita placebat fuis Majoribus. His dictis, ac factis, confiderans ille rerum humanarum vanitatem, cathedræ valedixit. Cupiens vitam reliquam apud Brafilos animas falvando confumere ; illò navigavit: 52. diebus illud iter confectum ; Quamquam erat viribus tenuiffimis, naufeam ex jactatione, & alias vexationes, quas cæteri funt paffi, folus ipfe non eft expertus. Vectores, & nautas multum juvit quà vitæ fuæ exemplis, quà exhortationibus ad virtutem. Sapientiam fuam nunquam oftentavit, pluris eam Chrifti faciens humilitatem. In Brafilia totus fuit in perdifcenda regionis lingua. Conceperat animo opinionem altiffimam de viris, qui vitam, ac vires in Miffionibus Ultramarinis confumunt. Ajebat, nihil effe fub Cœlo gloriofius. Idcircò maximi æftimavit oblatam occafionem relinquendi magifteria. Ubi primùm eft appulfus Brafiliæ, unicè curavit fecedere ad pagos indigenarum, qui noftris hominibus funt curæ. Ut linguam gentis citiùs arriperet, fibi tutelarem Patronum elegit Jofephum Anchietam. Prætereà diligentiffimam impendit operam. Quos brevi fecit progreffus, vifi funt humanis applicationibus majores, & plus valuiffe Anchietæ patrocinium, quàm ftudium. Ajebat, nunquam fe in ftudiis fcientiarum tantam fenfiffe dulcedinem,

quantá experiretur in ftudio lingu
Brafilicæ. Initio vocatus ad affifter
dum ægrotæ agenti animam, quo
nequiret ob ignorantiam linguæ ea
confolari, ipfiúsque excipere confe
fionem, domum reverfus eft mœror
confectus, ac genua flexus ante Cr
cifixum ubertim gemuit, & flevi
Nihil cibi præ dolore potuit trajic
re ; dixit: fibi tunc pluris fuiffe f
ciendam linguæ peritiam ad eam ju
vandam animam, quàm omnem Phi
lofophiam, & Theologiam. Mirif
cè recreabatur vivendo inter Bra
los fub tugurio: de fe fentiebat hu
millimè. Ejus modeftia propemo
dum Divina tantam illi apud omne
creavit opinionem, ut vocarent San
ctum. Cum extenuaretur hectic
febre, juffus eft, fe conferre ad Colle
gium. Actum effe de vita, nihil du
bitans, piiffimis actibus fe ad fubeun
dum poftremum agonem compara
vit. Ut oftenderet, quantum ve
neraretur Sanctiffimum heroem Jo
fephum Anchietam, voluit morien
ad caput fuum habere illius Arte
de lingua Brafilica. Extat ipfius va
ticinium, quo prædixit Lufitaniam
gementem per id tempus fub Caftel
lano Imperio, tandem aliquando Re
gem habituram Lufitanum ; cujus
veritatem eventus confirmavit an
no 1640. cum ad thronum eft eve
ctus Joannes Princeps Brigantinus.

P. Emmanuel de Cofta.

BAffaimi apud Indos Orientis an
no 1618. diem obivit. Natus
in

oppido *Amarante* Diœcesis Bracha-
nsis. Conimbricæ Societati ad-
ctus 25. Febr. 1586. Profectus
Indiam, ibi claruit animarum
o, & multis aliis virtutibus. In-
nem fecit vaticinium paucis die-
s ante mortem suam è sacro pul-
ò pronuntiatum; cùm enim de-
maret adversus corruptissimos
ntis mores, hæc effudit verba:
tibi, Bassaimum, væ tibi, quam ma-
m supplicium in te Deus paratum ha-
? sed jam meis oculis id non videbo.
s ipsa dicti veritatem probavit:
n Emmanuele vitâ defuncto, tan-
procella, & ventorum turbo Bai-
mo, ejus agris, marique incubuit,
tâ vastitate arborum, ac navium
videretur cælum ruere, mundum-
e è suis convelli sedibus. Tunc
si urbis incolæ suas Deum ulcisci
urias, permoti sunt ad commissa
enda lachrymis, & confessione.

DIE XVII.

P. Franciscus de Vasconcellos.

Nno 1662. in Collegio Divi An-
tonij Ulyssipone naturæ conces-
. Ibidem natus amplâ domo, &
entibus illustrissimis; dicebantur
rtholomæus Vasconcellius de Cu-
, & Juliana de Mello. Editus
lucem 11. Aprilis 1631. Cùm
ter partui vicina periclitaretur
ri, domus ad januam accessit ig-
tus Eremicola; sciens causam tur-
ionis omnium domesticorum,
am gestabat ligneam crucem de
collo appensam, dedit uni è famulis dicens: *Hac Cruce dominam vestram contingite, protinus sine morâ pariet.* Id ubi factum, editâ prole, mulier evasit mortis periculum. Accurrens famulus ad gratificandum Eremicolæ, eum non reperit, nec, quo divertisset. Ubi crevit, patuit Deum Franciscum sibi velle totum. Illius erant curæ legere sanctos libros, ministrare Sacerdotibus ad aram facientibus, crebrò adire confessarij pedes, & sacri panis mensam. Quamvis domestici, & consanguinei cupiebant eum cernere magis deditum exercitiis dynastarum, & profanæ vanitati, quàm Divinis commentationibus, pro nihilo pendebat illorum inanes cupiditates. Admissus inter alios nobilissimos ephæbos ad serviendum Regi in aulâ, tam raro virtutum fulgebat exemplo, ut eum cæteri non alio, quàm Apostoli nomine vocarent, ut in Lusitania nostros appellant homines. Sanctus ille Princeps Theodosius Regis filius, & hæres eum dilexit, ut Jonathas Davidem. Cum ipso familiarissimos miscebat sermones, & obibat exercitia pia, quibus Princeps peramanter indulgere solitus. Suam fortunam, quamlibet magnam, & majora pollicentem existimans, (ut ipsa re erat) vanam umbram, statuit pessumdare, ut Christum liberiùs imitaretur. Res immensis videbatur septa difficultatibus. Unigenitus erat suorum parentum filius, non solùm paternæ domûs spes, sed

aliquorum è conſanguineis, qui prole carentes Franciſcum deſtinaverant hæredem ex aſſe. Societas, quam ſolum ingredi parabat, nollet in ſe armare tam potentes dynaſtas. Licèt oculis tot montes difficultatum obverſarentur, animos non deſpondit. Confidebat enim Deum, qui vocabat, viam expediturum. Multis annis fatigavit noſtra limina, & noſtros Moderatores petitione ſuâ, quæ quidem ſemper eſt rejecta. Non fecêre ſegnem in ambiendo tot repulſæ. Per id tempus Joannes Brizacierius natione Gallus cum munere Viſitatoris venit in Luſitaniam causâ faciendi ex una duas Provincias. Conſiderans ille diuturnam Franciſci petitionem, omnibus poſthabitis difficultatibus, illum adoptavit in Societatem. Ultima die Martij anno 1654. ſub noctem, uno comitatus famulo, ac Joanne Carvalio æquæ nobilitatis adoleſcente, de quo 22. Martij; Tyrocinium auſpicatus Ulyſſipone. Cum tenebræ ſe intenderent, famulus, qui ad januam expectabat, monuit janitorem, diceret domino ſuo tempus eſſe domum ſe conferendi. Cui reſponſum eſt: ipſum poſſe diſcedere, Franciſcum Tyronibus Societatis additum. Ad eam vocem obſtupuit, & convolans nuntiavit matri, quæ ſine mora inſtar leænæ, cui paſtor abſtulit catulos, properat in noſtram domum. Rectorem in templo alloquens, quæ dixerit, quantum de nobis ſit conqueſta, quas minas,

quas expoſtulationes ediderit, n
reſtituatur filius, lectori relinq
perpendendum. Juſſit Rector, Fra
ciſcum in conſpectum venire, q
mitigaret matrem ſuam, aut ſi v
let, cum ipſa ſe reciperet in domu
ſuam. Acceſſit adoleſcens, & po
quam nulla ratione potuit lenire m
trem furentem, generoſis animi
& ſiccis occulis, verbiſque diſert
ſimis illi dixit, ſe Chriſtum ſeq
velle, non vanas mundi illecebr
Nihil in terris eſſe, quod ſe ab h
mente dimoveat. Nec ultra mat
nas attendens lachrymas, intrò
ſuſtulit. Per id tempus Franciſci p
rens ſummus erat Præfectus Inſu
Madeiræ. Ubi triſti nuntio perc
ſus, juſſit omnia arcis majora to
menta ad noſtrum Collegium re
converti, minitans diſplodenda,
ſatiet iram ſuam. Abſtinuit tam
à tam præcipiti conſilio. Excub
bat mater per ſuos famulos in om
nes opportunitates deducendi filiu
in domum ſuam. Exierat Franc
ſcus cum duobus Tyronibus adu
que Domus Profeſſæ januam, ut in
ter mendicos prandium ſumere
Certior facta mater revertente
occupat, ac volentem, nolente
per famulos in domum ſuam perd
ci jubet. Triduo ibi commoratus
matre incaſſum machinas omnes, u
eum molliret, admovente. Conti
nuaret, niſi Regis decretum illa
ad reſtituendum nobis Tyrone
compelleret. Non continuit quere
las ſuas intra Luſitaniæ fines, ſed il
li

pleniſſimas litteras mittit ad Pa-
m Generalem, à quo eſt reſcri-
um, deponerent Franciſcum in ali-
o urbis cœnobio, ubi ad matris
itrium eſſet interrogatus, & ex-
rata ipſius voluntas. Diebus ali-
ot receſſit in Cœnobium Franci-
norum. Omnes applicitæ machi-
irrito conatu. Tandem innume-
ornatus victoriis, domum regre-
ur. Poſt biennium ſtudiorum cau-
miſſus Eboram: inde revertit
iponem ad humaniores litteras
ocendum. Sacris initiatus, ſub
em anni primi magiſterij ſui ad
lum vocatus. Tota ipſius vita,
minis fuit à Deo electi. Innata
t illi ad res Divinas propenſio.
oties ad infirmos prodibat ſacrum
aticum, comitabatur. Quo ar-
bat amore erga Virginem Matrem,
endit externos in ſcholis Ulyſſi-
nenſibus. Ille conſtruxit ædicu-
n Virgini à Bonis deſideriis in ſca-
, quibus deſcenditur ad ſchola-
m atrium; erexit Sodalitium à
tena dictum, quod Scholaſtici So-
les Virginis catenulâ ſuccincti bra-
ij carpum teſtarentur ſervitutem
m. Id ſacellum poſteà dejectum
ædificij causâ. Ajebat, ſe pluris
bere coquum eſſe in Societate,
àm totius orbis imperatorem. Ad
s venit jam ſanctus, æquales ſuos
ocurabat ab vanis rebus averte-
. Multis ſuaſit, ne comœdiis in-
reſſent. Eos docebat orare. Le-
bat illis libros aſceticos, eos præ-
tim, qui tractant de bono ſtatu
Religioſi. Magiſtrum agens inviſe-
bat carceres, ſuiſque ad ſanctos
mores exhortationibus illic deten-
tos animabat. Introduxit, quod al-
tâ voce canerent diebus ſingulis Ro-
ſarij tertiam partem. Dum eſt ver-
ſatus in Regia, nunquam oculos fixit
in fæminam ullam, nec eas novit ex
facie. Quodque rarius, ne ad fa-
mulos quidem ſuos oculos ſuſtulit,
cum id non tam periculoſum ſit, at-
que eſt intueri fæminarum vultus.
Venit eum inviſum illius mater, cu-
jus maternum reſpuit amplexum di-
cens: ſi vellet, quod impoſterum
vocatus ad ipſius accederet conſpe-
ctum, eâ futurum conditione, ne
ſe contingeret. Virginitatem ſer-
vavit illibatam, ne eam vel levis
afflaret nubecula, tum corpus, tum
omnes corporis ſenſus cohibuit, ac
frænavit diligenti curâ. Cum indies
eum attenuaret phthiſis, Moderato-
res noſtros rogavit mater, ſibi con-
cederent deduci filium ſuum ad ho-
ſpitalem domum Virginis à Luce
duobus milliaribus ab Ulyſſipone
diſtantem, ut poſſet conſulere per
ſe valetudini tam chari capitis. Cùm
nulla prodeſſent remedia, ſtrenuè
comparavit animum ad ſupremam
luctam. Ceſſarunt omninò ſcrupu-
li, quibus in vita fuerat obnoxius.
Id rarum eſt viſum Confeſſario, cui
Franciſcus: Ne mireris, Pater, qui
ſunt per multos annos hujuſcemodi
anxietates perpeſſi, nullas prope
mortem pati ſolent, volente nimi-
rum Deo, penitus extingui, ut ſervi

ſui tranquillè moriantur. Octo Societatis numerabat annos meritis cumulatiſſimos. Cadaver portatum eſt ad Collegium noſtrum, ibique mandatum ſepulturæ; de Franciſci virtute tanta fuit exiſtimatio, quanta de præclaris ſanctitate Viris. Religioſus ex Chriſti Ordine, qui ſupremam excepit ægrotantis confeſſionem, faſſus eſt, non ſibi usquam inventum purioris animæ virum.

DIE XVIII.

P. *Joſephus de Amaral.*

ANno 1673. in navigatione ad Indiam vitam abſolvit. Natione Luſitanus. Prædicto anno moleſtiſſimum omnibus accidit illud iter. Navis eſt viſa noſocomium ægrotantium, & morientium. E noſtris non minùs tredecim animas poſuerunt. Habuit amplum theatrum charitas. Inter eos, quos rapuit mors, unus fuit Joſephus. Nec de ipſo monumentum aliud relictum eſt. Certè tantum, & tam laborioſum iter aggredi ſolùm ob lucrandas Deo animas, opus eſt ex omni parte heroicum, ſatisque indicat virtutes multas, quamvis de ipſis non ſit juſta narratio ſcriptis mandata.

DIE XIX.

P. *Gaſpar de Miranda.*

EBoræ vivendi tempus explevit anno 1639. Natus in oppido *Alegrete* Diœceſis Portalegrenſis. Ebo ræ conjunctus Societati 20. Decemb 1578. Annos ſupra 60. vixit in So cietate. Uno ſolùm extra Collegiur Eborenſe. Præclaruit ingenio a ſcientias. Ex ipſius obſervationibu in Grammaticæ præcepta magna e parte noſter Antonius Velleſius con ſtruxit eruditiſſima commentaria quæ vulgavit ſuper Emmanuelis Al vari grammaticâ. Viginti annis tra didit Eboræ Moralem Theologiam tanto nomine, ut Franciſcus Suar Granatenſis alter Scholarum Sol poſ Divum Thomam, tranſcribi curave rit Gaſparis Scripta, ut ſibi eſſen uſui: de Medicina non pœnitendam adeptus notitiam, quâ multum pro fuit noſtris infirmis; hos enim ſingu lari fovit charitate. Studiis virtu tum impendit operam accuratiſſimam. Humilitas Religioſa, commercium cum Deo, charitas erga omnes æqualis, eum majorem in modum exornârunt. Licèt mille injuriis proſcinderetur, nemini mortalium eſt iratus, nec expoſtulavit cum aliquo de convitiis illatis: ſemper comitabatur Medicos, cum ægrotos inviſebant, adnitebaturque, ut illis ſuo tempore præberentur præſcripta medicamenta. Morientes piis juvare colloquiis, & animare ad ſupremum agonem, una fuit ex præcipuis ipſius curis. Habuit ſpeciale donum in pacandis diſcordium animis. Ejus cubiculum videbatur paupertatis domicilium. Sine facultate Majorum nec dedit, nec ac-

ccepit vel unum obolum, aut teuncium. Ut acceptaret ægrotus ıpedia nonnulla, quæ vir nobilis, ıi erat à confeſſionibus, miſit, obntâ priùs à Rectore Collegij facultε ad acceptandum, induci non ɔtuit, dicens, quamvis eſſet facul-s conceſſa, non cogi ſe tali uti ɛneficio. Propterea neceſſum fuit ıperium Rectoris, ne dantis pietas ɔntriſtaretur. His cupediis eſt uſus ɛrciſſimè. Diuturnum morbum lerantiſſimè ſuſtinuit. Præſcivit ortis ſuæ tempus. Cum apud nos, tum apud externos promeruit agnam virtutis opinionem. Ingne de illo elogium habet in ſuo giologio Luſitano Georgius Carɔzus Vir de noſtra natione infinim, & immortaliter meritus.

P. Joannes Correa.

ANno 1601. in Domo Profeſſorum Ulyſſipone de vivis exceſſit. atus in urbe Portuenſi. Conimicæ Societati addictus 30. Januar. 560. Antequam ad Religionem ıimos adjiceret, virtutibus accura-ſtuduit. Octavo quoque die uebat per confeſſionem conſcienam, & reficiebatur cœleſti pane, lebatque multis obſequiis Virgiem Matrem. Vixit in Societate nis 40. exemplo ſemper ſpectabili. ipſius ore non excidit verbum acundum, vel degener à virtute. lienas calamitates doluit, tanquam as. Idcircò vocabatur omnium ater. Ob ſingularem zelum obſervantiæ Religioſæ conſtitutus eſt à Patre Generali Regularum Viſitator in aliquibus Provinciæ domiciliis. Traduxit annos ſupra 20. in Domo Profeſſorum. In audiendis pœnitentibus tam patiens, & aſſiduus fuit, ut videretur ex ferro, vel ære factus. Æquè aurem commodabat egenis, ac ditibus, mancipiis, ac Dominis. Poſt ſingulas confeſſiones ſolitus ſuam explorare conſcientiam, an in aliquo defuiſſet obligationi ſuæ: ſi comperit vel levem negligentiam, eâdem die cuncta ſuo declarabat Confeſſario. Sentiens tentari ſe morbo, petivit, ſibi concederent cubiculum ſecus infirmorum Sacellum, ut quotidiè poſſet per feneſtram audire Sacrum, & Sacrâ Synaxi recreari. Duobus vitæ poſtremis menſibus nec interdiu, nec noctu poterat corpus in lecto extendere, ſedebat ſemper magnâ moleſtiâ, ſed majore patientiâ: Suis purgatus doloribus, ut in igne aurum, migravit ad Beatorum ſedes.

P. Gregorius Pariſius.

ANno 1657. in navigatione Indica contigit vitæ finem. Domo Neapolitanus. Magnæ litteræ, magnæque virtutes eum exornarunt. Sui corporis fuit tam infenſus hoſtis, ut pridie ſuum obitum, quanquam eſſet valdè attenuatus, flagello ſe ceciderit. Poſtulavit, ne, cum ſuum cadaver in undas conjicerent, ullum pondus, ut ſolet fieri, pedibus alligarent, ſperare ſe deferendum ad ter-

ram, ubi humaretur; Cùm non eſſet ſubſcriptum ejus votis, navisque gubernator innexuiſſet pedibus ferreum magni ponderis globum, in ipſo ad undas jactu globus è pedibus cecidit; & mirantibus cunctis cadaver tam compoſitum & extentum, ac ſi foret in littore, ſuper fluctus viſum eſt innare, donec longa diſtantia nautarum oculis illud eripuit.

Julianus Jorge Coadjutor.

ANno 1711. in Reſidentia S. Felicis ſecus amnem Minium ad cœlos conſcendit. Natus in Oppido à S. Romano Diœceſis Guardienſis. Conimbricæ dedit Societati nomen 19. Maji 1657. ætatis 30. Annum 44. traduxit in ea Reſidentia: Prælucebat omnibus multis virtutum exemplis: Maximè circumſpectus erat circa Religioſam paupertatem; Nullas enim minutias largiri, vel accipere voluit ſine facultate expreſſa. Uſus ſemper talari tunicâ, quali apud nos Tyrones. Quamquam aliqui Coadjutores exiguæ, vel nullius virtutis id veſtis genus illi improbarent, ſeu reprehenſi Juliani exemplo, ſeu timentes, ne cogerentur ad ſimiles induendas tunicas, eorum voces parùm Religioſas aſpernabatur. Multa ipſi cum DEO interceſſit familiaritas. Gradum ſuum quamlibet humilem permagni æſtimavit. Ajebat ſe ſemper fuiſſe opificem mechanicum. Ita quidem erat; nam ſuis ipſe manibus faciebat carros, aratra, & quicquid ex lignario opere ad agriculturam opus fuit. Supelle cubiculi non alia, quàm ferrament ad tales fabricas. Ille magno præ dii bono introduxit illic, ac fecit re pecuariam, ſimul conſtruxit apiari è quibus colligebat ceram toto ann ſolitam conſumi. Idem eam tem perabat, ac formabat cereos; deni que nihil erat laboris, ubi non eſſe primus. Cibos delicatos non atti git, ſed offam ruſticam, & quæ ſuffi cerent tolerandæ vitæ. His con junxit miram affabilitatem, quâ ſib devinxit omnium animos. Tanden ille in ſuo gradu talis fuit, ut pluri mos optemus ſimiles.

DIE XX.

P. Doctor Gaſpar Gomes.

EBoræ piè mortuus anno 1612. Natus in oppido *Cabeſſo de Vide* Diœceſis Helvienſis. Adſcriptus Societati Conimbricæ 4. Januar. 1575. ætatis 16. Eboræ tradidit Theologiam, ubi inſignitus Doctoris gradu; Quamquam operæ multum impendit ſcientiis, dedit longè majorem perfectionis ſtudio. Hominis tam ſpectabilis, & rara modeſtia, ut eum Academici vocarent *Prædeſtinatum.* Suas veſtes ipſe manu ſuâ reficiebat. Sella, quâ uteretur, tabulam, cui acclinaret tergum, non habuit. Animadverſum eſt ab eo nullam violatam Inſtituti regulam. Cùm erat Conſultor, ante conſtitutum tempus eundi ad Rectoris cubiculum adibat ipſe, foriſque expectabat horæ pulſatio-

ionem, ne cæteris ejus mora esset
olestiæ. Accepto vel minimo be-
ficio, gratissimum erga faventem
i ostendit animum. Trinitatem
nerandam inexplicabili prosecu-
obsequio, commendabat omni-
s; eam, quanto possent amore, co-
ent. Postquam valetudinis affe-
ones illum à magisteriis libera-
nt, continuus erat Tribunali con-
sionum: Nec abstitit ab hujus-
odi nimio labore, nisi postquam
actus est imperio Majorum, quos
sertum est confecti, & attriti senii.
st sanctam ipsius mortem cum in-
perunt personare æra campana,
um fuit ea pulsari læto tinnitu, ut
n celebrantur festa. Res accidit
jucunda cunctis, qui dixerunt vi-
deò sancti mortem non vulgan-
n tristi, sed hilari tinnitu.

P. Doctor Paulus Rodrigues.

Onimbricæ supremum effudit anhelitum anno 1653. Natus Oppido *Castello de Lanhoso* Diœcesis acharensis. Societati aggregatus nimbricæ 22. Septembr. 1596. r habitus notæ pietatis à primis in ligione annis. Adhuc erat ado- cens, cum frequenter secedens septa domestica, ibi in arundine- n abditus, ad cœlum, ac DEUM mabat his vocibus: *Domine mi, ce huic magno peccatori.* Cùm non ciebat, sed audiebat Sacrum, post nptam hostiam os humo jungebat usque Missæ finem. Actiones s curabat semper regi à Majorum voluntate. Sacerdoti deferenti ad Provincialem nescio quos Pauli, ut somniabat, defectus, respondit ipse Provincialis: Mi Pater, cuperem ego in Collegio multos Paulos Rodericios, scito eum nihil agere sine Superiorum facultate. Affligebat multùm artus suos, & cupiditates. Aliquando inter carnes coctas invenit nonnullos vermes, qui nauseam visi movebant, fuscinula eos dimovit in unam catini partem, seque devicit carnes, quæ propè erant, comedendo non sine ingenti exhorrentis naturæ luctâ. Annis undecim exposuit sacras litteras partim Conimbricæ, partim Eboræ, ubi condecoratus Doctoris laureâ. Typis mandavit librum, cujus est titulus: *Gloria utriusque Joannis.*

P. Gonsalus de Payva.

Conimbricæ 1611. mancipatus, ut piè credimus, æternæ felicitati. Natus in oppido *Sam Pedro do Sul* Diœcesis Visensis. Conimbricæ se Societati tradidit 25. Febr. 1578. Illius virtus in multis perspecta, præsertim grassante Brigantii pestilentiâ: diligentissimè providit, quæ forent opus corporibus, & animis infectorum sanandis; quamvis emersit sospes à tanto incendio, hæserunt illi quædam morborum radices, è quibus ortæ sunt crebræ affectiones valetudinis, quæ dum vixit, fuerunt illum comitatæ; Propterea & patiendi, & merendi amplam nactus materiam.

P. Lu-

P. Ludovicus Taborda.

COnimbricæ anno 1694. naturæ ſatisfecit. Natus in Oppido *Idanha* Diœceſis Guardienſis. Ambivit Societatis ingreſſum magno animi fervore. Parentes, quòd erant locupletes, eum conati ſunt ab eo dimovere propoſito. Noluit tamen illis parere. Idcircò nobis adſcriptus Conimbricæ 15. Octob. 1656. Non depoſuerant parentes curam ſuam eum ſecernendi ab JESU Sodalitio. Biennii vota emiſerat, cùm rurſus tentarunt filii ſui conſtantiam: Irriſit ſtultam ſuaſionem. Acutiſſimum illi ingenium ad capeſſendas, & tradendas ſcientias: Philoſophiam Eboræ, Theologiam docuit Ulyſſipone. Tenebatur ſingulari reverentiâ erga B. Virginem. Ejus mores fuerunt ſine ullius offenſione ſemper inculpati. Quâlibet labis umbrâ ſic angebatur, ut nemo magis. Præfecerunt Collegio Conimbricenſi Prorectorem. Is Magiſtratus tantam fecit ſcrupuloſo homini impreſſionem, ut ſit creditum, ex ea tractam mortis originem. Conſiderans leves in ſubditis noxas, in Superiore ſæpè graves eſſe, quòd ob earum diſſimulationem labefactetur Religioſa diſciplina, majorem in modum angi ſolitus; Etenim puriſſima conſcientia ſibi tormentum erat, dum ſemper velut in armis excubabat, ne culpæ nubeculis afflaretur. Eum agens ex imperiis obedientiæ Magiſtratum è vivis abiit.

Emmanuel Fernandes Coadjutor.

ULyſſipone in Collegio Divi An-tonii anno 1598. vitam reliquit. Natus in Oppido *Monte de Trigo* in Eborenſi Diœceſi. Ab omnibus e[illegible] reputatus vir ſanctus, & juſtus. I[illegible] comprobabat familiaritas cum DEO. Id otioſæ vitæ faſtidium: Id labo-ris amor. Vel ſenio jam confectu[illegible] à nullo laborioſo imperio Majorum ſe excuſavit, ſed juſſa capeſſebat hi-laris æquè, ac promptus. Antiqu[illegible] moris erat, & veritatis. Intimè de-ſiderabat, quòd noſtri homines mor-talium nemini eſſent offenſioni di-cto, aut facto. Idcircò ſi vidit quem-piam minus obſervantem, ſine mor[illegible] deferebat ad Rectorem, ut errantem ovem cogeret in viam redire. Val-dè mendicos & pauperes dilexit. Curam habens de janua, nullum ex ipſis dimiſit triſtem, aut vacuum, ſed contentum ſtipe.

DIE XXI.

P. Joannes Ribeyro.

ANno 1673. deſiit vivere in Domo Profeſſorum Ulyſſipone. Eâdem in urbe natus fuerat. Ætatis annos 49. numerabat, magnæ jam virtutis Sacerdos, cùm eſt permotus ad ſeveriorem amplectendam in Societate vitam. Id executus Ulyſſipone 27. Maji 1640. Maximæ ſunt acceſſiones ejus virtuti factæ. Noluit ſe ſibi tantùm, ſed proximo. Donum illi ſpeciale adducere in con-

cor-

rdiam animos invicem furentes. lefessus erat in Confessionibus au-ndis. Quotidie adibat vesperti-tempore ad januæ perystilium, urus, an esset, qui vellet conscien-n eluere. Quærentibus, quo per-et, respondebat: *Imus visum, ca-ne aliquis pisciculus in rete nostrum.* gna mulierum ac virorum multi-o studentium animarum perfe-ni ad ipsum confluebat, quibus Pater ab Spiritu. Ad hos die-Mercurii horis pomeridianis ha-at exhortationes, docens orandi lum, & verbis incendens ad per-ionis Evangelicæ studium & rem. Multis annis Ulyssipone perseveravit ejus memoria, d in eo magisterii genere fuerit larus. Propter illius insignem tem in tabula post mortem est ctus, quæ hodie suspensa visitur omo Professa.

DIE XXII.

. Joannes Baptista Machado Martyr.

Nno 1617. apud Japones in urbe Cori Martyrio illustratus. In-nus fuit Angræ natus domo no-Quòd erat paternæ domûs s, ubi per ætatem licuit, desti-tur ad nuptias cum puella æqua-bilitate. Ejusdem ambiebat ias adolescens alius Joannis ami-callidè suum occultans amorem, l sciret præferendum sibi Joan-, & à se alienandum; Igitur, quod effecturum se desperabat, si ambiret apertè, dolo consequi posse non dubitavit. Suadet Joanni, navigent ambo sub alio prætextu in Lusitaniam, seque addicant vitæ Religiosæ: vanas esse mundi spes omnes: sanius verò, quæ tandem relicturus sis ex mortis necessitate, propter amorem DEI contemnere. Placuit Joanni salubre monitum. Ambo profecti in Lusitaniam. Joannes iniit Societatem Conimbricæ 10. April. 1597. devolutis aliquot mensibus, migravit ad Tyronum domum, quæ de novo est instituta Ulyssipone in Suburbana Villa dicta *Campolide.* Alius voti sui compos volavit Angram, ac concupitis nuptiis potitus. Joañes cœpit æstuare desideriis eundi ad Ultramarinas Missiones. Paulò pòst biennium anno 1601. votum explevit. Macaii apud Sinas absolvit scientiarum studia: Inde transiit ad Japoniam. Anno 1614. exterminatis è Japonia præconibus Evangelicis, mansit occultus, ut neophytos laborantes persecutionis procellâ contineret in fide. Innumeræ ab ethnicis adhibitæ excubiæ, ut captarent Evangelii Magistros, quos suspicabantur in Japonia latibulis occultatos. Postquam non semel eorum eluserat indaginem, Aprilis 21. cùm erat expians per confessionem in Goto Insula neophytos, incidit in casses venatorum. Ubi vidit effugio locum non esse, prodiit foràs, seque stitit impiis Ministris, gratias habens, quod se venissent dandum ca-

 tenis,

tenis, quæ ſibi erant Regum coronis longè pretioſiores. Navigium conſcendens, enixè rogavit, manibus ſuis, ac pedibus catenas injicerent. Id recuſarunt, imò contra quam ſpes erat, tractarunt comiter, ac benignè. In carcere reperit Fratrem Petrum alterius ſacræ familiæ, qui ſe invicem ſunt conſolati. Pervenit tandem ex urbe Regia ſententia, quâ jubebatur amborum præſcindi capita: delati ad ſupplicii locum. Joannis caput ictu tertio ex humeris avulſum, quod valdè notatum eſt, quod erat gladius, *catanam* vocant Japones, apprimè probatus. Id procul dubio contigit, ut ex parte fieret ſatis Joannis voto, quo multum ſignificaverat, cupere ſe vehementer, ſuum fruſtatim corpus, ut intercifi Jacobi, conciderent. Cadaver longè à littore in altum demerſum, ne Chriſtiani venerarentur. Domus, in qua eſt natus, continua eſt ſeptis Angrenſis Collegii, nec alia de externis præter illam id habet.

Dominicus Ribeyro Condjutor.

IN Collegio Scalabitano diem ſupremum explevit anno 1703. Natus in oppido *Torre de Aves* Diœceſis Viſenſis. Conimbricæ adjunctus Societati anno 1655. Ejus vita ſemper innocua, & Inſtituti noſtri præceptis conſentanea. Confeſſario ſuo dixit, ſe tam certum eſſe de ſalute æternâ conſequendâ, quàm certus poteſt eſſe quivis hominum in hac mortali vitâ; hujuſmodi firmitudinem oriri, tum quod in Societ[a] moreretur, tum quod S. Parens Ig[na]tius ipſi ſe dederit conſpiciendu[m] niſi falsâ ſit imagine deluſus, qu[od] nequaquam arbitrabatur. Morb[us] ultimus acutiſſimis eum proba[vit] doloribus, quos tulit animo ad v[o]luntatem Divinam per omnia co[n]formi.

P. Gonſalus Cardozo Martyr.

ANno 1574. in Æthiopia ad ma[re] Erythræum in odium fidei oc[ci]ſus. Natione Luſitanus. An[no] 1556. navigavit in Indiam, ſequen[s] cum Epiſcopo Andrea de Oviedo, aliis ad Æthiopiam. Exantlavit eis regionibus immenſos labore[s]. Ob ſuavem genium charus fuit n[on] ſolùm Catholicis, ſed etiam Schi[s]maticis. Cùm obedientia eum mi[t]teret ad Dambiam dierum 15. d[i]ſtantem itinere; valedicens Epiſc[o]po, affirmavit, illum à ſe in hac vi[ta] amplius non conſpiciendum. Eâdem mortis die dixit P. Franciſco Lop[ez] viæ Comiti, ſe interficiendum ip[ſa] die. Iter agentes aggrediunt[ur] Schiſmatici noſtræ fidei jurati hoſte[s] Gonſalum lanceis transfigunt, occ[u]buit Gonſalus. Franciſcus gravite[r] ſauciatus, ægrè ſe proripuit in de[n]ſam ſylvam, ibique deliteſcens ſe C[a]tholicis conſervavit. Chriſtiani qui ſociabant Patres, non ſunt peri[]clitati; nam totus furor præſerti[m] adverſus duos Evangelii præcone[s] deſæviit, quibus laceratis, non era[t] cur in cætera capita ferocirent.

P. Pe

P. Petrus de Rios.

N Collegio Divi Antonii Ulyssipo-
ne anno 1625. explevit annos vi-
suæ destinatos. Natus in urbe
rtuensi. Eminuit humaniori lit-
aturâ; propterea vocatus Ulyssi-
nem ad componendam tragœdi-
, quâ in nostris Scholis erat exci-
ndus Rex Castellæ, cum iniit Lu-
niæ possessionem. Existimatum
ex nimia in hujuscemodi compo-
ndo opere applicatione subortum
naribus polypum, qui eum non
rùm afflixit. Ob singularem vir-
em electus est Confessarius Mar-
onissæ Malagamensis uxoris E-
ardi filii Ducum Brigantinorum.
stquam ea obivit in Castella, Pe-
s rediit in Lusitaniam. Se num-
am est labori furatus. Quam-
am polypus nasum corrodens, fa-
m deformaverat, quotidie sede-
in Tribunali Confessionum, di-
ns: quoniam deformitas sua pec-
um non erat, nihil esse, quod ho-
nes improbarent; nihil, cur ipsum
deret sic cerni. Postremo in mor-
cùm viaticum, & ultimam acce-
Unctionem, dulcissima pronun-
vit verba, quibus expressit à præ-
tibus suaves lachrymas, & testa-
est, quo ardebat, ignem Divi-
m.

DIE XXIII.

Petrus Francisco Coadjutor.

'Onimbricæ anno 1599. oppeti-
vit mortem gloriosam. Natus Bra-
charæ. Prædicto anno pestilentia
Conimbricam vastavit. Diversi è
nostris se totos devoverunt servitio
miserorum, quos infecit, aut vora-
vit pestis. Urbis curam suscepit Pa-
ter Antonius de Proensa, de quo 24.
Decembris, elegit laboris Socium,
& solatium Petrum, cujus illi virtus
erat comperta longis experimentis.
Conductâ extra Collegium domo
habitantes, excurrebant per urbis
fora, vias, & angiportus; dum Sa-
cerdos audiebat ægrotos conscien-
tiam exponentes, Petrus inquirebat,
ubi essent alii, quibus Pater opem
ferret. Charitatem suam multùm
exercuerat; cum die Ascensioni Do-
minicæ consecrato, quo tempore mi-
nistrabat Patri ad aram facienti, de-
liquio in terram collapsus est. Sibi
redditus, animum confessione deter-
sit, communitúsque sancto Viatico:
Curavit Pater ægrotum deferri ad
villam Collegii: Id ubi est notum
Petro, rogavit impensè vehi plau-
stro, quo portabantur ad salutis
ædem mendici. Petenti Pater non
annuit, sed portari jussit in gestato-
ria sella. Verumtamen ad ipsius
consolationem præibat plaustrum
lecto, sive cubili parato, si illo foret
opus. Receptus in domum prope
villam cum famulo, qui consuleret
ejus commodis; sed illum urgente
in singulas horas pernicie, tenens
in manibus Virginis picturam, &
pronuntians JESU, ac Mariæ suavis-
sima nomina, efflavit animam. Con-

ſepultus eſt ad infimos gradus ſcalarum porticus ædiculæ S. Sebaſtiani, ut vocant, ab Olivetis. Usque in hodienum diem cernitur prope viam lapis ſepulchralis cum lemmate, ſub quo jacet.

Michael de Alcaceva Scholaſticus.

EBoræ, ubi erat natus, immaturâ præreptus morte. Societatem ingreſſus 10. Martij anno 1610. ætatis 15. In Tyrocinio viſus eſt innocentiſſimis moribus non homo, ſed Angelus. Abſoluto biennio cœpit phthiſi laborare. Interrogantibus parentibus, vellet ne de Societate exire, ut domi ſuæ commodiùs ejus valetudini proſpiceretur, reſpondit: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* E continuato cubitu exulceratum eſt unum è lateribus, unde ſuborti dolores peracerbi, quos egregiè ſuſtinuit, ne uno quidem gemitu pronuntiato ad levandos cruciatus. Videns Rector miram ægroti patientiam, inquit: Fili mi, ſaltem unum ede ſuſpirium animi levandi causâ. Tunc parendi gratiâ, ſuſpirium edidit valdè tenue ac debile. Paulò pòſt ſoluta vinculis corporeis anima.

Andreas Motta Coadjutor.

ANno 1655. in Oppido *Horta* dicto, quod Inſulæ Fayalenſis eſt præcipuum, vitam abſolvit. Natus *Arrifanæ de Souſa* Diœceſis Portuenſis. Comitatus eſt primos è noſtris, qui
poſuerunt initia Collegij Fayalenſi
Tum Angræ, tum in hac Inſula n
hil æquè, ac virtutem tulit in ocu
lis. Quod illi ſuperfuit ab offici
domeſticis tempus, occupavit com
mentando res Divinas. Prætere
ſæpe noctu è lecto ſurgens prece
fundebat coram SS. Euchariſti
Menſibus poſtremis prohibuit il
Superior has vigilias, ciliciorum
uſum, & verberationem, quâ ſe bi
quotidiè flagellabat. Veſtis indic
vit amorem paupertatis, nec ni
Moderatoris imperio meliorem ſum
pſit, invitus ſemper. Quamvis di
xiſſet illi Rector, poſſe ad oſtium
petentibus præbere res parvi mo
menti, ut malum limonium, & quic
ſimile, nihil impertiebat non obten
tâ prius expreſsâ in res ſingulas fa
cultate. Egenos vehementer dile
xit; Idcircò fleverunt ejus mortem
tanquam Parentis. Nullo rerum ſuc-
ceſſu viſus eſt turbari, nec in adver-
ſis iraſci. Venerabilis Pater Lau-
rentius Rebellius, qui longo uſu
Andream noverat, aſſeruit ſibi ma-
jorem exiſtimationem non eſſe de
Coadjutoribus virtutis nomine in
Societatis Hiſtoriâ præclaris, quam
de Andrea conceperat. Obivit die
Sacro SS. Trinitati. Ad illius con-
celebrandum funus innumerus con-
fluxit populus. Multi rogabant ſibi
tribui de rebus, quibus uſus
fuerat, ut haberent vene-
rationi.

DIE

DIE XXIV.

luardus de Menezes Scholasticus.

ILyssipone in Domo Professorum anno 1584. è vivis abiit. Na- s in oppido *Castello branco* Diœcesis iardiensis Parentibus illustrissimis; ti sunt Fernandus Menesius, & ilippa Mendosa. Conimbricæ ad- iptus Societati 20. Januar. 1577. otinus ostendit, quàm parvi se, que faceret propter Christum. m scribens in charta hunc titu- n *Dom*, quo anteà honestabatur, solummodo conceditur Primori- s Lusitaniæ, eam chartam repo- t inter soleas crepidæ, dicens, se dis omnibus illustrem nomencla- am velle pessumdare. E dome- is officiis, quæ viliora, erant ipsi gis grata. Quod essent in Tyro- io juvenes alij magnæ nobilitatis, bant Socij, Eduardum humilitati- s suis esse nobilium flagellum, sig- cantes eo verbo, quantam ipsis eret confusionem. Antequam nnium absolveret, illius duo fra- s natu majores unà cum Sebastia- Rege in Africa perierunt; Qua- pter tota paterna domus, & am- simi reditus pertinuerunt ad E- rdum. Quid evenisset, illi nun- um, & simul, si vellet, abire pos- le Societate, tum ad fruendum reditate, & nuptiis. Respondit, am insanum non esse, ut antepo- et res caducas suæ Religioni. Li- ter cessit paternis bonis, vocato ad eam fortunam minore fratre. Ægrotavit Conimbricæ pertinaci morbo, quem medicina non vicit. Idcircò Medicorum consilio, tentandi cœli gratiâ, Ulyssiponem migravit. Integro anno laboravit morbo, se cum Divina voluntate maximè conformem ostendens. Mentem sanam ad supremum usque vitæ articulum conservavit. Paulò ante mortem alienatus est omnibus sensibus, sed brevi sibi restitutus, ait: *JESU! tam parum stat mori! bene quis poterat semel, iterumque mori.* Tantam dulcedinem in moriendo fecerat illi vitæ, & conscientiæ innocentia.

P. Laurentius de Fonseca.

ANno 1579. Ulyssipone pestilentiâ consumptus. Natus est in Oppido *Fronteira* Diœcesis Helviensis. Cùm dira lues infecisset Ulyssiponem, vitam suam devovit sublevandis miseris, quos contagium involverat. Dum piissimum urget opus, eo malo contactus interiit factus charitatis victima. Præter nomen & mortis genus aliud de Laurentio nobis relictum non est; sed tam sancta mors satis æquat longam virtutum narrationem.

P. Doctor Ignatius Tolosa.

BAhiæ apud Brasilos exuit mortalitatem anno 1611. Natus Metimnæ Cæli Diœcesis Segoviensis in Castella. Ubi sit ingressus Societatem, non reperi: solùm ipsius ma-

nu inveni ſcriptum, ſe Tyronem egiſſe Bracharæ initio Collegij, Rectore Venerabili Viro Ignatio Azevedo, cujus erat tam ſingularis humilitas, ut ſubdito Novitio commendaret obeundas conciones majorum concurſuum, & majoris plauſus, ſibi verò minùs ſpecioſas reſervaret. Poſt glorioſam Azevedi mortem, illi nominatus eſt ſucceſſor in Magiſtratu Provincialis Braſilienſis P. Toloſa. Cum ſunt illi traditæ patentes litteræ Conimbricæ, ubi docebat Theologiam, hæſit vir Dei dolens intimè ſe ad tales honores promotum. Ingreſſus cubiculum ſuum, atque humi provolutus ante Crucifixum, eas litteras ipſi obtulit, dicens inter lachrymas eſt ſuſpiria: *Ipſum, ipſiusque Matrem futuros Provincialem.* Sub hæc verba, Chriſti venerandum ſimulacrum Divinâ quâdam luce perfuſum ſplenduit. Quo prodigio ſignificavit ſuſcipi à ſe ejus Magiſtratus patrocinium. Ad Braſiliam profectus anno 1572. Provinciam rexit ſanctiſſimè, ibi reliquam tranſegit vitam: deditiſſimus fuit exercitiis orandi, in quibus ſe plurimùm illi Deus impertiebat. Dignus ſucceſſor Nobregæ, Granæ, & Azevedi, quæ nomina multùm ſuis diebus hoc noſtrum opus illuſtrant. Primus è noſtris in Eborenſi Academia donatus eſt laureâ Doctoris Theologi 24. April. 1560.

P. Antonius Arauſo.

IN urbe Portuenſi anno 1596. ceſſit è vita. Natus in urbe *Leiria.* Societatem iniit Eboræ 13. Februari 1554. Fuit primus ejus domûs Tyro. Multis annis, alio atque alio Collegio egit Procuratorem rei domeſticæ, magno patrimonij ſanctæ paupertatis bono. Tria vota ſolemniter profeſſus eſt. Semper ſtuduit impensè augendis virtutibus; maximè ſe totum his tradidit, poſtquam ob ætatem, & morbos liberatus eſt ab rei temporariæ procurationibus. Aſſiduus erat confeſſionibus audiendis. Die ac nocte promptus fuit ad juvandos extra domum morientes. Omnes illi curabant ſuas nudare conſcientias; accipiebant enim ab ejus verbis præſentaneum ſolatium, & medicinam afflictis rebus. Natus erat in illa urbe virtutis opinionem non vulgarem. Idcircò ad ſepulturæ honores factus ingens concurſus, petebantque viri reliquias.

DIE XXV.

Patres Simon Rijo, Fauſtinus de Vaſconcellos, & Fauſtinus Pereyra.

NAtus hâc die occurrit, vacuitatem complebunt, quos adjungo. Anno 1617. multi de noſtris in tres diſtributi naves ad Indiam ſunt profecti. Navem dictam à Domina *da Guia* conſcenderunt prædicti Sacerdotes, quorum vota Deus remuneravit, eos ad ſe vocando priusquam illa explerent. Simon domo Algarbienſis, Dionyſius Ulyſſiponenſis, Fauſtinus *Ourcmum* habuit patriam in Diœceſi Leirienſi. Magnum pro-

ofectò est tam laboriosum iter ag-
edi solùm studio lucrandi animas ;
axima enim fecit, qui ausus est
axima.

tres Emmanuel Rodrigues, & Octavius Falcanio.

ANno 1628. in eodem Indico itinere sunt extincti : Emmanuel
riâ Eborensis. Antequam noster
et, nihil magis cupiit, quàm præ-
are fidem inter Japones. Post ab-
uta Philosophiæ studia properavit
sua complenda desideria. Falca-
is Italus natione, missiones expe-
it ardentibus votis. Ante pro-
tionem moratus est Eboræ totius
llegij magno exemplo. Tam gra-
, & charus omnibus Sociis, ut
lgò dicerent, ad Lusitaniam non
nisse meliorem Italum : Ad nati
mini præsepe, dum loquitur co-
n Sociis, movit omnium lachry-
s eâ pietate, quâ verba miscuit
sua Missione Japonensi. Persona
tæ sanctitatis in Italia ipsi præ-
erat inter navigandum oppetitu-
n mortem.

Petrus Dias Coadjutor.

QUamvis alij, quos huic diei adnexuimus, in ea mortui non
;, Petrus in hac die obivit, post-
am hæc sunt scripta. Vitam ex-
vit Conimbricæ anno 1716. Na-
in parœcia sancti Michaelis *de*
ó Diœcesis Bracharensis. Conim-
cæ dedit nomen Societati 2. Jan.
76. Habuit in Tyrocinio Magistrum venerabilem Virum Joannem de Fonseca, dignusque prodivit tali Magistro discipulus. Ante absolutum Tyrocinium missus ad Insulas Assorum, ubi micuit religiosis exemplis, vitam suam dirigens juxta Instituti regulas. Reversus in Lusitaniam, transegit cæteros annos in Collegio Conimbricensi. Apud omnes de ipso erat opinio, quod esset vir justus, & æqui observantissimus. Id ejus facta, id eius ostenderunt verba. Nunquam ex illius ore verbum excidit vel hominis iracundi, vel quo alicui mortalium detraheret. Gaudebat miscere Sermones de Deo. Quotidiè plurimum tempus insumebat orando coram Eucharistia in templo, vel altaria singula visitando. Ajebat hybernum tempus sibi magis placere, quod ante cœnam, dum Socij vacabant studio in suis cubiculis, ipse horas consumeret orando, abundaretque tempore in id exercitium. Annis plurimis egit matutinum excitatorem. Antequam sonaret exurgendi hora, in sacello domestico coram venerabili Sacramento per integram horam, aut amplius preces fuderat. Privata colloquia, & conventicula Coadjutorum, noxiam illius status pestem, semper vitavit, propterea illum reverebantur. Vitæ, & morum candor notissimus charissimum reddiderant tum Sacerdotibus, tum nostris scholasticis. Obiens janitorem atrij scholarum, finito sui muneris tempore, adibat Superiorem, in-

interrogans juxta regulam, quid eſſet facturus? Odio ſemper habuit otium ignavum. Ejus mors vitæ reſpondit. Scholaſtici noſtri cadaver in feretro poſitum ſparſerunt floribus: quod eſſet mortuus in cubiculo habitationis Scholaſticorum, ajebant, Petrum eam habitationem ſanctam reddidiſſe. Plane fuit verus Societatis Coadjutor, & vir moribus innoxiis, & inculpatis. Specialiter Deo commendabat noſtros aliquem actum litterarium ſubituros. Plurimi id eum rogabant fidentes non parùm illius precibus.

DIE XXVI.

Patres Antonius Rebello, & Ignatius Correa.

ETiam hæc dies ſupplenda iis, quorum mortis diem ignoramus. Anno 1641. petivit Indiam navis à Virgine de Reſtauratione dicta, quod prima poſt aſſertam in libertatem Luſitaniam illò ſit profecta. Sex de noſtris portabat. Vita defuncti Antonius Rebellius Ulyſſiponenſis, & Ignatius Correa ex Inſula Divi Michaelis. Aliud de ipſis à me compertum non eſt. Navis prope Goam à Batavis capta, & noſtri auro redempti.

P. Emmanuel Dias.

IN Collegio Inſulæ *Madeiræ* anno 1659. magnâ virtutis exiſtimatione ſatisfecit legibus moriendi. Natione Luſitanus, ab annis viginti illic vitam traduxerat. Omnes eum venerabantur ut Patrem, & ut Sanctum. In converſationibus fœminarum vix ullus cautior, & circumſpectior. Excipiebat omnium pene nobilium fœminarum confeſſiones; adduci nunquam potuit, ut ullam inviſeret, quamvis ipſæ multùm id cuperent. Non oriebatur hujusmodi fuga ex genio ſolitario, & umbrarum amanti, ſed ex Angelico timore, quo ſibi cavebat; Sciebat enim ignis vicinitatem, etiam cum non cremat, fumo inficere. Poſt ejus ſanctum obitum multi poſtulabant de rebus ſui uſus, ut ſervarent inſtar reliquiarum. Virtutes illi ſingulares oratio, & humilitas.

DIE XXVII.

P. Didacus Monteyro.

COnimbricæ anno 1634. fato ceſſit. Natus in agro Eborenſi, & parœcia Virginis à Gratia. Prope diem erat Societatem ingreſſurus, cum refrigeſcens in ſancto propoſito, ad paternam domum ſeceſſit. Cauſa fuit vanus timor, quod ſe de Societate eſſent expulſuri. Illàc peregrinatus eſt ignotus ſacerdos veſtitus more noſtrorum hominum; Hic cum Didaco ſermones miſcens, ex eoque intelligens, cur deſtitiſſet, deterſit omnem timorem. Quapropter revertens Eboram, dedit nomen Societati 6. Januar. 1577. Ad hujusmodi gratiam Deo referendam ſingulis annis Epiphaniæ pervigilio

rgum in triclinio flagellavit. In-
ediens, quæſivit, quisnam de no-
is Sacerdos tali die divertiſſet ad
n agri partem, quâ ipſe habita-
t: Cùm reperiſſet exiviſſe de Col-
gio neminem, non dubitavit,
ſtodem Angelum ſuum, illâ per-
iâ aſſumptâ, quæ frixerant, exci-
ſe deſideria. Apprimè ſcivit hu-
niores litteras. Conimbricæ do-
bat Rhetoricam, cùm Deus eum
conjunxit arctius ſequenti even-
Adornaverat Tragœdiam. Erant
nia parata, invitati cives, &
ademia, ut committeretur ſcenæ.
die illum conſtitutum diem, pla-
t Moderatoribus noſtris abſtinen-
m à tali plauſu (novitatis expreſ-
n non inveni rationem) denun-
tum Didaco eſt, Tragœdiam thea-
non inducendam, contemptis
omodis, quæ magna erant. Quid
ta nobilitas invitata eſſet agita-
a ſuis ſermonibus, cuilibet pro-
n eſt conjicere. Id Imperium
leſcentis animum alioquin ſplen-
ris avidum, & honoris non obli-
n ſic penetravit, & perculit,
nocte proximâ, dum luctatur
n his rerum imaginibus, vim ma-
m ſanguinis per os effuderit.
nerunt ad eum è diſcipulis pluri-
primæ nobilitatis, ad quorum
orem magni intererat edi Tra-
diam. Obtulerunt bonam pe-
iæ ſummam, & patrocinium ſu-
ad obtinendos amplos reditus,
ine morâ eam Religionem deſe-
t, à quâ nihil honorificum po-

terat ſperare, cum ejus famam inu-
reret notâ tam inſigni. Ad hæc
Didacus, excuſare Majores ſuos, di-
ſcipulos reprehendere, quod ſe tam
infirmæ crederent virtutis, ut eſſet
antepoſiturus Religionis bono hu-
manos honores; Igitur mentem
avocans à terrenis ad altiora, & non
peritura, ſe collegit in Exercitia
S. Patris Ignatij. Per otium huma-
narum rerum contemplans vanita-
tem, ſecum, juvante Deo, conſti-
tuit arctiorem Evangelicæ perfectio-
nis ſemitam inire, ſeque totum Deo
mancipare. Hinc adusque vitæ fi-
nem tantos indies fecit in virtuti-
bus progreſſus, ut procul dubio ma-
gnæ ſanctitatis viros æquaverit.
Multis annis egit Magiſtrum Ty-
ronum Conimbricæ & Ulyſſipone.
Egit Præpoſitum Domûs à Divo Ro-
cho, & tandem Provincialem. Dua-
bus vel tribus horis antelucanis con-
ſuevit ſurgere ad orandum. Tenuit
hunc morem, dum in vivis fuit.
Corpus erat immobile, nec excrea-
bat, aut muſcas abigebat; decide-
bant interim ex oculis ſpontaneæ
lachrymæ: Incedebat mente totâ in
Deum conversâ: E quibuscunque
obviis rebus erigebat ad cælos, ac
Deum cogitationes ſuas. Quò do-
ceret omnes orandi modum, com-
poſuit, ac typis dedit librum *Artem
orandi* dictum: ex eo perſpicitur,
quam ſcitè rem aſceticam tenuerit:
Inter celebrandum Sacrum madefa-
ciebat lachrymis ſudarium. In hac
Provincia auxit multùm pietatem

Oo So-

Sociorum erga Naſcentem Dominum, nam huic myſterio fuit addictiſſimus. In morem induxit apud noſtros ſacram Synaxim mediâ nocte ſuſcipere, conſulto priùs Franciſco Suario Granatenſi. Jubebat ad cunas recens nati Domini canere ſuos Tyrones: Ipſe non ſolùm cùm Magiſter, ſed etiam cùm erat Provincialis, Natalitiis noctibus, frequentibus in ſacello Sociis, concinebat; Etenim præter alias dotes, quas pulchras habuit, ſcivit modos muſicos, quos magni fecit ad fovendam Sociorum pietatem. Nullus, canente Provinciali, erubuit, quid artis ejus ſciret, expromere. Expoſitâ ſacrâ Euchariſtiâ, non diſcedebat ab illius præſentia, antequam reconderetur; nec niſi poſt eam clauſam, cibos ſumebat. Semihoram quotidiè, veſpertino tempore Venerabile inviſendo conſumebat. Magnam Matrem tenerrimis dilexit ſenſibus. Invaluit fama eam ſe conſpiciendam obtuliſſe clienti ſuo: Jam puritas conſcientiæ talis fuit, ut vix apud mortales ſit major: Quotidie per confeſſionem expiavit animam; dum explebat injunctam pœnitentiam, flagello ſe verberabat: In fine menſis cujusque totius anteacti menſis nubeculas admiſſas repetebat accidens ad confeſſarij pedes: Examen particulare, ut vocamus, nunquam omiſit, ſolitusque eſt dicere tribus rebus brevi conſcendi ad magnum perfectionis culmen, nimirùm oratione, devotione erga B. Virginem, & examine particulari: de hoc ajebat ſigillatim ipſum ſufficere ad reddendam quamlibet animam perfectiſſimam, ſi ritè obiretur: Illius modeſtia viſa eſt potiùs Angelica, quàm humana, indexque erat animæ ſanctiſſimæ: Bis à magiſterio Tyronum eſt amotus ob importunas querelas nonnullorum, qui criminabantur, eum ſuis orandi modis, ac meditationibus Tyronum infringere capita: quem tenebat inſtitutionis morem, convenire potius ſectantibus vitam eremiticam, quàm noſtris hominibus: Nihil pro ſe reſpondit, ſed rem totam Deo permiſit, dicens: *Si, quam inſiſto viam, ex Deo eſt, ipſe proſpiciet; ſi devio, nolo errorem meum defendere.* Semper tamen ipſa dies oſtendit, ejus in educandis Tyronibus morem conſervandæ in illis virtuti aptiorem eſſe. Propterea iidem, qui amoverant, muneri reſtituerunt: Nunquam excuſatione ullâ depulit à ſe labores impoſitos; ſolum, cum promotus eſt ad honorem Provincialis, enixiſſimè curavit liberari: ſuum corpus aſſiduis vexationibus contorſit; in nihilo ipſi eſt obſequutus: ſomni, ac victus fuit parciſſimus: Ejus ſermones de rebus Divinis erant; Cùm ſeculares inviſit ob negotia, his tractatis, continuò flectebat in Deum ſermones: Si tales fuerunt perſonæ & occaſiones, ut his non eſſet locus ſermonibus, plerumque gravabatur ſomno, quem potiùs volebat, quàm attendere inutiles confabulatio-

tio-

ones : sæpe cum aliquot Tyroni-
ıs adibat Ulyssipone ostia nostra-
ım Domuum, ibique sedens humi
piebat cibos inter mendicos :
uod magni fuit æstimatus à viris
otentioribus , potuit consangui-
ıos ad altiorem gradum, & opes
ehere, sed noluit, dicens: se agri-
læ filium esse, propterea suis non
raturam aliam fortunam, quam
us habuisset parens: Nihil est tur-
tus in rebus adversis, quarum
n paucas pertulit. Nemo magis
imosus, & fortis, cum agebatur
bonis Religionis: Castigavit acer-
, ac privavit procurationibus no-
os homines, qui nomine Societa-
pecunias fœnerato acceperant, ut
levarent Dynastarum necessita-
s : Intrepidè citavit Ducem Ave-
, exegitque ab eo bonam partem
is alieni, in ipsius utilitatem à
ollegio Divi Antonij contracti, so-
tionem reliquam firmavit in po-
rum : & si, abeunte è Magistratu
tre Monteiro, nostri homines in-
nsultissimè non mutassent, quæ il-
constituerat, non tam magnum
lnus esset passum Collegium illud.
bi primum est factus Provincialis,
ndidit mulas destinatas ad lustra-
nem Provinciæ; ut ex pretio sol-
ret aliqua debita: In suis itineri-
s nocte in diversoriis explicabat
nper doctrinam Christianam: Æ-
us erat subditis omnibus, odio
bens quemlibet affectum priva-
n; Ut summatim dicam, ille mi-
t absolutissimis virtutibus: Præ-
dixit multa, quæ probavit exitus: Præscivit tempus, quo moriturus erat: diebus proximis obitui, se collegit in lectum; cùm manè adirent illius cubiculum, invenerunt mortuum adhuc calenti corpore. Ad venerandum ejus cadaver accurrerunt nostri, & extranei: apud omnes enim singularis fuit de Didaci sanctitate existimatio. Ossa locata sunt in sacello Divi Antonij intra Collegium, cum aliis virorum illustrium, lemmatis quemque distinguentibus.

P. Gaspar de Azevedo.

ANno 1607. in arce Cambamæ regionibus Angolæ vitam effudit. Natus in oppido *Castello branco* Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ Societatem amplexus 24. Augusti 1591. Missus in Angolam strenuè laboravit in captura animarum. Erat in procinctu ad capessendam viam in regnum Congum, quod Rex postularet Evangelicos præcones, cum aliis de causis profectus est ad juvandos in spiritu milites præsidiarios arcium prope Coansam flumen. Excurrens per eas arces populum sacris mysteriis instruendo devenit Cambambam, quo tempore Dux Lusitanus capitis damnaverat Sovam unum (sic vocant Æthiopum Regulos) cum aliquot è suis Magistratibus: Ethnici erant. Ex ipsis Gaspar Sovam, & quinque alios Christo peperit, qui animati spe salutis æternæ patibulo perierunt.

 Hic

Hic Gaſparis Socium corripuit morbus & mors, eadem ſtatim ipſum quoque implicuit, & è vivis abſtulit.

Franciſcus Coelho Scholaſticus.

EBoræ anno 1567. ſuavi obitu migravit ad Cælites. Natus in urbe Viſenſi. Societati adſcriptus 25. Novembris 1562. in domicilio Tyronum Domus Profeſſæ Ulyſſiponenſis. Multum ſe tradidit rerum Divinarum commentationibus. Nihil fuit in ejus vita, quod levis noxæ poſſet accuſari. Cuſtos Angelus illi manifeſtavit obitûs diem, quem declaravit coram multis, cùm lecto erat affixus. Res ipſa oſtendit vera locutum. Phthiſis nobis tam ſanctum invidit adoleſcentem.

Ludovicus Ferreyra Scholaſticus.

COnimbricæ anno 1715. immaturo fato præreptus. Natus *Cedofeita* prope urbem Portum. Ingreſſus Societatem Ulyſſipone 23. April. 1712. Studebat amœnioribus litteris, cùm pththiſis eum lecto dedit. Multis menſibus decubuit raro patientiæ documento: duo latera, quibus ſolebat incumbere, corroſâ pelle, vivum erant ulcus. Eum Aſſidui cruciabant dolores, quos ſuſtinuit tolerantiſſimè. Nobis, qui vidimus, & ſumus mirati, perſuaſum eſt, Deum his, veluti luſtralibus flammis, deleviſſe, ſi quas commiſerat labes, ut è lecto volaret rectâ in cælos. Ad mortem, quam adeſſe non dubitabat, egregiè ſe compa-ravit: mori non timebat, quod (non argueret conſcientia; cùm ſenſi mortis vicinitatem, petivit dari ſib B. Virginis tabellam, quam mort tempore habuit ante oculos ſuſpen ſam è pariete. Hanc exoſculatus & alloquutus verbis ſuaviſſimis. In duit vultum hilaritatis pleniſſimum ac penè ridebat præ lætitiâ, quæ i tantis anguſtiis erat omnibus admi rationi. Poſteà valedixit circum ſtantibus, ſingulos amplectens. Au diens ſignum campanæ, quo voca bantur Socij ad eum juvandum ſu premis Eccleſiæ precibus, quid eſſe interrogans, & ſciens, reſpondit ad huc tempus non eſſe. Horâ devo lutâ, tanquam ſuavis ſomnus irre pſit oculis mors. Vir gravis, du poſt obitum cum cæteris de mor noſtro per quadrantem horæ p defuncto preces fundit, ſe magis i commendaſſe dixit, quàm eum De commendaſſet, quod crederet, lecto conſcendiſſe ad cælos. Ant quam ad nos veniret, jam erat m tæ virtutis. Singularis eum orna vit modeſtia, & matura mens, felix ingenium.

DIE XXVIII.

Antonius de Coſta Coadjutor.

HAc die non occurrit, qui ſit vi tâ functus, quos referam, non compertâ mortui ſunt. Anno 1659. Briganti Antonius è vita ce ſit. Collegij noſtri obegit œcono mum

um. In ſuo gradu partes omnes
adjutoris explevit. Sacerdotes,
Scholaſticos noſtros ſic ſuſpexit,
coram ipſis nunquam operuerit
put. Ciliciis, ac flagellis ſe fre-
entibus maceravit. Talari tuni-
; niſi vetuſtâ, & refectâ centoni-
s, non utebatur. Omnia ſua bo-
erant imago crucifixi. Quantum
i nati abdomini ſuo ſectantur o-
m, tantum ille ſolitus odiſſe. Per-
ioſâ febris, quæ vitam abſtulit,
endit, quàm intimè ejus animæ
us inſediſſet: nam inter deliria
il præter Deum verba ſonabant.

tres Ludovicus Freire, Emanuel Vaz, & Emmanuel de Faria.

Nno 1660. in regionibus Ango-
læ dulces liquerunt vitas. Lu-
vicus domo Bracharenſis. Mag-
illi dotes ad noſtra miniſteria.
retis magiſteriis ſplendidis, vo-
t annos conſumere juvando An-
lanos Æthiopes, miſſus ad triſtiſ-
um Congenſis Regni Collegio-
n, pernicioſâ abreptus febri, vix
pervenerat, cum de medio ſub-
us eſt. Emmanuel Vaſæus Ango-
i Rector Collegij multos annos
expeditionibus ultramarinis ab-
pſerat noſtra obeundo miniſte-
. Emmanuel Faria Conimbricæ
diderat Rhetoricam, ac dixerat
Laudibus ſanctæ Eliſabethæ Regi-
, iverat recturus Collegium. Ho-
naturâ ſolitudinis amicus, & li-
rum, genio ſuo magis iudulſit,
m ferebat regionis cælum; pro-
pterea brevi oppreſſus morte in ob-
ſequio ſanctæ obedientiæ. Angræ
natus. De ipſo meminit in ſua hi-
ſtoria Inſularum P. Antonius Cor-
derius.

DIE XXIX.

Antonius de Vaſconcellos Tyro Scholaſticus.

ANno 1607. in Collegio Portale-
grenſi vitâ permaturè caruit.
Loco Nobili natus in eadem urbe.
Naturâ ipſâ viſus eſt ad virtutem
factus. Per id tempus eò noſtri
adiverant jactum initia Collegij. An-
tonius penè ſemper aderat in noſtra
domo; cùm ipſius parentes, qui
noſtris rebus faverunt, munuſcula
nobis mittebant, non ſinebat Anto-
nius ab alio ferri. Illi mandabatur
cura cuſtodiendi templi; ſiquid ope-
ris domi fiebat, opifices ad laborem
incitabat, vigilans, num ſatisface-
rent obligationi ſuæ: Solùm in ex-
ercitiis piis recreabatur ejus ani-
mus; Quamvis parentibus eſſent
alij filij, mens ipſis erat, Antonium
conſtitere præcipuum hæredem, in
eundem cumulare bona ſua decre-
verant tres conſanguinei locuple-
tes, quod illorum domus forent ab
hæredibus vacuæ: Verum nihil mi-
nùs quàm res caducas, amabat
puer: Unica ipſius erant vota, So-
cietatem inire. Res, ut apparet
ex dictis, videbatur ſupra modum
ardua, ac penè inſuperabilis; No-
luit enim Societas eum ſibi conjun-

 gere

gere invitis parentibus, ne tam nobiles, divites, & amicos redderet infenſos exordiis novi Collegij. Sperare conſenſum à parentibus, & conſanguineis non ſubibat mentem ſanam. Cuncta perpendens Antonius Maſcarenius Provincialis; de quo 1. Septembris; contempſit difficultates, acceptavitque in Societatem. Ille, inſciis parentibus, confugit Eboram, aggregatusq; noſtris Tyronibus 17. Septembr. an. 1605. Hujusmodi principiis ſic ſequens reſpon dit vita, ut vulgò reliqui dicerent cum ipſo in Societate natam virtutem; Cum orabat aliasque fundebat preces, tam uberes fluebant ex oculis piæ lachrymæ, ut ſubortus illi fuerit capitis dolor continuus. Neceſſum fuit Magiſtro jubere Tyroni, ne fleret, at temperaret à lachrymis ſalutis causâ. Obſequutus imperanti, tanquam lachrymas haberet in poteſtate, non flevit ampliùs. Accedebat dies obitûs noſtri Stanislai, cujus ille præcipuo cultu tenebatur; ſignificavit Magiſtro, ſe contenturum ægrè lachrymas illa die Stanislai contemplando virtutes; Idcircò rogare ſe, ut ſaltem ipsâ die ſolveretur imperio. Petenti Magiſter annuit, fluxeruntque lachrymæ adinſtar amnis, cujus curſum obex repreſſerat: ſedens ad menſam, oblitus ſui, pendebat totus ab ore legentis; ſi lectio fuit de martyriis Dominicæ Paſſionis, ſponte ſua perennis fletus cadebat ex oculis: Corpuſculum fraudavit appetentiis; nam in cibo miſcebat res amaras, abſtinebat ab epulis ſuavibus: Ajebat allaturum vim ſibi ad mortem uſque. Miſſus Ulyſſiponem ſic exte[nuari] cœpit, ut dubium non eſſe opprimendum phthiſi, niſi matur[e] conſuleretur illius valetudini. Nullum remedium viſum eſt comodiu[s] quàm patrium cœlum, & parentum, ac ſuorum deliciæ. Miſerun[t] Superiores ad Collegium Portalegrenſe: duos ibi vixit menſes, miro ſanctitatis exemplo. Veſpertinum tempus coram SS. Sacrament[o] conterebat. Cùm Patres eum con[ſolantes] de rebus ſuis domeſtici[s] ſermones inſerebant, tacebat Antonius, ſimilis nolenti audire ſermones ejuſcemodi. Si de Deo fieban[t] verba, non deſiſtebat à loquendo. Poſtquam filij perſpecta eſt, & obſervata ſancta propenſio, eum convenientes ſolùm injiciebant ſermonem de virtutibus. Dolorum acutos morſus ferebat vultu ſereno, [...] patienti. Conceſſit Provincialis, [...] eum ſecum parentes deducerent [...] prædium extra urbem, quod liberioribus auris, & aliis animi fruere[n]tur levamentis: declaravit præte[r] guſtum in obediendo, alium ſibi [...] eâ mutatione non eſſe. Non potui[t] ullus è noſtris eum comitari. Cùm ſe vidit ſine ullo homine de Societate, altus mœror adoleſcentis inſedi[t] animum. Ubi, quid accideret, innotuit Patri Stephano Caſtrio; conveni, ac Tyronem conſolatus, quem ut conſpexit Antonius, redditâ in vul[tum]

tum

n lætitiâ; me,inquit,confiderabam, quam Patrem Franciſcum (intelli- Xaverium nondum locatum aris) nonte deſerto morientem in con- ſtu regni Sinenſis. Videns Pater, n debilitari in ſingulas horas ma- ac magis, ſuaſit, ut expiaret ad riendum conſcientiam. Cui æ- tus: A diebus multis nihil æquè dero, ac mori. Affirmavit po- Caſtrius, Antonij conſcientiam viſam non homini, ſed parem gelo: Sacrum fecit ad præben- n Viaticum: Erat ante obitum a quarta, & Antonius de lecto pondit ſacrificanti voce clarâ, & ihilo turbatâ. Sumpturus via- m pronuntiavit confeſſionem ge- alem, ac emiſit vota ſcholaſtico- . Nunquam permiſit ſe tangi à re ſuâ, causâ pudoris Religioſi. n mater blandè cum eo expoſtu- t hanc alienationem, diceretque, ſideraret, ſe illius eſſe matrem. pondit: *Mea mater eſt Societas JESU.* fundebat nobilis matrona con- tionis perennes lachrymas, quod uiſſet tam ſanctam prolem. Pro- ſupremum vitæ articulum expri- is voce JESUM, & Mariam Fa- i ſuo reſtituit puriſſimum ſpiri- . Funus Pater Caſtrius ritè com- tum extendit ſuper ſtratum pe- oma, donec ex urbe portarent trum, quo vehendum erat. Il- mirum omnibus, quod cœperit ver ſuaviſſimum odorem exha- . Hærebat idem odor rebus om- s cadaver contingentibus. De- ductum in urbem feretrum locave- runt in aula paternæ domûs: Mag- nus totâ nocte ad eum venerandum concurſus, & pertingendum ſuada- riis, quæ cuncta ſimilem concipie- bant, & profundebant odorem. Ad exequias urbs tota confluxit. Pau- cis pòſt diebus fæmina, quæ mentis uſum amiſerat, applicuit capiti ſu- dariolum contactum in cadavere, protinus dormiit, ſibique per quie- tem viſus Antonius perſuaſit, ſi vel- let mentem reſtitui, jejunium obſer- varet diebus Veneris, ſeque expo- nendo noxas animi dejiceret ad pe- des confeſſarij. Dictis obſecuta, red- dita eſt ſanæ menti.

P. Andreas Vaz.

IN Domo Profeſſorum Ulyſſipone a. 1699. obiit. Natus Vianæ Diœ- ceſis Eborenſis. Societati adſcriptus Eboræ 2. Junij 1641. Calluit excel- lenter humaniorem litteraturam. In pangendis epigrammatis habuit fe- licem venam. Eboræ tradidit Phi- loſophiam, ac Moralem Theologiam. Ex hoc magiſterio promotus ad Re- ligionis Magiſtratus, quos multos, & multis obivit annis; Nam rexit Collegium Cetobricenſe, Domum Tyronum Ulyſſiponenſem, Colle- gium Conimbricenſe, mox egit Pro- vincialem, deinde Rectorem Ebo- renſem, poſteà Præpoſitum Domûs Profeſſæ Ulyſſiponenſis, ac tandem Vice-Provincialem. Interfuit deci- mæ tertiæ Congregationi Generali, quod eſſet Provincialis, cum obivit

Ca-

Carolus Noyelius piæ & ſanctæ memoriæ. Id illi contigit in his magiſtratibus, quod ex animo ſe ſemper excuſaret, at excuſationum effectus erant altiores magiſtratus. Dum rexit, nullus fuit, qui juſtè de ipſo quereretur. Dicere ſolebat, & omnes vera loqui intelligebant, errores ſuos ex voluntate profectos non eſſe. Non magis hos, illosve dilexit, idem omnibus. Ejus erat ſermo, *Eſt, eſt, Non non*, qualem Chriſti vult Evangelium. Præibat ſubditis exemplo. Pervigiliis ſolemnium Feſtorum non ſolùm privatus, ſed Superior adibat ſervitum in culina. Cum cæteri verberabant ſe tergo in triclinio, ipſe nunquam deerat. Flagellis, ac ciliciis edomuit artus ſuos. Excuſationes, quas dixi, ore tenus non erant. Aliquando litteras oſtendit cuidam Religioſo gravi, quas dabat ad Generalem ab uno ex magiſtratibus ſe excuſando. Tot cumulabantur rationibus ab ſe, rebusque ſuis deſumptis, ut ſacerdos, indecens eſſe, dixerit, illas ſcribere de ſe vilitates: certos eſſe fines, quos ultra, citraque nequeat rectum conſiſtere. Nihil eo egenius, religioſam paupertatem habuit in deliciis. Ex rebus ſubditorum, qui moriebantur, ſuis uſibus aliquid applicari noluit. Poſtremis annis acutos perpeſſus dolores, ſuſtinebat patientiſſimè. Erat ſibi maximo ſolatio, quod eum ſalvandum dixiſſet Antonius Homo, de quo 28. Januarij.

P. Doctor Antonius Carvalho.

ANno 1601. Conimbricæ deſiit vivere. Natus Ulyſſipone, conjunctus Societati Conimbricæ 29. Maji 1558. Vir fuit litteris exornatiſſimus. Præter alia magiſteria, tradidit Theologiam Conimbricæ, & Eboræ, Doctorisque honoribus inſignitus. Multò pluris his ornamentis virtutes fecit. Ex oculis ſacro operantis ſponte fluebant piæ lachrymæ. Habitus eſt Iro pauperior. Quamvis laboraret aſſiduis morbis, abundaretque humoribus injucundis olfactui, nunquam permiſit aromata odorata ad mitigandum tetros odores. Ordinarii ſermones ipſius erant de Deo, ac rebus ſanctis, ſed permiſti quodam ſale tam grato, ut alliceret omnes, & nemini haberetur faſtidioſus. Confeſſus eſt ſexdecim vel octodecim annis, quibus Theologias tradidiſſet, feciſſe repugnanti natura, quod innatus genius eum ad ſacra pulpita invitaret; verumtamen occultaſſe ſemper hanc animi propenſionem, quod nollet alio, quàm obedientiæ gubernari ſenſu. Odorans injungendam ſibi rem moleſtam, parabat animum indifferentem ad quemcunque obedientiæ nutum. Affirmavit has de ſe victorias ampliè compenſatas à Deo, in eo, quod ſemper ab oratione ſurrexerit cum ſolatio. Ajebat, rem eſſe plenam triſtitiâ virum Religioſum vitam ducere, ac ſuo diſponere arbitratu. Quod matri

ri suæ viduæ, & sororibus innuptis ffet res domestica penè nulla, con- essum illi est, antequam solemniter rofiteretur, abire de Societate, ut ntæ egestati ferret opem. Ad hæc espondit: *E mundo se non venisse tam berum à vulneribus, ut eodem revertere- r.* Si Societas vellet pro eâ, quâ beralis est erga pauperes, charita- , miseris ex parte succurrere, ope- e pretium facturam. Si secus: sua ater, ac sorores tolerarent vicem am, ut erant laturæ, si de vivis se cederet. Is in Societatem amor uris æstimatus, quod per id tem- us alia sacra familia magnis condi- onibus eum solicitabat sibi con- ngere propter insignes dotes ad agisteria, & suggestum sacrum. icinus morti Deo maximas egit atias, quod in Societate more- tur.

P. Joannes Peres.

Annus 1581. exitiosus fuit urbi Portuensi, quòd eam pestis mul- m afflixerit. Inter nostros, qui periclitantibus curandis obtule- nt, unus fuit Joannes, qui post eram egregiè navatam, perculsus dem pestilentiâ ex infectis contra- vitam amisit. Nihil aliud de anne mihi est compertum. Sit o maxima narratione maxima aritas.

P. Robertus Med.

Ulyssipone in Collegio Divi An- tonij anno 1704. defunctus vi- Natione Hybernicus. In ea In- sula multis annis excoluit popula- res suos. Mensibus octo addictus fuit ab hæreticis carceri in odium fidei. Posteà ab eisdem extermina- tus venit in Lusitaniam, ubi transa- ctis aliquot annis senio conficitur.

DIE XXX.

P. Martinus Leitam.

HAc die non occurrit, qui sit mor- tuus, speciali dignus memoriâ. Sequentes in libris obituum diem mortis expressam non habent. Pater Martinus agebat Rectorem Collegij Divi Antonij Ulyssipone, cùm anno 1669. transiit à mortali vitâ ad non perituram. Institutum sic ad un- guem, ut ajunt, observavit, ut fran- gere ullam Regulam non sit visus, vel noxas leves exhorruit tanquam læthales. Ut erat æqui observan- tissimus, curabat, tales forent alij. Scrupulis vixit exagitatus. Morbus postremus erupit incredibili vi. Jus- serunt Medici ad lectum colligi, & protinùs corroborari Sacramentis ad supremam luctam jam jam imminen- tem. Respondit, eâ se die per mo- dum Viatici sacro refectum pane: vocarent tamen confessarium; huic dixit: sibi occursare nihil, quod pro materia depromeret, subjecta velle de novo, quæ sæpe jam exposuisset. Ubi est absolutione donatus, tran- quillissimè animam efflavit. Post mortem induit vultum intuentibus gratissimum. Sacerdos è nostris, cui erant horrori mortui, fassus est

solùm Martinum sibi timori non fuisse.

Emmanuel de Sylva Coadjutor.

EBoræ anno 1668. vitam explevit. Natus Averij Diœcesis Conimbricensis. Refertur de ipso, solitum se tradere familiaribus cum Deo suo commerciis. Ut sibi ad Orationem abundaret tempus, surgebat è lecto multò priùs, quàm reliqui excitarentur. E virtutibus silentium, & paupertas, erant illi in pupillis. Agens vestiarij custodem, nunquam aliquid novum induit. Temporibus ad loquendum concessis, ipse petebat officinam suam, laborique indulgebat.

DIE XXXI.

P. Petrus de Albuquerque.

EBoræ vitâ excessit anno 1638. Natus Quintelæ Diœcesis Visensis. Conimbricæ nomen dedit Societati 14. Decemb. 1614. Magnum ingenium cum magnâ conjunxit virtute. Tradiderat ipso mortis anno in Academia Philosophiam. In fine postremæ, ut vocant, Philosophicæ mensæ, gratias Deo habens, quod ad ejus laboris metam accesserit, usurpavit in rem præsentem illud Pauli: *Cursum consumavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus.* Quæ verba fuerunt, instar vaticinij mortis impendentis. Secessit in villam Suburbanam è laboribus exantlatis per quadriennium vires fessas, & attritas refecturus. Ibi su[premus] eum invasit morbus ade[o] violentus, ut vix superfuerit diebu[s] septem. Cùm eum certiorem fec[isset] de morte obeundâ quidam è nostri[s] respondit, eam denuntiationem am[i]ci esse fidelis. Interrogatus, nu[m] aliquo stimulo pungeretur conscien[tia]? respondit: Nullo. Deinde sub[jecit] humiliter, ex animo se dolere quòd vocatus ad Societatem, inte[r] gentem tam sanctam, qualis debe[ret], non fuisset. Magnus extitit i[n] ejus obitu Sociorum dolor, proptè[r] spem ingentem de ipso conceptam immaturè succisam.

P. Nicolaus Nunes.

GOæ apud Indos anno 1576. vi[tam] clausit. Profectus ad orien[tem] an. 1546. Sequenti anno tran[s]siit Malacam, ubi habuit obvium S. Franciscum Xaverium, à quo mis[sus] cum Joanne Beira, & Nonio Ribeyro ad Insulas Molucenses non[dum] Sacris initiatus. Multos ad fi[dem] transtulit è superstitione. Comprehensus ab inimicis fidei, proximus Martyrio fuit; semel Rex Ternatensis ad mortem eum conquiri jussit, sed ope faventis De[i] ad bonum neophytorum periculo est ereptus conquerentes neophytos de pluviæ magna penuria in unum imperavit conjungi, ac fusis precibus imbrem à Deo petere. Obtemperantes voto sunt potiti. In Insula Moro bis ad necem quæsitus; periret, nisi Deus incolumem diu[tiùs]

tiùs

ùs voluisset. Ex eâ rediens Insu-
, facto naufragio, ægrè ad littus
vasit. Sæpè ad vitandas feras som-
os capiebat super arbores, aliàs in
esertis locis, ac saltibus. Anno
556. revertit Goam cum Patre
eira, & sacerdos initiatus, regres-
s ad Molucas. Aliquando singu-
mensibus tinxit salutari lavacro
ieros nongentos, qui biennium
tatis non superabant. Ex his quam-
urimi sunt mortui, antequam ap-
eteret rationis lumen. Cum Insu-
Mori Neophyti nimium à Mauris
exarentur, Nicolaus Goam naviga-
t, ut à Prorege milites, qui neo-
hytos defenderent ab injuriis, po-
ularet; cùm ipsius non satisfactum
postulatis, voluit ad suos Molu-
nses redire, apud quos annos 26.
onsumpserat. Quod esset tot an-
orum laboribus nimium fractus,
on permiserunt Majores illò rever-
Cæteros vitæ annos Goæ tra-
ixit, perpetuis accensus desideriis
suos inter Neophytos moriendi.
Linguas Malacensem & Molucensem
tam scitè tenuit, ut ipsos viceret
indigenas.

P. Michael Vaz.

IN Domo Professorum Ulyssipone anno 1580. gloriosâ morte defunctus. Natus in Diœcesi Conimbricensi. Nihil ampliùs reperi de ipsius patriâ, nec ubi se dederit Societati. Ætatis annos 36. numerabat, horum dimidium apud nos vitam duxerat magno virtutis nomine, obedientiæ præsertim, ac proprij contemptûs. In genua provolutus enixè poposcit, sibi concederent facultatum serviendi peste infectis. Id egit primum ex Collegio Divi Antonij, deinde ex Domo Professa; dum pio labori dat operam, lue inficitur, & absorbetur, hoc mense, die mihi non compertâ.



JUNIUS.

DIE I.

P. Emmanuel de Cuncha Martyr.

IN regno Mayssurensi apud Indos Malabarenses anno 1711. martyrio laureatus. Editus lucem est in pago *Aldea nova Cabo* Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ addictus Societati 11. Julij 1696. ætatis 20. Cùm in Lusitaniam annis proximis pervenit de illius martyrio nuntius. Dubium inter nos exor-

exortum, quisnam foret hic Emmanuel de Cunea, nam Catalogus proficiſcentium ad Indiam, qui circumfertur manuſcriptus, duos habet ejusdem nominis, hunc, de quo eſt, ſermo, recentiorem, antiquiorem alterum, qui eò contenderat anno 1681. Erat Ulyſſipone Pater Antonius de Payva, qui multis annis in regno Mayſſurenſi laboraverat, agebatque Procuratorem Goanæ Provinciæ, ad quam pertinet Mayſſurenſis Miſſio. Ipſe mihi ad eum ſcribenti dubium ſolvit, quod volui advertere; nam reperi jam in libris impreſſis aliquos errores natos ex hoc catalogo; quod ſcriptor crediderit illum eſſe hominem, cujus nomen ſit obvium, cùm re ipsâ ſit alius ejusdem nominis; Igitur ad rem. Protinus ſcripſi ad parochum illius pagi, nuntians ſui popularis felicitatem, ſimul rogabam, inquireret à conſanguineis, & æqualibus ætate, ſiquid tantâ morte dignum peregiſſet annis, quibus apud eos fuit. Vivebat adhuc Antonius de Cunea Emmanuelis parens, qui præ gaudio tantùm non eſt mortuus. Teſtatus eſt bonus ſenex ſuum Emmanuelem ab annis teneris ſanctum fuiſſe, ac virtutum deditum exercitiis, ſolitum frequenter expiare conſcientiam, & refici pane ſacro: per annum diebus non paucis victitare ſolùm pane, & aquâ: fugere cæterorum æqualium, & ætatis ludos, & oblectamenta: Extra paternam domum nusquam magis aſſiduum, quàm in æde S. Antonij. Sacerdotes multi, & è noſtris unus Emmanuelis condiſcipuli affirmârunt, ipſum fuiſſe ſemper Scholaſticum multæ virtutis, & modeſtiæ. Apud no[s] nihil ab initiis tam ſanctis diſcrepavit. Propter ejus notam virtutem antequam abſolveret annum Tyrocinij, permiſit illi Magiſter devotionis causâ vota ſcholaſticorum nuncupare. Inierat ille Societatem deſtinatus jam ad Indiæ miſſiones, a[d] quas profectus eſt anno 1697. Poſt ſcientiarum ſtudia Goæ abſoluta miſſus eſt ad regnum Mayſſurenſe, ubi præcones Evangelici utuntur eisdem vitæ ſeveris legibus, & auſteritatibus, quibus operarij vineæ Madurenſis huic proximæ: has ſigillatim non refero, quod non ſemel de ipſis in hoc opere ſit facta mentio. Quantum conjicio ex narrationibus ad nos miſſis, eſt ingreſſus Miſſionem ſub finem anni 1707. Annis 1709. & 1710. multùm eſt perpeſſus ex affectâ valetudine. Non ideò ad labores redditus eſt ſegnior. Præterquam quod docuit regionis idioma duos operarios de novo adeuntes, eluit ſacris lymphis ex adultis 82. ex infantibus non minus 72. Corroboravit Sacramentis 24. de morientibus, qui labor è gravioribus, ſive moleſtioribus eſt propter locorum diſtantias, & itinerum longitudines. Etiam his duobus annis excepit confeſſiones 2050. Inter eas gentes abominandum eſt, ſiqua vidua nubat. Cum id contra morem

pa-

atrium egisset Christiana vidua, agna tempestas adversus Emmanuelem excitata, quod tollendæ ta- consuetudinis diceretur author. ancipatus carceri & vinculis. Vocatus in judicium; quod fecisset sa- interrogationibus, jusserunt abisolutum, & liberum. Anno 1711. ense Aprili profectus ad oppidum *ngonti* dictum, ut erigeret ædem cram in irruptione à Mauris dejeam. Ab oppidi Præfecto facultaobtentâ, dum instant operi neoyti, consedit Emmanuel sub tugu- è frondibus ad arcendum solem ptim fabricato. Ethnicos multos ventitantes edisserens de fidei ritatibus ad amplectenda Christia- Sacra commovit. Cum aliis, qui nerant eum tentandi gratiâ, ditavit, ac inde cesserunt convicti. s disceptationibus exarserunt con- Emmanuelem Dazari, sive Dei xnuvij sacrificuli, & ejus sectæ gistri, quorum conventicula cre- significabant aliquid insolitum chinaturos. Quo die fecit in æ- primum Sacrum, concurrerunt zari multi numero omnes armati à cum suæ legis magistro præcio, è cujus nutu pendebant alij. ito Sacro, cœperunt Dazari æm ingredi. Cùm neophyti conatur impedire, Emmanuel, neid rixarum oriretur, eos contiit. Amoto hujuscemodi obice, zari convolantes in Patrem, eum trahunt ad conspectum, ac prætiam magistri sui, hic ut proximum sibi vidit, quantâ vi potuit, impegit illius tergo fustem. Hoc veluti ad arma facto signo, Dazari reliqui quà lignis nodosis, quà contis, quà lanceis, & gladiis unum adoriuntur, contundunt, ac feriunt; qui carebant armis, afficiunt pugnis, & injuriis. Conspersum suo sanguine, acceptis duabus plagis in capite, una in dextra manu, sistunt ante pedes magistri sui, qui de more regionis sedebat humi super stroma totus arrogans, ac superbia elatus. Tractavit Patrem indignis modis. Quid hominis, ait, tu es, quæ lingua tua, quæ gens, quæ tribus? hæc, & alia interrogavit iratâ voce conceptum indicante furorem. Ad quæ respondit Emmanuel verbis mitibus, & in mansuetudinem compositis. Aliqui neophyti, qui voluerunt defendere, malè mulctati sunt. Videns Magister Dazarios multos id scelus improbare, ac Patri favere, timuit, ne deferretur ad judices ejus audacia, cogereturque rationem dicere, & meritas subire pœnas; iram moderatus est, aut potiùs finxit mansuetum animum, & verbis minùs acerbis denuntiavit Patri, facesseret quamprimum ex ea terra; nam qui sibi discipulos, quorum alebatur minervali, auferebat, procul dubio auferebat vitam. Coegit ad profectionem, adjungens, qui comitarentur ad ejus agri fines. Toto vespertino tempore pedibus egit iter. Perveniens ad pagum, in quo erant aliqui neophyti, constituit ibi per-

 no-

noctare. Cœpit per noctem sentire plagarum dolorem, quem, ut ipse confessus, hactenus non senserat, ne dum quando vulnerabatur. Sequenti mane, torpentibus brachiis, pedem movere non poterat. Tamen ex ipsa debilitate vires sumens, aggressus est iter adusque Capinagatium, Residentiæ suæ sedem præcipuam, vocatus Chirurgus religione Dazarus, quales erant occisores, ut ægroto faceret animum, *Favente*, inquit, *Deo Bruma*, *hoc nihil erit.* Ubi Pater audivit idoli nomen. Voce commotâ, & justo accensa dolore jussit Chirurgo, protinus inde recederet. Posteà tamen relictis talibus inanium Deorum invocationibus, permisit curationem ex arte. Ubi nuntiatum est Antonio Santiago, ejusdem vineæ Mayssurensis operario, festinavit ad invisendum, & consolandum ægrotum, quem inter afflictationes reperit animo, & vultu hilari. Cum vi mali delixaret, sermones erant unicè de suis neophytis, quos habebat impressos cordi. Redditus sibi, conscientiam expiavit confessione generali. Secundum confessionem rursus perdidit mentis usum. Sequenti die sibi restitutus iterum, accepit Viaticum. Paulò pòst tertium est mentis usu privatus. Duobus vitæ postremis diebus tam sanum adeptus judicium, ut nihil titubaret. Ipsemet verbis suavissimis ad subeundam mortem juvit se, atque animavit. In supremo articulo JESUM nominans, ac brachio Patrem Antonium sociu fidelem complectens, exhalavit an mam. Triennio tantùm excolu eam vineam. Ictibus plusquam d centis à Dazaris perculsus est. M rum fuit, quod inter eorum manu non expiraverit. Primus ille è n stris est, qui apud Mayssurenses dem suo testatus sanguine. In li teris ex eâ regione in Europam mi sis, anno 1714. refertur Emmanu lem multis clarescere miraculis.

DIE II.

P. Doctor Petrus Paulus Ferrer.

IN Domo Professa Ulyssiponensi an 1618. maturâ sublatus morte Natus Malagæ in regno Granatensi Crevit sub magisterio venerabili Viri Joannis Avilæ. Conditâ pe CardinalemHenricum Eborensi Academiâ, & Societati traditâ, rogavi idem Cardinalis S. Franciscum Borgiam in Hispania Societatis nostra Commissarium, mitteret aliquo Theologiæ Professores, qui nova Academiæ cathedras moderarentur. Cum eis initiis laboraret Societas talium hominum inopiâ, recurrit S. Borgia ad Joannem Avilam, aperiens, quid sibi Cardinalis scripsisset, & quibus esset in angustiis: rem Deo, Henrico, & sibi facturum gratissimam, si persuaderet aliquibus è suis discipulis litteratis, ut initâ Societate, sustinerent illius Academiæ magisteria: duos Avila Doctores elegit, Fernandum Peresium, de

e quo 13. Februarij, & Petrum
aulum. Obſequutos magiſtri con-
iis, adoptavit in Societatem Bor-
a, & mandavit ſub finem anni
559. ut eſſent Tyrones Societatis,
Theologiæ Profeſſores. Petrus,
quo in præſenti ſermo eſt, tantæ
ientiæ fuit, ut eum vocarent
bliothecam vivam. Calluit æquè
ræcas, & Hebræas litteras, ac lati-
s. Vix aliquid reconditi fuit in
toriis ſive ſacris, ſive profanis,
od neſciret, in promptuque non
beret, tanquam ſi recens legiſſet.
iram cum tanta ſapientia bonita-
m, & antiqui candoris ſincerita-
n conjunxit. Angelum diceres,
n hominem. Egit multis annis
oræ S. Scripturæ Profeſſorem, de-
le Cancellarium. Ex Ebora mi-
avit Ulyſſiponem, ubi Quæſitorum
ræ fidei tribunali multum utilis
t ejus ſapientia. Duos vitæ po-
emos annos tranſegit affixus lecto
rabilibus patientiæ editis exem-
s.

P. Antonius Simoes.

Nno 1600. Conimbricæ fato
ceſſit. Fulſit ſingulari morum
egritate, & obſervantiâ adverſus
jores, qui ſemper invenerunt
mo paratiſſimo ad quæque licèt
ua, aggrediendum ex obedien-
: deſideravit ardentiſſimè ſervire
tactis peſte: Flagitavit multis
cibus id ſibi concedi: Studia
um coram intuendi majorem in
dum illius corda ſuccenderunt;
Cùm ipſi declaratum eſt adeſſe mor-
tem. Tantum non exiliit præ læti-
tiâ, & ad ſocios converſus: *Mihi
gratulamini*, inquit, *de nuntio tam læ-
to, tamque jucundo.* Siquis ei diceret,
poſſe contingere, ne præſenti mor-
bo abriperetur. Dolenti ſimilis ro-
gabat, ne tale quid pronuntiarent.
Hæc inter ſuaviſſima deſideria, &
invidendam lætitiam Deo ſuo red-
didit animam.

DIE III.

P. Doctor Franciſcus Mendoſa.

Lugduni Gallorum anno 1626.
diem obivit. Natus Ulyſſipone
parentibus illuſtriſſimis Alvaro de-
Coſta & Eleonora de Souſa. Fuit
germanus frater Patris Eduardi de
Coſta, de quo ſcripſi 11. Februarij,
qui Mendoſæ permotus exemplo ſe
majorem natu aggregavit Societati:
Studebat litteris Franciſcus in noſtris
ſcholis Ulyſſiponenſibus, cum induxit
animum Societatem inire. Id ubi
notum eſt Eduardo, tenuit domi
clauſum, & vinctum. Nactus ille
opportunitatem evadendi fratris cu-
ſtodiam, ſaltu ſe dejiciens è fene-
ſtra domûs in urbis viam, fugâ ſe
proripuit ad noſtrum Collegium, in-
de miſſus Conimbricam ad ponen-
dum Tyrocinium, quod fecit 28.
Junij 1587. Magiſtrum habuit ve-
nerabilem virum Vaſcum Pirium;
quoniam hactenus vocabatur Fran-
ciſcus de Coſta, eum Magiſter ad-
monuit, aliud ſibi cognomen inde-
ret,

ret, quippe apud nos erat Coadjutor nominis, & cognominis eorundem.: Idcircò ſumpſit Mendoſæ cognomen. Hunc eventum narrabat poſteà Franciſcus non ſine lepore, conſideratâ nobilitate talis cognominis in ſua familia, & humilitate ejusdem in Coadjutore, quæ humilitas eſſet ſuæ nobilitati antepoſita; quamvis foret illuſtris tanto ſanguinis ſplendore nihil fuit in eo minus hac magnitudine; Nam ingenium, memoria, dotes ad magiſteria, & ſacrum ſuggeſtum, & virtutes, omnia in Franciſco fuerunt ſumma: Tradidit Ulyſſipone Rhetoricam, Philoſophiam Conimbricæ, Sacram Scripturam expoſuit Eboræ, ibique laureâ Doctoris inſignitus. Poſtea præfectus eſt Rector Collegio Conimbricenſi. Finito magiſtratu, rursùs moderatus eſt Eboræ cathedram Scripturæ, deinde conſtitutus Rector ejus Collegij, & Academiæ. Per id tempus habito Conventu Provinciali, Electus Procurator adivit Romam, in Luſitaniam redeuntem Lugduni mors intercepit. Scientia tum humaniorum litterarum, tum Divinarum tanta fuit, quàntam inſigniores Viri adepti ſunt: Erat eloquentiſſimus. In Academiis latinè dicendo videbatur Cicero, in ſacro ſuggeſtu Chryſoſtomus, in Cathedra Nazianſenus. Reverendus Pater Generalis Mutius, poſtquam eum Romæ novit, de ipſo dixit: *Pater Mendoſa verè eſt Vir admirabilis, quòd ſit magnus Concionator, magnus Scriptor, magnus Superior, & m*
gnus Sanctus. Cum Romæ per Qu
drageſimam ad Concionem dicer
in templo Divi Antonij, tanta a
dientium erat animorum comm
tio, ut multi dictitarent, eum n
reverſurum in Luſitaniam, ſed ma
ſurum Romæ, ut curiam ſuis refo
maret concionibus; è quibus aud
tores excedebant ſilentes, & cog
tabundi, demiſſis capitibus, & oc
lis in terram fixis. Virtutes ad ce
tamen usque in eo floruerunt, ſ
ſuamque nobilitatem pro nihilo p
tabat; Cùm in actibus litterari
eum citabant, rubebat pudore, h
mi figens oculos. In conſoland
carcere detentis, & eorum audie
dis confeſſionibus erat è prim
Subditos ad obſervantiam magis e
citavit exemplo quàm verbo. A
tus illi faciles, & benigni. Dix
in magiſterio S. Scripturæ nihil ſ
moleſtiùs fuiſſe, quàm legentes p
menſa, corrigere, quoniam ab o
nibus emendari cuperet. Vix a
duci potuit, ut typis vulgaret co
mentaria ſua in libros Regum, q
labore in eo genere procul dub
multum vicit cæteros Scriptore
Ajebat confuſione plenus, neſci
ſe, quam rationem Deo daturus e
ſet, quòd tot annos vixerit int
homines ſanctos, nihil proficie
eorum exemplis. Scriberent aud
tores ſui, quæ dictabat, nec n
ipſe non curabat. Tum Superio
tum Profeſſor in Academiis gener
ſo, & excelſo tulit animo adverſit
te

es. Religioſo ſubdito ſuo, qui in
um effudit coram, quidquid ſug-
eſſit cæcus furor, ſolum manſuetè
eſpondit : *Jam videtur multum eſſe.*
lurimi eum convenientes iracun-
i, ſatiandæque bilis causâ, ubi
onſpiciebant oris gravitatem, &
odeſtiam, ponebant animum tur-
atum, eosque pœnitebat ſui furo-
is. Cum gubernavit, non permi-
t, in menſa ſibi præberi aliquid
ngulare ; quod ſi de culina mitte-
atur capitalis portio, vel auctior,
uàm cæteris, vel quid privatum
erens, eam non attingebat. Sui
orporis tam negligens fuit, & tam
verus caſtigator, ut neceſſum fue-
t Majoribus, uni Sacerdoti injun-
ere, commodis illius invigilaret,
temperaret rigores. Niſi foret
liena cura circa ipſius veſtitum,
ullus mendicus incederet magis
annoſus, aut corpore nudiori. Ma-
nopere improbabat qualemcunque
veſtitu novitatem. Res, quibus
tebatur, ut pallium, galerus, alia-
ue, ſervabat accuratè, quo diutiùs
ui forent. In ſtudendo vir fuit
mninò indefeſſus. Cùm æſtate,
m hyeme ad mediam noctem in-
umbebat libris, quamvis habuiſſet
tam diem expeditam. Harum
igiliarum cauſâ ſemper vixit egens
omno. In itineribus, ubi diverſo-
um eſt ingreſſus, nihil priùs cogi-
vit, quàm protinus attendere ſtu-
endo, vel ſcribendo. Rarò, & niſi
gente neceſſitate, viſebatur extra
ubiculum. Ægrotans in valetudi-
nario ex crure, Socios inviſentes
ſolùm admittebat hora ad confabu-
landum conſtituta, reliquo tempo-
re dabat operam ſtudiorum penſo.
Ajebat melius eſſe vitam citiùs fini-
re ſtudendi causâ, quàm longos an-
nos ſupereſſe pigritiæ indulgendo.
Propterea cum dicebant aliquem
Socium nimium eſſe in ſtudiis ſcien-
tiarum, poſſeque phthiſi contabe-
ſcere, id multum non curabat, nec
improbabat. Obedientiam maxi-
moperè veneratus eſt ; Cùm rexit
ſocios, æquitas, & integritas fue-
runt illi in pupillis. Ingenuè con-
feſſus eſt nihil ipſi moleſtius accidiſ-
ſe, quàm magiſtratuum adminiſtra-
tionem, quod eum retardaret in
compoſitione librorum. Maximi fa-
ciebat Socios virtuti deditos : aje-
bat, hos, ètſi viribus eſſent infirmis,
& naturæ dotibus carentes, ſemper
utiles eſſe, & in domo Dei non de-
eſſe, in quo ſervirent. Ex animo
deſideravit, & procuravit mitti ad
Ultramarinas gentes convertendas:
Antequam ſacrum conſcenderet ſug-
geſtum, ſecum, quæ dicturus erat,
in oratione meditabatur, quâ medi-
tatione ſic affici, ac leniri ſolebat,
ut nonnunquam duo ſudaria lachry-
mis obortis madefaceret. Poſt cœ-
nam, quo tempore cæteri inter ſe
honeſtè confabulantur, ipſe coram
Euchariſtia vacabat orationi. Hi-
aliisque virtutum innumeris exem-
plis abundè locuples animum exor-
naverat, cùm eum oppreſſit ſupre-
ma dies. Maij 27. die Dominica ve-

ſperi Lugdunum adventavit ſanus: die ſequenti cœpit ægrotari. Paucos intra dies innotuit periculum. Galli Patres, pro eâ, quâ ſocietatis homines mutua nos fovemus charitate, nullis defuerunt curis & ſumptibus, ut eriperetur morti. Verùm infirmus totum animum, & magnam mentem, quâ Deus eum inſignivit, ad altiores adeundæ æternitatis curas collegit. Confeſſione univerſæ vitæ conſcientiam luſtravit. Tempus terebat vel Deum compellando, vel piorum librorum audiendo lectionem. Crebrò uſurpabat hujuscemodi verba: *Proficiſcimur ad æternitatem.* Sacramentis acceptis, juſſit denuntiari Medicis ad eum inviſendum accedentibus, abire poſſe, neceſſarios jam non eſſe. Continuò ſenſus omnes intrò vocans, ampliùs nihil eſt locutus, ſed tradidit ſe totum altiſſimæ contemplationi; dum moratur in ſuaviſſimo Dei complexu, placidiſſimè ſolutus eſt corpore ſpiritus. De rebus ipſius avidè arripuerunt Patres Galli reliquias. Cùm paucis diebus perſpexiſſent Franciſci virtutes majores eſſe illius ſapientiâ & famâ per orbem ex libris impreſſis vulgatâ & cognitâ. Ad exequias confluxit magnus concurſus cum urbis, tum Academiæ. Multi ejus manus, tanquam Sancti, exoſculabantur. Collegij Patres mirum in modum ſunt gaviſi, quòd tanti Doctoris apud ſe habituri eſſent cadaver, dixeruntque non invidere ſe illius urbis Franciſcanis, quod poſſident oſſa Divi Bonaventuræ; Cum triſtis, & acerbus nuntius pervenit Eboram: non ſolùm noſtros, ſed etiam externos tenuit ingens mœror. Non defuerunt, qui autumarent, ſpem ſibi eſſe, brevi locandum in altaribus. Etenim micuerunt in eo tam præclaræ virtutes, ut tantam exiſtimationem promeruerit.

P. Gregorius Luis.

ANno 1660. in Domo Profeſſorum Ulyſſipone finiit vitam. Natus in oppido *Alpalham* Diœceſis Portalegrenſis. Dum annis puerilibus ludit in platea cum aliis ſuæ ætatis, equus cum ſeſſore decurrens, calcibus eum contrivit, ac fregit cranium ſupra dextrum oculum. Ereptus morti, ac ſanitati reſtitutus, Poſteà fatebatur hoc, aliisque periculis ab Angelo Cuſtode liberatum, Latinitati dabat operam Portalegriæ, cum anno 1605. Patres Antonius Vaſconcellius, & Stephanus Caſtrius eam adiverunt urbem vocati ab Epiſcopo Didaco Correa, ut ponerent exordia Collegio noſtræ Societatis. Familiaritas cum noſtris eum reddidit vitæ Religioſæ amatorem, & cultorem ſpecialem B. Virginis. Interceſſit illi commercium cum ſcriba viro probo, qui veſpertino tempore eum ſecum deducebat ad ædem B. Virginis à Lætitia, ut ibi B. Virginis alternis vocibus Roſarium decantarent. Eboram migrans causâ ſtudiorum, habuit confeſſarium Patrem

trem Gaſparem Gomeſium, de quo
20. Maij: permotus illius conſiliis,
octavo quoque die nudavit animum
apud Confeſſarij pedes, ac ſacris
epulis refectus. Nactus contuber-
nales bonis moribus, qui Gregorium
non ſevocabant ab hac Sacramento-
rum frequentiâ. Menſibus feriarum
rediens in patriam, comperit fra-
trem ſuum natu majorem vehemen-
ter cupere, uxorem potiùs duceret,
quàm ſectaretur litterarum ſtudia.
Ad molliendum ejus animum die
quodam veſperi per diſſimulationem
ſecum deduxit ad alloquendam Vir-
ginem conſanguineam, cum quâ
ipſum avebat maritari. Rem Gre-
gorius intelligens, in poſterum no-
luit illò redire. Petivit Eboræ in
Societatem admitti. Conſiderans
Vice-Provincialis imbecillas ado-
leſcentis vires impares Religionis
labori, eum bonis verbis moratus
eſt. Non deſtitit à propoſito, quoad
ipſius votis eſt ſatisfactum 9. Maij
1610. Tam avidè complexus novum
Inſtitutum, ut tota vita ne leviter
quidem ad id deſerendum fuerit à
Cacodæmone tentatus. Poſt bien-
nium nactus Præfectum ab Spiritu
P. P. Paulum Carvalium, de quo
5. Maij, & Juniorum Miniſtrum
Emmanuelem Eduardum, de quo
4. Februarij; horum exemplis, &
conſilijs multùm profecit. Quibus
acceſſit Laurentius Riberius Theolo-
gus, de quo 2. Decembris, qui
Juniores conveniens, verbis ſuis
accendebat, & animabat ad ſpiri-
tualem profectum. Converſantes
cum ipſo, è quibus erat Gregorius,
ſingulis menſibus die uno, poſitis
litterarum ſtudiis, vacabant S. Pa-
tris Ignatii Exercitiis, nec cum ullo
ipsâ die miſcebant ſermones. Abſo-
lutis Philoſophiæ ſtudiis, egit Sub-
miniſtrum in Collegio Divi Antonij.
Verum ex crebro aſcenſu, ac de-
ſcenſu ſcalarum cùm cœpiſſet ſan-
guinem excreare reverſus Eboram,
ubi convaleſcens & incubuit Theo-
logiæ, & Miniſter fuit Juniorum, ac
Socius Magiſtri Tyronum. Poſteà
Miniſtrum egit in Collegio Portuenſi,
Socium Magiſtri Novitiorum Ulyſſi-
pone, & Miniſtrum Collegij Conim-
bricenſis. Inde ut traderet Theolo-
giam Moralem, miſſus ad Inſulam
à Divo Michaele. Ibi ſodalitium
B. Virginis à Victoria, quod eſt
Scholaſticorum, inſtituit, condidit-
que leges, quibus regitur. Erexit
etiam ſodalitium S. Patris Ignatij,
quamvis hoc decurſu temporis ſit
ſolutum. Illic erat anno 1630. cum
2. Septembris erupit è terræ viſceri-
bus incendium eo loco, quem *Penta
de Garſa* dicunt. Tantusque in auras
ejectus cinis, ut obſcurato Sole,
meridie nihil cerni poſſet, niſi accen-
ſis luminibus. Illâ ceſſante formi-
dine, cum alio Sacerdote per Inſu-
lam excurrit concionando, & exhor-
tando ad confeſſionem animos præ-
ſenti ſupplicio ſupra modum percul-
ſos. Inde migravit ad gubernan-
dum Angrenſe Collegium, ubi nun-
cupavit vota ſolemniter Profeſſo-

 rum,

rum, incepitque templi noſtri fabricam. Anno 1634. redditus Luſitaniæ, comitatus eſt Joannem Mendeſium Tavoram Epiſcopum Portalegrenſem in luſtratione Diœceſis. Anno 1638. ivit in Angolam noſtrorum Viſitator. Laborioſum ſuſcepit iter ſine ullâ excuſatione, hanc enim ipſe neſcivit, quotieſcunque acceſſit vel levis ſanctæ obedientiæ ſignificatio. Prope Guineam navis capta eſt à Batavis. Duobus menſibus, quibus apud ipſos fuit, ſuſtentavit vitam pane bis cocto ex avena, & lentibus, portione admodùm tenui in ſingulos dies. Poſt toleratam famem & ſitim, incolumi ſemper valetudine, unà cum aliis ejectus eſt à Pyratis in Inſulam à ſancto Jacobo ditionis Luſitaniæ, & præcipuam ex Heſperedibus ad Caput viride. Reſtitutus poſt ſex menſes Luſitaniæ, egit Eboræ noſtrorum Juniorum Præfectum ab Spiritu. Eodem tempore fuit à Confeſſionibus Violantiæ de Aſcenſione Moniali magnæ nobilitatis, & maximæ virtutis in aſceterio à Salvatore. Jam erat extra Eboram Gregorius, cum ſe comparans ad faciendum Sacrum, inſtinctu ſuperiori permotus eſt ad applicandam Miſſam pro Violantia per id tempus magnas inter anguſtias laborante. Paruit interno motui, ac paulò pòſt certior eſt factus ipsâ horâ Violantiam expiraſſe. Rogatu alterius Monialis Violantiæ ſororis, ejus ſcripſit vitam: deinde annis tribus inviſit, ac recognovit prædia, quæ poſſidet Eborenſe Collegium in Provinciis Beirenſi, & Interamnenſi. Ex ſuſcepto in ea procuratione labore contraxit præter alios morbos moleſtam podagram. Obitis aliis adminiſtrationibus, vixit annis poſtremis in Domo Profeſſorum Ulyſſiponenſi Præfectus templi. Triennio toto ante mortem hæſit affixus lecto ſic pedum nervis contractis, & torpentibus, ut nec poſſet corpus movere, ac volvere intra lectum. Incredibili patientiâ tulit hoc prolixum martyrium ſummoperè gratus adverſus omnes, à quibus levamen aliquod in malis ſuis accepit. Quoniam erant expeditæ manus, ſedens conſumebat tempus componendo, & ſcribendo aliquas lucubrationes de rebus ſpiritualibus. Dum per vires licuit, diebus, quo multus populus concurrebat ad conſcientias explicandas, inter Sociorum brachia ferebatur ad templum, ſedebatque audiendo pœnitentes in Tribunali confeſſionum. Poſtquam nec potuerunt veſtire, nec tollere de lecto, noſtratium confeſſiones excipiebat. Pridie obitum ſentiens notabilem corporis mutationem tanquam mortis appropinquantis claſſicum, petivit extrema ſubſidia; his communitus, ſequenti mane ſpiritum Deo reſtituit. Vir fuit obedientiæ laude inſignis, & laborum aſſiduitate indefeſſus.

P. Quin-

P. Quintinus Cousinus.

N itinere ad Indiam anno 1618. vitam posuit. Natione Flandrus. ultis annis vixit in Lusitana pro- ncia, Instituti nostri diversis locis ercens ministeria. Tyrones in- uxit Eboræ. Motus desideriis imas convertendi, profectus ad rientem. Vicinus morti conside- ndo æternitatis, quam inibat, vi- n, hæc intimis sensibus verba pro- ntiavit: *Arcta via est, quæ ducit ad am, arctior, arctissima.* Hujusmodi ces eo sono protulit, ut circum- ntes & cohorrerent, & continere n possent lachrymas. Sub eas ces levatis in Cœlum oculis tan- am notans viam, quâ subiturus it, hujus lucis usuræ valedixit.

P. Leonelius de Lyma.

N Collegio Brigantino sanctissimè obivit. Natus in oppido *Alco- e* Diœcesis Ulyssiponensis. Illius entes fulsère illustri nobilitate. pidine acquirendi gloriam, & mi- res honores ac præmia, conten- in Indiam, quæ per id tempus t præcipua palæstra Martis Lusi- i. Bellicæ virtutis tantum præ- t specimen, ut redditus in Lusita- m obtinuerit prœmia digna for- us. Verum secum perpendens um pereuntium vanitatem, illis revit nuntium remittere, solùm diosus æternæ felicitatis. Non us fecit, atque deliberaverat. t Societatem Ulyssipone in Domo Professa 16. Martii anno 1558. ætatis 40. & jam sacris initiatus ordinibus. Magnæ in eo micuerunt virtutes, ut humilitas, obedientia, paupertas. Egregiè se contempsit, & quidquid honores olebat. Suprà modum exosus est otium inutile, & Corporis delicias. His virtutibus junxit, cordium dulcem laqueum, affabilitatem, quâ omnes sibi, ac DEO vinciebat. Primus rexit Brigantinum Collegium, jecitque fundationis initia.

Ignatius de Cunha, & Innocentius Telles Scholastici.

ANno 1708. solvit in Indiam Franciscus Laynius Episcopus Meliapurensis de nostra Societate, & cum ipso quamplurimi. Multi, & acerbi morbi vectores, & nautas implicuerunt, edidêreque magnam stragem. De nostris non paucos magno Missionum detrimento mors rapuit intempestiva. Primi hâc die perierunt prædicti adolescentes. Ignatius domo Eborensis, sanissimis erat præditus moribus. Innocentius Ulyssiponensis alacritate magnâ hanc expeditionem capesserat. Utriusque desideriis contentus DEUS voluit priusquam Indiæ, cœlis appellerent.

DIE IV.

P. Balthasar Barreyra.

ANno 1612. heroicam efflavit animam in Residentia, quam Socie-

tas habuit in Insula à Sancto Jacobo Hesperidum præcipua è regione Arsinarii Promontorii, sive Capitis Viridis. Natus Ulyssipone. Conimbricæ Societatem ingressus 22. Januarii 1556. Cùm Tyro, cui erat curæ, ad ipsum escas ferre oblivisceretur, diebus tribus nihil cibi contigit, existimans id fieri, ut ex ipso caperetur experimentum. Exacto triduo, invisens eum Magister, percontatus est: Ut se haberet? respondit his verbis: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Ignorans Magister, quorsum illa tenderent, imperavit, ut explicatius aperiret mentem. Tunc ille, Spiritus, inquit, promptus ad quæque dura perferenda, sed corpus infirmum est, quod nihil ciborum hoc triduo gustavit. Admiratus Magister egregiam tolerantiam conjecit, & quidem jure merito, initia tam fortia grande aliquid præsagire; nec eum fefellit conjectatio. Anno 1569. pestilentiâ Ulyssiponem desolante, se totum dicavit procurandæ contactorum saluti. Perculsus eodem malo, perpessus est curationes violentissimas, semel libram carnis Chyrurgus secuit, & avulsit, ne uno quidem edito gemitu: Stupuêre, qui aderant, & Chyrurgus ipse, cùm cæteri terram, ac Cœlum inter similes curationes gemitibus complerent. Posteà sciscitatus est Rector, existimans carnem putrem esse, & sine sensu: Nunquid dolorem ullum esset expertus? Respondit, dolorem fuisse incredibilem,

DEUM tamen corroborasse corp
ris infirmitatem, ut ferendo vinc
ret omnem acerbitatem. Ubi co
valuit aliquantulum, ad opus re
vit, dumque arsit pestis, laborantib
strenuè consuluit. Anno 157
missus est cum aliis Angram in Ins
lis Flandricis causâ jaciendi prim
dia Collegii nostri. Verbi DEI pr
conem egit. Sæpè Cacodæmon
ipsius metu liquerunt occupata c
pora. Redditus Lusitaniæ, sac
Missiones obivit multas. An. 157
contendit in Angolam, ubi plurim
annis dedit operam ethnicis illum
nandis, Neophytis excolendis,
Lusitanis. Ipsius precibus Paul
Diasius Novalius supremus Lusit
norum Præfectus admirabiles ab
finitis Barbaris victorias reporta
Ajebat Angolæ Rex plus fieri à B
reyra suis deprecationibus, qu
per Lusitanos armis. Promisit m
gna præmia illi, qui sibi vel vivu
vel mortuum Barreyram trader
putans, eo de vivis sublato, victor
rum cursum, & felicitatem Lusitan
deserturam. Idem adversus suos S
crificulos est iratus, quod sibi vi
rias non parerent, ut Barreyra Lu
tanis. Eo dicto stimulatus unus
Sacrificulis, & arbitrans magni
suum interesse honorem, si Regi s
egregias promitteret victorias, p
diit in patentem aream, & mul
cæremoniis more barbarico cœp
vaticinari Regem suum Lusitan
profligaturum. Dum omnium
eum intentis oculis per summam
cta

ntiam & vocibus, & geſtibus
eam, & auram complet, denſantur
bes, ac edito formidando tonitru
idens fulmen Sacrificulum rede-
in cineres. Evidens ſupplicium
barum Regem magis confirmavit
ſitanorum Sacerdotem, pro quo
itaret Cœlum, à nemine vinci
ſe. Sæpe DEUS Barreyram à
ſentiſſimis liberavit periculis;
n omni nudatum humano præſi-
invadentes barbari, ſubitò per-
riti à conatu deſtiterunt. Ludo-
is Serramus, qui Paulo Diaſio
tuo ſucceſſit in Præfectura, co-
adverſus barbaros in aciem de-
ere meditabatur. Eum monuit
reyra, caveret à tali conſilio: Si
abſiſteret, vincendum eſſe, non
itaret. Irriſit minas, perrexit
oſtes, à quibus turpiter eſt ſupe-
s. Maximas in anguſtias expe-
o Angolana conjecta parum abe-
à ſuprema pernicie: ſed tales ab
adhibitæ ſunt induſtriæ, ut tan-
periculum evanuerit. Defun-
Ludovico Serramo, ſenatus Lo-
e, & Maſſangani Barreyram ele-
nt rei bellicæ, ac civilis ſumum
ectum. Honorem rejiciens,
ſuaſit, Andream Ferreyram Pe-
am vellent Præfectum. Ample-
onſilium eventu optimo; Cùm
uſitana eſſet attrita valdè, tum
ite novi Præfecti, tum Barreyræ
iliis, & multò magis precibus in
M fuſis hoſtes frænati, quâ dixi
riâ, non auſi ſunt uti. Dynaſta
ne Caſtellanus optabat in Luſi-
taniam ex Angola proficiſci. Con-
ſuluit Barreyram, an celocem con-
ſcenderet, quæ prope diem erat vela
ſolutura. Re DEO commendatâ,
dynaſtæ dixit, eſſe DEI voluntatem,
eum incolumem deducere in Luſi-
taniam, non tamen illo in navigio;
Quamquam triſtis obtemperavit Pa-
tris conſilio: Quo die celox expli-
cuit vela, & anchoris ſublatis in al-
tum ſe dabat, erat dynaſta cum Pa-
tre in feneſtra domûs noſtræ, unde
cernebatur: ejus aſpectu euntis dy-
naſta, quod maneret, cœpit contri-
ſtari. Ecce tibi dum navigat paſſis
velis in oculis amborum ſubito in
undas ſummerſa eſt. Hæſit attoni-
tus rei miraculo dynaſta, DEO, ac
Patri habens gratias, quod non ſit
ingreſſus eam celocem. Poſteà na-
ctus aliam navem ad optatos portus,
& patriam delatus. His aliiſque
rebus præclariſſimis nihil erat in An-
gola Barreyræ nomine celebrius.
Omnes ut Virum mirabilem intue-
bantur; Verumtamen novus Præ-
fectus, qui de Luſitania illò miſſus
fuerat, adverſo in Patrem animo, tot
taliaque contra ipſum ſcripſit ad Car-
dinalem Albertum Luſitaniæ Prore-
gem, infidelitatis accuſans hominem,
nullum minùs eo habentem vitio,
ut Cardinalis noſtro Provinciali ſi-
gnificaverit, quam conveniret Bar-
reyram amoveri ab Angolana ſta-
tione. Protinus eſt juſſus reverti
in Luſitaniam: Ubi vulgata eſt im-
pudentia Præfecti, Rex Congi, & om-
nes Ambundi Sovæ, ſive Reguli Lu-
ſita-

ſitanorum amici multis verbis improbarunt Præfecti invidiam, & ſiniſtrum adverſus Patrem animum. E Luſitania contendit Matritum cum onere procurandi negotia hujus Provinciæ, & gratiâ conſulendi ſuæ innocentiæ coram Rege. Illic perpeſſus eſt multas repulſas admirabili tolerantiâ, donec ejus ſilentium, & modeſtia confutavit, & convicit ſuorum inimicorum odia, & calumnias. Admirati fuerunt Regii Miniſtri, quod tanta Viri Religioſiſſimi fuerit Sanctitas, ut ne unum quidem verbum ſit locutus adverſus inimicos ſuos. E Miniſtris unus illi dixit Regem contra ipſum fuiſſe tam exulceratis animis, ut ſi redditus Luſitaniæ, ſtatim adiiſſet Matritum, procul dubio juſſiſſet illi propinari veneni poculum. Scio hujuſcemodi res aliter ab aliis vulgatas typo, & à me in libro, cui titulus *Imago Virtutis in Novitiatu Eborenſi.* Eos Scriptores ſum ſecutus, quod ad id tempus hæc, quæ modò ſcribo, non legerim in tabulario Collegii Conimbricenſis, quæ monumenta ſic ſunt teſtata, ut aliud verum non ſit; ſed, quantum aſſequor conjecturâ, Scriptores illi ſunt uſi comuni famâ, vel documentis parùm firmis. Matriti eo devenit opinionis, ut omnes eum vocarent *Sanctum Senem.* Conceptam exiſtimationem confirmarunt ſanitates illius attactu ægrotantibus reſtitutæ. Cum per vias incedebat, qui noverant, venerationis gratiâ ipſius oſculabantur pallium. Faſſus eſt in tan-

ta calumniarum procellâ nihil aliu
ſe doluiſſe, quàm peccata ob eas c
lumnias in DEUM ſuum commiſſ
Regrediens in Luſitaniam, Ebor
Tyrones inſtituit. Annos 66. n
merabat, cùm ſe obtulit opportun
tas novos adeundi labores. Per i
tempus hæreſis Mahometanæ peſt
lentia incipiebat latè vulgari p
Guineam. Rogavit Philippus H
ſpaniarum Rex Provincialem n
ſtrum, iret obviam malo ſerpenti, mi
ſis ad Guineam aliquot è noſtris op
rariis. Hanc Regis mentem, &
vangelii propagandi occaſionem
Provincialis Barreyræ ſignificavit
non tam animo, quod ipſe pergere
quàm, quod ſibi diceret modum n
vam expeditionem ſuſcipiendi: qu
niam longis experimentis indole
noviſſet Æthiopum. Ratus ille ſi
Divinitus affulſiſſe tantam occaſi
nem, annos ſuos immenſis attrit
laboribus conſumandi DEI pro
tando gloriam, ſe libentiſſimè in
tavit, & obtulit; Igitur cum al
anno 1604. vela ſolvit in Guineam
Appulſus Inſulæ à Sancto Jacobo, p
ſuit fundamenta Reſidentiæ Soci
rum, ut indè nova ſubſidia noſtr
tium ad continentem Africæ tra
cerent, urgerentque in poſterum
opus Evangelicum. Relictis ibi n
ſtris, ut eſſent auxilio indigenis, ip
tranſiit ad oram maritimam Guine
Solus per multos annos per eas n
tiones excurrit, aridas regiones c
leſtibus fœcundans pluviis. Plu
rimos Reges, & nationes Chriſ

a

junxit, fractis idolis, & extermi-
tis veneficiis, quibus deditissimi
runt illi Æthiopes. Templa mul-
vero DEO ædificavit in ea regio-
, quam dicunt Saltum à Leæna.
st annos septem relinquens apud
s gentes Patrem Emmanuelem
varum, redivit ad Insulam à Divo
cobo, ut nostram stationem red-
ret firmiorem: Illic ad vitæ finem
rit indigenas quà Concionibus,
à confessiones audiendo, quà pue-
s edocendo Grammaticam, tan-
am esset juvenis viribus integris,
annis: suis precibus ad cœlum
ibratis arcuit ab eis populis immi-
ntem ruinam, quam prævidit in-
re ab infensâ classe, quæ, contra
am timebatur, nullo damno illato
cessit. In ejus obitu pervasit om-
s ingens dolor. Nobilitarunt
us virtutem post mortem, tum
latæ tempestates, erecta in auras
is lacerna, tum fugati morbi Bar-
yræ invocato præsidio. Dæmo-
s ipsi lachrymosis vocibus sunt
nfessi, cùm adhuc viveret, se ab
verberari, & cogi migrare à suis
libus.

P. Gonsalus Antunnes.

Onimbricæ anno 1663. supre
mum diem explevit. Natus Bra-
aræ. Ulyssipone ingressus Socie-
tem 4. Februar. 1627. Conimbri-
tradidit Philosophiam, & Theo-
giam magno doctrinæ nomine.
ngularis virtus, & bonitas fece-
nt omnibus & gratum, & charum.
Pænè Collegium omne ad ipsius pe-
des exponebat conscientiam: Ra-
rissimè de cubiculo prodibat; quam-
vis magni ob egregiam sapientiam
æstimaretur ab externis, refugiebat
eorum commercia: Ingenium suum
excoluit indefesso studio: de virtu-
tibus præsertim micuit in eo chari-
tas; Nec detraxit ulli mortalium,
nec permisit, se præsente, alicujus
vellicari famam: Tum verbis tum
factis habitus inter modestissimos.
Hæ tam magnæ virtutes, ac dotes
reddiderunt in morte desideratissi-
mum.

P. Didacus de Mattos.

GOæ apud Indos anno 1633. vi-
tâ defunctus. Natus in pago
Barcousos tractûs Conimbricensis.
Societatem auxit Conimbricæ 16.
Februar. 1602. ætatis 16. Navans
operam Philosophiæ, ad Indiam na-
vigavit; Ibi decursis scientiarum
curriculis, anno 1619. studiosus pro-
pagandi fidem apud Æthiopes ma-
ri Rubro finitimos, illos petivit: Na-
ctus suo fervori parem materiam,
totus incubuit Schismaticis ad ve-
ram fidem transferendis. Quæ su-
biit pericula, & quos labores susti-
nuit, carent numero. Vidit in eo
regno decreto Regis promulgatam
Romanam fidem. Vidit conversum
Regem, & Alphonsum Patriarcham
ab omnibus coli, tanquam Pastorem
legitimum. Rebus è tanta felicita-
te cadentibus, ejectus per summam
injuriam Patriarcha, & cum eo E-

vangelici præcones, ac poſt innumeros labores, & ærumnas traditi ſunt Turcis maritimos portus occupantibus : diriſſimè habiti ſunt ab eis non hominibus, ſed feris ; Cùm nonnulli auro redempti ad Indiam præirent, manſit apud Turcas Didacus cum Patriarcha, & P. Petro Marqueſio : Conjecti ſunt in horridum carcerem, ferrea catena tres nectebat, in annulos ferreos collis inſertis : Sic, non alio modo, foras prodibant, cùm id ſinebant barbari. Calores adeò immanes fuerunt, ut Patres pellem mutaverint. Deliberaverant eos Mahumeto ſacrificare, & feciſſent, niſi ſpes Lytri frænaret indomitos. Tandem magnâ ſummâ ſunt erepti captivitati. Didacus poſteà rexit Salſetanum Collegium, inſtituit Tyrones, & egit Provincialis Socium. Vir fuit in magiſtratibus magnæ integritatis : Iſraelita verus absque fraudis, ac doli umbrâ : Viguit robuſto corpore, cui nunquam indulſit. Tandem correptus acutiſſimâ febri animam DEO reddidit.

DIE V.

Melchior Gomes Coadjutor.

ULyſſipone in Collegio Divi Antonii ad felicem patriam translatus anno 1635. Natus in Monaſterio Villænovæ *de Molija* Diœceſis Bracharenſis. Conimbricæ poſuit noſtræ militiæ tyrocinium 14. Octobr. 1595. ætatis 24. Plurimis annis
obivit janitoris munus. Erat ſingu
lari exemplo perſonis externis ad no
ſtram domum venientibus. Ser
monem cum eis non miſcebat ni
de rebus ad animæ profectum ſpe
ctantibus. Nihil faciebat, aut or
proferebat niſi juxta virtutis leges
Frequenter inviſebat Euchariſtiam
erga quam tenebatur ſingulari vene
ratione. Quidquid ſuppetebat tem
poris ex ſua occupatione, dabat ora
tioni, in qua mirabilem in modum
afficiebatur erga conſiderandas res
Divinas. Subminiſtrum agens fa
mulos domeſticos ægrotantes cura
bat magnâ charitate, adverſus ipſos
exercens omnia, quibus erat opus.
Etiam eosdem famulos juvabat in
ſuis laboribus, ut & reliquos Coad-
jutores in eorum officiis. Flagellis
in ſe animadvertebat ſeveriſſimè, &
longo temporis ſpatio. Plerúmque
non exuebat cilicium. Singulis heb-
domadis multos dies tranſigebat je-
junio. Nonnunquam duobus vel
tribus diebus continuatis abſtinebat
omni cibo, & potu. Orationem, &
ſacram communionem irrigabat fle-
tus perennis. Ejus facies macilen-
ta, & lurida evidens intuentibus erat
jejuniorum, & virtutum index. Georgius Cardozus vir de noſtra natione immortaliter meritus in ſuo Agiologio Luſitano teſtatur Melchiorem noviſſe, ac ſuſpexiſſe tanquam Virum multæ, & notæ virtutis, ac rebus Georgii magnum in modum addictum, & benevolum.

P. Ni-

P. Nicolaus Teixeyra.

ANno 1685. Angræ cessit è vivis. Exortus est in Insula à S. Georgio, [q]uæ de novem Assorum, sive Tertia-[ru]m una est. Dedit nomen Socie-[ta]ti Ulyssipone Augusti die 5. anno [1]538. Permotus studio animarum [sa]lvandi, navigavit ad Maranonem [u]nà cum Ludovico Figueyra, de quo [su]o loco fit mentio. Facto naufra-[gi]o ad ostium fluminis Amazonum, [c]eteris absumptis, è paucis, quorum [vi]tæ pepercit naufragium, unus fuit. [A]nnis aliquot incubuerat illi vineæ [ex]colendæ, cùm Lusitani per sum-[m]am injuriam omnes operarios So-[ci]etatis depulêre ab illis regionibus, [qu]od impedirent injustas captivita-[te]s, quibus Indi asserebantur in ser-[vi]tutem. In Lusitania Philosophiam, [&] Moralem scientiam docuit Co-[ni]mbricæ. Posteà missus est ad In-[su]las, ubi vixit reliquam vitam. [Q]uamvis esset è præcipuâ Insulano-[ru]m nobilitate, nihil habuit anti-[qu]ius animi demissione. Labor non [er]at, cui subtraheret humeros. As-[si]duus fuit in concionando, Cate-[ch]esim docendo, & audiendo pœni-[te]ntes. Vitæ rationibus ad Institu-[tu]m nostrum conformibus longos [ex]igens annos decessit plenus me-[ri]tis.

DIE VI.

P. Sebastianus Vieira Martyr.

VEndi apud Japones anno 1634. glorioso exornatus Martyrio. Natus in oppido *Castro Dairo* Diœcesis Lamecensis. Conimbricæ adscriptus Societati 3. Februarij 1591. Litteris vacavit Eboræ: Profectus ad Indiam anno 1602. Macaij triennio Tyrones instituit; Inde trajecit in Japoniam. Anno 1614. unà cum aliis concionatoribus Evangelicis exterminatus; deinde mutato habitu redivit eodem: Illic impendit operam, donec vocatus Macaum, Electus Procurator venit in Europam; Quadriennium his navigationibus insumpsit. Anno 1627. adventavit Romam; Magnoperè acceptus Sumo Pontifici Urbano VIII. Regrediens Macaum, cum ex ea urbe transitus ad Japoniam non pateret, Manilam contendit, militari veste, & armis dissimulans, quid hominis foret. Pactus est cum mercatoribus Sinensibus, ut se portarent in Japoniam. Positâ veste militari, Sinensem induit: Navarchus, ut eum celaret, conjecit in mercium receptaculum, quod erat refertum cervinis coriis, tam gravem exhalantibus odorem, ut Pater crediderit actum de vitâ; præsertim cum vidit operculo claudi ostium, ne foramine quidem ad respirandum relicto: sic transegit aliquot noctis horas instar Jonæ conditi in ventre Ceti: Tandem amotâ parte operculi, datus locus auræ captandæ; Verum sub auroram iterum occlusum est ostium vix permissâ rimulâ, quâ lux admittebatur tam maligna & parca, ut nec posset legere. Hoc modo primi decem

diés consumpti: Famem leniebat malum aureum, & frustum panis biscocti aquâ madefacti. Præ nimio loci calore per totum corpus eruperunt pustulæ dolore incredibili; Verumtamen acres inter dolores sentiebat animum consolationibus delibutum, patique gaudebat. Vincunt numerum labores navigationis tempore tolerati. Navem conduxerunt Japones ad exportandas suas merces. Ubi primum illis compertum est ferri Præcones Evangelicos, Patrem nempè, & alios è diversis familiis: majorem in modum Japones turbati sunt; nam id severissimis pœnis vetabatur. Præcipuus furor exarsit adversus alios Religiosos, cùm enim ignorarent Japonicam linguam, ad quid illò pergerent, Japones (erant enim Christiani) eos interrogabant, accusabantque imprudentiæ, quòd sine ullius utilitatis spe, & certo mercatorum damno sint ausi tam infenso tempore illam expeditionem suscipere. Non fuit vanus eorum timor; nam quod secum illos portassent, maxima detrimenta fuerunt perpessi Japones. Post innumera pericula, offenderunt prope Japoniam naviculam piscatoriam, cujus nautæ defecerant à fide, hi Præcones Evangelicos receperunt magno sui ipsorum bono; nam omnes desertæ fidei restituit Sebastianus: Hi noctu cum aliquot Japonibus Sociis eos in terram exposuerunt: Quam ubi tenuit Sebastianus, humi se prosternens, arenam exosculatur dicens: *Hæ[c] requies mea, hic habitabo omnibus diebu[s] vitæ meæ.* Quartùm ingrediebatu[r] Japoniam, at laboribus tam exina[...]nitus, & macie tam luridus & con[...]fectus, ut vix eum neophyti sui ag[...]noscerent. Alij Religiosi Nangasa[...]chium petentes, comprehensi sun[t] ab Ethnicis, & in carceres detrusi[...] Factus est urbis Præfectus certus d[e] Sebastiani adventu, quem ethnic[i] Romanum vocabant, quod è Rom[a] venisset; hoc nomine infinitis pro[...]pemodùm diligentiis conquirebatur[.] Causâ vitandi indagantium manus[,] conscensâ naviculâ cum aliquo[t] Christianis Japonibus, modò ad has[,] modò ad illas terras appellere, nu[n]quam subsistere. Sæpe navicula juxt[a] ipsos, qui perquirebant, in anchor[is] stetit, fictâ securitate eam defenden[...]te. Aliquo tempore, mari relicto, va[...]gatus terrâ, & Protheo similis nunc has, nunc illas simulans personas, ivit per medias excubias. Videns tutiorem in mari, quàm terrâ esse fugam, aliam sumpsit naviculam cum eisdem nautis eum continuò comitantibus, seque mari commisit. Hæretici Angli, & Batavi, qui negotiabantur in Japonia, Romani famam sic extulerunt in majus suis commentis, ut illum tenendi Ethnicis fuerit aviditas immensa: Igitur duplicatæ sunt excubiæ. Circumquaque volitabant emissarij: Curaverunt etiam illum depingere: hujus picturæ divisa sunt exempla multa, ut quosque obvios cum his conferrent:

nt: Mille & quingenti aurei pro-
ſſi ſunt illi, qui Romanum prode-
:: Navigabat præter oram, & lit-
ra urbis Ozacæ, cùm incidit in
cubias; naviculam ingreſſæ, col-
aque cum illius facie pictura, ſibi
atulantur, quòd tantâ indagine
nquiſitam prædam teneant. Gau-
um Præfectorum æquavit eorum
igentias, aut potiùs ſuperavit.
ntiaverunt per curſores citatiſſi-
os Regi ſuo, qui morabatur Yendi.
ſit, eum deducerent Yendum.
vinitùs cognovit Pater ſequenti
: id mandatum ab Rege ventu-
n; propterea ſarcinulas ſuas cœ-
convolvere, & ligare funiculo.
ſcitantibus cuſtodibus, cur id
rageret? reſpondit, die proximo
r facturum. Exiſtimarunt homi-
m calamitatis magnitudine men-
n perdidiſſe. Deterſit hanc opi-
onem, quod ex Yendo ſupervenit
ndatum. Accedens Yendo, in-
it ſibi tunicam talarem Societatis,
vel externo habitu teſtaretur
em ſuam. Noluit Rex eum ad
um admittere conſpectum; nam
undum Japonicas leges abſolve-
ur crimine comiſſo: ſæpe à Præ-
ctis examinatus: ſemel vinctis ma-
ous & fune de collo ſuſpenſo po-
erunt in conſpectu criminoſi,
em ob delicta torquebant, ut
m terrerent crudeli ſpectaculo:
aſerunt, à fide deficeret, niſi
erbiora vellet pati. Reſpondit,
jam eſſe ſexagenario majorem, ad
tempus innumera recepiſſe bene-
ficia à Deo ſuo; at ab Japoniæ Rege donatum non niſi compedibus, & manicis; propterea inexplicando gaudio vitam poſiturum pro Deo ſuo, nec ceſſurum tormentorum cumulo & immanitati. Admirantes in tantis, ut exiſtimabant, malis excelſum animum, dixerunt, eum jure merito facere, nec eſſe, cur addiceretur tormentis. Biduo transacto, obtulerunt ipſi calamum & atramentum, jubentes, ſcriberet, quidquid dicendum haberet. Exaravit in charta cum Japonicis, tum Europæis characteribus narrationem ab ipſis mundi exordiis ad ſupremum totius orbis judicium. Hujusmodi charta Regi eſt tradita, legit attentè fidei noſtræ ſolidas rationes, & earum percipiens firmitatem, hæc ait: *Hic Bonzus Europæus eſt bonus, quoniam fatetur confidenter, & intrepidè legem ſuam. Væ nobis, ſi hæc, quæ dicit, vera ſunt.* Aderat illius Patruus vir grandævus, & multæ apud Regem authoritatis, qui contemplans adoleſcentem ſuſpenſum affici rebus perlectis; Mirari ſe, inquit, quàm parum illam chartam intelligeret: meras eſſe nugas, quæ legiſſet, Bonzum amentem eſſe, mereri mortem, quod vulgaſſet doctrinam contrariam Japonicæ religioni. Hæc audiens, imperavit, addici patibulo; Igitur deductus eſt jumento impoſitus per mediam urbem, ſcriptâ parvo in vexillo mortis cauſâ. Comitabantur quinque famuli Japones, qui ſimul cum eo

ſuerant in navicula comprehenſi, hos adoptavit in Societatem. Suſpenſi omnes de trabe inverſo ad terram capite, ac medio corpore condito in foveam. Triduo vixit in patibulo: Vidit ſocios, generosè emiſſis animis, Martyrio illuſtratos. Carnifices, quod vitam diutiùs, quàm vellent, traheret, accenſas prunas conjecerunt in foveam, quibus interclusus ſpiritus ad cælos feſtinus conſcendit. Completum eſt vaticinium, quo prædixerat, ſe igne moriturum.

P. Franciſcus Henriques.

EBoræ ceſſit è vita anno 1561. Navarrus natione ex oppido *Ablites*, & S. Franciſci Xaverij conſanguineus. Venit in Luſitaniam occaſione Doctoris Navarri juris Canonici Conimbricæ Profeſſoris; Ibidem Pontificio juri dedit operam, ſingulari virtutis nomine. Ulyſſipone ſe adſcripſit Societati 11. Sept. 1556. Paulò pòſt migravit Eboram: Finito biennio conſtitutus eſt Tyronum Magiſter. Id agens miniſterium, ſimul ſtudebat ſacræ Theologiæ. Virtutes illius proceræ magnitudinis fuerunt. Præcipuo quodam cultu venerabatur SS. Trinitatem, Dominicam Paſſionem, & B. Virginem. Vocales ejus deprecationes erga diverſos Sanctos tot erant, ut, qui ſciebant, admirarentur, quomodo eis ſatisfaceret, & ſui muneris penſo. Etiam poſtquam cœpit Tyrones erudire, quotidie ſuam

conſcientiam declarabat Rectori e
tra confeſſionem. In loquendo ca
tiſſimus, vocabat loquacitatem p
renne flumen noxarum. Noleb
audire novitates, exiſtimans huju
modi notitiam inutiliſſimam. To
lerantia rebus in afflictis probavi
quam ſe frangere ſtuderet. Mag
& aſſidua illi pugna fuit cum fame
quam dicunt caninam; poſt pra
dium, vel cænam ſibi videbatur ta
jejunus, quam menſæ accubuera
cùm tanta ureretur edendi avidita
te, nunquam eſcas appoſitas vora
vit omnes, ſed partem relinqueba
intactam. Verbum jocoſum ex ip
audivit nemo. Morbo affectus ſenſi
intus ardentiſſima deſideria Deum
ſuum videndi. Eum rogavit, ſib
in hac vitâ pati luſtrales ignes con
cederet, ut corpore ſolutus extr
cælum ne momento quidem tempo
ris moraretur. Revelatum illi à Deo
eſt ejus auditam petitionem. Nar-
ravit hæc ſuo confeſſario, ſimul de-
precatus, adeſſet ſibi tempore lucta-
minis, animaretque verbis ſanctis.
Repente dolorum acutiſſimorum in-
finitas, ac diverſitas in ejus irruit
corpus; Quamvis foret ipſe egre-
gius tolerator rerum moleſtarum;
ſummæ erat commiſerationi, cum
cernere toto contremiſcentem cor-
pore, & ſe ipſum horrentem. Com-
plebat ſuis clamoribus tum Colle-
gium, tum vicinas Academiæ au-
las. Quicquid acerbitatis conſide-
rari poteſt, expertus eſt. Partem
diei, ac noctis luctatus cum immen-
ſis

doloribus, conquievit, ac red-
a animæ pax non explicabilis,
ali procul dubio fruuntur, qui
rgatis in piaculari flamma crimi-
ius ad cælum convolant. Paulò
t intermortuis vocibus JESU no-
ne pronuntiato iniit æternam fe-
tatem.

P. Didacus Coelho.

Nno 1575. Brigantij vitâ defun-
ctus. Natus in oppido *Arrayo*
Diœcesis Eborensis. Conimbri-
mancipatus Societati 14. Sept.
55. Nuncupavit tria vota solem-
. Invisens Scalabitanum mira-
um, ubi à multis annis conser-
tur eadem hostia Eucharistica, &
c adeuntibus ostendi solent in
pulla crystallina, quâ latet ho-
, diversæ figuræ rerum plenæ
steriis, Didacus conspexit imagi-
m Christi ad se versis scapulis.
tristis conspectu, Dominum eni-
rogavit, ad ipsum converteret
iem. Protinus converti ad se
lit, dexterâque in altum levatâ
benedictionem impertire. Hinc
exortus est tantus amor erga SS.
charistiam, ut affirmaverit, sibi
lestum non esse coram eâ geni-
s flexis horis sex aut septem con-
uatis orare; Cùm ob publicas
cessitates exponebatur, & in or-
m assistebant illi orantes Socij,
ellius præter suas horas, substi-
ebat debilium vices. Sacrum fa-
ns perennes, & suaves effundebat
chrymas, vixque poterat ab ara
discedere. Singulis diebus per con-
fessionem eluebat animam; Non nisi
flexis genibus orationi destinatum
tempus insumebat; eodem corpo-
ris habitu recitabat horas canoni-
cas: Usus magnâ adversus omne
genus hominum charitate. Brigantij
Patrem pauperum vocabant, quod
tum in miseris protegendis, tum in
sublevandis eorum necessitatibus
ostendebat paterna viscera. Prope
mortem usum vocis amisit, sed pau-
lò pòst recuperato, petivit cande-
lam accensam, ubi tenuit manu, è
vita cessit; Cùm feretrum illatum
templo, ut sepelirent, sublata est
ingens comploratio, tanquam fu-
nerandus esset omnium Parens. Il-
lud contigit par miraculo, quod in
terra ejus tegente cadaver, per
multos annos sit visa instar umbræ
humani corporis figura super se-
pulturæ faciem extenta, veluti si
consulto fuisset ibi elaborata oleo
effuso.

Emmanuel de Costa Coadjutor.

ULyssipone in Domo Professorum
anno 1704. desiit vivere. Na-
tus Eboræ. Societati adscriptus 2.
Julii 1651, ætatis 21. Annis am-
plius viginti Professæ domûs obiit
janitorem multo virtutis nomine.
Ante Solis ortum ad orandum sur-
gebat è lecto. Etiam in longa, &
fessa senectute bis die, scilicet mane
& noctu, flagellabat corpus. Exactis-
simè observavit Superiorum placita,
nec dicta hominum imperfectorum
cura-

curavit, importunum ſenem vocantium, quod præcepta rigidiſſimè faceſſeret. Hos & ſimiles morſus tacendo vincebat. Virginem Matrem tenerrimè dilexit. Ubi tempus aliquod ſibi vacabat, ad ejus aras confugiebat. Poſtremo in morbo Illam rogavit, ſibi à ſuo Filio ſuaviſſimo obtineret obitum in die Sabbati. Factus eſt voti ſui compos.

DIE VII.

P. Franciſcus Rodrigues.

EBoræ glorioſo fine vitam abſolvit anno 1580. Natus in Oppido *Alcochete* Diœceſis Ulyſſiponenſis in Tranſtagana Provincia, quod oppidum nobilitatum eſt Regis Emmanuelis natalibus. Franciſcus Societatem ingreſſus Ulyſſipone in Domo Profeſſorum 19. Novemb. 1562. Biennium finivit Eboræ. Flagrante illic peſte, ſe curandis ægrotis obtulit, & Sacramentorum ſubſidio muniendis. Ubi voto ſuo factum eſt ſatis, feſtinavit ad SS. Chriſti Corpus, & provolutus in genua habuit ampliſſimas gratias ob tam ſingulare beneficium. Statim convenit Didacum de Caſtro urbis Præfectum, ſuamque ipſi promiſit operam in adjuvandis civibus peſte infeſtis. Miratus Patris hilarem, & alacrem animum, ajebat lætiorem Franciſcum ad contagioſos perrexiſſe, quàm olim Romanos ad triumphum. Poſt diligentem navatam operam peſtilentiâ correptum deduxerunt curandum ad villam Suburbanam noſt[ri] Collegii, quæ dicitur *Loredo*; Cùm nullus tumor indicaret latens malum, dixit ſequenti die, & cogno[-] ſcendum malum, & ſe obiturum. Non aliter evenit; dum enim in le[-] cto ſedet, intelligens propinqua[m] mortem, lachrymis ubertim caden[-] tibus, pronuntiavit illa verba: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Deinde poſtulavit ſacram Unctio[-] nem, quâ delibutus, iterans JESU mellifluum nomen, profectus eſt a[d] æternam patriam.

Martinus Alvarus Coadjutor.

EBoræ anno 1580. invidendo fat[o] ſublatus. Natus & ipſe in op[-] pido *Alcochete.* Conimbricæ con[-] junctus Societati 3. Novemb. 157[4] Comitatus eſt Franciſcum Roder[i-] cium; Pòſtquam ſtrenuè laborans peſtilentiâ contactus eſt, ad eande[m] portarunt villam: Diras curatione[s] tulit inexpugnabili patientiâ: Prop[e] mortem illi dixit Socius, cui era[t] curæ, jure optimo poſſe eum conſo[-] latum obire, quòd in opere tam in[-] ſigni poſuerit animam. Ad hæ[c] Martinus: „ Mi chariſſime, res e[ſt] „ ipſa, quæ multum pariet ſolatiu[m] „ illi, qui peregerit debitâ charita[-] „ te: ſed quod me magis conſola[-] „ tur, eſt in Societate mori. Flagi[-] tavit, ſepelirent corpus ſuum juxt[a] crucem in loco patenti erectam. Sacramentis corroboratus, habens manu precarios globulos, & ore JE[-] SU, ac MARIÆ nomina, expiravit ipsâ

sâ die, quâ Franciſcus Rodericius, ıem in miniſterio pio ſociaverat.

P. Fernandus Martins.

N Algarbiis in Collegio Farenſi an. 1601. occubuit morte glorioſâ. atus Olivenſæ Diœceſis Helvienſis. boræ Societati aggregatus 13. Febr. ſ67. Per id tempus, quo Fari haitabat, peſtilentia vagari, ac urbem ꝏpit funeribus complere. Ferandus vitam ſuam ratus in nullo iniſterio ſanctiùs conſumi poſſe, uàm miſeris opem ferendo, devoit ſe totum ægrotis ſublevandis, ıà corporis, quà ſubſidiis animæ. piſcopus urbis erat Dominus Ferandus Martinius Maſcarenius, qui ro in tantis Præſulibus exemplo ntactos peſte inviſens recreabat, cum ferens aliquem è noſtris. Pa- r Fernandus adiens omnia pericu-, ut eſſet infirmis ſubſidio, & levaini, malo contracto, decubuit. ullo remedio rabiem peſtis vincen-, diſceſſit fruiturus ſui meriti præio ſempiterno.

P. Joannes Nunes.

SCalabe anno 1681. morte oppreſſus. Natus in oppido *Villanova Coelheira* Diœceſis Conimbricenſis. edit nomen Societati Conimbricæ . Martii 1657. Nituit præclaris otibus ad noſtra miniſteria. Coimbricæ Rhetoricam, & Philoſohiam edocuit. Obedientiam, & umilitatem magnoperè coluit. Priıus ille ad audiendas confeſſiones accurrebat, diſceſſit poſtremus. Æditu templi dixerat, ne permitteret, quemquam volentem animam expiare, abire ſine confeſſione; ſed vocaret ſe, quibuscunque negotiis eſſet implicitus. E Collegio non egrediebatur, niſi ad opus aliquod charitatis perficiendum. Quod eſſet de ipſius virtute magna exiſtimatio, vix Scalabe aliquis moriebatur, qui non ſibi adeſſe Joannem cuperet. Scrupulis ſic eſt exagitatus, ut habuerint inſtar diuturni Martyrii. Morbo poſtremo, quamlibet acerbo, tulit anxietates, ac dolores mirabili patientiâ. Deſiderabat doloribus dolores accreſcere, ut foret amplior tolerandi materia.

DIE VIII.

P. Laurentius de Payva.

BRacharæ conceſſit naturæ anno 1621. Natus Ulyſſipone. Conimbricæ dedit Societati nomen 22. Januar. 1560. ætatis 16. Emiſit trium votorum ſolemnium profeſſionem. Unus fuit ex præſtantioribus hujus Provinciæ operariis. Docuit multis annis Quæſtiones de Conſcientia. In ſacro ſuggeſtu auditus cum aviditate. Magnam vitæ partem exegit Bracharæ, ubi ſuſpiciebant omnes tanquam Patrem. Ob inſignes virtutes, & animarum zelum maximoperè charus fuit, & acceptus ſanctiſſimo Archi-Præſuli Bartholomæo de Martyribus. Donabat præmiis non pœnitendis Ma-

 gi-

giſtros noſtros, qui ſibi dicebant, omnes Gymnaſii ſui Scolaſticos eo menſe per confeſſionem deleviſſe noxas animæ. Nec in poſtrema ſenectute deſivit manè cum aliis de lecto ſurgere, & orare per integram horam flexis genibus, ac penè diebus cunctis ferire plagis ſenile corpus. Singulari cultu proſecutus Divam Mariam Magdalenam. Annis 14. continuatis concionatus eſt in ipſius ſolemni die æde ſacra, quæ Bracharæ multùm colitur. Ejus ratione conferebantur non paucæ eleemoſynæ ad cultum Divæ augendum. Religioſam paupertatem, ut Matrem, amavit. Ditavit Reliquiis Sanctorum templi noſtri ſanctuarium. Acquiſivit Bibliothecæ bonam librorum copiam. Illius mors reliquit omnes deſideriis plenos ob ſuaviſſimam viri affabilitatem, & mores innocentiſſimos.

DIE IX.

P. Joſephus Anchieta.

BEritigbæ in Braſilia ſalutis anno 1597. deceſſit è vivis miraculis & virtutibus ornatiſſimus. Natus in Inſula *Tenariſe*, quæ una eſt de Fortunatis, ſive Canariis. Cum alio Fratre miſſus ad ſtudia ſcientiarum Conimbricam: Illìc impendit litteris operam in ſcholis Societatis. Patuit ejus felix ingenium, & in dicendo ſingularis amœnitas; nam actio, & vox illaqueabant audientium aures, & animos. Ob hanc ſuavitatem vulgò eum vocabant *Canarium* ſumpto nomine tum ex illius patriâ tum ex avicula Canora, quæ feci Inſulis nomen. Ad concinnanda latina carmina fuit illi permagn æſtimanda felicitas. Multâ præſtantiâ ſtuduit Philoſophiæ. Inter ſcientiarum labores nihil habuit anti quius, quàm ſe ab omni vitio immu niſſimum conſervare; Ne virginitatem læderet, in honorem B. Virginis ſe voto obſtrinxit. Ut ſe libe rum à periculis redderet, confugi ad noſtram Societatem 1. Maji 1551 Conimbricæ adhuc cernitur ejus cubiculum, ſed converſum in Sacellum, conſervatâ, quoad ejus fieri poteſt, rudi antiquitate, ut loco faciat majorem venerationem: ſe, ſuaſque omnes curas DEO mancipavit. In audiendo, vel miniſtrando Sacris erat prorſus indefeſſus. Eveniebat nonnunquam ſervire octo Sacerdotibus ad aram ſucceſſivè facientibus. Ex hujusmodi continuato labore, ſeu, quod potiùs crediderim, ex ſcala forte cadente ſuper ipſius ſcapulas, læſa dorſi ſpina, manſit gibbus. Ob id exiſtimans à Societate depellendum, tulit, & tacuit, quin detegeret malum ſuum. Fingens in eum oculos Magiſter Simon Rodericius, quibusque eſſet in anguſtiis divinitùs agnoſcens; *Frater Joſephe*, inquit, *depone curas, quibus agitaris, quoniam te DEUS, non vult meliori, quàm habes, valetudine.* Videns animum ſuum à DEO Simoni declaratum, vixit impoſterum quietus, & con-

onſolatus. Anno 1553. cum aliis, uamvis nondum Sacerdos, in Braliam eſt miſſus. Ex Bahia, quo apulit, migravit ad oppidum S. Vinentii, inde Piratiningam, decem leus diſtantem verſus meditullium egionis; ut ibi domunculam funaret, quâ ſcholaſtici noſtri vacarent tteris. Erectum eſt pauperrimum dificium, ſi hoc dignum nomine, x rudi materia nempe lignis, ac pais pariete contexto, foliis, vel pais deſuper arcentibus pluviam. oco valvarum erant appenſæ ſtoæ ex arundinibus factæ. Quod : regio maximis obnoxia frigorius, multa novi incolæ perpeſſi ab mporum injuriis. Lectus erat ſuenſum rete goſſipinum de more raſilorum. Lodices, ut ait Anchie-, erat accenſus ignis, ad cujus paulum poſt lectionem pomeridiaam ibant tum Magiſter, tum Socii, eteri ad ſylvam, unde convehebant umeris ligneos faſces. Incedebat edibus nudis ſine tibialibus, & caleis. Menſæ ſternebantur loco maprum prægrandibus arborum fos. Victus ipſe erat tenuiſſimus. aupertas ingens in anguſtis rebus agiſtra eum docuit pro calceis ſoam ex maceratis carduis contexe, ligulis ſuperne nectentibus, ut ereret pedi. Illic erudiit Gramaticæ præceptis tùm noſtros, tùm uſitanorum filios. Defectu librom ſcribebat ipſe diverſa exempla rum, quas docturus erat, Diſcipuſque, ut perdiſcerent, tribuebat. Sæpè noctes integras terebat in hujuſcemodi chartis conſcribendis. Intra tempus breve regionis linguam tam perfectè calluit, ut Artem de ipſa compoſuerit, quæ typis mandata eſt, & Dictionarium ejuſdem linguæ, aliaque diverſa opera, quæ multo fuerunt uſui Braſilicis operariis. Panxit cantilenas admodùm pias cùm Luſitanicè, tum Braſilicè, quibus exterminavit profanas. Volens in Oppido à S. Vincentio repræſentationum parùm decentium abuſum de templis exturbare; Drama compoſuit valde pulchrum & Braſilico, & Luſitano idiomate, quod vocavit *Concionem Univerſalem*; Cùm erant perſonæ inducendæ theatro in area vaſta conſtructo, metuenda nubes diluvium aquarum minitans ſtetit in aere ſuper totam aream populo refertiſſimam. Metu impendentis pluviæ turbari cuncta. Hic Joſephus omnes admonuit, ne quis ſe loco moveret, non caſurum imbrem, niſi Dramate abſoluto. Duravit non minùs tribus horis, nube ſemper eodem fixa in loco, eâdemque armata formidine: Tandem dimiſſo populo ſupra modum hilari propter dulciſſimam Dramatis varietatem, tanquam id ſolùm expectaret nubes, immenſam effudit pl uviam. Illius erant curæ Braſilos ſanctiſſimis moribus inſtituere, eos eque de montibus, ac ſylvis deducer ad loca maritima, ut civili more vitam degerent; nam vivebant ritu ferarum: Cùm magnam vim barbm

rorum de ſuis extraxiſſet dumetis, cœpiſſetque condi nova Ecclesia: Cacodæmon invidens tantis initiis rem perdere conatus eſt. Graſſata eſt per Braſilos pleuritis peſtilens, quæ brevi multos abſumpſit mortales, videbaturque omnes voratura. Braſilorum menti Dæmon inſeruit, à Patribus injici illis mortem: quippe antequam illuc venirent, tale morbi genus non ſit viſum in eis terris. Multæ preces, & publicæ ſupplicationes indictæ ſanguineis flagellationibus ad placandum Numen. Medicas artes ipſa charitas Patres edocuit, erant Medici, Chyrurgi, & venarum ſectores; quod aperiendis venis ſubtilia non eſſent ſcalpella, cultris calamariis utebantur. Probavit exitus remedium; nam miſſo ſanguine, corpora levari cœpta. S. Parens Ignatius, cui per litteras nuntiatum eſt ad abigendos ſcrupulos, quid eſſet factum, delevit eas animi anxietates, laudans ingenioſam Sociorum charitatem. Viis aliis miſeros Braſilos in dumeta fugare Dæmon eſt molitus. Illuſit tamen omnes illius aſtutias Joſephi vigilans cura. Lucrandus erat Jubilæus in æde ſacra Piratiningæ. Invitatus fuerat populus aſſignatâ die. Proxima celebritati dies veſperaſcebat, nec tamen, quæ ſperabatur, ab oppido S. Vincentii Bulla pervenerat. Sub noctem anxiis omnibus, obtulit ſe Joſephus, ut iret, Bullamque inde ferret. Leucis 15. diſtabat oppidum, & iter agendum per montes excelſos, aſſenſu, deſcenſuque difficiles: propterea cum riſu accepta, & acceptata Joſephi oblatio; Verum ille ſe commiſit itineri, ac mane ſequenti, horâ deſtinatâ ad publicandam Bullam, cum ipſa pervenit, quod humanitùs fieri nequivit, conſideratâ locorum diſtantiâ, viarum difficultate, & brevitate temporis. Sæpe inter orandum repertus eſt Divinis circumſeptus ſplendoribus. Occultarum rerum à DEO effectus particeps, & conſcius, avertit multa mala impendentia. Pergebat ab oppido S. Vincentii ad regionem S. Pauli, cùm ſe recepit in domum obviam, ibi pernoctaturus. Hoſpitem interrogavit: Rectè ne, an perperam procederet res domeſtica? Reſpondit: ſibi ad votum omnia contingere proſperrimè. Hìc Joſephus ad Socium: *Recedamus*, inquit, *nolo ego dormire ſub tectis, ubi Crucis rami non ſunt*; Quamvis dixit Socius, aliud in itinere hoſpitium non eſſe, viæ ſe dedit. Non longe à domo aberant, cùm reſpicientes eam totam vident incendio convolvi, & conſumi. Tamoyis inferentibus Luſitano crudele bellum, Pater Emmanuel de Nobrega Provincialis, & Joſephus maximo vitæ periculo barbaros convenêre, ut fœdus, & amicitiam inter ipſos, & Luſitanos firma redderent; Cùm neceſſum eſſet reverti Nobregam, reliquit ibi datæ fidei obſidem Anchietam nondum Sacris initiatum. Nihil æquè adoleſcentem per id tempus afflixit, atque tentationum

ım importunitas adversus castita-
m; Tot enim erant occasiones,
ıot fœminæ: maximè cùm apud
ıs barbaros obsequii foret genus
ga hospites, ipsorum libidini filias,
sorores prostituere. Contra hoc
testinum bellum obarmavit se ora-
one, & castigationibus corporis.
atronam elegit B. Virginem; voto
obligavit ejus vitam metro com-
onendi: defectu chartæ in arena
ctoris scribebat carmina. Per idem
mpus videbant Brasili aviculam in-
ognitam gratissimis variatam colo-
bus irrequieto saltu, & volatu mo-
ò capiti, modò humeris, & brachiis
sidentem, magnâ utique barbaro-
ım admiratione. Hujusmodi vi-
SS. Virginis typis vulgata circum-
rtur; Tam fidelis enim erat Jose-
ıi memoria, ut omnia carmina,
ıæ in arena littoris fuerunt exara-
, redderet posteà in chartis scri-
enda, ne interirent. B. Virginis
atrocinio emersit incolumi pudi-
tiâ. Eum Deus certiorem fecit à
arbaris non periturum: Sæpissimè
li sunt minitati mortem: ad has mi-
as ridebat Josephus dicens, certò
irent, se ab ipsis non tollendum de
ıedio. Percontantibus, in quo fide-
et? respondebat: Id sibi dictum à B.
irgine. Impatientes barbari, quod
ımdiu pax differretur, excurrerunt
fines Lusitanorum, & ex ipsis ali-
uos duxerunt captivos. Curavit Jo-
ephus de Lusitanis redimendis, quos
arbari ventri destinaverant. Eo-
um aviditatem est moratus dicens:

si venturo die, cùm Sol lumine contigerit locum, quem notavit, non devenerint, qui ferunt secum pretium ad liberandos captivos, tunc illos vorabitis, & famem, & iram satiantes, & meum frangetis caput. Parva mora frænavit barbaros: sequenti die, Sole designatum locum pertingente, adventarunt legati portantes redimendis pretium. Duos illîc infantes parentes sui vivos humaverant, id Josephus sciens, mortuos extrahens de sepulturis, vitâ donavit, & sacris tinxit lymphis. Omissis aliis rebus perillustribus, quas egit apud Tamayos, pace firmatâ, post menses quinque Lusitanis restitutus. Ejus discessum multis lachrymis sunt prosecuti barbari; namque Josephi affabilitas mirum in modum devinxerat animos alioquin barbaros, & immites. Ejus orationes, & industriæ multùm valuerunt in expeditione à Lusitanis suscepta ad expellendos Gallos de Flumine Januarij, quam stationem occupaverant munitionibus, & præsidiis ope barbarorum incolentium eas regiones: Durante bello cum Gallis, anno 1566. Bahiam missus, tum ut Sacris initiaretur, tum ut summum Præfectum edoceret statum belli, & rerum. Ejus consilio tantum negotium administratum est; Nam Præfectus potenti classe ornata omni bellico apparatu hostem aggrediens, vicit, ac funditùs dissipavit: Eoque loco posuit initia urbis, quæ modò celeberrimum est auri-

fodinarum emporium. Per id tempus ex Gallis hæreticis unum ad fidem convertit, qui furcæ damnatus erat. Carnifex parùm in eo ſupplicij genere exercitus, malè coëunte fune, ſuſpenſum tenebat ſemivivum, non ſine periculo fidem deſerendi propter impatientem hominis genium; Igitur Joſephus, qui morientem juvabat, carnificem inſtruit, docetque modum, quo funem expediat, ut citiùs frangatur pendentis guttur. Interrogatus, quomodo id eſſet auſus, maximè ſciens Eccleſiaſticas leges à tali magiſterio Sacerdotem arcentes, reſpondit: „ Ejus „ ſuſpenſionem ab ſui gradûs exer„ citio peccatum non eſſe, poſſeque „ tolli, at unius animæ jacturam „ auferri nequire ullo remedio, poſt„ quam eſt corpore ſoluta: Chari„ tatem anteponendam cæteris legi„ bus, cùm ſine peccato poſſet fieri. Quæ per eum Deus patravit miracula, quæ ſunt animæ ad Deum converſæ, quæ futurorum, & abſentium fuerit illi notitia, quæ de ejus virtutibus exiſtimatio, & fama; tanta, tamque magna fuerunt, ut jure merito eum omnes vocent Novi Orbis Thaumaturgum. Vix eſt in Braſilia oppidum aut pagus, qui non ſit inſigne monumentum de Joſephi illuſtribus factis. Tota ipſius vita dici poteſt continuatum Miraculum. Egit Provincialem, & rexit Socios magis exemplo vitæ ſanctiſſimæ, quàm linguæ exhortationibus. Patefecit illi Deus & locum & mortis diem. Morabatur in pago Beriti ba, cùm ſupremo eſt occupat morbo, quem nobilem fecit aſſidu virtutum documentis. Poſt accep Sacramenta nominans JEſum ac M riam ceſſit è vitâ. Delatum cad ver ad oppidum ab Spiritu ſancto ibique tumulo conditum. Tract temporis illius oſſa translata ad B hiæ Collegium, ubi modò conſe vantur. Innumera ſunt miracula quæ ad noſtra usque tempora pra clariſſimum faciunt Joſephi nomen Adhibentur diligentiæ, ut augeat i altaribus Divorum numerum & ima gines.

P. Vincentius Rodrigues.

IN urbe Fluminis Januarij apud Bra ſilos in America Luſitania attigi vivendi metam. Natus in pag *Sam Joam de Talha* Diœceſis Ulyſſipo nenſis. Conimbricæ adjectus So cietati 16. Novemb. 1545. Sentien tem crudeles capitis dolores miſe runt Ulyſſiponém. At illuc ſic ma lum crevit, ut actum de vitâ ipſius exiſtimaretur. Per id tempus Ulyſ ſiponem adventans Simon Rodericius Provincialis, ægrotum inviſit, illique dixit: *Confide, Fili ex hac ægritudine non moriere.* Id certum eſt, ipſum liberatum à præſentiſſimo periculo. Res tanquam miraculo ſimilis Romam eſt ſcripta. Adhuc non erat Sacerdos, cùm anno 1549. miſſus in Braſiliam inter primos illius Provinciæ fundatores. Emmanuel Nobrega Superior volens cape-

re

de ſubditis ſuis experimentum, peravit Vincentio, ut fieret faulus textoris panni, atque artem rdiſceret. Obtemperavit, atque m non eſt vocatus domum, opifi-perdiſcendo incubuit. Cum eſ- morbo impeditus, quò minus ſſet conſulere animarum bono, cit illi Pater Nobrega: „ Pater Vincenti, bonum animarum te indiget, propterea in virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipio, ut hanc ægritudinem à te depellas, ac feſtines proximo ſuccurrere. m mirabilem habuerunt dicta; m morbus evanuit, & Vincentius colendis proximis navavit opem: ſæpè Deus ſuppliciis evidentis confirmavit, quas prædicabat, ritates. Ex magnis illius laboris fuit, Indos arcere à fœdo victu rnis humanæ. Apud eos barbas, non erant deliciæ pares eſui rnis inimicorum. Dum ab eorum guibus aufert vorandum cadar, vitæ adiit magnum periculum. hil enim Braſilis accidebat magis ntra honorem, nec erat injuria nilis illi, quæ fiebat ſurripiendo ſis cadavera inimicorum. Bis perlit naufragium, & inter maximas guſtias emerſit ſoſpes. Multa alia æclara Vincentium exornarunt. iit germanus Frater Venerabilis iri Georgij Rigii de quo 15. Julij.

Doctor Appollinaris de Almeyda Epiſcopus, & Martyr.

N Æthiopia Erythræa anno 1638. exornatus eſt illuſtriſſimo Martyrio. Natus Ulyſſipone. Antequam in lucem editus eſſet, multæ ſpecies matri per quietem ſe obtulerunt, quæ indicarunt prolem, quam geſtabat in utero ad aliquid magnum, & ſingulare à Deo deſtinatam. Poſt natum infantem, dum noctu admovet ejus ori uber ſugendum, ante ſe videt puerum valdè ſpecioſum hæc dicentem verba: *Eja compara te Martyrio.* Paulò pòſt ægrotavit Mater: doloribus tam acerbis cruciata eſt, ut illi ceciderint uberum cuſpides; Tunc ſibi eſt perſuaſa fuiſſe dolores illos martyrium, quod imminere puer ſuis verbis ſignificaverat, cùm re ipſa de filio ejus eſſet tam inſigne præſagium; dum convaleſcit, ſunt illi natæ præter ſpem mamillarum cuſpides prioribus multò gratiores. Nec legere, nec ſcribere didicerat, cum perfectiſſimis characteribus exaravit in libro nomen ſuum. Illud par miraculo fuit, quod in tempore dextro frontis cernebatur ex venis cæruleis contexta Epiſcopalis Tiara, deorſum verſa. Materiam diſcurſibus præbuit ea novitas: planum eſt per illam ipſius ſignificatam dignitatem. Latinis litteris ſtuduit in noſtris ſcholis, eratque magiſtris ob ingenium ſingulare, & cæteras dotes gratum veneficium: Societati adſcriptus 5. Novemb. 1601. in domicilio, quod extra muros Ulyſſiponis in noſtra villa de Campolide habitarunt olim Tyrones aliquot annis. Biennium abſolvit Eboræ, ubi antiquo in libro legi-

gi votorum formam ſcriptam ipſius manu. Illic ſtudiis ſcientiarum impendit operam. Docuit Rhetoricam tum Eboræ, tum Conimbricæ, Philoſophiam Ulyſſipone; deinde moderatus eſt Eboræ Scripturæ cathedram, donatus laureâ Doctorali 19. Junii 1624. Succeſſit in eo magiſterio Alphonſo Mendeſio Patriarchæ: Devolutis aliquot annis, electus eſt Niceenſis Epiſcopus, ut in Æthiopiæ Patriarchatu Alphonſo, ſi quid humanitùs contingeret, ſucceſſor eſſet. Voluit ſymbolum, ſive muneris ſui ſtemma, cor ſeptum ſplendoribus, in cujus medio erat ſcriptum JESU nomen cum hac epigraphe: *Eſca populis Æthiopum.* Navem ad Indiam conſcendit primùm anno 1628. Verumtamen à prora ventis pertinaciter ſibilantibus, elapsâ opportunitate ſuperandi tam longum iter, navis ad Tagum rediit. Anno proximo commodâ uſus navigatione, Goanum intravit portum 21. Octobris. Nondum vires refecerat ab longa admodùm navigatione, cùm 18. Novembr. ſequentis vela ſolvit in Æthiopiam. Superatis non paucis difficultatibus, tandem 10. Auguſti Æthiopiam ingreſſus. Regnabat Seltamus Seguedus, qui Romanam complexus fidem, errores Alexandrinorum deſeruerat. Admiſerat in regnum ſuum Alphonſum Patriarcham. Res Chriſtiana Zephyris navigabat faventibus. Animæ propemodùm innumeræ Chriſto jungebantur. Spes erat fundandi novam Eccleſiam, ſupra quam di poteſt, glorioſam; Variis tamen d cauſis emarcuit tanta felicitas. Faciladius, qui patri ſuo Seltamo defuncto ſucceſſit, vir improbiſſimus & ſceleſtiſſimus, operarios Evangelicos omni ſubſidio rerum humanarum exutos, mandavit in exilium, & tradi in manus Turcarum tenentium fortibus præſidiis loca maritima Quos labores cum aliis in tanta rerum mutatione ſit perpeſſus, vix poſſunt calculo ſupputari. Epiſcopus & alii cuſtodum elapſi de manibus diverſa quæſiverunt latibula, ut ſervarent incolumes ejus Eccleſiæ reliquias. Epiſcopus petiit Dynaſt patrocinium, qui recepit ipſum in fidem ſuam. Id ubi notum Faciladio Regi: Quà minis, quà promiſſi Dynaſtam fatigavit, ut ſibi dedere Epiſcopum. Magnas in anguſtia Dynaſta conjectus, hinc Regem, non pareret, metuebat; inde, ſi traderet, cœleſtem vindictam. Igitur, ut ſe tam denſa nube, & pondere liberaret, Epiſcopum, & alium operarium deduxit in Deſalum, (vallis erat abdita inter montes altiſſimos hominibus inacceſſa) illic eos reliquit commendatos Mauris propinqui pagi, ad victum dedit aliquod hordeum toſtum, hoc, & aquâ rivuli ægrè tolerabant vitam, egentes, anguſtiati, quibus dignus non erat mundus. Tribus menſibus illis in ſpeluncis fuerunt omnia dura perpeſſi. Quòd nihil certi de ipſis comperiretur, vulgatum eſt per Æthiopiam mor-

iortuos esse; Verùm Franciscus odericius è nostris per hominem usitanum tantam investigando cuim adhibuit, ut in prædictâ solitune sint inventi, quo tempore jam lauri pacti erant cum Turcis de retio, circa vendendos advenas; lcircò crevit labor in eis extrahens, & liberandis. Concessêre in erras ditionis cujusdam Dynastæ, ui defendendos promisit: Id Rex ompertum habens, adjecit omnes nachinas ad flectendum Dynastam. nterposuit fidem suam, scribendo tam Patribus non eripiendam. ujusmodi verbum inflexit homiem, qui solùm religionis causa obiterat Regiæ voluntati. Eos tradit Regis famulo, qui adversus atres nulli pepercit inhumanitati. atenis, manicis, & compedibus ustos habuit ligatos ad lecti pees, ubi ipse cubabat. Exterminas ad Agaorum regiones illud erat latio, quod tractarent cum Chrianis, eosque ad retinendam acceam fidem confirmarent; cum hæc egi nuntiarentur, misit exportari l parvam Nili Insulam, committiie custodiendos Monachis Schisaticis, qui avebant eorum sorbere nguinem. Integro anno Monachi el ipsam fatigarunt immanitatem ei servos persequendo: Sæpè imrtunissimis clamoribus suaserunt egi, Patres de medio tolleret, iamdiu vivos sineret, credituram thiopiam ipsum opportunitatem deundi ad fidem Romanam expectare. Ne datam violaret fidem, contemnebat clamores. Hæc mora plus in dies accendit plebis furorem, eò devenit, ut non curato Regis imperio, Patres rapuerit, è patibuloque suspenderit. In suspensos conjectus imber lapidum. Unus Episcopi impactus oculo, totum fregit, atque effudit. Cadavera sunt data in pabulum feris, ac diris volucribus, quæ contingere non fuerunt ausæ. Laureati unà cum Episcopo Hyacinthus Franciscus, & Franciscus Rodericius, hic Lusitanus, ille Mediolanensis.

P. Franciscus Rodrigues Martyr.

Socius in morte Apollinaris Franciscus in Oppido *Carnide* prope Ulyssiponem natus est. Conimbricæ Societatem amplexus 18. Nov. anno 1618. Navigavit ad Indiam 1625. inde ad Æthiopiam. Quod esset maximis ideis ad erigendas, & construendas ædificiorum fabricas, voluit Alphonsus Patriarcha, ut in Dancazio præsideret ædificio templi Patriarchalis, de novo surgentis. Unus fuit, qui, cæteris in exilium abactis, in Æthiopia substitit occultus, ut juvaret Christianos. Comitatus Episcopum Apollinarem cum eo in odium fidei ab Schismaticis suspendio interfectus est.

Hieronymus Continentia Coadjutor

Anno 1609. supremum edidi. spiritum. Natus Tybure in Italia. Conimbricæ conjunctus Societat-

tati 30. Martij 1599. Joannes Alvarus, qui Romæ fuerat Assistens Societatis, existimans nostram hanc Lusitanam Provinciam sua bona meliùs administraturam, & officia rei temporalis per Coadjutores ex aliis nationibus, deduxit ex Italia nonnullos adolescentes in Societatem adoptandos. Ex iis unus fuit Hieronymus, qui singulari virtute spem non fefellit; Nam laborum fuit amantissimus, & hostis valdè infensus ignavi otij, quod in eo gradu bonos corrumpit mores, & Coadjutores reddit inertes fucos ad aliena sedentes pabula. De ipso Georgius Cardozus in suo Lusitano Agiologio. In Residentia Lapensi vitam clausit. Humatus Quintelæ, quod templum Virginis Lapensis sit in rupe fundatum.

DIE X.

P. Emmanuel Fernandes.

IN Domo Professorum Ulyssipone vivendi legibus satisfecit anno 1693. Natus in oppido *Fermo Zelhe* Diœcesis Conimbricensis. Societatem iniit Conimbricæ 1. Mart. 1631. Vir fuit ad sacras peragendas Missiones unicè factus: obivit quamplurimas præsertim in Tertiariis Insulis, quas concionando, & audiendo confessiones peragravit incredibili populorum commotione. In urbibus Missionis tempore novem, aut pluribus diebus quotidiè vesperi concionabatur. Dictâ concione, se dabat labore indefesso ad altam noctem pænitentes audiens, quorum confessiones erant plerumque de universâ vitâ. Anno 1650. in Algarbiis, cùm esset incola nostri Farensis Collegij, exarsit pestis. Paucis explicari nequit, quo fervore servierit infectis contagio. Perculsus & ipse est lue perniciosâ; verùm recitans in honorem B. Virginis novem Angelicas salutationes, ad singulas signata parte affecta crucis signo, admirabiliter sanatus est. Quo cælesti antidoto ipsius consilio sunt usi, ac liberati permulti, pestilentiâ contabescentes: Sæpè in jumento, quo vehebatur, posuit vel cadavera, quæ repererat inhumata, vel ægros in locis desertis jacentes; illa, ut mandarentur sepulturæ, hos, ut in æde salutis, ut vocabant, curarentur. Rexit Scalabitanum Collegium, & Tyronum Domum Ulyssiponensem. Per id tempus dejecto Rege Alphonso hujus Nominis VI. de throno, & in ejus locum suffecto Petro, qui posteà fuit Rex ejus Nominis II. Princeps Petrus elegit in suum Confessarium nostrum Emmanuelem. Id sciens unus è nostris Religionis, cui longo experimento erat comperta illius sanctitas; Profectò, inquit, me pœnitet multùm; nam Patrem Emmanuelem sperabam videre in altaribus. Id pronuntiavit eâ significatione, quod Regum palatia virtutem plerumque affient, ut oris halitus crystallum; Verùm ad ea evectus ornamenta, sui

ui non est oblitus: Quoniam Missio-
ibus vacare non poterat, ad juvan-
as animas, & Evangelicos opera-
os composuit, & typis mandavit
ngua vernacula tria magna Volu-
ina, quibus præfixus est titulus:
nima instructa. Fuit beneficus ipsâ
aturâ, nec mortalium quemquam
cèt abjectissimum dedignatus est,
dixit consanguineum ipsius esse.
Iulti de ipsius popularibus audien-
es illum ad tantam promotum for-
nam, conveniebant, quærentes
ubsidia suæ paupertati; quamvis
minudi essent, non intuebatur tri-
i vultu, sed præbebat, quibus de
rdibus emergerent. Paralysi im-
etitus supervixit aliquot annis ex-
a Regiæ commercium, se totum
omparans ad peragendum iter su-
emum, quod est ingressus Sacra-
entis corroboratus.

P. Antonius de Abreu.

ULyssipone in Domo Professa an-
no 1629. abiit è vita. Natus
lyssipone. Societati est additus 7.
aij, cùm ad nos venit; ejus parens
ir multæ nobilitatis; Hodie, in-
uit, dedi Societati filium, qui ne
num quidem unguem ab illius di-
edet voluntate, etenim propriam
oluntatem nunquam habuit. Ni-
ilo patris sui fefellit spem. Huma-
iores litteras, & Rhetoricam ma-
imâ cum laude docuit Conimbricæ.
n eadem Academia tradidit Philo-
ophiam, fuitque Magister Princi-
is Alexandri Brigantini, qui Philo-
sophicæ facultati dabat operam in
nostris scholis: Posteà ibidem egit
Professorem sacræ Scripturæ. Rexit
Collegia Ulyssiponense, Eborense,
Conimbricense, & Domum Profes-
sam à Divo Rocho dictam: Tandem
effectus Provincialis: Id obeuntem
munus mors abstulit. Nunquam
per tot annos, quibus gubernavit,
permisit sibi in victu, vestitu, rebus-
que cæteris aliquid specialis com-
modi, quo reliqui carerent; Cen-
sebat enim Moderatorem debere sub-
ditis esse vivam Regulam, & vitæ
Religiosæ normam.

DIE XI.

P. Fernandus Carvalho.

EAdem in Domo Professa anno
1607. vitâ defunctus: Domo
Transtaganus ex oppido *Palmela* Diœ-
cesis Ulyssiponensis. Conimbricæ
conjunctus Societati 25. Octobris
1551. Ad sacras conciones sui tem-
poris æquavit insignes. Id munus
exercuit totâ vitâ non solùm audien-
tium plausu, sed etiam, quod est
potiùs, multâ utilitate; Cum dice-
bat de supremo mundi Judicio, vel
de Passione Dominica, admirandus
erat; Nam disserente eo de Judicio
pænè contremiscebant templorum
parietes. Verba faciente de Passio-
ne, fluebat consessus tam perenni
lachrymarum imbre, ut tantum
marmora non liquescerent. Pau-
peres, viduas præsertim, & pupillos
singulari protexit charitate. In au-

 dien-

diendis pœnitentibus habitus est infatigabilis.

Rodericus, seu Ruyssius Gomes Coadjutor.

ULyssipone de vivis excessit anno 1580. Natus in pago *Ansiais* Diœcesis Bracharensis. Se pestilentiâ per Ulyssiponem diffundente, inter homines de Societate, qui devoverunt se curandis peste contactis Ruysius in aciem prodivit. Huic insudans ministerio ex eâdem lue decubuit in lectum, ac paulò pòst animam exhalavit.

P. Blasius Estifa.

IN itinere Indico diem obivit anno 1708. Domo Neapolitanus. Ardenti contentione, & multis precibus obtinuit mitti ad Indos. In navigatione præbuit quamplurima charitatis exempla, nec defuit materia; Nam morbi tum nautas, tum vectores miserandum in modum afflixerunt: Conscientiæ candor, & puritas tanta in eo fuit, ut post illius mortem dixerit Confessarius, se posse testari jurejurando, Blasium, quam accepisset in fonte lustrali gratiam, non amisisse. Non pauci affirmarunt, eam maris partem, in quam est illius projectum cadaver, à se visam recentissimis, atque amœnissimis conspersam rosis.

DIE XII.

Paulus Vaz Scholasticus.

ANno 1573. mortuus Eboræ. Natus Conimbricæ. In Domo Divi Rochi Societatem iniit 21. Augusti 1566. Magnos fecit in virtutibus progressus. Orabat semper flexis genibus, oculis tam abundè flentibus, ut non semel ob nimium fletum intumuerint. Incedebat oculis in solum defixis; tanquam haberet in cœlis totum animum, & mentem. Ajebat, nihil sibi majori esse solatio, quàm orationem. Singulis horæ quadrantibus discutiebat conscientiam. Per diem crebrò invisebat, & salutabat SS. Eucharistiam. In unoquoque nostrorum hominum observaverat aliquem specialem virtutem, de qua loquebatur, quando de illo Religioso non præsente fiebat sermo. Nec dicebat, nec agebat aliquid, si odoraretur, aut factum, aut verbum suum minimam tristitiam ulli mortalium allaturum. Sui tam negligens fuit, ut Superioribus fuerit necessum particulari curâ ipsius commodis invigilare. Etiam morbo affectus meliusculam offæ partem relinquebat in catino. Superiori, cui totum nudabat cor, inter alia dixit; ex quo foret in Societate, ne unam quidem passum adversus castitatem cogitationem impuram. Ut noscerent Socii, qui locus in triclinio, vel aulis Academicis esset incommodior, satis erat cernere, ubi Paulus sedisset. Confessus est se valde tentatum vanis gloriolis; Id tamen naturæ vitium à se devictum, integrè manifestando conscientiam Superiori. In disputationibus, cæterisque actibus litterariis nul-

illi rei magis ſtuduit, quàm humi-
ati. Dum ſubit examen faculta-
, cui dabat operam, illi eſt viſum
ſſiſſe ſe minus humiliter: ob id
nto eſt affectus dolore, ut ſuper-
am ſuam multa flagellatione, &
chrymis acerbè puniverit. Aje-
t, hoc ſolum peccatum, ut voca-
t, conſumpſiſſe ſibi vitam.
lexit intimis ſenſibus noſtram
cietatem: nullus eum magis
creavit ſermo, quàm qui eſt
ctus de illius præclaris rebus. Fa-
iliares ſermones ipſe non miſcebat
ſi de rebus cœleſtibus, & Sanctis.
locus non erat huic converſatio-
, tacebat. In triclinio non ſolùm
rpus fraudabat cibo, ſed etiam
otu. Medici aſtruxerunt, hinc ini-
um traxiſſe ejus poſtremum mor-
um. Omnibus, quibus erant in-
mi curæ, obſequebatur tanquam
EO. Dictitabat, nullam ſibi eſſe
luntatem, ut hanc potiùs, quàm
am rem eligeret. Non permitte-
t alios, quam de DEO, ſermones.
oſt ſacrum Viaticum ſumptum vi-
ens confeſſarius illius frontem ſin-
ulari explicatam lætitiâ, ſciſcitatus
uſam: cui infirmus; Cogitabam,
quit, me in alterum ferri mundum,
ihique res plurimas viſu dignas
onſtratas, & me, parvi facta ea-
um pulchritudine, rogaſſe, ut mihi
EUM meum oſtenderent, cui ſo-
m in vita mortali ſervieram, nihil
què me cupere. Ex hac conſide-
tione ſuborta eſt, quâ vultus in-
ndat, lætitia. Licèt pungeretur
acutis doloribus, & angore cordis, cum Divinum erat accepturus Panem, ſubſiſtebat tam quietus, quàm poſſet eſſe, ſi nullis vexaretur moleſtiis. Tandem manu tenens effigiem Domini de Cruce pendentis ſuaviſſima inter verba emiſit ſpiritum.

Dominicus Antunes Coadjutor.

IN domo Tyronum Ulyſſipone contigit vivendi metas anno 1702. Natus in Oppido *Murſa* Diœceſis Bracharenſis. Exiens de patria, ut labore ſuo toleraret vitam, didicit Ulyſſipone ſartoris officium. Domi ſe plerumque continebat, vix prodire ſolitus intra urbem niſi ad templum Dominicanorum, extra verò ad ſacram Ædem B. Virginis à Rupe Galliæ dictæ; illuc diebus feſtis, & primo mane ſe ad B. Virginem ſalutandam conferebat. Videns eum ad res ſanctas tam propenſum unus è noſtris Patribus Domûs Profeſſæ, cupiit noſtro adjungi Inſtituto. Id ipſum ſignificavit Dominici Magiſtro, qui Diſcipulo rem aperuit: cui reſpondit: ſe non audere tale quid petere, quod timeret repelli. Hujusmodi ablato metu, rogavit in Societatem admitti, quam complexus Ulyſſipone 12. Junii 1661. Emmanuel Fernandes Regis Confeſſarius, de quo hujus menſis die 10. dictum eſt, eum ſibi voluit Socium. Annis 27. Confeſſarium Regis eſt comitatus, ſingulari ſemper uſus modeſtiâ, & moribus probatiſſimis. Confeſ-

 ſario

ſario defuncto, cæteros annos tranſegit curæ habens Tyronum veſtiarium. Imperavit Rex adminiſtris Infantatus Dominico præberent, quidquid ipſos flagitaret. Hâc Regiâ liberalitate parcè eſt uſus: datam pecuniam vel largiebatur pauperibus, vel conſumebat in utiles Domûs uſus. Plantavit in domeſtico ſepto ſuis expenſis pomarium, quod excolebat ſuis manibus excavando terram, & purgando arbores. Horâ ſecundâ poſt mediam noctem è lecto ſurgebat, ut oraret, aliásque obiret precationes, ut interdiu foret expeditus ad quidquid ſibi faciendum injungeretur. Idem commendabat cæteris Coadjutoribus. Agebat idem extra Domum, cum negotiorum causâ alicubi morabatur. Diebus feſtis, & quotquot poterat, audiebat Sacra, & plus temporis orando inſumebat. Singularem habuit modum ad ſedanda fœminarum jurgia prope ripam Tagi piſces vendentium, & bajulorum ibidem expectantium ad onera comportanda. Multæ ſe offerebant hujus plebeculæ tranquillandæ occaſiones, quod crebrò adiret forum piſcarium ad emendos cibos. Cum in urbis viis illi fiebant obvii pueri modulantes cantiunculas de rebus ſanctis, eos plurimum collaudatos donabat præmiolis: Vel minimis obedientiæ nutibus obſecundabat. Si foris rediens feſſus, continuo jubebatur rurſus egredi domo, ſine mora, & ſine excuſatione parebat. Dies Mercurii, Veneris, & Saturni jejunio tranſige bat, & ſæpè contentus tantùm pan & aquâ. Somnos captabat veſtitu ſuper nudas lecti tabulas, habeba que interdiu ad intuentium faller dos oculos quandam inanem lect ſive cubilis ſpeciem. Hanc ſanctar conſuetudinem ad vitæ usque finer ſervavit. Pridie quàm moreretu quòd eſſet valde infirmus, illi Sociu volens lectum ſternere, invenit ear cubilis larvam, & fictam imaginem Dominum in antro Bethlemitico re cens natum mirificè coluit; Cùn Tyrones ejus pii temporis noctibu frequentes in Sacello aderant, ut al loquiis cum Divino Infante habiti pietatem incenderent, Dominicu ſuum erga Dominum oſtendebat af fectum, canendo quasdam ruſtica cantilenas admodùm pias, & audien tibus gratas. Divum Antonium Luſitanum ex animo venerabatu amore quodam ſpeciali. Identiden eum rogabat, ſibi obtineret à DEO ut ſibi contingeret mors nulli præ vio morbo moleſta. Habuit, quoc petiverat. Nam abſceſſus corrupta materiæ foras exuberans vitam ab rupit eâdem recurrente die, quâ Societatem inierat.

Henricus Pereyra Scholaſticus.

ANno 1708. in navigatione ad India diam deſivit vivere. Natus Eboræ, ibique adſcriptus Societati deſtinatus ad miſſiones Ultramarinas. Poſt biennium tum propter infirmam valetudinem, tum quod eſſet

ſet ingenio parùm habili ad capeſ-
ndas ſcientias, illi facta eſt poteſtas
l abeundi de Societate, vel in ea
vendi, ſed in gradu Coadjutoris
mporalis. Reſpondit, non ſe ve-
ſe ad Societatem, ut extra illam
oreretur. Idcircò ſine mora com-
xus humilem Coadjutoris ſtatum,
poſitoque pileo rotundo, quo cæ-
i utimur, ſumpſit pileolum hæ-
ntem capiti, qui Coadjutoribus
rmittitur ad temporis arcendas
urias. Hanc videns virtutem Pa-
Franciſcus Laynius Malabaren-
m Miſſionum Procurator, electus
n Epiſcopus Malioporenſis ipſi juſ-
, acciperet iterum clericalem pi-
um. In India, ſi ſit virtus, ſuffice-
litteras, quæ ſatis ſunt initiando
cerdoti mediocriter quæſtionibus
Conſcientia imbuto. Contentus
ideriis DEUS eum ad ſe rapuit
vigilio Divi Antonii, cui multùm
t addictus, & cujus habitum par-
lus geſtaverat. Illius mores apud
s fuerunt ſemper inculpati.

DIE XIII.

P. Dominicus de Freitas.

[U]Lyſſipone in Collegio Divi An-
tonii anno 1695. vitam cum
rte commutavit. Antequam ad
ſtrum accederet Inſtitutum, jam
t multæ virtutis Sacerdos, nume-
batque ætatis annos 40. Miſſus
Angolam gravi oppreſſus morbo
Inſula *Madeira*, progredi non po-
t. Navis impacta vadis prope
oram Angolæ, miſerandum fecit nau-
fragium: Vix emerſerunt ad littus
pauciſſimi, vulgatâ de naufragio fa-
mâ, rogavit Dominicus, mitterent
ſe in Angolam. Factâ ad iter pote-
ſtate, impediverunt Collegii Patres,
quòd alium non haberent rei tem-
poraneæ Procuratorem. Elapſis ali-
quot annis, redditus Luſitaniæ, egit
œconomum Collegii Ulyſſiponenſis;
diebus, quibus ad exonerandas con-
ſcientias concurrebat populus, cæ-
teris omiſſis impedimentis, primus
ſedebat ad audiendas confeſſiones,
inde non recedebat, dum pœniten-
tes aderant. Alienas noxas excu-
ſabat ſemper, omnem detractionem,
ſeu anguem venenatum, fugiens.
Singulis diebus, etiam iter faciens,
verberabat corpus. In hebdomada
tres dies jejunio ſolitus tranſigere.
Vel ægrotans non fraudabat ſtatuto
tempore orationem, examina con-
ſcientiæ, & lectionem ſpiritualem.
Singulari affectu proſecutus B. Vir-
ginem curavitque, ut illi, quibus-
cum agebat, erga ipſam paribus te-
nerentur ſtudiis. Phthiſim, quæ
ejus vitam abſumpſit, creditum eſt
ortam ex nimiâ corporis caſtiga-
tione.

DIE XIV.

Franciſcus Carvalho Novitius.

ULyſſipone anno 1572. permatu-
rè fato ceſſit. Virtutes in eo
ad certamen usque colluxerunt
quam plurimæ. Nam obedientiæ
habi-

habitus est cultor eximius. Orabat ferventi contentione. Meditando Patientis Christi Martyria liquescebat totus in dulcissimas lachrymas. Ad abigendos, & interimendos carnis pravos stimulos vellicabat atroci pietate brachium, cujus carnem gestabat contusam, & nigris, ac lividis distinctam maculis: Si quis dixit verbum in ejus laudem, continuò subjecit verba, quibus bonam de se existimationem dissiparet, supremo ægrotans morbo, miram in vultu ostendebat lætitiam, tanquam nihil averet magis, quàm relinquere usuram vitæ. Interrogatus, quid acturus esset, si viveret? respondit summam inter animi demissionem; Futurum se pejorem, quàm antea, verum addidit, debere se vitam ducere mundo, & amori proprio mortuam. Magnoperè lætabatur considerans obeundam sibi diem in Societate: dolores non magis curabat, quàm si non forent sui. Animam efflavit cordis, & conscientiæ admirabili pace: Patriam, & cætera, quæ in aliis explico, ignoravi.

Andreas Gomes Coadjutor.

IN Domo Professorum Ulyssipone anno 1600. vitam clausit. Natus in urbe Portuensi. Amplius annis 30. fuit illic à petendis eleemosynis, quibus unicè vivunt Professæ Domus; semel, dum flagitat stipem virum Dynastam, cùm esset animo in Societatem acerbato, totam iram effudit in Andream, evomens ore convicia, quæ dictavit bilis, interim modesto, & silente Andrea; Postquam eructavit, quidquid occurrerat. Vultu blandè hilari, & quanta summissione potuit, inquit Andreas: *Illustrissime Domine, jam mihi meam dedisti eleemosynam; obsecro modò, ut tribuas meis Patribus.* Viri inexpectatam modestiam Dynasta vehementer admirans, pacatæ redditus menti verbis multis precatus est, sibi condonaret improbitatem, & illatas injurias: Eleemosynam liberaliter impertivit, dixitque, nunquam imposterum defuturum in ea conferenda. Posteà, quid sibi contigisset cum Andrea memorans, vix faciebat eum laudandi finem; Cùm sustinendo tanto labori non fuit, solutus curis omnibus, intentissimè studuit orationi, & aliis precationibus, se comparando ad mortem.

DIE XV.

P. Carolus de Sylveira.

LOandæ in Angola anno 1633 obivit ceu miles in acie. Natus è nobili genere in Insula Fayalensi, quæ ex Tertiis una est. Ulyssipone Societatem ingressus 15. Junii 1639. Absolutis scientiarum studiis, rediit in patriam; ubi multùm promovit recentem Collegii nostri fundationem, tum rebus, quas ipse dedit, tum illis, quas ejus causâ tribuerunt nonnulli ex ipsius consanguineis: Quod attinet ad mores, hi fuerunt hominis Religiosissimi, qui nihil arden-

ensiùs optavit, quàm Evangelicæ erfectionis ad apices conscendere er virtutum gradus. Arsit animaum salvandi zelo, quem abundè stendit in sacris per populos excuronibus, omnes ad pœnitentiam exitando. Hujusmodi studiis inflamnatus expetivit laboriosam Angolæ nissionem jam quinquagenario maor. Confabulabatur post prandium um magistris in Collegio Insulæ, Iichaelensis, cùm ad eum inquit nus subridenti similis: cur sua Reerentia non pergit in Angolam conıltura animis Æthiopum? Id verum tam altè est illius infixum cori, ut crediderit vocem non Magiri, sed ipsius DEI vocantis ad eas egiones. Rem lentiùs coram DEO ractaturus, secessit à commercio æterorum peragens S. Ignatii Exeritia. Re bene perpensâ, scripsit ad . Provincialem rationes, quæ ipım ad tantam expeditionem petenam impulerant. Eò profectus, imıanitate tempestatum delatus est araybam in Brasilia. Excensione cta, non ille reficiendis ex tanto bore viribus adjecit animum, sed rotinùs Missionem sacram instituit credibili proventu. Spoliavit conıbinatu omnes, qui salutis suæ obi his vivebant dediti vitiis. Cuerunt, maneret apud ipsos, certamque obtulerunt, quæ vitæ sustenndæ forent opus; Inde navigavit ernambucum: Illic dum expectat pportunitatem itineris continuan-, unà cum Ministro Olindani Collegii obivit Missionem in Insula à Conceptione, & in regione Promontorii à S. Augustino. Ventis ad profectionem invitantibus, & navigationi faventibus intravit Loandæ portum: Ibat designatus Visitator, & Collegii nostri Rector: Non quievit sub tectis: Peragravit concionando totam Loandæ Insulam: deinde adivit Mediterranea. Idola fregit innumera, cremavit instrumenta veneficiorum, & animas quamplurimas ad sanæ mentis reduxit frugem: Diversas illuminavit eorum Æthiopum regiones, nulli proprio parcens labori; dum excurrit per oras vicinas Coanzæ flumini, mortiferâ contactus febri se recepit in Collegium, ac septimo die post morbi initium solutus corpore migravit ad æternam felicitatem, mirificè lætus, quòd in tam sancto ministerio posuerit animam. Biennium consumpserat in Angolanis expeditionibus; ubi usque nunc in benedictione perseverat illius memoria, narrantibus continuò Nigritis illius virtutes, & miracula, ob quæ ab omnibus Sanctus, & Apostolus vocitatur.

P. Emmanuel Lopes.

EBoræ vitâ defunctus anno 1682. Natus in oppido *Carapito* Diœcesis Visensis. Conimbricæ conjunctus Societati 22. Martii 1656. Nituit inculpatis moribus. Conciones suas dixerit unicè ad aggregandas animas DEO suo; semel peccatorem in tantum excitavit commisso-

rum dolorem, ut per confessionem purgatâ conscientiâ, solùm vixerit diem unam. Erat modestissimus, ac DEO multùm addictus per orationem: delirans postremo in morbo, verba nulla pronunciavit nisi de DEO, ac de rebus sanctis.

P. Stephanus Franco.

ANgræ apud Insulanos Tertiarum emortuus anno 1708. Natus Cintræ Diœcesis Ulyssiponensis. Societatem amplexus Ulyssipone 1. Januar. 1682. Scientiarum absolutis studiis Angram navigavit, ubi cum singulari virtutum existimatione reliquos vitæ annos transegit. Ejus & modestia, & cum DEO commercium erant spectabilia; sæpè discurrit per eam Insulam obeundo Missiones sacras. Propter virtutem plurimi habitus est ab Antonio Vieira Leitamo Insularum Episcopo, & Viro in suo munere sanctissimo, & præclarissimo.

DIE XVI.

P. Augustinus de Costa.

IN navigatione ad Indiam anno 1616. effudit animam. Natus in oppido *Amarante* Diœcesis Bracharensis. Conimbricæ Societati adscriptus 29. Novemb. 1591. Collegii Conimbricensis agebat Ministrum, cum altioribus lucrandi animas permotus desideriis, Indiam petivit. Vagante per navem morbo pernicioso, se devovit bono languentium; hunc laborem, ac studia prædicandi fidem Indis donavit DEUS morte suavi.

P. Franciscus Borralho.

IN Collegio Scalabitano obivit anno 1717. Natus Terennæ Diœcesis Eborensis. Ulyssipone Societati conjunctus anno 1656. servavit vitæ totius tenorem planè inculpabilem. Vir fuit animo sincero, & nescio omnis doli, ac fraudis; amicus DEI, & reputatus æqui, ac justi amantissimus. Vitam consumpsit nostra obiens ministeria in Angola, Mazagoniæ in Africa, & in plurimis regni locis. Micuit in eo præ cæteris virtutibus admirabilis, & notissima obedientia. Nescivit, quid essent excusationes; idque reputabat indignum homine, qui promisisset obedientiam. Quid juberent Majores, & cur, ille non attendit, totus executioni applicatus. Vel esset, vel non res competens suis annis, vel gradui, accedente imperio, vel nutu imperii, faciebat accuratè; conculcatis aliis rationibus. Interrogavit eum Sacerdos è nostris, cur nunquam uteretur excusatione in re ulla? *Mi Pater* respondit, *quæque maximi ponderis viro obedienti videntur palea levissima, at non obedienti levissima palea apparet enorme pondus.* Ea mens erat illum agnoscentibus, quod si juberent superiores canistro exhaurire puteum, vel quid aliud in speciem absonum, obediturum cæco modo, tanquam DEUS ipse manifestus voce clarâ

:larâ imperaffet. Orationi, ac ſan-
ctorum librorum lectioni multùm ſe
radidit, præſertim annis ætatis jam
eſſæ, quibus non poterat tantus eſſe
n ſubveniendo proximis. Ejus cu-
biculum videbatur ſacrum Eremito-
ium, circumquaque è parietibus
iguris Sanctorum expreſſorum in
charta pendentibus. Multas ad
cœleſtes hoſpites fundebat preces.
Præter Divinam Euchariſtiam, ac
Magnam Matrem, enixè coluit Di-
vum Michaelem, cujus die quotan-
nis prodibat foras, ac de ipſius ex-
cellentiis dicebat ad concionem.
Creberrimus erat in adjuvandis car-
ceri publico addictis, & aliis egenis,
& conſolandis in noſocomio infir-
mis. Detractio non eſt audita ex
ore ipſius. Nemo promptior ad ex-
cipiendas confeſſiones domi in tem-
plo, ac foris vocatus ad moribundos.
De ipſo eſt habita poſt mortem col-
latio inter Socios Collegii, totque
bona exempla ſunt dicta, ut alio in
loco ſcripſerim fuſiùs.

DIE XVII.

P. Nonius Maſcarenhas.

Romæ diem obivit anno 1637. Natus in oppido Montemajore novo Diœceſis Eborenſis parentibus illuſtriſſimis Vaſco Maſcarenio, & Maria Mendoſa. De tribus aliis ejus Germanis fratribus in hoc opere ſuis locis fit mentio. Octavum frequentabat Eboræ Gymnaſium, cùm ibi ſe adjecit Societati 8. Januarii 1578. Cum magnâ nobilitate magnam conjunxit virtutem. Peregit Miſſiones non paucas, præſertim in Algarbiis, eò vocatus à Fernando Martino Maſcarenio ejus fratre Germano Diœceſis Epiſcopo. Primus fuit Superior in Domo nobis ab Epiſcopo illic fundatâ. Ulyſſipone habitans in Domo Profeſſorum habuit ſibi curæ, docere pueros, & plebeculam Catecheſim tum in foris, tum cæteris locis publicis, magno totius urbis exemplo, & bono; nam præter ſingulares ad id piiſſimum miniſterium dotes, movebat plurimùm animos cernere virum primariæ nobilitatis ſtudioſiſſimè applicatum inſtituendis pueris, & viliſſimæ plebi. Rexit Collegium Conimbricenſe, ac Domum Profeſſorum Ulyſſipone. Occaſione comitiorum univerſæ Societatis ob mortem Patris Claudii Generalis adivit Romam cum jure ſuffragii. In eo Conventu electus eſt Aſſiſtens, quam adminiſtrationem geſſit usque ad vitæ finem. Multâ illic uſus charitate cum Luſitanis, qui negotiorum, vel devotionis causâ ad Urbem contendebant. Laboravit ſtrenuè in promovenda Canonizatione SS. Ignatii ac Franciſci Xaverii. Huic Luſitanæ Provinciæ adeptus à Pontificibus, quibus fuit valdè acceptus, plurima beneficia præſertim in conjungendis Conimbricenſi Collegio reditibus aliquot Eccleſiarum, quarum jus præſentandi ad Collegii Rectorem attinebat. In ejus obitu doluerunt cu-

riæ Romanæ viri Principes, quod eum magni facerent propter virtutem, & nobilitatem.

Pater Emmanuel de Murſia.

IN navigatione ad Indiam anno 1693. vitam explevit. Natus in oppido *Baſto* Diœceſis Bracharenſis. Tredecim operarii dicto anno conſcenderunt navem à S. Franciſco Borgia nuncupatam. Causâ venti, & temporis adverſi coacta eſt ex itinere reverti ad Ulyſſiponenſem portum. Eam vexarunt graves, & importuni morbi, quibus opprimendis inſudarunt noſtri. Emmanuel ipſa in navi, ubi quies nulla eſt causâ multitudinis, ita ſe ad orandum, ac cæteras habendum precationes colligebat, ut Socii dicerent illum quæſiiſſe navem, ut ſeceſſum ad cœleſtes commentationes reperiret, quo loco turbata ſunt omnia concurſationibus, clamore, & rixis, ac jurgiis nautarum, & vectorum.

Bartholomæus Alvres Coadjutor.

ANno 1601. vitam exuit Brigantij, natus in pago *Paramio*, ab ea urbe duabus leucis diſtante. Ad ſui gradûs munera ſingulari donatus talento. Quidquid ipſi faciendum injungebatur, exequi ſolitus accuratiſſimè. Inter tot curas animæ ſuæ nunquam oblitus, diligenter ſtudebat perfectioni. Peſtilentiâ per urbem graſſante obtulit ſe animosè ad ſociandum Sacerdotem noſtrum, qui fuerat deſtinatus audiendis infectorum confeſſionibus. Quatuor menſibus, quibus diriſſima ſævivit calamitas, admirabilem exercuit charitatem. Sacerdote domos intrante, ipſe ad oſtium exſpectabat decurrens precationum globulos. Nocte vicinâ vel per id, vel per tempus aliud è villis ſe domum conferens non omittebat orationem ſolitam, non examina conſcientiæ, non quotidianam flagellationem: Semper die Jovis, ut mos eſt, piis Coadjutoribus, Divino ſe refecit Pane. Timens Collegij Moderator, ne è multitudine exſpectantium ad januam domûs, ubi extra Collegium habitabant, peſtilentia crudeliùs vulgaretur, Bartholomæo imperavit, ſtipem per vias urbis, & fora mendicis divideret, quod ille bis die, mane ſcilicet, ac veſpere exequebatur: Non ſolùm egenis ſubvenit, ſed etiam, & majori curâ, honeſtis viris, ac fæminis, domi ſe continentibus, & præ pudore ſtipem rogandi, tolerantibus rerum omnium egeſtatem. Sacerdoti peſte correpto continuus aſſedit. Egreſſum ex hac calamitate incolumem dira phthiſis inceſſit, diuturnitate multùm afflixit, ac tandem diligentiſſimè comparatum ſuſtulit è medio. Paulò ante moriendum è linteis manus extraxit, easque tenens ad Crucifixum levatas efflavit ſuaviſſimum in morem ſpiritum plenis virtutibus exornatum.

DIE

DIE XVIII.

Ludovicus Antunes Coadjutor.

COnimbricæ anno 1599. gloriosâ morte ſublatus. Editus in lu-em prope Conimbricam in oppido orvâm. Societatem ingreſſus Ebo-e 26. Julij 1555. Apud nos non ut Socium, ſed tractavit, ut om-ium vile mancipium. Propter in-gnem charitatem Conimbricæ mul-orum annorum ſpatio egit Præfe-um valetudinarij. Graſſante pe-ilentiâ, devovit ſe tum ad ægrotis rviendum, tum ad parandum, quæ rent opus Patribus piiſſimo in-umbentibus miniſterio; Idcircò um Patribus Georgio Tavora, & mmanuele Rodericio ſeceſſit in vil-m Suburbanam Conimbricenſis ollegij. Prodibat inde, quo jube-ant Patres, & ipſis parabat neceſſa-ia veſtitui, habitationi, & victui. æpe P. Emmanuelem redeuntem ab pera feſſum, & ſudantem, Ludo-icus brachiis, tanquam puerum, xcipiebat, admovens menſæ; Poſt-uam Patres juverat, videratque Georgium animam ſub pio onere oſuiſſe, malo correptus decidit in ectum. Sciſſis jam venis, pridiè eſtum Corporis Chriſti, fruſtrà eum atre impediente, ſurrexit de cubili, c linteatus miniſtravit Sacris ope-anti, refectusque eſt ſacrâ Synaxi: einde emotâ deliriis mente, illius rant curæ, habere cuncta in prom-tu, ut revertens Pater cibos cape-et. Volens Sacrum facere Emma-nuel deſtinavit famulum, qui ex oli-veto proximo ſibi ſacrificanti reſpon-deret; cùm primum incepit, reddi-tus menti Ludovicus voce clarâ da-bat è lecto reſponſa. Hoc lucido intervallo & Patrem, & infirmum conſolatus Deus. Tam placidè obi-vit, ut Pater ipſum mori non cogno-ſceret. Tumulatus eſt ad infimum gradum ſcalarum ædiculæ S. Seba-ſtiani inter oliveta. Ad præſentem usque diem illic cernitur lapis ſepul-chralis cum inſcriptione.

Emmanuel de Azevedo Scholaſticus.

BRacharæ deceſſit è vivis anno 1617. Natus Vouzelæ Diœceſis Viſenſis. Conimbricæ adjunctus Societati 27. April. 1614. Nunquam in eo eſt obſervatum factum ullum, vel dictum, quod præ ſe ferret leve peccatum. Quotidie horas qua-tuor impendebat orationi, præter vocales precationes: ſæpè ad noctis horam undecimam in templi choro vacabat cæleſtium meditationi. Ne-ceſſum fuit huic fervori limites præ-figere ad ejus proſpiciendum vale-tudini. Miſſus Bracharam causâ na-vandi operam ſtudiis amœnioribus, nullius rei fuit magis memor, quàm ſui in virtute profectûs. Se multùm afflixit, ac perſecutus. Somnos ca-piebat ligneam complexu tenens Crucem. Terebat frequenti ſe ver-berandi uſu plurima flagella; Cùm divertebat in villam animi levandi causâ, reperiebatur ſe flagris feriens in locis ſecretis. Habebat cilicio-

rum genera quinque, ferebat alia carni applicita, ſuper alia dormiebat. In petendis ad ſe cruciandum facultatibus nulli parcebat importunitati. Sedens ad menſam nunquam acclinavit parieti tergum, habebatque pedem unum ſuſpenſum, quin eo ſolum pertingeret. Si quid exquiſiti edulij ponebatur, non comedit, niſi jubente Rectore. Magni Religioſam æſtimavit paupertatem. Aliquo tempore uſus eſt calamo fracto, cujus partes inter ſe lineâ nexuerat. Eligebat ad ſtudendum libros vetuſtiores, ideoque attritos jam, & penè laceros. Cæteros Socios proſecutus ſingulari charitate; Cùm ex eo inquirebatur defectus alicujus, ſemper delinquentem excuſabat, mitigando crimen, vocatis in memoriam, quos de ipſo noverat, virtutum actibus. Tam prope divina habita eſt illius modeſtia, ut externi condiſcipuli dicerent, explicandi gratiâ; Patrem lapideum verſari in Gymnaſio ſuo; Aſſiſtebat enim modeſtiſſimum in morem inſtar ſtatuæ. Conjectum eſt illius mortem ex nimia corporis caſtigatione traxiſſe originem: ſtudium enim ſe macerandi eum compulit inire Societatem; Cùm Vouzelæ per Quadrageſimam Miſſionem ſacram haberent è noſtris duo, illeq; ſingulis noctibus audiret ſe ipſos flagellantes, incenſus eſt ſtudio idem inſtitutum ſequendi. Tantum poteſt exemplum, ut nonnunquam pro concionatore ſit; Cùm cœpiſſet ſanguinem expuere, irrepſerunt ill tertianæ, quarum vim extenuatum corpus diu ferre non potuit. Protinus ſe munivit extremis ſubſidiis ad imminentem agonem. Erat intuentibus admirationi videre juxta mortem in ipſius vultu miram lætitiam, & riſum in ore: Semel tertianâ acrius incenſâ, dictum eſt illi gemitum ederet ad levandum animum. Ad hæc ſubridens, blandiſſimè ſuſpiravit dicens: *Ah JESU!* ſ de morte fiebat ſermo, vultu hilari & ridenti voce dabat reſponſa. Ipſe petivit cereum accenſum, accepit Crucifixum, & eſt oſculatus. Horâ tertiâ pomeridianâ, dum ſuaviter pronunciat: *Ah JESU!* efflavit animam. Scholaſtici externi floribus ſparſerunt cadaver. Multi ſacerdotes chartas, quibus eſt uſus ad componendas ſcriptiones, diviſerunt in fruſta, ut horas, & loca Breviarij deſignarent. Condiſcipuli libros, tanquam reliquias ſibi voluerunt.

P. Fernandus Calini.

IN Oceano quarto, vel quinto gradu ab æquatore Septentrionem verſus oppetivit mortem. Domo Italus ex Brixia, natus illuſtri familiâ. Ab teneris annis ejus indoles apparuit idonea virtutibus. In Societate non homo, ſed Angelus eſt viſus. Maximoperè curavit adſcribi inter operarios Indicæ vineæ. Factus voti compos, venit in Luſitaniam. Conimbricæ præluxit noſtris

ris exemplo virtutis proceræ. Ad
diam navem conſcendit 27. April.
705. cum aliquot tyronibus; die
. collectis anchoris, navis in al-
m provecta. Protinus ejus ani-
arum zelus, & erga infirmos cha-
as apud omnes creavit inſignem
illius virtutibus opinionem. Ver-
ſemi Luſitanis habebat ferven-
ſimas exhortationes, quibus pluri-
ùm incendebat nautas ad ſtudium
ernæ ſalutis. Rogabat comites,
i manifeſtarent errores ſuos. Ma-
rem temporis partem ſerviendo
grotis conſumebat. Præcipuas
ulas ſibi appoſitas dabat infirmis:
horum aſſiduo commercio hæſit
i admodum vehemens, & peſti-
ns tertiana. Protinùs dixit, ſe ta-
die moriturum. Res ipſa dicto
truxit fidem. Quidquid per id æ-
itudinis tempus aut fecit, aut lo-
tus, præ ſe tulit virtutem. Pe-
it, ſibi adornarent ligneam cru-
m, in quâ jacens moreretur. Ar-
ntiſſimè cupiebat diſſolvi, & eſſe
m Chriſto. In ipſa mortis die
nificavit noctis horâ nonâ de vi-
profecturum, idque eventurum
ra dubium. Obſecravit eâdem
e, ſibi darent ſcuticam feriendo
rpori. Præbuerunt conſolationis
atiâ; verum præ debilitate non
lens manum movere, ut ſe juva-
nt, poſtulavit. Poſtremò eſt pre-
tus, deponerent moriturum ſuper
vimentum nudum brachiis in mo-
m crucis extentis, quando non
nſtruxiſſent ligneam crucem. Sa-
tisfactum eſt ejus voto corpore poſi-
to ſuper culcitram. Sic tandem mu-
nitus Sacramentis piiſſimè obivit.
Navis Curio, qui exceperat illius
confeſſiones, affirmavit, ſe nun-
quam materiam abſolutionis in eo
reperiſſe. Omnes certatim vole-
bant de rebus ipſius reliquias. Il-
lud prorſus mirabile contigit, quod
ipſo momento mortis ſubito cæ-
lum, quod erat nubibus tenebroſum,
his deterſis inclaruit. Illud quoque
rarum fuit, quod præ malacia, cum
navis à vigeſimo die nihil eſſet pro-
greſſa, ubi ad fluctus eſt conjectum
cadaver, afflavit optatus ventus.
Vitam Calini plenam rebus grandi-
bus copioſe ſcripſit noſter Hierony-
mus Caſtillius; qui, cum hæc ſcribo,
agit in Eborenſi Academia Scripturæ
ſacræ Profeſſorem. Intimè Fernan-
di cognovit, quod ipſi fuit à confeſ-
ſionibus multo tempore. Manuſcri-
ptum ſuum tradidit Calini conſan-
guineo illuſtri.

P. Joannes de Sanctos.

ANno 1714. vitæ finem impoſuit Eboræ. Natus in oppido *Maſſa-relos* prope urbem Portum. Conimbricæ conjunctus Societati 31. Januarij 1677. Incubuit humanioribus ſtudiis, & Philoſophicis Eboræ, Theologicis Conimbricæ. Poſteà miſſus ad Inſulam Fayalenſem; reſtitutus Luſitaniæ, inſtituit Conimbricæ Tyrones, rexit Domum Profeſſam Villæviſſoſæ; cum eſt mortuus, erudiebat Tyrones Eborenſes. Multa veneratione ſe to-

totum mancipavit obſequiis B. Virginis. Habitans in Collegio Fayalenſi ſenſit inſtinctu quodam interiori compelli ad recitandum quotidie B. Virginis Roſarium: quamvis enim adhuc alias in ejus obſequium ſoleret precationes fundere, hæc ſibi uſui non erat. Diſſimulabat ille ad internam punctionem, quod careret eo globulorum numero. Venturus erat in Luſitaniam, dum profectionis causâ valedicit poſtremum cuidam fæminæ vitæ ſanctioris, cui fuerat à confeſſionibus, ipſa Joanni tradidit Roſarium globulorum candidorum viridi connexum filo, ſubjiciens hujusmodi verba: Jam, mi Pater, non habebis excuſationem, ſi non recites magnæ Matris Roſarium; cujus viride filum ſymbolum eſt ſpei firmæ, quod ſalvus, & incolumis ſis in Luſitaniam perventurus. Hæſit attonito ſimilis; nulli enim mortalium aperuerat illum inſtinctum. Cognoſcens id gratum B. Virgini, eam precationem reliquâ vitâ non omiſit, & occaſione datâ commendabat aliis: Etiam qualiscunq; opinio fuit eos globulos à B. Virgine præbitos illi fæminæ, ut Joanni donaret; Cùm enim interrogaret fæminam, unde globulos accepiſſet, ea ſe ſilentio involvit. Etiam quotidie percurrebat horas Officij B. Virginis: Sacrum Miſſæ faciebat non ſine ſuavibus lachrymis: die Pentecoſtes ſurgebat ante tempus cum Tyronibus ſuis, ac per integram horam vacabant omnes orationi, cui adjungebant horam communem cæteris; ut eſſent parati ad inſtar Apoſtolorum capiendis Spiritûs ſancti cæleſtibus ignibus, ac donis: In omnibus præibat Magiſter exemplo: Tyrones ſuos & amore, & timore Dei educabat: Deum rogaverat, ut ſe de mundo tolleret in munere Magiſtri Tyronum: Voti compotem Deus fecit. Jam ægrotabat morbo poſtremo, cùm ſe dedit illi conſpiciendum Pater Antonius Carrilius, qui obiverat 24. Novemb. proximè devoluti. Quæſivit ex eo Joannes: *Quo loco eſſet & quis in altera vita ejus ſtatus?* reſpondit: *Ego ſum in cæleſti gloriâ, quò te brevi exſpecto.* His dictis abſtulit ſe è conſpectu. Eventus oſtendit eam imaginem non fuiſſe vanam.

DIE XIX.

P. Franciſcus Gouvea.

Apud Angolanos Æthiopes, & in urbe præcipua Regis Angolæ vitam explevit anno 1575. Natus in oppido *Caſtello de Penalva* Diœceſis Viſenſis. Conimbricæ amplexus Societatem 15. Novemb. 1554. ætatis 23. Petente per ſuos legatos Inenio Rege Sacerdotes ab Luſitano Rege, & ſpem præbente deſerendi idola, Regina Catharina, quæ regebat loco nepotis Sebaſtiani, miſit in Angolam anno 1560. legatum ſuum Paulum Diaſium Novalium, & cum ipſo quatuor Societatis, quorũ Franciſcus erat Superior. Menſe Majo in-

traverunt ostium Coanzæ flumi-
s, ibique sex mensibus steterunt
anchoris, exspectantes ab Ingenio
andatum, ut accederent Regiam
bem. Illic obivit Pater Augusti-
s Lacerda, unus è nostris qua-
or. Post tam longam, & mole-
m moram venêre nuntij, posse
spites adire Regis conspectum.
st tot viarum labores compertum
, nihil velle Regem præter lucra
mmercij cum Lusitanis, idola
ntemnere ipsi non esse cordi.
on tamen Francisco inutilis extitit
ventus in eas infelices regiones;
m Lusitanos negotiandi causâ il-
c vel euntes, vel habitantes ad
mpus curavit in officio Christianæ
ofessionis continere. Voluerunt
Lusitaniam reverti: Id Rex non
rmisit; Tandem anno 1565. fecit
testatem Paulo Diasio Legato re-
tendi Lusitaniam: Franciscum ve-
sub speciosis prætextibus apud se
inuit, re tamen ut obsidem com-
ercij. Quas sit perpessus inter
as, & indomitas gentes mole-
as, vix potest multis explicari.
rripuit atrox incendium urbem
giam, constabat domibus quinq;
llibus ex tabulis, & ligno con-
uctis, folioque arborum, vel pa-
contectis. Hærens materiæ tam
dæ, & paratæ ignis, universas
mos incredibili omnium pavore
legit in cineres, & favillam. At
n sine miraculo pepercit Francisci
munculæ: huic cæli beneficium
litum aliud, quod tenuis Patris
supellex inter trepidationem conje-
cta in publicam viam, ne flammis
absumeretur, reperta est intacta &
à flammis, & à rapacissimis eorum
Æthiopum manibus: Sæpè de vitæ
periculis eum Deus eripuit: Videns
illius exempla, & inculpatos mores
Rex barbarus, hominem amavit,
quamvis nunquam sanctis, quibus
eum stimulabat, consiliis, voluerit
obedire. Ægrotante Patre, suis
Veneficis, (quæ gentis est stultitia)
Rex imperavit; tribuerent salutem
Patri. Obsequentes imperio, mul-
ti numero personantes crepitaculis,
tympanis, buccinis, aliisque instru-
mentis frangendo capiti aptissimis
circumcursabant nocte, dieque Pa-
tris domum. Opinantur enim eo
sonitu mortem abigi, & salutem vo-
cari. Ut patet, nihil potuit ægriùs
Francisco contingere; suum tamen
non erat execrabilem cæremoniam
prohibere; Igitur transactis in eâ
captivitate annis 14. virtute vel
barbaris admiranda, supremum edi-
dit spiritum. Ab Christianis sepul-
tus in ædicula sacra, quam ipse ædi-
ficaverat. Primus fuit è nostra So-
cietate, qui doctrinâ suâ Angolanas
dissipavit tenebras.

P. Franciscus Almada.

ANno 1683. Romæ conjunctus cæ-
litibus: Natus Ulyssipone è paren-
tibus illustrissimis Laurentio Almada,
& Elisabetha Sylvia. Cùm Lusitani
Joannem IV. proclamarunt Regem,
intolerando Castellæ excusso jugo,

ſecutus militiam, ut patriæ libertatem defenderet. Parùm ſecundo Marte id vitæ genus amplexus; dum enim in hoſtem cum aliis incurrit, equus frænum mordens, cùm non poſſet circumagi, præcipitato curſu ſe, & equitem miſit in medios hoſtes, à quibus eſt captus. Aſſertus deinde in libertatem dato alio nobili Caſtellano captivo; dum Reginam inviſit: *Multum*, ait illa, *tuus equus in Caſtellam fugit.* Ut intimè pungunt nobiles animos Regia dicta, & verba: quâcunque mente Regina fuerit locuta; Franciſcus ſecum decrevit, repudiare inanes mundi ſpes, meliorique, ac ſanctiori militiæ nomen dare. Societatem iniit Ulyſſipone 20. Novemb. 1652. Eminebat ille præclaro ad ſcientias ingenio. Litteris ſtuduit Eboræ, illic docuit Philoſophiam; Theologiam verò in noſtro Conimbricenſi Collegio usque ad ejus ſcientiæ primam cathedram, magno excellentis Magiſtri nomine. Pluris tamen omni ſcientiâ pependit virtutem. Nihil eo humilius. Frequenter, ut ſe magis, ac magis demitteret, obibat, quas dicimus publicas mortificationes, invitabatque alios, ut ſe comitarentur. Qui vellet ab eo aliquid obtinere, ſi illi ſe ſociabat, certum habuit Franciſci patrocinium. Dicentibus, eſſe mera ad ipſum fallendum artificia, reſpondebat: *Utinam ſic me omnes fallerent*; Quamvis ætatis adultæ ad nos venit, ſic ſe attemperavit vel minimis Inſtituti rebus, ut puer non fore obſequentior: Poſteà rexit Tyrone Ulyſſipone; Ubi eum ſum nactu Magiſtrum. Prælucebat nobis ex emplo ſuo. In actibus humilioribu erat primus. Ut Tyronibus amorem Societatis ingeneraret, ajeba eſſe magno ſolatio iis, qui vivunt in Societate, vaticinium S. Franciſc Borgiæ, ſalvandos, quiqui primis trecentis annis in ea vitam finiverint. Adjiciebat maximo ſibi, quò verum crederet, eſſe argumento tot expulſos de Societate. Præpoſitus erat Senibus domûs Profeſſæ, cùm vocatus eſt Romam, ut ſuppleret vices Aſſiſtentis Luſitani defuncti. In Urbe, & eo munere traduxit vitæ reliquos annos, ac ſanctè obivit.

DIE XX.

P. Franciſcus Paciecus Martyr.

NAngaſachii apud Japones, anno 1626. Martyrio inſignitus. Natus in oppido *Ponte de Lima* Diœceſis Bracharenſis, è Parentibus magnæ nobilitatis. Dicebantur Garcia Lopius Paciecus, & Maria Borges de Meſquita, hæc ſoror fuit noſtri Didaci de Meſquita, qui Societati adſcriptus in India, apud Japones occubuit Martyr. Franciſcus noſter, ex quo rationis lumine eſt illuſtratus, ardentiſſima ſenſit deſideria pro Chriſto ſanguinem effundendi: his motus, puerili ſimplicitate promiſit Deo ſe moriturum Martyrem. Impendens

ens Ulyssipone operam studiis, videndo, quot Societatis homines quotannis amplecterentur expeditionem Indicam, nobis cupiit adjungi. Non secus fecit; Conimbricæ auspicatus Tyrocinium 30. Decemb. 1585. Exiens ad peregrinandum, ut moris est nostris Tyronibus, ad ostium maternæ domûs rogavit stipem. Suspicans mater suum esse Franciscum, vocat filias, ut qualecunque dubium sibi eximerent. Id Novitius intelligens citato gressu se proripuit, ne maternis molliretur blandimentis. Anno 1592. cùm vacabat studiis Philosophicis, ad Indiam profectus. Macai docuit annis aliquot Theologiam, & nuncupavit solemnem professionem anno 1603. sequenti anno trajecit in Japoniam. Inde revertit Macaum ad gubernandum nostrum Collegium. Finito magistratu, rursus petivit Japoniam, anno 1612. Verum anno 1614. sæviente adversus Christianos, præsertim vineæ operarios, persecutione, cum aliis ejectus in exilium, rediit Macaum: Nec eum ibi in desidere passus ardens zelus juvandi laborantes procellâ Japones; idcircò mutato habitu quartùm introivit Japoniam. Jussu Pontificis gubernavit illum Episcopatum carentem Pastore post obitum nostri Ludovici Cerqueiræ: simul regebat socios in ea cultura desudantes. Anno 1625. mense Decembri desertor fidei eum prodidit Præfectis, qui nulli parcebant diligentiæ in conquirendis Evangelicis operariis. A militibus comprehensus, ac detrusus in carcerem Ximabaræ. Maxima illic sustinuit incommoda, quæ in eo faciebant majorem impressionem ratione senectutis morbis infirmæ: his necessariis cruciatibus adjungebat castigationes, & rigores spontaneos, tot, ac tantos, ut noster Joannes Baptista Zola, & alii Sancti in easdem ob fidem conjecti angustias admirarentur, & stuperent. Illud contingebat ad confirmandam Viri sanctimoniam prorsus insolitum; cùm præberent illis atram, & putrem oryzam, attrectata Francisci manibus, reddebatur alba, & sana. E Ximabarâ portati Nangasachium, ubi est illis additus noster Balthasar Turrianus. Novus Præfectus, quod fremebat odio adversus Christianos, decrevit vivos comburi flammis. Lætitia, quâ exceperunt mortis sententiam, vel ethnicos rapuit in admirationes; Non minus septem erant ad sacrificium victimæ, de nostrâ omnes Societate, quatuor Japones, Europæi Sacerdotes reliqui. Antesignanus, & Superior cæterorum Paciecus. Arsêre admirabili constantiâ. Cineres in mare sparsi, ne Christiani collectos venerarentur.

P. Emmanuel de Abreu.

ANno 1708. in navigatione ad Indiam fecit vivendi finem. Natus in Oppido *Entrambolos rios* Diœcesis Portuensis. Societati adjun-

ctus Conimbricæ 27. Augusti 1692. Jam à Tyrocinio micuit in eo zelus animarum, & magnus fervor in excitandis ad pœnitentiam animis: Ad eum explicantem in foro Catechesim ingens fiebat concursus: Mirabantur in puero dicendi efficaciam, & ubertatem: Ibat nostrorum Superior. Crudeles morbi, qui navem complerunt funeribus, spatiosum ejus obtulerunt theatrum charitati, quæ tanta fuit, ut illam non æquent verba ulla. Nocte dieque erant curæ præcipuæ nautas vectoresque DEO conjungere, tum sanctis exhortationibus incitando ad observantiam Divinæ legis, tum monitis salubribus pacificando discordes animos, & tollendo jurgia: Mane ante cæteros è lecto surgens orabat statuto à Regula tempore: Operabatur Sacro; deindè sumens amphoram aquæ plenam, cupedia, & panem biscoctum, cum Socio portante gallinas, & jusculum, invisebat singulos ægrotos navis, unicuique tribuens, ut poscebat necessitas. Post datum hujuscemodi jentaculum componebat lectos, simul verbis sanctis animabat singulos ad molestias ægritudinis tolerandas. His peractis colligebat se in cubiculum ad recitandas horas, & alias precationes fundendas. Pomeridiano tempore, & veniente nocte rursùs consolabatur infirmos, providens amore paterno, ne quid ipsis deesset. Junii 13. Sacri factâ celebratione, graviter decubuit, universâ multitudine ejus vicem dolente. Ægroti, quos magis id telum feriebat, nostros se invisentes interrogabant: Ut suus se habeat parens? non alio vocabant nomine. Tandem malo diligentias quæ illic esse poterant, vincente, ac deliriis supervenientibus, vivendi finem attigit. Tantus fuit in ejus morte omnium mœror, quantus fuisset, si moreretur singulis suus Pater.

P. Benedictus de Sequeyra.

ANno 1664. naturæ satisfecit Eboræ. Natus in Oppido *Arronches* Diœcesis Portalegrensis. Eboræ Societatem ingressus 16. Februar. 1602. Rexit Collegia Portalegrense, Madeirense, Ulyssiponense, & Conimbricense. Provincialem egit Transtaganæ Provinciæ, cùm duas habuit in Lusitania Societas. In sacris peragendis concionibus habitus inter insignes sui temporis Prædicatores. Laudata plurimùm in eo est prudentia, & singularis affabilitas tum erga nostros, tum erga sæculares, apud quos ad exitus optatos cuncta deducebat. Maximè est aversatus genus omne detractionum vel levissimarum, tanquam humanæ familiaritatis venenum, & pestem: suæ conscientiæ puritati exactissimè consuluit; Cùm obivit magistratus, nihil æquè curavit, atque incolumem observantiam: secreti tenacissimus, quicquid apud ejus aures depositum, silentio involvit non rumpendo. Ob præclaras virtutes, &

ex-

cæteras dotes magni æſtimatus eſt à Theodoſio Duce Brigantino, & à Joanne illius filio Luſitanæ libertatis invicto Aſſertore.

DIE XXI.

Joannes Roſado Scholaſticus.

EBoræ clauſit ornatiſſimam ſanctitate vitam anno 1584. Illi patria fuit Myrtilis Julia in Diœceſi Eborenſi propter Anam fluvium. Antequam indueret togam Societatis, habebatur adoleſcens juſtus, & ſanctus. Cùm morarentur causâ Miſſionis in ejus patria noſtri homines, ab illorum non diſcedebat hoſpitio. Excurrentes ad vicinos pagos causâ docendi ruſticos ipſe comitabatur. Contendens Eboram, ſtudiis ut operam daret, convictor fuit Collegii, quod vocabant Portioniſtarum, id erexerat Cardinalis Henricus poſt Academiam à ſe conditam, perſtititque ſolùm, dum ipſe vixit. Inter centum adoleſcentes nobiles, qui illic educabantur ſub magiſterio Societatis, micabat Joannis virtus, ut Sol inter ſtellas. Frequenter detergebat conſcientiam, & accipiebat Divinam Euchariſtiam. Virgineum pudorem conſervavit illibatum. Eboræ conjunctus Societati 8. Januar. 1579. Plurimùm crevit apud nos illius virtus. Unicè deſiderabat ſcire, quid eſſet agendum, ut ex præſcripto exequeretur; Cum jam ſex annos numeraret in Societate, ſciſcitabantur externi propter ſingularem modeſtiam: An adhuc eſſet Novitius? E noſtris multi actiones ſuas, eo viſo, componebant. In Gymnaſio, ac diſputationibus Joannis modeſtia cæteris quandam ſacram infundebat verecundiam; Quamvis erat ingenio præſtanti, ſeu argumentaretur, ſeu defenderet quæſtiones; utrumque peregit, tam modeſtus, & animo ſuperbo alienus, ut virtus ſe daret ſpectandam, & venerandam. Nullum verbum aſperius ex eo auditum, præterquam quod importuno arguenti clamitanti, reſponderet in forma ſyllogiſmi, dixerit: *Non probatur intentum.* Vel extra Societatem fugit ſemper ab aure præbenda confabulationibus otioſis; nec ejus æquales, eo præſente, ſunt auſi minùs honeſtè loqui. Honeſtatis amor tantus fuit, ut nec in morbo poſtremo, quamvis atroci, detexerit brachium. Raro videbatur extra cellam, niſi in choro templi cœleſtium commentationi indulgens. Verbis ſuis faciebat pondus, & ſtateram, ut commendat ſermo Divinus; Etenim prope ſe tanquam teſtes verborum, quæ pronuntiaret, Chriſtum conſiderabat, B. Virginem, ac Divos; Quamvis erat ipsâ naturâ ſubtriſtis, tamen in familiari converſatione jucundus, & amœnus fuit. Exiſtimationis, & honoris contemptor, ea ſolùm avidè complexus, quibus apud homines vileſceret. Reputabat ſe inſtar leproſi horridi; propterea tribuendum ſociorum charitati, quod cum ipſo

ipſo loqui, vel agere, & tractare vellent: Etiam exiſtimavit ſe abjectiſſimum mancipium; Idcirco habuit loco magni beneficii, quidquid in ipſius fiebat obſequium, vel commodum, dicens nihil deberi mancipio, quod ſui Dominus non eſt. Hinc eſt ortum, quod ſibi perſuaſiſſet, ſuum eſſe, omnibus ſervire; ſiquis ex alio in aliud migrabat cubiculum, offerebat ſe, ut ſupellectilem conveheret. Cupiebat, ut, quidquid deterius domi foret, ſibi contingeret; ſi dabant res novas, tunc ipſe videbatur ſibi à DEO deſertus. Erat illi curæ monere Socios, qui in orbem lavarent coquinæ ſupellectilem; omnium, qui non poterant, vel ſe labori furabantur, explebat vices; Siquis diceret, quod ſæpiùs id ageret, quàm mos eſſet, reſpondebat hilaris: Peſſimum eſt officium, quod ſuo Domino lucroſum non eſt. Ipſius, & Superiorum voluntas una fuit. Conſiderabat morficationem eſſe ſpecialem ſuam hæreditatem; propterea, ſi, datâ ſe frangendi occaſione, reluctabatur natura, excandeſcens adverſus ſeipſum ajebat: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Multum incitabatur ad ſui victoriam perpendendo, ob ſua peccata ſibi jam à DEO eſſe deſtinatum locum apud Inferos, æterna tamen ſupplicia ab infinita DEI miſericordia commutari cum temporaneis moleſtiis, adeóque non omittendam earum tolerantiam, quamquam ore vomiturus eſſet jecur, & pulmonem. In tanta corpo ris, & animi puritate adhibebat e quiſitas diligentias, ne ullâ turpitu dine imaginum pax interior turba retur; Proptereà illi fuit admirab lis cura in coërcendis oculis, & au ribus: adjiciebat in honorem B Virginis, Angeli cuſtodis, & aliorun Sanctorum ſpeciales precationes, u ſe corroborarent adverſus impura cogitationes. Hâc de causâ ip moleſtiſſimum, foras ad urbem pro dire, vel ne viderent oculi, vel n aures perciperent, quæ nolebat. A uſum ſuum, niſi valdè neceſſaria, no petebat. Quæcumque attinebant ad ſanctam paupertatem, tractavi peculiari ſcrupulo, dicens: Eſſe Regis Regum theſauros. Putavit ſe ſanctæ obedientiæ mancipium ſtigmate obſignatum, ſuaque opera eodem ignito ferro eſſe inuſta. Ajebat, ſe non differre à corpore mortuo: quoniam, ut tale, careret anima, ſe DEUM impensè rogare, animam ſibi tribueret, ut, quæ vellet obedientia, mandaret executioni. Quo vanitatem ab exercitio promptæ obedientiæ procul fugaret, ſubjiciebat: Nihil gloriolæ futurum mortuo corpori, ſi Angelus id ingreſſus, huc, atque illuc moveret; non corpus illud inanime vanis tumeſceret glorioſis ob celerem motum, qui ſuus non erat, nec ex ſeipſo, ſed ortus ex Angelo: non aliter, quæ fiebant à ſe nutu obedientiæ, non ab ſeipſo profecta eſſe, ſed ab ſanctæ obedientiæ viribus. Morbo po-

ostremo cuncta Joannis dicta, & fa-
a præ se ferebant sanctimoniam,
iam posteaquam est mente aliena-
is. Suadenti Socio, ut in obse-
uium obedientiæ duo juris cochlea-
a trajiceret, respondit: *Propter obe-
entiam, mi frater, glutiam duas ollas
enas.* Ubi nominabant illi obedien-
am, quidquid volebant, exequi so-
tus. Percontatus est eum Sacer-
os: Quam virtutem majori con-
ntione à DEO quotidiè petivisset?
espondit: *Obedientiam Superioribus, &
bjectionem Fratribus.* Prope mor-
em illi Sacerdos dixit: Cape sola-
um, hac enim die conspicies Deum:
Hac non, respondit, verùm sequen-
. Nocte diei 20. Junii mens illi
t restituta, servavit integram ad-
sque postremum anhelitum. Na-
ibat in facie admirabilis lætitia,
ac, & simul animi pace inexplicabili
misit spiritum. Tum nostri, tum
xterni per eos dies nihil usurpabant
rebriùs in sermonibus, quàm Joan-
is exempla; de illis enim apud om-
es, qui noverunt, non vulgaris erat
xistimatio.

Blasius Alvres Scholasticus.

ANno 1615. obivit Eboræ, ubi est natus. Parentes eum multis
irtutibus educaverunt. Cum pau-
eribus quotidie dividebat pran-
ium suum. Sæpe accipiens sibi de-
inatos cibos descendebat ad infe-
iorem domum, ac primum obvium
nendicum epulo reficiebat. Magi-
tros suos multùm coluit, nec permittebat adversus ipsos inobservantias. Triennio nactus præceptorem latinitatis Apollinarem Almeydam, de quo hujus mensis die nona. Fortè alterius Gymnasii Scholastico roganti facultatem ab Apollinare, ut exiret foras unus è Discipulis, ipse negaverat. Scholasticus discedens, in Magistri contemptum intra Gymnasium caput obtexit. Id Blasius indignè ferens, è sede sua exurgens accessit prope Scholasticum; quod esset parvulus, facto saltu, & extentâ manu post tergum inobsequiosi, detractum capiti pileum conjecit per januam in atrium, redivitque in locum suum tam imperturbatus, ut rem Magister non adverterit, nisi ex plausu Condiscipulorum. Petivit in Societatem adoptari; cum propter virium exilitatem, bis esset rejectus, non despondit animos, sed institit eodem fervore. Id Patres maturiùs considerantes judicarunt, admittendum, ut foret sanctus, si per vires non liceret studiis litterarum incumbere. Iniit Eboræ Societatem 25. Martii 1615. ætatis 16. Tribus mensibus apud nos vixit exemplo multo. Graviter decumbens exclamavit singulari lætitia: Oh me felicem, quod in Societate tot inter Angelos sim moriturus. Plurimùm cupiit exire de corpore, quo die cessit è vita noster Aloysius Gonzaga, quem imitari proposuerat; Quamvis Medicorum sententiâ seriùs periturum crederent, subscripsit illius voto DEUS. Horâ secunda post me-

meridiem eum Magister interrogavit: si quid ipse cuperet? respondit, cupere se audire Tyrones musicè canentes. Eorum cantu mirificè recreatus dixit ad Socios: Quid erit in gloria? quam canori erunt illius beatissimæ patriæ moduli musici! Protinus sive deficiente vitâ ex agitato fervore, seu præ nimio desiderio DEUM suum videndi cœpit agone laborare extremo. Statim sacro inunctus est oleo, & paulò pòst efflavit animam.

P. Joannes de Rochá.

IN urbe Hancheu apud Sinas fecit vivendi finem anno 1623. Natus in oppido *Prado* Diœcesis Lamecensis. Conimbricæ se conjunxit Societati anno 1583. ætatis 17. Desiderio augendi Christiani gregis ad Indiam migravit anno 1586. Goæ, & Macai scientiarum absolutis studiis, intravit Sinam, ibi vixit annis 25. deditus lucrandis animabus. Præter numerosam plebem conjunxit Christo plures ex illustrioribus Sinis, inter quos Paulum egregium Mandarinum, per id tempus illius Ecclesiæ firmum columen, quod esset apud suos Vir magnæ authoritatis. Subortâ dirâ tempestate adversus Evangelicos concionatores, & neophytos, ex nimiis laboribus, quos Joannes est perpessus ad conservandas oves Christi, ac defendendas ab incursibus luporum, mortis contraxit originem; Quantum eum amarent neophyti, testatæ sunt omnium lachrymæ, ac vestes lugubres, quibus se induerunt. Agiologium Lusitanum habet natum prope Bracharam, sed quam dixi patriam, affert Codex ingressuum Tyrocinii.

Michael Ribeyro Scholasticus.

COnimbricæ diem obivit anno 1716. Natus in oppido *Alcayn.* Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ addictus Societati 26. Octob. 1703. Adolescens fuit notæ virtutis. Temporibus orandi, ac examinandi conscientiam semper est inventus flexis genibus, ac manibus junctis ad cælum levatis. Quotidie visitabat Templi Altaria, alios ad idem faciendum invitans. Diebus singulis recitavit B. Virginis officium, & se verberavit flagello. Magnoperè curavit, neminem dicto, factove lædere. Fortè illi verbum excidit, ex quo, alius significavit, se dolorem capere: Id contra opinionem suam odorans, ter eum veniam rogavit, & mane diei, qua obyt, eandem veniam lachrymis obortis, & junctis manibus postulavit. Id nascebatur ex intimâ charitate, quâ dilexit omnes. Semel Religiosum juvenem sui statûs parùm memorem quà lachrymis, quà singultibus rogavit, ut tandem modum suis imprudentiis figeret; idque precatus est per Christi vulnera, & Passionis tormenta. Unus erat illi aversus, deque ipso loquebatur minùs religiosè, nunquam ex Michaële auditum est verbum adversus alterius importunam lin-

inguam. Singulari amore prosecu-
tus ægrotos, quibus lectos sterne-
bat, si hujus charitatis obliti sunt,
quibus illa ex imperio Superioris
erat curæ; Cùm aliquis illi signifi-
cavit se pati hanc, vel illam affectio-
nem valetudinis, tacens recedebat,
batque in Pharmocopolium, &
quæsitam medicinam competentem
adducebat Religioso, ut mederetur
uo morbo. Ex ardenti amore, quo
Societatem dilexit, natus est ingens
dolor, quo fatiscebat in ejus adver-
is rebus. Is tantus erat, ut expri-
meret lachrymas. Magna modestia
ornabat illius vultum; propterea
dicebant, in eo egregium parari
Novitiorum Magistrum. Semel Re-
tor observans, quod coram se ha-
eret oculos humi dejectos; cur,
nquit, non tollis oculos ad tuum
Rectorem? cui ille respondit affe-
endo modestiæ Regulam præcipien-
em, ne quis in alienos vultus figat
culos, præsertim si alloquatur vi-
os alicujus authoritatis. Ostende-
at animum maximè gratum erga
mnes, qui præstabant ipsi aliquod
fficij genus. Magisterium latinita-
s egit accuratissimè. Ubi finieba-
ır semihora repetitionis, protinùs
onscendebat suggestum. Obeun-
bus simile magisterium semper
ommendavit specialem diligentiam
n suo munere, tum propter bo-
um commune, tum propter hono-
em Societatis. Aliquis sacerdos,
ui nonnunquam excepit Michaëlis
onfessiones, affirmavit, se judica-
re ipsum læthali culpa Deum non offendisse. Alius, qui usus est illius singulari familiaritate, dixit, à se in eo nec visum factum, nec auditum verbum, quod levis culpæ damnari posset, advertisse quoque de nemine unquam locutum malè, & eum, qui vellet amicum habere, vel misturum sermones de incrementis Societatis, vel de illius Viris virtute illustribus, vel de rebus æternitatis. Prudenter conjectum est, revelatum ipsi mortis suæ tempus. Per duos menses ante obitum invitabat alium Religiosum, ut horâ constitutâ ad loquendum secum simul esset. Illius tunc erant sermones de morte, ejusq; circumstantiis. Dixit, id se facere, ut tempus lucro apponeret, quod jam esset admodùm breve. Tertiâ die, antequam moreretur, ejus cubiculum adiens idem Religiosus, invenit sedentem, sed jam laborantem vomitu. Ubi introeuntem vidit; *Vale*, inquit, *amice, jam me Deus vocat.* Cui alius: Tale dictum est hominis nescientis, quid dicat. Ad hæc Michaël: *Certè me vocat Deus.* Idem sæpè repetiit tribus diebus, & tribus noctibus ante postremam horam. Quo die mortuus est, eodem prædicto Religioso illi præbente prandium, sustulit ægrotus oculos, & manus in cælum his verbis: *Ah mi Domine, nunc cibos capio, & intra tempus breve tecum ero.* Poposcit Sacramenta, & coram se nullos, nisi de Deo, sermones fieri; Cùm jam non erat vocis usus, di-

digito monſtrabat cælum, tanquam illò unicè haberet mentem intentam. Morbi genus à Medicis ignoratum triduò vitam abſumpſit.

DIE XXII.

Franciſcus Paciecus Scholaſticus.

EBoræ felici obitu ad Superos migravit anno 1705. Natus in oppido *Souzel* Diœceſis Eborenſis. Ingreſſus Societatem Eboræ 24. Martij 1703. Patrem biennij tranſegit Ulyſſipone: Semper oſtendit ſingularem amorem ad res pias: Aviditate nimia ſtudendi de ſomno detraxit multum; Inde putatum eſt factum initium ejus morbo. Nactus ille in eodem cubiculo comitem Ludovicum Soarium, de quo 29. hujus menſis, æqualem ſibi virtute, & ſtudendi fame, alteri erat alter ad utrumque ſtimulus. Die Corporis Chriſti, cùm circumferebatur per ſacella domeſtica Euchariſtia, Franciſcus in Juniorum ſacello compellans Dominum, colloquium abſolvit his verbis: *Qui nos paſcis hic mortales, tuos ibi commenſales, cohæredes, & ſodales fac Sanctorum civium.* Quæ fuerunt inſtar vaticinij felicitatis, ad quam erat brevi tranſiturus. Aliquot Juniores implicuerant perniciosæ febres, magnâ ipſis Franciſcus ſerviit charitate: Eâdem febri correptus, apparuitque eſſe mortiferam; Protinus generali confeſſione animum expiavit ſenſibus tam intimis, ut vellet pectus, & cor dolore rumpi; cùm exiſtimaret ſe non debito penetrari dolore, repetebat actus contritionis dicens inter gemitus: *JESU! videtur, hæc mihi non proferri ex corde, ſed ex gutture*; Continuò iterum, atque iterum edebat easdem voces, tanquam unicè cuperet, ut inſtar ceræ cor molleſceret, vel ſolveretur in lachrymas. Poſt acceptum Viaticum, rogavit Tyronum Magiſtrum, ad ſe mitteret tres, quos nominavit, ut ſibi loquerentur de cœleſti gloria. Dicebat, ſermones de rebus aliis ſibi eſſe injucundiſſimos. Fortè nonnulli, qui aderant, verba fecerunt de rebus bellicis. Tunc infirmus anxio ſimilis; *JESU*, inquit, *quid ad me de bello, conſerant mihi ſermones de DEO, ac gloria.* Cæteris recedentibus manſit ſolus cum uno de Sociis, qui morem illi gerens miſcuit verba ſancta. Ingrediens cubiculum Miniſter, percontatus eſt, quid ipſe perageret? Cui ille: Mi Pater, ſum cum hoc fratre, qui loquitur res mihi ſuaviſſimas; has ego, non alias voces audire volo. Cum iterabat verba ſancta, id faciebat non voce feſtinâ, ſed lentâ, inſtar morantis, ac deguſtantis ſingulas ſyllabas. Sciſcitanti, an Deum amaret? reſpondit. Amo plurimùm, plurimùm. Ajebat, intus ſentire flammata deſideria Divinam videndi faciem, B. Virginem Matrem, SS. Ignatium & Xaverium. Affirmavit columbinâ ſinceritate, mortem ſibi non eſſe timori, quòd in gratia DEI animam ſuam eſſe non dubitaret. Adjecit: quanquam patior cor-

corporis molestissimas angustias, tamen cor meum mirum in modum est pacatum, ac lætum. Pænè non dimittebat è manibus Crucifixum, cujus pedes crebrò osculabatur, Dominum piissimis alloquens verbis; sæpè contra dæmonem iratus, ajebat: Facesse hinc mala bestia, & canis importunus, non est, quid hic moliaris; nam DEUS infinitam habet misericordiam. Hujusmodi Divinæ misericordiæ infinitatem pronunciabat singulari modo, ex quo intelligebatur ipsum velle, sed nequire, quid de illius magnitudine sentiret, explicare. Videns unus Sacerdos crebritatem abigendi verbis dæmonem; Cur, dixit, adversus hanc belluam tantum clamas, nunquid illa hic præsens est? Pater, respondit ægrotus, ego eam non intueor, sed citra dubium, hic erit; verùm nihil timeo istiusmodi canem, cum pro me stet infinita DEI misericordia. Petivit inungi; dum Sacerdos adhibuit sacrum oleum, quietus ad singula respondebat. Posteaquam vis febrilis abstulit mentis usum, sedebat nonnunquam in lecto, & factus concionator voce metuendâ disserebat de vitæ brevitate, de lucrando tempore, ac de rebus aliis, adjungens jubere DEUM, ut hæc circumstantibus prædicaret: Tot pietatis significationibus ejus abundavit morbus, & mors, ut mihi hactenus quid simile in hoc genere non sit visum. DEUS ipse præbebat se quodammodo palpandum in Francisco.

P. Doctor Gaspar Fernandes.

PAce Julia Diœcesis Eborensis, ubi fuerat natus, vitam explevit anno 1640. Societati conjunctus Eboræ ultimâ Januar. 1602. Annis volventibus S. Scripturam exposuit in Eborensi Academia, ubi est insignitus Doctoris gradu. A concionibus fuit, & magnoperè acceptus Brigantinis Ducibus. Egregias ad sacrum suggestum dotes exercuit in obeundis Missionibus, minimi habendo populares plausus, qui fugientem sequebantur instar umbræ. Iverat Pacem Juliam concionatum, cum gravi est oppressus morbo. Illius obitum doluit serenissimus Joannes Brigantinus, qui Decembri ejusdem anni auso, felici restitutus est avorum throno, quo Domum Brigantinam spoliaverat non jus, sed potentia: Quo die accepit Villævissosæ nuntios se Ulyssipone proclamatum Regem, inter gratulationes dixit Præposito Domûs nostræ: Ubi est Gaspar Fernandius? quomodo non resurgit? significans, quanto compleretur gaudio, si hanc Lusitaniæ videret felicitatem, ob singularem erga Brigantinos Principes observantiam.

P. Eduardus de Sande.

MAcai apud Sinas attigit vivendi metas anno 1600. Natus Vimarani Diœcesis Bracharensis. Societati conjunctus Ulyssipone in Domo Professa Junio 1562. valuit ingenio singulari: Conimbricæ docuit

Rhetoricam; Verùm altioribus permotus ſtudiis nempè ſalvandi animas, ad Indiam profectus anno 1578. Poſtquam rexit Collegium Baſſaimi, Alexander Valignanus eum miſit ad gubernandum Macaenſe Collegium in Sina; Indè cupidus vires conſumere Sinas convertendo, illorum adivit interiores regiones, & operam impendit ſtrenuam ethnicis cœleſti doctrinâ illuſtrandis. Culturæ reſpondit copioſus proventus. Annis gravantibus, & ſenio, quod jam non eſſet urgendo operi, ſe recepit in Macaenſe Collegium, ubi virtutum exercitiis ſe diligenter ad mortem comparavit, quam expertus eſt innocenti vitâ digniſſimam.

Petrus de Sylva Coadjutor.

CONimbricæ piè mortuus anno 1699. Natus in oppido *Sobreyro* Diœceſis Mirandenſis. Multùm utilis fuit Collegio Brigantino, illius prædia curæ habuit, juvabatque in eorum cultura operas; nec enim propter DEum dedignatus eſt obire quæque vilia miniſteria, quamvis eſſet natus honeſto loco. Siquis laborantem conſpiciens, improbabat, ſolitus reſpondere, id ſe peragere causâ levandi animi. His ſtudiis ſuum fatigandi labore corpus conjunxit animum orationi, caſtigationibus voluntariis, & ſpiritualibus exercitiis deditum; Cùm extinctus eſt, obibat janitorem oſtii, ad quod tribuuntur eleemoſynæ pauperibus, quos ipſe fovit ſingulari charitate.

DIE XXIII.

Joannes Gonſalves Coadjutor

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi naturæ conceſſit anno 1574. Natus in oppido *Barcellos* Diœceſis Bracharenſis. Societatem eadem in domo amplexus 7. Septemb. 1570. ætatis 25. Nec legere ſciebat, nec formare characteres: Amabili ſinceritate erat præditus: ſupervenit illi morbus, ex quo contraxit tantum torporem, ut moveri non poſſet niſi duobus annixus baculis: Huic malo accrevit phthiſis, quæ lecto eum affixit: Cum ipſo erat valetudinarii cuſtos, cum vocatus à Miniſtro Domus, reſpondit: *Relinqui ſolum non poſſe infirmum:* ad hæc ille; *Perge*, inquit, *exſpectabo reditum tuum*, *quin moriar*; dum abit, petivit infirmus ab uno Socio ibi relicto thoracem lineum, & laneum, ſibiq; induens in lecto ſedit incumbens cervicali. Revertens Socius ex infirmo quæſivit, cur ſe veſtiret? ut ſim, inquit, magis compoſitus ad hinc proficiſcendum, & meum videndum DEUM; ſubinde eſt ſciſcitatus, an Pater Miniſter feciſſet jam Sacrum? cum feciſſe, reſponſum eſſet; rogavit, illum ad ſe continuò vocarent, perducerentque candelam accenſam, & Crucifixum. Peractum eſt, ut popoſcit: Acceperat manu Crucifixum, & candelam, cum intranti Miniſtro dicit infirmus: *Mi Pater, tempus eſt eundi ad noſtrum Dominum.* Exiſtimans Pater, rem ſeriò non agi, reſpondit: Eja, proficiſcamur. Tunc ille

le ter pronuntians JESUM, & MA-IAM, dixit tertiam post repetitio-em: Jam nihil video; Erat ad huc culis apertis: Elevans dexteram, c se muniens Cruce, ait: Per signum rucis, de inimicis nostris libera nos EUS noster. Secundum id po-remum verbum acclinavit manum nistro humero, & animam exhala-it, nullo edito profectionis indicio ræter amissam vocem, & respiratio-em. Maxima circumstantes tenuit dmiratio, & verè meruit omnem am suavis obitus.

Dominicus Rebello Conjutor.

FAri in Algarbiis anno 1601. oc-cubuit gloriosè. Natus in Op-ido *Lusado* Diœcesis Lamecensis. onimbricæ Societati adjunctus 4. Octob. 1584. ætatis 24. In ea urbe urente pestilentiâ, comitabatur Pa-res, qui succurrebant contagione nfectis, cum quibus exercuit Domi-icus mirabilem charitatem, hanc EUS est remuneratus morte felici, um expirat afflatus contractâ pesti-entiâ, quam à cæteris procuravit epellere.

DIE XXIV.

Petrus Dias Scholasticus.

IN navigatione ad Indiam anno 1616. desiit vivere. Natus in Oppidulo *Pedrogam* Diœcesis Eboren-is. Primus fuit, qui ex illo pago tuduit litteris in Eborensi Acade-nia, ac Societati nomen dedit 10. Maji 1612. ætatis 17. Mirificè de-ditus est obsequiis B. Virginis; Cùm de illius prærogativis sermones mi-scuit, tantus in eo micuit ardor, ut pænè ignesceret. Post biennium conservavit eandem morum sancti-moniam, quam Tyro excoluerat. Audiens Juniores nonnullos singulis mensibus die unâ vacare Exercitiis S. Patris Ignatii, ut renovarent de studio perfectionis proposita, eos est imitatus. Horâ ad confabulandum destinatâ, illius erant sermones uni-cè de rebus sanctis, quibus sic ejus animus solebat penetrari, ut sponte suâ ex oculis manarent lachrymæ. Orabat multum coram SS. Sacra-mento, cum prodibat ad Suburba-nam villam causâ explicandi ani-mum, secedens cum aliis Junioribus, terebat tempus agendo de rebus, quæ ad virtutes incitarent. Cuncti eum intuebantur, ut juvenem incul-patis moribus; nec enim in eo ver-bum, aut factum conspectum, quod levis noxæ argui posset. Missiones Ultramarinas ambivit conatu maxi-mo. Quod talibus, ac tam sanctis moribus adjungeret præclarissimum ad scientias ingenium, non exiguas vicit difficultates. Volens ad iter se comparare confessione totius an-teactæ vitæ, reperit conscientiam adeò mundam & puram, ut talem curam tanquam inutilem deposue-rit. In navi vel DEO vacabat, vel exponendæ Catechesi, vel occupa-batur parando reliquis cibos. Affe-ctus morbo non dimittebat è mani-bus Crucifixum, cui præter alia hu-

jusmodi verba frequenter dicebat: *Quam serò te dilexi, Domine.* Porrò tantam experiebatur conscientiæ tranquillitatem, ut sibi videretur esse jam inter Angelorum choros. Commendarunt illi, quod, si nocte novis foret turbatus angustiis, excitaret Socios, ut afferrent afflicto levamentum. Nihil id curavit: Manè repertus est mortuus. Magnum fuit apud omnes, qui noverunt, de illius virtutibus nomen, & opinio minimè vulgaris.

DIE XXV.

Alvarus Vieira Scholasticus.

EBoræ, in qua natus erat, fato cessit anno 1569. Ibidem conjunxerat se Societati 1. Novemb. 1566. Octo tantum menses vixit post biennium. Virtuti studuit impensè; propterea fulgebant in ipso innocentissimi mores, quos magis patefecit morbus postremus. Sacramenta suscepit admirabili pietate. Paulò pòst privatus est rationis usu; Quanqnam ad cætera deliraret, ubi mentio de rebus sanctis fiebat, tam certè loqui solitus, ut suæ mentis videretur compos; Sæpè contritionis actus peragebat verbis aptissimè locatis. Illius erant assiduæ curæ, rogare, ut sibi darent sacram Synaxim, quâ se reficeret. Identidem sciscitabatur, an obiret in Societate? audito responso, quod obiret; quàm plurimas, quàm maximas DEO agebat gratias ob tantum in se collatum beneficium, & vultu explicabat in solitum gaudium & lætitiam; han semel ostendit longè majorem, quo Rector illi benedictionem impert verit, dicendo, & esse Societatis f lium, & ut talem in ea mori. Ul significabant hoc, vel illud ab Supe rioribus imperari, sine morâ fact reverenti capitis inclinatione exe quebatur imperia. Illustratus e aliquot lucidis intervallis; tunc So ciis complexu postremo valedixit accepit, quæ dabant portanda man data sanctis uniuscujusque tute laribus. Alloquens piissimis verbi Crucifixum, manè horâ quartâ mor talitatem exuit.

DIE XXVI.

P. Gaspar Rodericius.

ANno 1580. gloriosâ morte vitam clausit Eboræ. Natus in Oppido *Messejana* Diœcesis Eborensis. Tyrocinium auspicatus Eboræ 25. Martii 1561. ætatis 28. jam Sacris initiatus. Flagrante pestilentiâ, vitam suam dicavit infectorum servitio; Cùm multi de nostris se huic addixissent pio ministerio, Gaspar destinatus est ad opem ferendam nostris, quos percussisset malum. Idcircò migravit ad Collegii villam Loredum dictam, quo portabantur nostri peste contacti ex curationibus civium, quibus erant opitulati. In prædicto secessu, dum consulit pestilentiâ decumbentibus, hæsit ipsi lues; quæ se prodidit duplici mortifero

ro tumore, nec concessit vitæ amiùs triduo. Vicinus morti gemet dicens: Me miserum! qui DEO m parùm servivi. Rogavit Tynem sibi assistentem, ut, quando nveniret Tyrones, deprecaretur o nomine ab ipsis veniam delictoim, quibus offendisset singulos, & co sui figeret oscula solo, cui peim vestigia imprimerent. Temis consumebat orando, ac fundeno vocales precationes, & actus doris de commissis. In eadem villa t consepultus. Annis decurrentiis ejus ossa, & aliorum ad templum ollegii translata sunt.

Joannes Fernandes Coadjutor.

Firandi apud Japones anno 1567. contigit suavis transitus Joannis omitis in expeditione Japonica S. rancisci Xaverii, & hæredis ejus iritûs, quo Japones illustravit. Nais Cordubæ, quæ inter magnos à se enitos heroes potest jure merito ostrum Joannem numerare. Meraturæ causâ vivebat Ulyssipone diitiis abundans, ac deditus ætati floenti. Ejus amicus ipsum invitavit d audiendum cantantium optimam nusicam in Domo nostrâ Divi Anonii Abbatis. Illectus, ut putabat, oncentu, amicum sequutus; ibi uditâ exhortatione à nostro Franisco Strada habitâ, præsens fuit poulo post exhortationem se flagelanti: & flagrorum strepitus, ac geitus singultientium fuerunt conentus, cujus spe delusus eò se contulerat: Tum concionatoris ignita verba, tum actus ipse piissimus ferientium corpus suum, sic pupugit Joannis animum, ut secum decreverit mundi vanitatem pedibus supponere; Igitur obsecrat à Simone Rodericio, ut se in Societatem adoptet. Probaturus Simon, quisnam esset ejus spiritus Libenter, inquit, te conjungam Societati, si ad contemnendam superbiam mundanam jumentum sine ullis phaleris, ephippio, aut clitellis conscendens incesseris per plateam novam, ubi habitas, cum populo inundaverit. Paruit durissimo experimento; utque majori esset ludibrio, pretiosiores induit vestes, ac sedit super jumentum scapulis ad caput versis. Vilis plebeculæ plausum existimet Lector. Cunctis persuasum est amisisse integram mentem. Magna commiseratio tenuit ejus amicos. Eo modo progressus per mediam urbem ad nostram usque Domum innumerâ plebe, & pueris festivo sibilo ridiculam novitatem insequentibus. Obviis ulnis Joannem, egregium sui victorem, Simon excepit, corde præsagiente tam heroica primordia aliquid excelsum promittere. Societati adscriptus 19. Maji 1547. Missus ad Indiam anno sequenti: Eò pervenit, quo tempore S. Franciscus Xaverius adornabat iter in Japoniam. Comites sumpsit Cosmam Turrianum Sacerdotem, & Joannem Fernandium. Illò profectus anno 1549. 15. Augusti tenuit portum Cangoximæ,

ximæ, ubi jacta sunt fundamenta Japonensis Ecclesiæ, quâ deinceps nulla fuit in regionibus Ultramarinis aut gloriosior, aut numerosior. Joannes primus fuit, qui didicit Japonicum idioma. Anno 1551. cum S. Xaverio, adivit Meacum, totius Japoniæ urbem principem. Inde nullo operæ pretio præter laborum merita reversi Amangucium. Facultate obtentâ ad Evangelium promulgandum, nemo fidem amplexabatur, donec per Joannem DEUS cœpit mollire corda. In os & faciem concionantis in foro Japon inverecundus excreans sputum pingue conjecit. Nihil est turbatus Joannes, sed explicato sudario faciem mundans prosequitur. Ut sunt Japones impatientissimi in dedecore tolerando, & maximi æstimatores eorum, qui generosis animis silentes, & imperturbati injurias non curant; Ea Joannis pax animi rapuit in admirationem prudentiores. Aderat unus, qui multùm insectabatur S. Xaverium. Is secum tacitus perpendens Joannis inexpugnabilem modestiam, persuasum sibi habuit, falsam esse non posse doctrinam legis, quæ suos doceat tam inconcussos servare rebus in adversis animos. Ex hujus conversione factum initium ad plurimos fidei conjungendos. Illic reliquit S. Xaxerius Cosmam Turrianum, & Joannem, ut urgerent Evangelicam operam. Incredibilia sunt perpessi à Bonzis, qui sunt Japonum Religiosi. Sparserunt in vulgus, Dæmonem per idolum dixisse, eos esse Discipulos suos, nisi pellerent extra suos fines brevi cuncta igni, ferroque vastanda. Addebant, se vidisse fulmen de Cœlo præceps in caput Regis quod concessisset tam mortiferam promulgari legem. Evenit per eos dies rebellasse Japonem Dynastam in suum Regem, illumque exutum throno. Id Bonzi dictitarunt fuisse quod ipsi præsagierant casurum fulmen, cujus erant conscii, quod participes forent rebellionis. Mirum planè fuit, DEI servos evasisse incolumes. Successit Rex Christianis, & eorum Magistris benevolus; Inde migravit Joannes cum Balthasare Gago, qui de novo appulerat in eas terras, ad Regnum Bungense. Turbatis rebus, vix effugerunt mortem. Incendio domus pænè trecentæ conflagrarunt, superstite solùm domunculâ, quam habitabant. Quas ibi à Bonzis sustinuerint injurias, nequit paucis dici: Crebrò eos lapidabant, vulgantes, heluones esse humanæ carnis: ut fidem dictis astruerent; pannos sanguine tinctos noctu ante domunculæ fores conjiciebant: Quicquid contigit infaustum, id ambobus vertebant vitio. Diversis regionibus Joannes operam navavit sanè strenuam. Disputationibus Bonzos convicit. Plurimos DEO adjunxit, sermonem illius miraculis Domino confirmante. Composuit Artem, ac Dictionarium Linguæ Japonicæ magno utique emolumento nostrorum. Postquam magnis labori-

ribus posuit illius Ecclesiæ primor-
i, eamque indies crescentem aspe-
t, febri decubuit. Intelligens vi-
m extingui, postremis subsidiis ac-
ratè munitus efflavit plenissimam
elestibus donis animam. Profu-
erunt copiosas in ejus obitu lachry-
as neophyti, quod amiserint unum
primis suæ gentis Apostolis. Vir
it dignissimus, cui Xaverius reli-
uerit, ut Elias Eliseo, spiritum suum
uplicem, sive duplicatum.

Joannes Campello.

Conimbricæ vitam explevit, Anglus natione; licèt abundaret
domesticâ, patriam deseruit, ne
dem perderet inter Angliæ calami-
sa tempora: dum se proripit in
usitaniam benè nummatus ad alien-
m vitam, & naulum solvendum:
navi ablatæ sunt illi omnes pecu-
æ. Intempestivo damno valdè
ontristatus somno indulsit, illo ex-
tus reperit pecuniam sufficientem
pa[?]ndo victui, & præbendo nau-
, quam sibi divinitùs datam non
ubitavit. Appulsus Ulyssiponi, ni-
l habuit antiquius, quàm Societa-
m ambire: in eam adoptatus,
tum se Deo mancipavit. Ut te-
aretur, se JESU, & ejus Societatis
se mancipium, id suo sanguine scri-
it in scheda, quam secum gerebat.
imul portabat femori indutam
ompedem ex lanea materia, in te-
imonium suæ servitutis. Singula-
ter studuit virtutibus, quibus ex-
rnatus cessit è vivis.

DIE XXVII.

P. Melchior Franciscus.

ANno 1608. vitam explevit. Emiserat Professionem trium votorum solemnium: diligenter incubuit animæ profectui: Virginem Matrem singularibus veneratus obsequiis. Domesticum ejus Sacellum, & jam posteaquam est initiatus Sacris, habuit sibi curæ, illius agens æditiuum: Sodalitati B. Virginis in templo nostro multis annis præfuit: E charitate, quâ laboranti perniciosâ febre adstitit Sodali B. Virginis, ejus postremus erupit morbus; nam eadem hæsit illi febris, quæ nullis fracta medicamentis, vitam absumpsit.

DIE XXVIII.

P. Laurentius de Freytas.

ANno 1580. Eboræ sublatus obitu glorioso. Natus Ulyssipone, Eboræ dedit nomen Societati 16. Augusti 1557. Bis docuit Philosophiam Conimbricæ: Eboræ tradebat Morales Quæstiones, cùm suborta est pestilentia; Protinus obtulit se ad ferendam miseris opem, & universæ vitæ confessione purgavit animam, ut subiret periculum: Deindè curas omnes adjecit piissimo ministerio, ex quo pestilentem contraxit tabem, erumpentibus in corpore non minùs sex perniciosis carbunculis exitij præsagiis: videns impen-

dere horam poſtremam, recitavit tertiam partem Virginei Roſarij, & complectens Crucifixum pronunciabat verba dulciſſima. Dicentibus, ſe ipſum conſolaretur, quòd animam poneret in miniſterio tam ſancto, reſpondit: Nihil eſt mihi majori ſolatio, quàm cuncta peregiſſe ex obedientia. Elevans in cælum oculos, *Paratum*, inquit, *cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & pſallam tibi gloria mea.* Maximâ animi demiſſione rogavit Socium ſibi aſſidentem, veniam peteret nomine ſuo à noſtris de offenſionibus, quibus eos læſiſſet. Pronuncians dulce JESU nomen exhalavit animam. Poſtulaverat, ut ſepelirent corpus ſuum ante fores templi noſtri in parte externa, ut oſſa ſua ſuorum fratrum proxima forent oſſibus. Quod ibi non poſſet fieri ſepultura, humatus eſt in templo Noſocomii. Anno devoluto poſt ejus obitum, liberâ jam urbe, illius diſcipuli juſta in templo noſtro Magiſtro ſuo perſolverunt, celebratis exequiis, & ſacro cantu ſolemni.

Ludovicus Craveiro Novitius Scholaſticus.

Conimbricæ anno 1616. raptus eſt morte immaturâ. Natus in Oppido *Figueirò* Diœceſis Conimbricenſis. Societati conjunctus Conimbricæ 17. Novemb. anno 1615. Magiſtrum in Tyrocinio eſt nactus venerabilem Patrem Didacum Monterium, qui reputavit Ludovicum adoleſcentem Angelicum. Ejus modeſtia, & externa compoſitio, ut fatebantur Tyrones, cæteros ad ſtudia virtutis incendebat. Dixit illius Magiſter, cui Ludovicus totum co[illegible] nudabat, nullâ inter orationem cogitatione vagâ ipſius diſtrahi mentem; nec in ſe experiri minimum libidinis ſtimulum. Dominicam Paſſionem, ac B. Virginem mirificè coluit, & in his conſiderandis tenerrimè afficiebatur. Exiſtimatum eſt mortis, diem illi à DEO patefactum; item Virginem Matrem vicinum morti ſuâ præſentiâ dignatam; nam rogavit Socium, ſibi tantillum levaret è cervicali caput manu ſuppoſitâ, ut liberiùs intueretur illam formoſiſſimam Dominam, quæ præſens erat. Levato capite, ſubſtitit parumper inſtar contemplantis; protinus dixit: *Jam diſceſſit.* Iterum caput acclinans, paulò pòſt edidit ſupremum anhelitum.

Martinus Jorge Coadjutor.

Conimbricæ anno 1711. de[illegible] vivere. Natus in Oppido à Sancto Romano Diœceſis Conimbricenſis. Societatem ingreſſus 25. Julii 1673. Majorem apud nos annorum partem tranſegit in prædiis Collegii, quibus multæ fuit utilitati, & non minori exemplo famulis ea colentibus. Nihil dabat ſine Superiorum facultate; ſcrupuloſè enim tractavit paupertatis bona. Quod alloqui fœminas ratione muneris ſui nonnunquam eſſet neceſſum, id brevi ſolitus tranſigere, & circumſpectè: Propterea nemo

emo unquam eſt auſus de eo ſini-
rum murmur inſerere. Famulis
ercharus, & cæteris agrorum ope-
s, quod omnium captaret animos
im modeſtiâ, tum affabilitate; &,
uod eſt præcipuum, virtute. Ses-
uianno poſtremo vixit in Collegio:
t compertum eſt, quam ex animo
ſſet virtutem amplexus: nec enim
ot anni extra domeſticum ordinem
n prædiis conſumpti deſidem fece-
ant in religioſa diſciplina. Anim-
dvertebat in corpus ſuum longâ fla-
ellatione diebus ſingulis; nam per-
ſtebat ſe verberando, dum noctur-
us viſitator adibat tanti Collegii cu-
icula poſt Religioſos in lectum rece-
tos. Denique Martinus talis fuit
n ſuo gradu, ut plurimos Coadjuto-
es ſimiles optet Societas.

DIE XXIX.

P. Doctor Alphonſus Mendes Æthio-piæ Patriarcha.

GOæ apud Orientis Indos anno 1656. vitâ defunctus. Natus eſt in Oppido à Sancto Alexio Diœ-ceſis Eborenſis. Conimbricæ edu-catus in domo patrui Canonici illius templi maximi; Ibidem adjunxit ſe noſtræ Societati 2. Februar. 1593. Egregiè calluit facultates, quibus ex Inſtituto noſtro incumbimus. Co-nimbricæ docuit Rhetoricam, & quinquennio expoſuit Divinam Scri-pturam: Id magiſterium continua-vit Eboræ, ubi laureatus Doctoris gradu 6. Maji 1618. Tranſiens Ebo-râ Rex Philippus ejus nominis III. plauſu debito ab Academia exceptus: dixit pro roſtris in Regis laudem, & coram Rege Alphonſus. Quod or-thodoxam fidem eſſet complexus Seltamus Æthiopiæ Rex, in ejus na-tionis Patriarcham aſſumptus Al-phonſus, quod omnibus virtutis, & ſcientiæ dotibus inſtar aſtri maximi clareſceret. Solemni conſecratus cæremoniâ unà cum Didaco Secco ejus futuro ſucceſſore in templo Do-mûs Profeſſæ Ulyſſiponenſis. Anno 1623. 25. Martii conſcenſâ nave à S. Xaverio dicta ſolvit è portu. Exa-ctâ in Moſſambico hyeme pervenit Goam 28. Maji 1624. E Goa Dium petiit, indè Aprili ſequentis anni ad Æthiopiam contendit. Intrans Ru-bri maris fauces, juſſit ſuis muſicis, ut modularentur Moyſis Canticum, cujus eſt initium: *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt.* Appli-cuit Regno Dancalyo, cujus Regem Seltamus præmonuerat, ut novis hoſpitibus liberum daret tranſitum per ſuum regnum ad Æthiopiam. Magnis incommodis per vaſtas ſoli-tudines iter confectum. Intranti noctu Æthiopiam viſa in Cœlo eſt ſtella inuſitatæ magnitudinis, quæ, dum recitari poteſt Oratio Domini-ca, & Angelica ſalutatio horizonti-bus illuſtratis evanuit. In ea vene-rans Patriarcha B. Virginem, præce-pit ſymphoniacis, hymnum: *Ave ma-ris Stella:* concinerent. Eodem tem-poris momento, ut poſteà comper-

tum fuit, auditus eſt Fremonæ, ubi ſedes erat præcipua Fidei Catholicæ in Æthiopia, fragor inſolitus tanquam bellici majoris tormenti, & fulſit lux ingens. Novitate oppidani valdè attoniti exierunt ad januas domorum inſpecturi, ſi quid novitatis contigiſſet. Junii 21. ventum eſt Fremonam magno comitatu, incedente jam Patriarcha habitu dignitatis; nam eatenus diſſimulato veſtitu iter peregerat. Die feſto SS. Petri & Pauli cæremoniâ Patriarchali, & multâ pompâ primum fecit Sacrum in Æthiopia. Rege de adventu facto certiore, ad finem Novembris ad urbem Regiam, ſive in tentoria (habitant enim Æthiopes in tentoriis) profectus eſt. Mediâ leucâ, antequam ad urbem accederet, eum expectabant 1500. ferè peditum & equitum, nitidiſſimè erant omnes ornati. Inter eos aderat Faciladius Regis filius natu maximus. Hîc Patriarcha equum album egregiè phaleratum conſcendens, ſonante populi plauſu, & ſecunda admurmuratione proceſſit ad templum maximum. Erat in Sacello primario Rex Seltamus Seguedius, qui adventantem Patriarcham ſurgens excepit amplexu, & multis animi benevoli ſignificationibus. Poſteà confidens Patriarcha habuit concionem in ea verba: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Tractavit de conjunctione cum Romana Eccleſia. Anno 1626. 11. Februar. Rex ipſe, & Regni Magnates jurejurando ſolemni ſe obſtrinxerunt non adhæſuros alteri fidei, præter eam, quam tenebat Eccleſia Romana. Hæc omnia tranſigebantur maximâ pompâ, & apparatu tantæ rei indice; deindè voce præconis, intentato mortis ſupplicio, denuntiatum eſt publicè, nequis in poſterum ſectaretur fidem niſi Romanam. Quantum, Zephyris faventibus, indè creverit apud eas gentes Eccleſia Catholica, conjiciet lector ex tam generoſis initiis. Ut erat Alphonſus ſcientiis ornatiſſimus, libros ſcripſit eruditione, ac doctrinâ æquè refertos, atque ſplendidos, qui vulgati peperêre Patriarchæ egregiam famam & nomen. Incrementa fidei Romanæ ad annum 1628. fuerunt incredibilia. Ex illo anno cœpit cacodæmon tales machinas admovere quatiendo, ac diruendo ſurgenti ædificio, ut ſequuta ſit inclinatio, ac tandem ruina. Rerum turbinibus Seltamus conterritus, ne deſereretur à ſuis, illis permiſit avitos ritus, & hæreſes Alexandrini Patriarchæ, cui obtemperabant eæ gentes. Seltamus tamen fidem retinuit. Anno 1632. Menſe Septembri Seltamo defuncto ſucceſſit Faciladius vir improbiſſimus, qui initia ſui Regni contaminavit cæde 25. Fratrum ab eodem Seltamo genitorum: deſertâ fide Romanâ, illam funditùs evertere eſt aggreſſus: Patriarcham exuit reditibus ad ſuſtinendam dignitatis perſonam, & trahendam ſuam, ac ſuorum vitam neceſſariis. Infinitas Evan-

vangelicis præconibus creavit molestias & incommoda. Post laborum seriem immensam, jubente, & urgente Faciladio, Patriarcha traditus est Turcis occupantibus Æthiopiæ portus maritimos. Inter octoginta Turcas Sclopetarios deductus it Arquicum ad mare: Id ingressus oppidum 20. Maji 1634. nono anno postquam intraverat Æthiopiam. Onustus catenis, & compedibus vitam duxit laboriosissimam, & ærumnis omnibus oppressam. In ea durissima servitute sæpè perpessus extrema vitæ pericula. De hujusmodi laboribus hæc habet verba in Epistola: „ Suaquemi substitimus uno „ anno inter continuatos timores, „ jam, quod nos mitterent Cairum, „ jam Constantinopolim, jam in maris profundum saxo ad collum „ alligato, jam, quod nos occiderent gladio; verùm nos DEUS „ his periculis eripuit passos vincula. Nam ego, ac duo Socii conjecti sumus in carcerem, pedibus „ cippo inclusis, & gutture ferreis „ collaribus, invicem nexi gravi catenâ, quâ ibamus foras, cum id „ permittebatur. Hujus tripudii „ catenarum duce Patriarcha, medius erat Pater Franciscus Marquius, ultimus Pater Didacus Matius. Non deficiebant vestes diversi coloris, in quibus eminebat „ catenarum ferrugo, quæ, posteaquam fuimus vinculis soluti, nullis potuit detergi lavacris. Pro „ carceris hospitio solvimus aureorum Philippeorum, sive patacarum quatuor millia. Hæc de se, ac Sociis in eis litteris. Calores tam immodici fuerunt, ut pellem mutaverint, sintque facti vivum ulcus. Prædictâ summâ pro redemptione numeratâ, 24. Augusti 1635. Dium cum Sociis profectus, exacto in itinere uno mense, tenuit portum Diensem. Factâ opportunitate transiit Goam, ubi reliquam duxit vitam, litteris suis, quantum potuit, Æthiopiæ fovens Ecclesiam. Illius virtutes similes fuerunt virtutibus antiquorum Præsulum Ecclesiæ. Numquam bibit vinum, nec omisit jejunia. Inter nos vixit, ut quilibet Religiosus privatus. Adibat triclinium, inserviebat mensæ, capiebat humi cibos, ut quibusdam solemus diebus, accumbentium mensæ osculabatur pedes. Coadjutori, cui erat curæ, obedivit, tanquam Superiori suo. Videbatur totus ex charitate factus. Erga pauperes habitus est non liberalis, sed prodigus. Diebus vetitis, etiam cùm ægrotabat, non gustavit carnes, nisi jubente confessario. Vestitus ipse & attritus, & ex panno non multi pretii ostendebat intuentibus amorem Religiosæ paupertatis, cujus nec in tanta dignitate est oblitus. In verbis, ac factis nullus ipso modestior, ac mitior. Nunquam ad injurias sibi illatas attendit. Alio nomine, nisi Matris suæ, Societatem non vocavit; eam enim impensissimè amavit, multumque est passus in ea defendenda.

denda. Suadentibus nonnullis, ut in hac materia ſibi modum poneret, reſpondit: *Dum pro noſtrâ Matre Societate non fundimus venarum ſanguinem, nihil facimus, nec quantum ipſa meretur.* Ut ſibi viveret accuratiùs, ſeceſſit in Inſulam Choramum prope Goam, ubi eſt Tyronum Domus. Præſcivit tempus mortis impendentis; Cùm ægrotaret, ut commodiùs ejus conſuleretur valetudini, deductus eſt in Collegium. Suſceptis innatæ pietatis fervore Eccleſiæ poſtremis ſubſidiis, ad immortalitatem evolavit. Ejus vultus poſt mortem tulit præ ſe lætitiam intuentibus gratam. Quòd petiviſſet mandari terræ in templo Domûs Profeſſæ, ibi eſt humatus. Exequiæ celebratæ apparatu, quantus decebat tantam virtutem, & dignitatem, & tantam urbem, quanta Goa eſt.

P. *Antonius Leytam.*

ANno 1631. vitam explevit Angræ in Inſula Tertia. Natus Amoreiræ prope *Obidos* Diœceſis Ulyſſiponenſis. Conimbricæ adſcriptus Societati 28. Auguſti 1582. Tyronum Magiſtro Vaſco Pirio, qui valetudinis causâ adiens aquas ſalubres balnearum, novit ibi Antonium, cujus mores Vaſco multùm placuerunt, quòd eſſent inculpati: Annis currentibus, docuit Conimbricæ linguam Græcam, & Ulyſſipone Mathematicas diſciplinas. Exercens hujuſcemodi magiſterium graviſſimo decubuit morbo, ex quo ægrè convaluit magno ſui bono nam ſecum è periculo ſuo metitu humanæ vitæ fragilitatem, cura omnes impendit ſtudio virtutum Abſolutis ſcientiarum ſtudiis emiſi tria vota ſolemnia. Poſteà navigavi Angram, ubi traduxit annos ad vitæ finem: Sæpè per Inſulam Miſſione peragendo excurrit. E cubiculo non prodibat, niſi vel ipſâ re urgente vel imperante obedientiâ. Oſtium cellæ relinquebat exiens foras apertum. Unde qui videbant clauſum, intus eſſe non dubitabant; Quamvis eſſet multùm notus, nullum viſitabat externum, nec ullius domos adibat, niſi vocatus ad audiendas infirmorum confeſſiones. Nunquam otio deditum invenerunt: vel enim tempus terebat orando, meditando, vel recitando horas, aut legendo, ſcribendove. Componebat etiam metro illaborato pias cantiones imitando Davidis pietatem: Mirificè recreabatur, ſi audiret canere res ſanctas, ut in templis veſpertinas preces, & ſimilia. Egrediens domo, noſocomium, & carcerem, inviſebat, ut verbis ſuis miſeros ſolaretur. Plurimis annis non guſtavit poma, nec dulcia cupedia, nec aliquid præter ordinarios cibos, & ex his ſumebat parcè; ſi offerebatur vinum exquiſitius, ut Malvaſium ex Madeyra Inſula advectum, loco illius petebat dare ſibi vinum Inſulæ Tertiæ, quod eſt valdè inſuave, ſolùmque ad torquendum guſtum bibi poteſt. Diſſimulandæ mortificationis causâ, ajebat

at id vinum & se refrigerare, & valè juvare suum stomachum ad couendos cibos. Eodem thorace laeo usus est annis amplius viginti, uanquam vetustissimum noluit unuam dimittere. Cavit diligentissiiè, ne ulli foret molestus; Idcircò unquam auditus excreare. Rem t insolitam cæteri animadverteant, ac retulerant Visitatori, qui, n ita contingeret, Antonium interogavit, & causam; Cui respondit: ibi in audiendis excreationibus esse ion vulgarem molestiam; quod opiiaretur alios similem habituros, ropterea à tali strepitu abstinere, ne æteris esset gravis. Adveniente ùpremâ ægritudine, sensit vehenentia DEUM videndi desideria: ic providit omnia, ut multis sit perùasum ab ipso cognitum tempus mortis. Quâ nocte obivit, rogavit Patres, antequam dormitum facesserent, sibi recitarent Ecclesiæ preces pro morientibus. Horis antelucanis odorans mortis adventum, & ultimum congressum, monuit Socium assidentem, ad se vocaret unum è Sacerdotibus, & ne cæteros quiescentes excitaret: Sacerdote, & Rectore accedentibus, tranquillè solutus animus corporeis vinculis. Confluxit ad ejus funus ingens concursus: Sodales B. Virginis ab Annuntiatione, quòd illis furto abstulissent cereos, alios conduxerunt. Id mirum contigit, quod positi rursùs in statera, ut solveretur pretium consumptæ ceræ, nihil tanto temporis spatio ardendo, sint minuti pondere.

DIE XXX.

P. Leonardus Nunes.

ANno 1554. naufragio periit in mari Brasilico. Natus in Oppido à Sancto Vincentio Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ Societati adjunctus 6. Februar. 1548. Cum Patre Melchiore Carnerio, qui fuit unus è primis nostræ Societatis Episcopis, adivit concionatum in parœciam Sancti Antonii de *Benespera*, quæ attinet ad Conimbricense Collegium; dum sunt illic commorati, humeris suis è sylva convehebant lignorum fasces ad ignem alendum. Pater Leonardus in patria sua mendicavit ostiatim indutus veste tam lacerâ & vili, ut ejus consanguinei erubescentes se subtraherent è conspectu. Anno 1549. missus in Brasiliam inter nostræ Societatis primos illius vineæ cultores. Leonardo, & Didaco Jacomio destinatus est ager Præfecturæ à Sancto Vincentio: Tamquam Angeli sunt ab indigenis excepti: Incolebant quinque oppida Lusitani: Morum erat miserrima species: Tum conjugati, tum soluti, instar Maurorum, alebant domi plurimas concubinas. Nullum inter dies vescendi carnibus, & piscibus discrimen erat: Contemnebantur jejunia: Sacerdotes animarum curiones nihil in moribus differebant à Sæcularibus: Adversus tantam vitiorum molem diu luctatus est multo sudore, & non minore lucro; Nam miseri de profundo excitati veterno

terno aut dimiſerunt concubinas, aut converterunt in uxores: Facta eſt morum corruptorum ingens mutatio: Reſtituta eſt libertas Braſilis per ſummam injuriam in ſervitutem aſſertis: diſcurrebat ex aliis per alia oppida greſſu tam citato, ut Braſili eum vocaverint *Patrem Volatorem.* Intrans Mediterranea loca, ſecum perducebat ad pagos maritimos Braſilorum filios, quos libenter ipſi tradebant erudiendos: Victu mendicato ſuſtentabatur: ſæpè DEUS eum reddidit liberum à multis vitæ periculis; Ut Braſilorum, quos inſtituebat filios, aleret, Religioſi noſtri Leonardi ſubditi diverſa didicerunt opificia, quorum lucris comparabant pueris alimenta. Celebraturus Miſſæ Sacrum juſſit ex templo pelli hominem anathemate nominatim perculſum: Id moleſtè admodùm ferens ejus filius, Leonardum ad templi oſtium expectat, ut prodeuntem interficiat. Jam levaverat manum in altum nudato gladio, ut finderet Patris caput, cùm lacertus aruit inſtar trunci, nec moveri potuit: Sic DEI ſervus evaſit incolumis; Cùm ſciebat è Luſitanis aliquot inter Sylveſtres Braſilos vitam degere more ferarum, conſpurcatos eisdem vitiis, quibus ethnici; nulli parcebat labori, ut errantes oves in caulam retraheret. Perſuaſit Luſitanis, ne polluerent conſcientias Braſilos captando, & mancipiis adſcribendo. Illuſtres res quamplurimas ſex annis in Braſilia peregerat, cùm miſſus eſt in Europam, ut S. Ignatium edoceret Braſilicæ Provinciæ ſtatum. Facto naufragio interiit, manu habens imaginem Crucifixi, & vectores, ac nautas, quorum pauci ſoſpites emerſêre; ad peccatorum dolorem exhortans, ut ipſi poſteà narrarunt.

P. Ludovicus Nogueira.

ANno 1696. in Domo Profeſſorum Ulyſſipone confectus eſt ſenio. Natus in pago *Fermozelhe* Diœceſis Conimbricenſis. Adoptatus in Societatem Conimbricæ 25. Martii 1637. ætatis 16. Philoſophiam Bracharæ, Quæſtiones de Moribus tradidit in urbe Portuenſi: In hac ſcientia habitus eſt Vir conſummatus; Multa perpeſſus in itinere Braſilico, cùm anno 1663. illò contendit Socius Hyacinthi de Magiſtris, qui viſitatum ibat eam Provinciam, in quâ minimè eſt noſtris acceptus: Rediens gubernavit Ulyſſipone Seminarium Divi Patritii: Reliquos annos vixit in Domo Profeſſa ad ſolvenda dubia, & conſcientiæ caſus: Compoſuit, atque in lucem edidit volumen valdè utile in Bullam Cruciatam, & libros alios, è quibus unus typo mandatus. Ipſa natura eum formaverat modeſtum, & alienum à Sæcularium familiaritatibus; Quamvis multùm ab externis quærebatur Conſilii causâ, pro nihilo pependit æſtimationem propriam. Cupiebat exiſtimari vir ſimplex, & nullâ exornatus ſapientiâ. Id ſignificabat verbis ſuis, & modeſtiâ in reſponſis ad quæ-

æſita. Septuagenario major de vi-
abiit apoplexiâ correptus.

P. Franciſcus Laynes Episcop us Meliaporenſis.

NAtus Ulyſſipone, ibique conjun-
ctus Societati 16. Octobr. anno
72. ætatis 16. Vacabat littera-
m ſtudiis in Collegio Conimbri-
nſi, cùm exardens deſiderio con-
rtendi ad fidem Orientis ethnicos,
profectus anno 1681. Abſolutis
æ ſcientiarum ſtudiis, migravit
oram Malabaricam, & jam anno
86. excolebat in MadurenſiMiſſio-
Reſidentiam Caturenſem : nam
c operarij Evangelici, ut meliùs
utiliùs conſulant neophytis, divi-
habent regiones illas in quasdam
tiones, ſive tractus, quos vocant
eſidentias. Cuilibet ex his Reſi-
ntiis ſuus præficitur Sacerdos è no-
is, qui adjutus Catechiſtis indi-
nis, commiſſam ſibi vineam colit,
antâ diligentiâ, pænes ſe eſt. Ge-
s vitæ tantæ eſt auſteritatis, ut
deatur continuatum Martyrium.
ec alio modo eſſent utiles operarij
opter uſus regionis, quibus ſe at-
mperent, neceſſe eſt. Non minùs
. annis Laynius indefeſſo labore
ſudavit in cultura ejus agri. Vix
la verba poſſunt exprimere incre-
biles labores, quos eſt perpeſſus,
quos ſuſtinuit homo viribus im-
cillis: Sæpè 13. horis continuatis
ſidebat confeſſiones audiendo ple-
imque jejunus: deficiebat frequen-
r præ labore, cui vires erant im-
pares: Ubi tantisper reſpirabat, ſibi
reſtitutus, ad opus redibat: Sæpè
tot animas abluebat Baptiſmo, ut illi
ſtupuerit brachium dextrum, fuerit-
que neceſſum, ut à Catechiſta ſu-
ſtentaretur, ut poſſet in Baptiſmis
impertiendis progredi; dum conten-
dit ad urbem Urgurium ad colligen-
das Reliquias Venerabilis Martyris
Patris Joannis Briti, ab ethnicis com-
prehenſus, occiſus fuiſſet in odium
fidei, niſi Præfectus regionis, ethni-
cos furentes cohibuiſſet. Magno ſui
animi ſolatio collegit oſſa Martyris;
nam carnes ederant feræ, ac diræ
volucres; ut memoratum eſt, cùm
de illo ſcripſimus. Corroboravit
neophytos, quos, occiſo Paſtore,
turbaverat perſecutorum immani-
tas. Tinxit Baptiſmo in ea regione
plusquam 400. Catechumenos. Re
ipsâ probante, ſanguinem illius Mar-
tyris fuiſſe ſemen Chriſtianorum.
Deſiderio imitandi Britum in morte,
rogavit Superiores, ſe præficerent
Chriſtianis Maravenſibus, quos Bri-
tus Chriſto pepererat. Annuerunt
optanti, verùm illò profectus &
comprehenſus, & malè mulctatus ab
idolorum cultoribus coactus eſt ex-
ulare. Secedens in ſylvas, ubi de-
gebant latrones, juſſu cujusdam Re-
guli mittitur in carcerem, habitus
crudeliter, mactandus erat, cùm
ſupervenerunt litteræ à dynaſta
potentiori, quibus improbabat im-
manitatem, & jubebat vinctum li-
berari catenis: Rurſus ad eosdem
ſe contulit montes & ſaltus, ubi

tutiùs poterat neophytos ad ſe vocatos ſolari, & Sacramentis munire. Ejus prædicationem Deus nobilitabat rebus prodigioſis; nam collato Baptiſmo abigebantur inſanabiles morbi: Dæmoniis erat magno horrori: Evidentibus ſuppliciis Deus punivit, qui illum & illius neophytos vexarunt: Præter occaſiones dictas aliquoties diriſſimo mancipatus carceri; Semel diebus quatuor, conjectus in horridum carcerem, vivâ calce ſtetit merſus collo tenus, nullo recreatus cibo: Aliquando ferox Mahumetanus irruit adverſus Laynium inſtar canis rabidi, conatur dentibus illius naſum convellere, ut redderet aſpectu fœdum, & omnibus abominandum; (tales apud eas gentes cenſentur, qui naſo carent) dum Laynius huc, illuc faciem verſat, ac luctatur ad vitandum morſum, objicit brachium tanquam clypeum, in id Maurus dentes figens, carnis fruſtum avulſit, & hac contentus offa Patrem reliquit. Erat ingreſſus regnum Tanjaoris, cùm Brachmanes Chriſtiano Magiſtro infenſiſſimus nuntiavit Valogio dynaſtæ adverſus neophytos inhumano, adeſſe illorum Doctorem, ſi dentur ſatellites, ducturum ſe, ut vinctum ferant. Conceſſit manipulum armatum: fecerunt iter nocte valdè incommoda ob pluviam & frigus; Mane primo, paulò ante ipſorum adventum, Laynius rerum inſcius aliò migraverat; Tunc milites arbitrantes à Brachmane ſe deluſos, irâ in eum verſâ, & accenſâ tum capulis gladiorum, tum haſtis & ejus caput, & tergum ad ſatietatem contuderunt, ne ipſis in poſterum, aut aliis illuderet. Ut ſe neophytorum bono conſervaret, ſciens quæri ab ethnicis ſolicitâ indagine, profugit in aliam regionem itinere quatuor dierum ſeparatam. Noctu tantum pergebat, die latebat in ſpeluncis, & ſylvis: ſæpè in hujuſmodi itineribus tumebant illi pedes, & rumpebantur tribulis, & acutis lapidibus, nec poterat greſſum movere; unicum, & efficax erat remedium peramanter cum Divo Xaverio expoſtulare de talibus impedimentis Evangelicæ prædicationi, & ſegeti noxiis: Id comitibus erat admirationi, quòd ſequenti die ſic eſſet firmatus, ut ſe daret in laborioſam viam. Ab annis tribus in urbe Tanjaorio, quæ regno dat nomen, neophyti non fuerant Sacramentis recreati; quod illò non eſſet acceſſus niſi admodùm difficilis ſacerdoti. Urbem ingrediens, ibi eſt moratus diebus 22. per tot noctes, non indulſit ſomno, & uſus parciſſimo victu, aſſiduus audiendis pœnitentibus, & ſacro reficiendis pane. Incredibili fatigatione, & labore munivit illic Sacramentis ſupra 3000. neophytorum; Vix enim ſine miraculo unus homo virium tenuium erat tanto ſuſtinendo oneri, quod plurimos citra dubium fatigaret. Non tunc, ſed occaſione ſimili ſic eſt impetitus capitis dolore, ut nequi-

ve-

erit debitam confitentibus præbere tentionem; propterea destitit ab sis audiendis; Cùm illi Catechista gnificaret neophytorum inconsolalem mœrorem, jussit, ut omnes nderent in cælum preces pro recuerandis viribus, & abigendo dolo-. Paruerunt; sine mora preces il abstulerunt penitùs dolorem, & stitit operi. Immensis laboribus, & eregrinationibus Evangelicis Laylus Christo per Baptismum adjunerat supra 42000. animarum, cùm li jussit obedientia, iter ad Euroam suscipere, ad expedienda magni omenti negotia: nihil potuit illi, neophytis accidere tristius; Viebatur enim factus ad eas gentes hristo conjungendas; ipsarum linuam tam scitè, & cultè arripuerat, t quosque indigenas fandi doctioes vel æquaverit, vel devicerit. ppulit Goæ sub finem anni 1704. um navis sequenti die erat in Lusianiam profectura. Vix à Prorege revem moram obtinuit ad exposculandos Xaverij pedes, quibus appliuit multas precationum coronas in uropa dividendas. Accedens ad rasiliam, dum moratur navis India, donec classis oneretur, composuit volumen de Ritibus suæ missiois, quod typis Romæ vulgavit, ut unctis innotesceret, quàm pruder illis utantur ritibus Madurensis ineæ cultores; Quamque innocenes, & ab omni superstitionis labe mmunes sint. Ulyssipone nominaus est à Rege Episcopus Meliaporensis. Romam contendit, inde rediens fecit naufragium ad oram Granatensis regni. Ad terram, omnibus amissis, ægrè prorepsit per majorem navis malum sectum, & ex ipsa nave jam in fundo hærente projectum instar pontis ad proximam rupem: hâc viâ à Laynio inculcatâ emerserunt omnes ad littus. Spoliatus, & nudus omnibus, quæ ad suos donandos neophytos secum Româ portabat, ingressus Ulyssiponem. Intentus conjungendis operariis, adivit Conimbricense Collegium. Illic plurimos habuit, qui sequi vellent. Pares motus animorum fecit Eboræ. In utroque Collegio tot è nostris Theologis, & Philosophis se ad eum comitandum obtulerunt; ut notum fuerit, non minus octoginta illo anno ituros ad Indiam, si Provincialis omnibus petentibus morem gessisset. Per id tempus eram in Eborensi Collegio, propter tanti viri insignes res gestas, quas in narrationibus Indicis perlegeram, eum intuebar, ut Virum summâ dignum veneratione. Exhortationem habuit ad socios in sacello domestico indutus more Joguiorum Malabarensium. Posteà ab eo petivi ligneas soleas, quibus erat usus, eas sum osculatus, & applicui cubiculo Magistri Tyronum, inscripto, cujus fuissent, nomine. Ut mihi essent reliquiæ, satis erat cognoscere, quot itinera illi pedes confecissent, & quot tulissent tribulos, & vulnera ad Christi augendam gloriam.

riam. Profectus Ulyſſiponem initiatus eſt Epiſcopus in templo noſtri Collegij 19. Martij 1708. ab Eminentiſſimo Domino Nonio Cunea Attaydio Regis majori Sacellano, & Generali Inquiſitore. Solvit in Indiam 27. Aprilis prædicti Anni, ſecum ferens è noſtris 30. Socios. Navigatio plena fuit periculis, & laboribus. Ventis reluctantibus, & parùm amicis, navis conjecta eſt in Braſiliam: ubi morata eſt ad ſequentem Novembrem, tunc ejus menſis 15. iter capeſſens, ſuperato Bonæ-Spei Promontorio, inter Inſulam à Divo Laurentio, & Africæ oram fæda admodum, & horribilli concuſſa eſt tempeſtate; tantum non eſt vorata fluctibus. Hyeme Moſſambiquii tranſactâ, tenuit Goam 25.Sept. 1709. conſumptis in ea navigatione 17. menſibus. Inde migravit ad ſuam regendam Diœceſim. Motâ adverſus eum perſecutione à Præfecto Mauro (Nababum vocant) coactus eſt ad alias regiones faceſſere maxima inter incommoda, quæ ſolent eſſet harum Diœceſium reditus. Deum hanc permiſiſſe perſecutionem, ut neophytorum bono conſuleret, ex eo patet, quia reaſſumpto Miſſionarij habitu ingreſſus eſt regionis Meditullium, diſcurrensque per pagos, ac Reſidentias Miſſionis Madurenſis, ſacrum confirmationis Sacramentum impertivit innumeris neophytis, qui usque ad illam diem neminem Epiſcopali dignitate fulgentem ſuis oculis conſpexerant. peragratis Carnatenſi, ac Madurenſi Miſſionibus, multisque ad fidem converſis, & Baptiſmo dealbatis Bengalam ſeceſſit, ubi dum inſudat corrigendis Europæorum depravatis moribus, parteſque implet vigilantiſſimi Præſulis morbo ſuccubuit, animamque ſacris Eccleſiæ Sacramentis expiatam placidiſſimè Deo reddidit anno 1715. die mihi ignotâ; & ut dicitur non ſine ſuſpicione veneni ipſi propinati ab illis, quorum ſaluti ardentiùs conſulebat, & qui multâ febre frænetici inſanientes contra ſuaviſſimum medicum eum (ſi fas eſt dicere) martyrio coronatum ad cælos miſerunt.

JULIUS.

DIE I.

P. Ludovicus Figueyra, & ejus Socij.



Nno 1643. interiit naufragio ad oſtium fluminis ab Amazonibus dicti apud regiones Maranonenſes in America. Natus in Oppido *Almodover* Diœceſis Eborenſis. Anno 1592. Societati adſcriptus Eboræ. Migravit in Braſiliam anno 1602.

602. studio lucrandi animas; Indè um Patre Francisco Pinto missus ad Iaranonem: Cùm Barbari de meio sustulissent Franciscum, quod eos rceret à profanissimis ritibus & moibus, Ludovicus ægrè fugit eorum nanus. Annis 20. Maranonis genes excoluerat; cùm, ut crescentem n dies messem colligeret, venit in Lusitaniam invitatum Socios ad capturam piscium; simul ut coram Regiis Ministris consuleret Brasilorum libertati, quos per summum nefas Lusitani mancipabant servituti. Per id tempus adhuc Lusitania gemebat sub Castellano intolerando imperio: Multas vir DEI passus est repulsas, dum agit causam Brasilorum; sed nullis Ministrorum fastidiis ab incœpto destitit: Sæpè inter vilissima mancipia Proregis multis expectabat horis opportunitatem illum alloquendi. Ulyssipone gravi correptus morbo, petivit, ut ossa sua portari curarent ad Missionem Maranonis unicè sibi charam. Cœlo rebus Lusitanis mitiori, evectus est ad thronum avitum Joannes IV. qui paternis oculis & auribus admisit querelas, & preces Ludovici, & rebus afflictis prospexit. Munitus Regiis diplomatis, & Sociis 15. ad promovendum opus Evangelicum, anno 1643. Aprilis ultimâ sublatis anchoris solvit è portu: Junii 12. pervenit ad oram Maranonis. Nautæ aliquot in scapha applicuerunt ad littus exploraturi, an sub ditione Lusitanâ esset urbs Maranonis, an pareret imperiis alienis. Compertum est occupari à Batavis, quorum potentiam ad id tempus auxerant Lusitaniæ sub Rege non suo infortunia; Igitur vitantes oram infestam, direxêre proram ad Coloniam Lusitanam sitam in ostio fluminis ab Amazonibus; indigenæ vocant *Parà*, quod sit instar maris; ea enim vox apud eas gentes *Mare* significat. Post varios rerum casus navis illisa vadis, & arenæ infixa, undis, & ventis est miserandum in modum lacerata. E 173. personis, quas navis ferebat, emerserunt incolumes 40. Sæculares: de nostris periêre 12. quorum nomina taceri æquum non est, quoniam his periculis vitam exposuerant studio augendi Divinam gloriam. Hi dicebantur *Ludovicus Figueyra* Missionis Superior, *Simon Florimus*, *Petrus Figueyredus*, *Petrus Figueyra*, *Franciscus Rego*, *Barnabas Diasius*, *Joannes Leitius*: omnes erant Sacerdotes. *Emmanuel de Limma*, *Emmanuel Vincentius*, *Emmanuel Rochia*, *Dominicus Brittus*, & *Petrus Pereyra*. Petrus Figueyredus, & Emmanuel Rochia hærentes fragmento fororum erraverunt ad arbitrium undarum diebus septem, donec eos fames & frigus extinxerunt: decem alii fragmentis deportati ad vicinam Insulam, à barbaris & occisi, & vorati sunt. Magna profectò fuit omnium charitas; Nam cùm Petrus Albuquertius Maranonis Præfectus in navis scapha ad terram contendit, voluit Ludovicum Figueyram, & alios secum vehere;

 ast

aſt illi non habuerunt tanti vitam ſuam, ut miſeram turbam egentem animæ ſubſidiis deſeruerint in mortis faucibus, & æternæ damnationis periculo; Putatum enim eſt, venturos è terra lembos, antequam penitùs navis eſſet ſoluta, ac diſcerpta fluctibus. Hi fuerunt de noſtris primi, qui ex Luſitaniâ petiverunt regiones Maranonis.

DIE II.

Hieronymus Gonſalves Coadjutor.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi anno 1588. vitam explevit. Natus in Oppido Monte majore novo Diœceſis Eborenſis. Societati 24. Februar. 1587. adſcriptus. Ante abſolutum biennium miſſus, ut ſerviret Patribus Profeſſæ Domûs, quibus fuit valdè gratus ob mores Angelicos. Phthiſi correpto dixerunt, ſi vellet ire ad paternam domum, liberum eum fore. Ad hæc ille: nolle ſe vitam extra Societatem, cui ſe junxerat, ut frueretur morte ſanctâ: dilexit vehementer Virginem Matrem, quam rogavit, obtineret ſibi tranſitum de hoc mundo, die Viſitationis ſuæ. Hâc die jam vicinâ, corroboratus eſt ad iter Viatico & Unctione. Diem Viſitationis tranſegit lætus ad noctis horam undecimam; Tunc percontanti, quota flueret hora, reſponſum eſt, mediam duodecimæ noctis. His ægrotus afflicto ſimilis, *JESU, MARIA*, inquit, *quomodo Virgo Mater, dies tua abibit, quin ad te abeam ego?* deinde converſus ad ſocium ibi præſentem *Da mihi*, ait, *cereum accenſum, & imaginem Crucifixi.* Morem illi geſſit conſolandi gratiâ. Dominum alloquitur, dicens, illi ſe tradere ſpiritum; adjunxitque: *Hac die Virginis Matris tuæ, ac Dominæ meæ volo de hac migrare vita*; Tunc illi dixit Socius, conformaret ſe cum Divina voluntate, & quieſceret. Protinus è manibus abſtulit Crucifixum & cereum; at ægrotus decuſſans brachia, clauſis oculis, ſuaviſſimum in morem nullo edito morientis indicio efflavit animam, quod eſt unicè cognitum ex defectu reciprocationis auræ vitalis.

DIE III.

P. Gaſpar Moreyra.

EBoræ anno 1669. mortales reliquit. Natus Lacobrigæ vulgari ſermone *Lagos* in Algarbiis. Eboræ ſe dedit Societati 8. Junij 1614. Valuit ingenij præſtantiâ, cui tantam adjunxit ſtudendi contentionem, ut vires corporis attriverit, ac morbis per omnem vitam reddiderit obnoxias. Ejus mores fuerunt Viri perfectiſſimi. Lucro apponebat, quæ ſe offerebant occaſiones creſcendi in virtutibus. Tertiarius erat Ulyſſipone, cum ipſum, & alium ſacerdotem vocari juſſit Provincialis mittendos ad Inſulas. Intravit alter ſolus, & prior; audito, quid vellet; magnopere turbatus, multis rationibus

bus obedientiæ jugum excussit, & ovincialis, ne daret præcipitem, navigatione liberavit. Ingredien- deinde Gaspari, *Domum*, ait, te nfer, *nihil jam mihi tecum est*. Hic aspar: Planè, respondet, vestra everentia mihi negotium exhibet cultando voluntatem suam. Ad Provincialis: Accersieram vos uros ad Insulas, verùm alius tan- m animi ostendit repugnantiam, mulavit tot rationes, ut mihi erit desistendum; si ille viri- us robustus se labori surripuit, uomodo tibi viro affectæ vale- udinis id onus imponam? sub- isit Gaspar, & subjecit: sciat ve- ra Reverentia mihi nihil esse dul- ius, quàm obsequi meis Majori- us: vestræ Reverentiæ est impera- e, meum jussa sine mora capessere: cce ego mitte me. Collaudavit Provincialis illius virtutem majori lignam pretio, quod Rector Ebo- ensis secretò fecerat certiorem ip- um à Doctoribus, & Magistris pro- ositum, ut sequenti anno Eboræ raderet Philosophiam, quamvis sig- ificasset sibi futurum gratius, si po- iùs doceret Theologiam Moralem, quod sit utilior ad proximos juvan- dos. Annis 14. habitavit in Insula *Madeyra* explicans Quæstiones de conscientia, & peragens cætera In- stituti nostri ministeria magno litte- rarum & virtutis nomine. Eum il- lustravit Deus rebus ordinis altioris: Non semel operans Sacro Missæ Sacri- ficio visus est à terra sublimis. Anno 1640 is factus animorum seditiosus motus, ut appareret perdendam In- sulam: dissidiis interveniens Gaspar, multis rationibus, præsertim quod brevi futura esset in Lusitania ingens rerum mutatio utilis Insulæ com- modis, turbatos & in arma ruentes pacavit. Sequuta deinde Joannis IV. Regis proclamatio omnibus fe- cit notum Gasparem altiori scientiâ præscivisse illam & Lusitaniæ, & Madeyræ felicitatem. Cessante ma- gisterio, discurrebat per Insulæ op- pida, vicos, & pagos Missiones sa- cras obeundo: semel excipiebat in templo confessiones, mox in aliud oppidum profecturus, cùm videt pro- pe tribunal, ubi socius expiabat pœ- nitentes, porcum terram rostro suo evolventem, & indè conantem pel- lere sacerdotem; miratus animan- tis importunitatem, & sacerdotis patientiam, surrexit abacturus ex eo loco porcum; illò accedens nihil reperit. Prudenter conjecit, Caco- dæmonem, quem illud animal ex- primeret, solicitum esse in ipsis de oppido pellendis. Idcircò plures ibi moratus dies: tum concionibus, tum explicationibus Catechesis sic ad pœnitentiam sunt animi commoti, ut peccatores multi de vitiorum cæno emerserint. Totâ vitâ Gaspa- rem tenuit oblectamentum de colle- ctis eo in oppido messibus. Reddi- tus Lusitaniæ docuit locis diversis Moralem scientiam: Id Magisterium peregit annis amplius viginti. Hor- rebant ejus præsentiam Dæmones:

Se-

Semel Eboræ ſub figura Simij Dæmonem conſpexit fugientem ab eo loco, quo commodabat aurem pœnitentibus. Vocatus ut in eodem templo audiret confeſſionem, dum illud intrat, fit inſolitus ſtrepitus. Contendit ad Sacellum Divi Sebaſtiani, cùm denuò ſonat par fragor, percipiunturque voces hujusmodi: En fugit, en fugit. Sacellum ingrediens, hominem offendit præ timore, & horrore pallidum. Percontanti, quid rei ſit? reſpondet: A multis annis ſe à Dæmone impediri, quò minus ad confeſſionem accedat; Tandem poſt fractos inimici obices eò veniſſe deſiderio tantum onus excutiendi. Dæmonem lateri hærentem & ſuadentem identidem, ne conſcientiam exoneraret, feciſſe illum ſtrepitum, & fragorem, ut terreret Confeſſarium venientem, denique fugiſſe per foramen rotundum templi, cùm dixit: En fugit. Protinus vitæ eluit ſordes profuſis lachrymis, & animo per confeſſionem expiato. Præfectus Rector Collegio Conimbricenſi tum exemplis, tum monitis ſaluberrimis multùm promovit in Sociis Religioſam obſervantiam. Liberalitate multâ uſus erga pauperes, quam grata Deo foret, oſtenſum eſt non dubiis argumentis. Nolebat mendicum ullum inanem diſcedere ab oſtio Collegij. Nonnullis viſus eſt prodigus præſertim Procuratori: hic videns horreum pænè exhauſtum, & inſtante Quadrageſimâ, ad emendos piſces nec eſſe pecunias, nec unde poſſin[t] haberi apparere, adivit Rectorem tradidit cubiculi claves, dicens Quæreret Procuratorem, quando in tales anguſtias conjeciſſet Collegium, ſe jam non poſſe ſuſtinere hujusmodi adminiſtrationem. Benignis Rector verbis Procuratorem mitigans juſſit fortibus, & fidentibus eſſe animis, ſuis Deum minimè defuturum; ne tamen ceſſarent eleemoſynæ. Interim dum ſecum meditatur, quomodo ſit occurrendum querelis œconomi, & habendi nummi ad Quadrageſimæ ſuſtinendum ſumptum, vocatur ad januam; & ignotus homo illi tradit crumenam pecuniâ refertam, dicens, eſſe reſtitutionem, quæ Collegio fiat. It in cubiculum, ac numeratâ monetâ, reperit omnem ſummam, quam Procurator ad piſces Quadrageſimæ opus eſſe dixerat; totam illi tradens, commendat, ne laboret fide modicâ, theſauros eſſe manus pauperum, unde ſuo tempore extrahas, quidquid velis. Quatuor poſtremos vitæ annos tranſegit Eboræ deditus commerciis cum Deo, quibus non dies ſolùm, ſed bonam impendebat noctis partem. Prælucebat omnibus ſuæ vitæ exemplis. Non ſinebat coram ſe alieno detrahi nomini. Morbos, quos habuit moleſtiſſimos ſuſtinuit incredibili tolerantiâ: Nec eorum causâ, quoad ejus fieri potuit, minuit voluntarias corporis afflictationes. Nocte quâdam cum turbare conatus eſt Cacodæmon effun-

ındendo ſuper dormientem aquæ genam poſitam prope cubiculi feeſtram: Etiam ejus faciem invaſit nguibus, non tamen ſomno excis eſt; ſed manè repererunt maefactum, & faciem conſperſam ſuo nguine, tanquam felis acerbatus lam explicatis unguibus vulneraſt. Prænoſcens divinitùs mortis iem, accuratiſſimè ad poſtremum er ſe comparavit. Die Martis inerrogavit confeſſarium: quænam oret S. Paulo ſacra dies? cùm reondiſſet, Sabbatum. Pervigilio pſius, ait infirmus, expiabo conientiam, ſumam alia Sacramenta, le nobisque, uti libuerit, diſponet Deus. Tertiâ Julij manè flagitavit onfeſſarium, ſibi pro morituris inlulgentias applicaret. Circiter meidiem miſit, qui certum faceret Rectorem ſe mori. Petivit accenum cereum, cùm nulla cernerenur vicinæ mortis indicia, dubitaum eſt, an illi darent, cum inſtaret, radiderunt, poſt acceptum manu ereum, levi capitis motu, & JESUM nominans obdormovit in Domino.

DIE IV.

P. Didacus Secco Epiſcopus Niceæ.

Anno 1623. in navigatione ad Indiam deſiit vivere. Natus in Oppido *Covilham* Diœceſis Guardienſis. Conimbricæ conjunctus Societati 23. Martij 1591. ætatis 16. docuit Ulyſſipone Rhetoricam, Conimbricæ Philoſophiam, & Theologiam. Anno 1618. Romam vocatus, ut ageret cenſorem librorum Societatis; Illic etiam profeſſus eſt Theologiam, ac deſignatus Epiſcopus Alphonſi Patriarchæ ſucceſſor; Quamvis eſſet Alphonſo antiquior in Societate, nihil eſt turbatus, quod ſibi in dignitate anteferretur. Sacratus 22. Martij 1623. ejusdem 25. menſis fecit vela ad Indiam in nave de nomine S. Eliſabethæ dicta. Multi & pernicioſi morbi eam infeſtarunt navem. Mortuus eſt Almiralius Didacus de Caſtellobranco, cujus obitum Epiſcopus non parùm doluit, & ſimili morbo cæpit laborare, donec eſt illo conſumptus ingenti omnium mærore, & luctu; etenim ipſum propter eximiam erga miſeros charitatem plurimùm amabant. Magnæ virtutes Didacum exornarunt. Virginem Matrem veneratus eſt frequentibus obſequiis: In concionibus maximoperè evehebat laudibus ejus prærogativas, expromens quidquid eloquentiæ in ſe fuit, ut auditores ad ipſam colendam incenderet. Conimbricæ horâ conſtitutâ diebus ſingulis B. Virginem in ſacello ſuo viſitabat. Crebrò inviſere ſolitus, & conſolari ægrotos. Si moriebantur, ſepulturam ingrediens, componebat cadavera humo obruenda. Cæteris virtutibus raram conjunxit modeſtiam, quæ & venerabilem, & amabilem reddebat.

DIE V.

P. Joannes Delgado.

ANno 1609. in Guinea ad Caput Viride diem obiit. Natus in Oppido *Atouguia* Diœcesis Ulyssiponensis. Conimbricæ adhæsit Societati 20. Januar. 1584. Magnum illi ingenium, at major virtus. Eboræ professus Philosophiam, Theologiam tradebat Conimbricæ, cum cathedrarum contempto splendore: petivit mitti ad Hesperidum Insulas, ut continentis Æthiopes Deo conjungeret. Quod esset tenuis viribus, illi significatum à Majoribus, videret etiam atque etiam, an par foret arduæ provinciæ. Quibus respondit, id à se non inquirendum, sed sine hujusmodi examinibus mittendum ad eas regiones: hunc modum esse magis congruum & Instituto nostro, & quatuor votorum Professo. De viribus non sibi, sed Superioribus suis ferendam sententiam. Multæ virtutes huic expeditioni difficili præluserant. Academicos plausus minimi faciebat. Siquis in actibus litterariis oblitus modestiæ, verbis eum lacessebat, nihil respondit, sed oculis in terram demissis, silentio & modestiâ redarguebat audaciam. Anno 1608. profectus ad Insulas Hesperidum, indè transiit ad oram continentem, cùm Regem Bicongoris adniteretur ad fidem veram traducere, videretque oleum & operam perdi, cæpit ubertim flere. Regi sciscitanti, cur fleret, respondit: quòd cernam te perpetui damnandum ignibus, & cruciati bus. Cui Rex: Potiùs, ut existim lachrymaris, quòd sanctus sis. E quidem, ut sanctum, vel ipsi suspiciebant ethnici. Parùm vixit in e perniciosa alienigenis regione. I lius sanctimonia post mortem com probata rebus mirabilibus. Ad eju sepulchrum sanitati restituebantu infirmi. Vicarium Generalem in vitarant Christiani, ut præsens fore solemni festo celebrando, ædem sacram exornarunt ramis virentibus. Non potuit Vicarius adesse; Post aliquot dies illò veniens, templum invisit, ubi rami omnes præ nimio regionis calore aridi, siccique erant, solùm, qui tegebant Joannis sepulchrum, virebant, ceu tunc fuissent ex arboribus avulsi; cùm Vicarius non advertens, percontaretur de ramis vernantibus. Responsum est: sub illis esse sepulturam Patris Delgadi, propterea eos non aruisse. Et quod rarius est, nonnullis mensibus eum conservarunt recentem virorem. Humatus fuit in templo Bicongoris quinque leucis distante ab Oppido *Cacheo* juxta flumen.

DIE VI.

Septem Patres in navigatione Angolana.

HAc die, qui obiverit, non occurrit; idcircò, ut mihi est moris, inseram nonnullos, quorum certa dies comperta non fuit. Anno

1673.

573. cum Petro Cæſare Meneſio mmo Angolæ Præfecto, & fratre ntonio à Spiritu ſancto Diſcalcea- Carmelita illius Diœceſis novo piſcopo, è noſtris ſeptem ad eas iſſiones adivêre. Jam naves uſæ cunda navigatione legebant oram ngolæ, cum vadis, & ſaxis impa- æ lamentabili naufragio laceratæ, ix paucis de vectoribus ad terram greſſis. Conjectum eſt ex dictis Ethiopum duos Societatis ad littus vaſiſſe, ſed voratos à feris genti- us, quibus ſunt in deliciis humanæ arnes. De ſingulis dicam, quod ſt memoriæ traditum. Antiquior ictus *Ludovicus Souſa* quatuor vota olemniter profeſſus ibat Collegij ector. In ſeipſum extitit valde ſeve- us, & in noſtris miniſteriis egregius perarius. Miſſus ad Inſulas Flandri- cas pænè eſt undis obrutus, quod na- vis in oſtio Tagi fecerit naufragium, ex illo emerſit humeris cujuſdam So- cij, qui ſe & Souſam liberavit. Secun- dus *Emmanuel Pintus* docuerat huma- nas litteras Bracharæ. Tertius *Do- minicus Araujius*. Quartus *Franciſcus Faria*. Quintus *Joſephus Pretus*, Scala- bicaſtri natus, Conimbricæ conjun- ctus Societati 14. Auguſti 1661. de hoc Venerabilis Vir Joannes de Fon- ſeca, quæ ſubjicio, reliquit ſcripta: „ Erat, inquit ille, Joſephus Pretus „ adoleſcens bonis dotibus, multâ „ præditus virtute: Recordor, om- „ ni tempore, quo novi eum Scho- „ laſticum Eboræ, micuiſſe exem- „ plis modeſtiæ, ſilentij, & alia- „ rum virtutum: Amicus erat om- „ nibus, pauperrimus, & contem- „ ptor honoris proprii; cùm vellent „ eum in Artibus Magiſtrum crea- „ re, ut illo qualicunque præmio- „ lo redderent ſuavius Angolanum „ iter, rejecit, dicens, ſibi, ut obe- „ diret, opus non eſſe talibus inci- „ tamentis. Mortuus in obſequio „ ſanctæ obedientiæ, de ſe reliquit „ omnibus multa deſideria: Æſti- „ mationem, & amorem Societa- „ tis oſtendit, reſpuendo importu- „ nas preces, quibus eum Pater ſu- „ us ſolicitavit, ut Societatem de- „ ſereret, quando agitatum eſt de „ illo in Angolam mittendo. Ut na- „ ti flecteret animum, promiſit mul- „ ta, ut ſolet paternus amor immo- „ dicus erga filios, quos plurimùm „ diligit: verùm, ne deficeret à „ Religione, contempſit omnia. Hæc Pater Fonſeca. Patruo valdè locupleti hæredem ex aſſe illum con- ſtituenti, ſi reliqueret Societatem, reſpondit: ſe tam ſtultum non eſſe, ut exueret baltheum ad uvas Bac- cho ſacrificandas: ſignificavit illo dicendi modo, non depoſiturum ſe togam religioſam, ut mundo ſervi- ret. Sextus vocabatur *Dominicus Fre- rius*, Eboræ docebat latinitatem; Cùm unus ex deſignatis ad Ango- lam ſe excuſaſſet, ipſe totum ſe dica- vit obedientiæ: Singulare fuit illi donum ad tranquillandos diſcordes animos. Quod ſanctum cæteri ex- iſtimabant, identidem rogabant, ut ipſos Deo commendaret. Septimus *Si-*

Simon Lopius Coadjutor ſpiritualis, vir moribus innocentiſſimis.

DIE VII.

Leonardus de Lemos Scholaſticus.

Conimbricæ anno 1575. vitæ finem attigit. Natus in oppido dicto *Villa del Rey* Diœceſis Viſenſis. Societati adſcriptus Conimbricæ 3. Julij 1568. Nihil æquè procuravit, atque indies virtutem augere. Narratur de ipſo, ſolitum in fine cujusque operis diſquirere ſedulo examine, an illud, ut res poſcebat, egiſſet. Quod humores craſſi in pectus caderent, hæſit illi febris continua. Magnas inter ſui morbi afflictationes animum oſtendit & patientem, & maximè gratum adverſus eos, qui præſtabant officium. Ajebat, indignum eſſe, cui ſerviret vel felis parvulus. Cogitantes Superiores de illo mittendo ad cælum patrium rogavit, id fieret ea conditione, ut niſi brevi haberet melius, rediret in Collegium; velle ſe potiùs inter ſuos fratres mori, quàm inter conſanguineos vivere. Exiſtimatum eſt, illi à Deo declaratam mortis horam: Nondum putabatur vicinus profectioni, cùm paulò ante mediam noctem vocavit ſocium, qui ſibi aſſiſtebat, cui dixit, ſacerdotem unum acciret, ut ſe morientem juvaret. Voluit diſſuadere, at tantùm inſtitit, ut illi fuerit mos gerendus. Initio creditum inanem eſſe ægroti exiſtimationem, ſed non multò pòſt innotuit rei veritas: dum ſuaviſſimis Deum alloquens verbis expiravit. Addictiſſimus fuit B. Virgini obſequiis: deſtinaverat ſpecialem Divum ac Divam, ut hebdomadæ ſingulis diebus ſibi forent protectores, eosque ipſa die particularibus colebat obſequiis.

DIE VIII.

P. Ludovicus Froes.

Nangaſachij apud Japones anno 1597. ſenilibus confectus annis piè in Domino quievit. Pace Juliæ Diœceſis Eborenſis natus. Vixit in Societate annis 50. & ex his nonum ſupra quadrageſimum tranſegit in Orientis miſſionibus, ad quas navigavit anno 1548. Studiis litterarum Goæ incumbentem miſerunt Malacam anno 1554. ubi diligentem impendit operam animarum lucris; Indè reverſus Goam abſolvit ſtudia, ac noſtra exercuit miniſteria ad usque annum 1563. Navigavit ad Japoniam, ubi colluxit inſtar novi Solis. Firandi laboravit indefeſſo zelo; deinde cum Ludovico de Almeyda nondum ſacerdote profectus Meacum, ut juvaret Gaſparem Vilelam Meacenſis Eccleſiæ primum Apoſtolum. Magno labore ob immodica frigora, & alia non minora incommoda confectum eſt illud iter. Non vulgare concepit animi ſolatium conſpectu, & alloquio venerabilis Viri Gaſparis Vilelæ, qui ab annis ſex illic alium non viderat ſacerdo-

tem. Ambo principio anni ſe-
entis juxta morem regionis con-
utarunt Regem oblatis muneri-
is, induti pretioſis veſtibus hujus-
odi præſtiterunt officium, ut ſe
ntis uſibus attemperarent, quæ
hac externa ſpecie metiri ſolet
enigenarum nobilitatem. Turba-
rebus violentâ Regis morte, vix
npiorum evaſit manus, qui avidiſ-
mè inhiabant neci præconum Divi-
æ legis. Media per tela ſe contulit
d urbem Sacayum, in quâ pluri-
ùm juvit, & auxit neophytos.
Complanatis difficultatibus redivit
Meacum. Nobunanga, qui potie-
atur rerum ſummâ, benevolentiſſi-
um adverſus Ludovicum oſtendit
nimum. Illius inimicos evidenti-
us ſuppliciis punivit Deus. Mona-
terium, ubi Patris exilium machina-
i fuerant, everſum funditus. Ini-
nici crudeliores exitu lamentabili
erierunt. Liber ab omnibus inſi-
liis, & periculis, & Meaco reſtitu-
us, potuit illius vineæ promovere
culturam. Erant cum Bonzis aſſi-
duæ diſceptationes, quos facilè con-
vincebat. Ex his Bonzis unus dictus
Nequiſus, (à Chriſtianis vocaba-
tur Antichriſtus) ſuarum partium
eſſe duxit, Ludovicum perdere &
evertere fideiChriſtianæ,quod ſurge-
bat magnis incrementis, ædificium.
Non fuit lapis, quem non moveret,
ut optatum exitum negotiatio ſorti-
retur. Poſt multas cum hoc mon-
ſtro decertationes Nequiſius ob im-
pudentiſſimam audaciam notatus ig-
nominiis à Nobunanga abactus in
exilium. At Ludovicus magnis ab
ipſo Rege eſt honeſtatus ornamen-
tis. Ea tanta fuerunt, ut nec Regni
primores ſimilia expectarent à No-
bunanga, quod ipſorum dignitati-
bus forent majora. Ex infinitis peri-
culis tum natis ex genere Bonzo-
rum, tum ex turbatiſſimis bellorum
causâ temporibus ſemper Divino
ſubſidio foſpes emerſit. Inter hujus-
modi procellas, quod maximè eſt
mirandum, non ſolùm de plebe in-
numeros Chriſto junxit, ſed è regni
nobilioribus. E Meaco ad Bungum
contendit, indè rurſus petivit Mea-
cum. Fuit unus è primis Japoniæ
Apoſtolis: Non tantum factis, ſed
ſcriptis. Illius epiſtolæ, quæ typis
vulgatæ ſunt, exciverunt quamplu-
rimos, de univerſa Societate, ut
irent in Japoniam. Inſtar miraculi
eſt, quod inter aſſiduas fatigationes,
fuerit nactus liberum tempus ad
tam utiles, & tantas ſcribendas nar-
rationes. Poſtremis annis vocatus
Macaum, ut ſcriberet Hiſtoriam
Eccleſiæ Japonenſis, quam tantâ eſt
aggreſſus aviditate, ut ſæpè in die
ſcriberet decem horas, annos quin-
que conſumpſit in eo opere; quod
typis non eſt vulgatum, causâ, ſi
extat, non reperi; Cùm Macai labo-
raret valetudine, redivit ad Japo-
niam, ibique vitæ ſuæ finem im-
poſuit. Fruitus eſt converſatione
S. Franciſci Xaverij, cui, ut ipſe fa-
tetur, ad aram facienti ſæpè mini-
ſtravit.

P. Petrus de Sylva.

IN navigatione ad Indiam anno 1583. diem supremum explevit. Domo Ulyssiponensis. Conimbricæ conjunctus Societati 1. Aug. 1556. Habitus est vir magnæ prudentiæ. Illius verba non erant sine pondere. Rectorem agens Eboræ tempore, quo furebat pestis, egredi noluit è Collegio. Providentissimè rebus omnibus consuluit. Favebat plurimùm hominibus religiosis, quos videret ornaturos dotibus suis nostram Societatem. Magni habuit illa Ecclesiæ verba: *Non murmur resonat, non querimonia, sed corde impavido mens benè conscia conservat patientiam.* Rexerat Collegia Ulyssiponense, Conimbricense, & Eborense, cùm postulavit enixè facultatem adeundi Orientis Missiones. In navigatione semel tantùm prope noctem exibat de conclavi. Sæpè triduum, quatriduumvè insumebat neminem alloquendo. Volebat nostros silentium, ut in Collegiis, servare; Verùm ejusmodi nimia collectio similis illi, quam semper tenuit, ut conjectum est, ipsius extinxit vitam. Morbus intrinsecus vires sumpsit, quin exterius se proderet ullis argumentis, donec instar cuniculi nitrato farsi pulvere, igni applicito, foras erupit vi totâ, quam per moras collegerat. Mente deliriis turbatâ, nihil aliud verba sonabant nisi æternitatem. Posteà sibi redditus, paulò ante mortem dixit Sociis: „ Ego „ hujusmodi claudo vitam: Navi „ appellet Mossambiquio; ibi na„ vem alteram invenietis à terti„ die appulsam, & in ea Patrem „ Hieronymum Cotam: Scitote „ Patris Generalis voluntatem esse „ ut mei loco agat ipse Missionis su„ periorem, ut talem cognoscite. Omnia, quæ prædixit, comperta sunt. Jam superatum erat Promontorium Bonæ-Spei. Nocte reliquerunt solùm, ut somnos caperet: Posteà cum recognoscerent, ut se haberet, invenerunt mortuum. In manuscripto antiquo reperi ejus patriam esse urbem Helviam. Catalogi Tyronum Conimbricensium, quibus est major adhibenda fides, Ulyssiponensem fuisse dicunt.

DIE IX.

P. Ægidius de Abreu Martyr.

ANno 1622. die, & mense incertis martyrio laureatus in Batavia nova. Natus est in Oppido Campo majore Diœcesis Helviensis. Ab annis teneris ad virtutem propensus. Accessit educatio sanctissima, quâ illum instituit Canonicus Helviensis ejus patruus, cujus erat mens canonicatum suum Ægidio addicere. Id ubi novit, patruum dimovit ab ea sententia, dicens, nihil aliud se cupere, quàm abdicatis sæculi divitiis, alicui sacræ familiæ se conjungere. Hanc mentem patruus magnoperè laudavit, ac misit Eboram, ut scientiarum studiis daret ope-

ꝑeram, ac fieret voti compos. Il-
: ſe adſcripſit Societati 13. Julij
511. ætatis 18. deſiderans vitam
nſumere ſalvando animas, ad In-
am profectus anno 1618. dum è
oa navigat in Japoniam, capitur
Batavis, ac deductus ad eorum
·bem Bataviam in Java majore,
onjicitur in carcerem intra caſtel-
m; Ibi duobus annis omnia dura
t perpeſſus ab hæreticis. Cæteris
Catholicis cum ipſo captis unicum
le ſolatium erat. Sanctiſſimis ex-
ortationibus conſervavit in amore,
c timore Dei. Expiabat per con-
eſſionem eorum conſcientias. So-
ıbatur repræſentatione, ſive quâ-
am Miſſæ adumbratione; quando
efectu rerum neceſſariarum verum
acrum peragere non licebat. Non
ontentus ſolùm prædictis exercitiis,
uibus orthodoxos in officio conti-
ebat; hæreticos, quoties facta eſt
pportunitas, comonefecit errorum,
uibus volutabantur. Inſanientes
dverſus medicum inſtar phrenoti-
orum, palis, ac fuſtibus ſic Ægi-
lium contuderunt, ut è medio ab-
tulerint, neſcientes, quod mortem
nferendo vitam contulerint pretio-
iorem.

P. Fernandus Navarro.

IN navigatione ad Indiam anno 1571. vitam explevit. Natus Burgis in Caſtella. Eboræ conjunctus Societati anno 1560. ætatis 20. dum petit Indiam, arſit in navi perniciosa febris, quæ in multos diffuſa magnam edidit ſtragem. Fernandus nactus ſuæ charitati amplam ſegetem, totus incubuit ægrotis ſublevandis, è quorum comercio contraxit diram febrem, ac vitam poſuit in labore piiſſimo.

DIE X.

P. Antonius de Couto.

LOandæ in Angola anno 1666. ad fortunatiorem translatus vitam; Ibidem natus fuerat. Studiis in Luſitania abſolutis, revertit in Angolam; Indè migravit ad Congum, ubi vixit circiter 20. annos magnos inter labores indigenas excolens Chriſtianæ legis inſtitutis. Erat unicum refugium Luſitanis ibi commorantibus negotiandi causâ. Omnes eum, ut Patrem, ſuſpiciebant, nec ille miſeris deerat rebus in anguſtis; Adeò illa regio eſt extraneis infelix, ut ibi tot annis vitam traducere unicè propter Deum ingens ſit virtutis argumentum. Venerat in Loandam, cùm illius laboribus mors finem attulit.

Joſephus Fernandes Coadjutor.

EBoræ de vivis exceſſit an. 1682. Natus Villænovæ in Argarbiis. Eboræ Societati conjunctus; Antequam ad nos veniret, habebatur jam vir juſtus. In Societate multis incrementis auxit acquiſitas virtutes. Cupidiſſimus fuit corpus ſuum fatigandi laboribus. Sancta ſimplicitas

citas in eo visa est persimilis simplicitati Juniperi Franciscani. Peragere solitus plurimas stultitias, quibus se multùm Deo placere arbitrabatur. Cæteri Novitij eum, ut Sanctum intuebantur. Post illius obitum ajebant, ipsum vestitum, & calceatum cum duabus amphoris triclinij in manibus cælos intrasse. Tali modo loquendi & suam de illo opinionem, & ipsius innocuam explicabant simplicitatem.

DIE XI.

Franciscus Mascarenhas Scholasticus.

ULyssipone in Domo Professa an. 1586. raptus immaturâ morte. Natus in Oppido Monte majorenovo Diœcesis Eborensis, ex illustrissimis parentibus Vasco Mascarenio, & Maria Mendosa. Tres alios germanos fratres habuit in Societate, de quibus loco suo facio mentionem. Conimbricæ navabat operam litteris habitans in Collegio Portionistarum dicto, quod jussu Regis Joannis III. rexit multis annis nostra Societas, & tandem solutum est. Nostrorum commercio permotus ad conculcandas mundi inanes spes, dedit Societati nomen ultima Novembris 1576. Magnam de ipso nostra Societas spem conceperat; nam ingenio, nobilitati, & præclaris dotibus conjunxerat mores sanctissimos; Verùm diuturnus morbus spes omnes præcidit. Migravit Eboram, indè Ulyssiponem cæli tentandi gratiâ, an ullum foret ejus valetudini benignum. Indies crevit malum, & ille sibi persuasit, caducam vitam festino gressu ad interitum properare. Molestias omnes tulit animo patientissimo, & conforme cum Divinâ voluntate. Die ante mortem octavo, rogavit, nequis præter superiorem, confessarium & valetudinarij custodem se inviseret, ut tantùm Deo suo vacaret. Itaque ritè paratus ad luctamen supremum, defunctus est morte suavissimâ.

P. Thomas de Cunha.

IN navigatione Indica efflavit animam anno 1666. Navem dictam à S. Benedicto conscenderat cum P. Hyacintho de Magistris; Cùm ob tempus, & ventos contrarios progredi non posset, ex ipso itinere coacta est Ulyssiponem petere. Labores innumeri eam tenuerunt navigationem, & regressum, quos propter Deum sustinuit æquis animis, accesserunt morbi cæteris malis; ægrotavit, sed cùm videbatur jam convalescere, in eundem morbum recidens vitam absolvit inter suavissima cum DEO suo colloquia. Optimis exemplis, & amabili morum candore omnium animos sibi devinxerat.

DIE

DIE XII.

Franciſcus Rodrigues Coadjutor.

ANno 1613. è vita ceſſit Eboræ. Cùm erat Novitius, homines liqui proditæ conſcientiæ, ut ejus nfamarent patrem, dixerunt Tyroum Magiſtro, Franciſcum eſſe naum ex parentibus ſanguinis infecti. Nihil dubitans Magiſter de veritate, quando à multis affirmabatur, eum xpulit de Societate. Ob hujusmoli falſas delationes parùm eſt fidenlum ipſis, niſi veras probet diligenıſſimum examen. Igitur Franciſcus lolens ſuam vicem, & ſibi conſuens delatores mendacij convicit, c rurſus animum ad Societatem neundam adjecit: Reliquam viam innocenter traduxit: Venerat Româ cum Patre Provinciæ Procuraore, quem illuc comitatus eſt, cum hthiſi cæpit conſumi. Vicinus mori conjiciens oculos in quendam conclavis locum, habuit fixos, atque riſu blando, & ſuaviſſimo frontem explicavit, mirantibus, qui aderant, rem tali tempore inſperatam. Percontantur, ſiquid videat cæleſte? ſignificavit nutu capitis, ſe videre. Rurſus ſciſcitantur: Conſpiciat ne B. Virginem? pari ſignificatione, ſe conſpicere, declaravit. Statim ſequuta mors eum ſolvit vinculis corporeis, ut abeuntem comitaretur Virginem.

P. Antonius de Vaſconcellos.

ANno 1622. naturæ conceſſit Eboræ. Natus Ulyſſipone parentibus magnæ nobilitatis Bartholomæo Froio, & Soeira Vaſconcellia Societatis noſtræ benefactoribus amantiſſimis. Studebat Antonius Eboræ, eratque convictor Collegij Portioniſtarum inſtituti ab Henrico Cardinali, quod regebatur à noſtris hominibus; eorum familiari conſuetudine permotus Eboræ ſe noſtræ Societati conjunxit 13. Septemb. 1570. Floruit præclaro ingenio, ac præſertim dotibus, quæ inſignem conſtituunt Dei verbi præconem: obivit ſacras Miſſiones quamplurimas: Anno 1601. agens Moderatorem Farenſis Collegij ſerviit peſtilentiâ contactis magno totius urbis exemplo: Poſuit exordia Portalegrenſis Collegij: Vir fuit de Luſitana natione immortaliter meritus; dum ſcripſit, ac typis vulgavit elegantiſſimum opus de Regibus Luſitanis latinè compoſitum: Rexit Eborenſe Collegium, & Academiam: Ipſi debetur auguſtum Eborenſis templi ſanctuarium pretioſis ornatum lipſanothecis, ad cujus expenſas contulit bonam ſummam illius mater. Decem poſtremos vitæ annos laboravit crudeli podagrâ penè ſemper lecto affixus. In his ad vitandum inutile otium compoſuit duo volumina de Angelo Cuſtode linguâ vernaculâ, quod opus multùm oſtendit, tum ejus pietatem, tum

tum ſacram eruditionem ; Igitur diuturnis excoctus morbis, ut flammis aurum, cælitibus additus eſt.

P. Alexander Vareus.

IN Collegio Portuenſi anno 1694. è vivis abiit. Natione Hybernus. Negotiabatur in urbe Portuenſi, cùm veſperi causâ laxandi animi prodivit ad fluminis Durij ripam. Ipſo tempore, nubibus denſis aëre nigreſcente, & fulgurante, de nube fulmen excuſſum ingentem edidit ſtragem in nave, quæ ſtabat in anchoris : Attonitus caſu Alexander ſecum perpendit, ſe illo percelli fulmine potuiſſe : à Deo tacitè monitum, ut animæ ſuæ conſuleret ſaluti. Hæc ſecum ſemel, iterum atque iterum volutando rebus humanis nuntium remiſit, ac ſe dedit Societati Conimbricæ 11. Junij 1681. ætatis 25. Abſolutis ſcientiarum ſtudiis, redivit ad Portum, ut negotiatores alienigenas juvaret in ſpiritu, & operam daret reducendis hæreticis. Omnibus inſtar Angeli eſt habitus, & Vir moribus probatiſſimis, & caſtiſſimis. Virgineam integritatem ſervavit illibatam. Urbanitas reddebat omnibus charum. Biennio, quo in ea urbe vixit, plurima in utilitatem animarum egit opera. Certior factus de propinquâ morte mirificè lætatus eſt. Oſculabatur ardenti affectu Domini Crucifixi plagas, habens ipſi quàm maximas gratias, quòd ſuæ conjunxerit Societati, & in eadem moreretur.

DIE XIII.

Joannes Fernandes Coadjutor.

ANno 1695. vitam explevit Eboræ. Natus in oppido *Portel* Diœceſis Eborenſis. Societatem ingreſſus Eboræ 4. Decemb. 1639. Antiquo more præditus, ob inſignem charitatem egit Cuſtodem valetudinarij plurimis annis. Cùm Luſitana Princeps Catharina nupſit Anglicano Regi, confeſſarium elegit è noſtris Antonium Fernandium, qui Joannem ſibi voluit Socium. Londini Catholicis pauperibus multùm ſuccurrit eleemoſynis, in eos inſumens bonam partem congruæ ſuſtentationis, quam largâ manu illi Regina deſignaverat. Quod ſciret artem conficiendi medicamenta, ea componens dabat catholicis egenis. Mortuo confeſſario, & Londinum euntibus Patribus Benedicto Lemio, & Auguſtino Laurentio, cum ipſis illic eſt commoratus, donec omnes in Luſitaniam redierunt. Cæteros annos Eboræ tranſegit, ubi erat omnibus magno exemplo. Nullus ſermo præter eum, qui de Deo fuit, ipſi placuit. Verbis divino ſuccenſis igne loquebatur de SS. Sacramento. Ei conceſſum eſt ob eximiam virtutem ſingulis diebus cæleſti pane refici. Virginem glorioſiſſimam veneratus ſingulari pietate. In ſacello ſuburbanæ villæ, quod S. Franciſco Xaverio dicatum eſt, poſuerant Divi ſimulacrum in ara pri-

rimaria: Id Joannes non tulit; propterea illius precibus effigies B. Virginis translata ad aram præcipuam, & S. Xaverij ad eam, in qua Virgo uerat. Locupletavit idem facellum argenteâ fupellectile magni pretij; Tandem de vivis fublatus eft poplexiæ incurfione.

DIE XIV.

P. Nicolaus Fenal.

ANno 1630. in regnoCongo apud Angolanam Æthiopiam vitâ defunctus. NationeFlandrus. Propter ingenium fingulare miffus ad ftudendum Theologiæ in Romanum Collegium. Verum compulfus defiderio juvandi animas contendit ad Angolam. Docuit Moralem fcientiam inCollegioLoandæ. Maximo illi erant odio detractiones. Ardebat ferventi erga proximum charitate. Omnes Deo conjungere fatagebat. Inter faciendum facrum mira devotione affici folitus: eandem oftendebat legens pro menfa, id enim penfum cæteris adjunxit. Quotidie usque ad fanguinis effufionem fe vulnerabat flagello: diligentiffimè curavit, ne fuis operibus rationes humanæ mifcerentur. Vacillantes aliqui in fua vocatione, tentarunt Nicolaum, conatique funt illi perfuadere, ne vellet adire Congum, quòd effet ftatio alienigenis perniciofa. Tamen ille fuafiones contemnens, antetulit vitæ obedientiam. Die 7. poftquam Congum attigerat perniciabili febre implicitus mortem oppetiit. Propter fimiles Sociorum obitus cum multo Societatis detrimento, & emolumento, vel admodùm exiguo, vel nullo, illa ftatio planè infelix deferta eft, ut Religioforum pretiofæ vitæ utiliùs alibi infumerentur.

P. Gafpar de Gouvea.

ANno 1672. Romæ de vivis abiit. Natus in urbe Vifenfi. Conimbricæ Societati adfcriptus 3. Maij 1614. Virtutem folidam, & fine fuco in eo fufpexerunt omnes: Obfervantiæ religiofæ inarfit zelo: fingularis illi prudentia ad promovendos Juniores tum in litteris, tum in fpiritu, propterea egit Conimbricæ illorum Præfectum. Ob excelfum animum, & in adminiftrandis rebus maturum, & fanum confilium, tranfegit vitæ majorem partem obeundo magiftratus. Bis fuit Collegij Conimbricenfis Minifter. Vifitator recognovit Infularum Collegia. Vice Rectoris loco Conimbricenfe rexit Collegium, & loco Provincialis Provinciam, quam vocabant Portugallenfem, cùm duæ fuerunt in hoc regno. In Comitiis univerfæ Societatis anno 1662. habitis Romæ, cùm effet abfens, electus eft Affiftens. Perfpecta eft in ipfo humilitas profunda, in adverfis patientia infignis, & fpecialis veneratio adverfus Inftitutum noftrum. Accuratiffimè explevit femper tempora deftinata peragendis exercitiis fpi-

ſpiritualibus. Adhibuit multam vigilantiam in ſe frangendo, ac vincendo: idcircò non fuit, qui ipſum videret iratum, aut leviter commotum.

DIE XV.

P. Magiſter Simon Rodrigues, è primis S. Ignatij Sociis.

HÆc dies, quâ non eſt huic Provinciæ Luſitanæ illuſtrior, tot heroibus hujusmodi opus exornat, ut mereatur non dico albo lapillo, aut adamante, ſtellâve, ſed ipſo ſignari Sole. Agmen ducat Simon poſt Ignatium, omnium Parens. Luſitanus natione, natus in oppido *Vouzella* Diœceſis Viſenſis. Contingebat ſanguine popularem ſuum D. Ægidium Ordinis Dominicani grande aſtrum. Ejus parentes dicebantur Ægidius Gonſalvius, & Catharina Azebedia: Vicinus morti illius pater accipiens parvulum in ulnas ſuas, his verbis tradidit matri: *Tibi commendo plurimùm hunc puerum, educa ſpeciali curâ, quoniam eum ad magnas res gloriæ ſuæ Deus elegit.* Eventus oſtendit altiori motum inſtinctu hæc locutum. Ubi per ætatem licuit cum fratre ſeniore miſſus LutetiamPariſiorum ad bonarum artium ſtudia. Quod per id tempus Academiis carebat Luſitania, Regni divites, & nobiles vel Pariſios, vel ad alias inſigniores ibant Academias; Quanquam erat vividus ingenio & naturâ, talisque ſupra modum à cæteris exiſtimaretur, nunquam ſe vitiis contaminavit; Sæpè ille à mulierculis ad turpia ſolicitatus, generoſo animo reſpuit harum Sirenum non ſolùm voces, ſed incurſus. Anno 1536. laureatus eſt Artium Magiſter. In tabulario Conimbricenſi conſervamus pergamenam chartam hujus gradus ipſi collati teſtem. Illic adjunctus eſt S. Ignatio, fuitque ejus Sociorum tertius. Referens Simon hanc ſuam converſionem, ſic ait: „ Alter fuit „ natione Luſitanus, qui ob ſuos „ defectus, & miſerias non mere„ tur nomen inter Dei ſervos tam „ magnos; Verùm ut ſequar diſcur„ ſum, & ordinem, de quo tracta„ tur, ſolùm dicam, quomodo hic „ potenter motus, & vocatus à „ Deo, ut vitam mutans ipſi ſervi„ ret: Et quamvis nunquam ege„ rat, nec locutus fuerat cum P. Ig„ natio, tamen propter habitam „ notitiam de ipſius ſanctitate ſta„ tuit illi manifeſtare deſideria ſua, „ & animam: Et ſine ullius perſua„ ſione, & quin adhuc ſciret pro„ poſitum, quod erat Patribus in„ viſendi terram ſanctam, & con„ ſumendi vitam totam (uti etiam „ alij conſtituerant) in juvamine, „ & lucro ſalutis proximorum. Hæc ille de ſe. Præbuit illi S. Ignatius meditationes Exercitiorum ſpiritualium, è quibus exiit adeò mutatus, ut ceſſarent omnia vividæ naturæ argumenta, quæ in eo culpabantur. Pariſiis cum aliis Sociorum egreſſus ad viſitandam Hieroſolymam. Pri-

rimo die itineris noctu crevit illi agnus, & rubicundus tumor super ium ex humeris, qui tantum vis ingentem movit in omnibus stu-orem. Totam traduxit noctem hui jacens acutissimos inter dolores orporis, & animi anxietates, nec at minor dolor, quòd existimaret, progredi non posse. Verum ane facto, & horâ proficiscendi, dvertit tumorem nullum adesse, ec vestigium quidem sui reliquisse. nde cognitum est Cacodæmonem umoris authorem, ut ab ea via il-im absterreret; Post dies aliquos im adeptus est illius frater cum lio consanguineo, qui tum suasio-ibus, tum minis accusando stultitiæ onati sunt ab itinere retrahere; erùm Simon multa differens de erum humanarum vilitate, firmus erseveravit. Videntes ipsi perdi peram, se Parisios contulerunt. rope Metas Lotharingiæ tentatus st ardenti desiderio sequendi vitam olitariam, ad quam semper animum xpertus valdè propensum; Cùm udisset duobus ab urbe milliaribus ediculam sacram esse, ibique Eremi-olam habitare; insciis Sociis, eum divit locum, ubi tantùm reperit ediculam dirutam sine ullo morta-ium; dum redit ad socios, fit illi bvius vir robustus, invitans in do-mum meretriculæ; Quò magis Si-mon conatur ejus elabi manus, & importunitatem, eò magis vir oc-cupans viam, laborat impedire gradientem. Post multam alterca-tionem ad manus est ventum, luctatique sunt, rusticus ut Simonem prosterneret, Simon ut illum à se abigeret; Tandem post laboriosum congressum, Simon totum impetum, & vires colligens rusticum à se depulit, ac liber ab ejus manibus cucurrit fessum inter anhelitum ad quam diximus, ædiculam. Oravit illic, ac statim per aliud ostium egreditur adversario insequente: Rursus colluctati sunt pari sudore, donec Simon impetu simili arcuit à se rusticum, & quantâ potuit festinatione in urbem properat, rustico à tergo oblatrante, & sequente. Simoni putabatur à nemine se videri; nam cùm per urbem currerent, nullus erat populi ad rem insolitam motus, & attentio; Tandem rusticus sub scalis domûs sistens digito minaci tangens narem, nescio, quid Simoni intentavit, tanquam diceret: Mihi persolves. Post itinera trium mensium pedibus facta, crebra inter pericula divino protecti favore Venetias adventarunt; ubi jam illos expectabat S. Parens Ignatius; dum non appetivit tempus profectionis Hierosolymam, divisi sunt per urbis nosocomia, ut inservirent ægrotis. Simon hospes fuit in nosocomio Divi Pauli: Semel altâ jam nocte illò pervenit elephantiacus: cùm nollent admittere, quod lectus non erat, in quo jaceret: Simon rogavit, suum lectum offerens, ne pauperem dimitterent: domi exceptum collegit Simon in sua stragula, ac

 simul

ſimul cum ipſo ſub eisdem linteis ſomnos cepit. Mane leproſus evanuit, quin ſentiretur abitus; & Simon totus apparuit fœda opertus elephantiaſi. Triſtibus ob rem ſociis, ſolum ipſe lætus ajebat; Nihil eſſe. Tota dies illa fluxit inter mœrorem comitum, verum ſequenti die ſurrexit Simon mundus, ac ſanus omninò. Conſumptis in eo charitatis officio menſibus duobus & medio, manente Venetiis Ignatio, Socij bini, ternive profecti Romam ad obtinendam Summi Pontificis benedictionem, ut ſuſciperent iter Hieroſolymam. Multos labores in ea via perpeſſi ſunt. In hoſpitali domo ternis unum tantùm cubile paratum eſt linteis immundis ſanie fœtidi, & ulceroſi pauperculi, qui illic pernoctaverat. E ſociis cubuit alter veſtitus, nudus alter, Simon ad talis aſpectum lecti exhorruit, nec illo auſus eſt uti. Poſteà ipſum altè pænituit, quod ſe non vicerit. Brevi fuit oblata occaſio perditum lucrum recuperandi: nam ingreſſo noſocomium reſponſum eſt vacare tantum lectum unum, in quo perierat mendicus ex morbo pediculari: ſindones vivo non fuiſſe uſui, verùm cadaver ſuper eas locatum; ex hoc ſolum eſſe opertas pediculis. Acceptavit Simon hujusmodi lectum talibus paratum linteis. Jacuit nudus inter id tormentum, ſudans, & ſe volutans tota nocte aſſiduis pediculorum morſibus corpus vellicantibus. Mane ſurrexit lætus, quod ultus abundè fuerit horrorem priſtinum, & egregiam de ſe ipſo victoriam reportaverit. Ravenæ, dum rogat ſtipem in ſummitate ſcalarum, prodeunt impudicæ fæminæ, invitant, ac provocant: conterritus aufugit, & ab infima porta cæpit tonare adverſus earum ſpurcos mores, & minari ultionem Divinam, niſi reſipiſcant: ex ipſis una converſa eſt, quantumque id doluerit cacodæmon, non dubiis ſignificavit indiciis. Romæ ſunt allocuti Summum Pontificem, & coram ipſo diſputaverunt. Præter benedictionem ad iter Hieroſolymitanum impertivit facultatem ad excipiendos ſacros ordines. Redierunt Venetias, ubi Simon eſt initiatus. Impedito itinere propter bellum inter Venetos & Turcas, commorati ſunt integro anno, ut ceſſarent obices; Interim diviſi per diverſa oppida ad inſtruendum populum. Simon cum Claudio Jayo conceſſêre Baytanum. Illic eos hoſpitio excepit humili ſub tecto vir pius Eremicola habitans prope ſacram ædiculam ſancti Viti. Ex rigore, quo ſe tractavit, ægrotavit Simon. Certior factus Ignatius eò convolans inquit infirmo: *Lætare, Magiſter Simon; Deus enim tibi vitam extendit.* Statim quæſivit ægroto commoda meliora, quibus brevi eſt reſtitutus ſanitati; Poſteà ex occaſione propenſionis ad vitam ſolitudinis ſumpſit anſam malus Dæmon Simonem tentandi; Etenim ſecum dubitavit: Eſſetne melius Deo ſervire

re cum illo ſancti Viti Eremicola, n cum Ignatio, ejusque Sociis. Nulmentem ſuam aperiens, quæſivit emicolam, ut eum de hac re conleret. Non multum viæ ſuperaerat, cùm ante ipſum apparuit ques metuendus, nudato enſe, vulis intentans; Cùm nihilominus mon ire pergeret, citato equo in m convolat. Territus mortis etu, effuſo curſu urbem petivit quite inſequente. Feſſo anheli domum intrat, ubi erat Ignaus, qui filium blandis intuens culis, *Modicæ fidei*, inquit, *quare ubitaſti?* Tunc intellexit Deum natio patefeciſſe, quod ipſe ceſſet, equitem fuiſſe ſuum cuſtoem Angelum: nam ambobus per ediam currentibus urbem, nulis ex innumerâ plebe eos viderat; uod eſt cognitum ex tranquillite, quâ ſinguli huc, illucque ontendebant. Hoc ſecundo moitu firmatus in propoſito ſequendi gnatium; Poſteà magna peregit erraræ, ubi fecit primum Sacrum, einde Patavij. Omnibus Romam onvenientibus ad condendum, uem meditabantur ordinem, juſſu Pontificis Simon adivit Senenſem rbem, ut eam liberaret ab erroribus, quibus miſerum, & ſimplicem opulum Dæmon illaqueabat, quas nimici technas feliciter difflavit. Per id tempus Joannes III. Luſitaniæ Rex piiſſimus per Petrum Maſcaeniam Legatum ſuum aliquos è noſtris ad Miſſiones Orientis poſtulavit à Summo Pontifice. Re commiſſa Ignatio, deſtinatus ad eam expeditionem Simon, & Bobadilia. E Senis vocatus Simon, quanquam quartanâ impeditus, nave conſcenſâ in Civitateveteri, ſolvit in Luſitaniam. Interim cum Bobadilia morbo laborat, deſignatus eſt ad idem iter capeſſendum cum Legato Regis Xaverius, inſcio Simone, cui multa contigerunt in ea navigatione, quæ fuſiùs ſcribo in prima parte *Imaginis primi Sæculi hujus Provinciæ*. Appulit Barcinonem, inde terreſtri itinere venit ad usque fines Luſitaniæ in Provincia Ciſtagana, ubi aliquandiu commoratus expectans Legatum, & Xaverium, hujus adventu, & complexu liberatus eſt diuturnâ quartanâ. Inde ambo fecerunt iter pedibus. Tranſierunt per oppidum *Fataunſos* prope Simonis patriam; ubi illius vivebat mater, quam noluit inviſere, imitans Xaverij præclarum exemplum: Magna de ipſis erat Ulyſſipone expectatio; Illò adventantes excepit Rex paterno vultu, & amore. Captus hoſpitum modeſtia, affirmavit ſibi videri *Apoſtolos*, quod verbum tantum omnium inſedit animis, ut eo nomine noſtros ad hodiernam usque diem Luſitania dignetur. Vulgatum eſt inter plebem ipſos ex oppido *Tancos* per Tagum deſcendiſſe Ulyſſiponem ſuper pallia ſua in aquis extenta innixos baculis ſuis: Quæ exiſtimatio, quanquam falſa, multùm valuit, ad augendam opinionem, quam pe-

pepererunt amborum exempla. Scio, me recedere ab Annalibus Orlandini in hujusmodi narratione, ſed hæreo Tabularij Conimbricenſis documentis admodùm vetuſtis, & conſcriptis ab eis viris, qui Simonem audiverunt; quæ expendo citato libro. Noluerunt admittere hoſpitium pro Regis liberalitate paratum, ſed in noſocomio à Sanctis dicto. S. Xaverio ad Indos profecto, ſubſtitit in Luſitania Simon, ut fundaret Conimbricenſe Collegium tanquam SeminariumMiſſionum Orientalium. Huic tanto Collegio totius Societatis primo, hominum Apoſtolicorum & ſapientium nobiliſſimæ ſedi poſuit exordia die Viſitationis S. Deiparentis anno 1542. Vacante Epiſcopatu Conimbricenſi, voluit Rex honeſtare hujusmodi infulis Simonem, quas ipſe rejecit animis generoſis; & primus fuit, qui in Societate hunc honorem à ſe depulit. Tunc conſtitutus eſt Magiſter, & Confeſſarius Principis Joannis Sebaſtiani Regis parentis. Ille fuit primus in noſtra Societate Provincialis. Hanc fundavit, & rexit Provinciam multâ prudentiâ, & exemplis; Cùm forent promulgandæ noſtræ Conſtitutiones, miſſus eſt ad regendam Aragonenſem Provinciam, quanquam, re infectâ, morborum causâ rediit in Luſitaniam; Inde Romam accitus à S. Ignatio. Cùm eſt amotus ab magiſtratu, exorta eſt inter Socios magna animorum turbatio, quam ipſe fuerat vaticinatus. Multa contra Simonem ſcripſit Orlandinus, & ex ipſo ali fundamentis parum ſolidis. Noluit S. Ignatius eum in Luſitaniam reverti, ne rurſus imperfecti turbarentur. Dynaſtæ Luſitani adept ſunt à Pontifice per legatum Regis in Urbe Breve, ut vocant, ſive litteras; quibus Simoni fiebat poteſtas habitandi in Luſitania, ubi vellet, immmunis à S. Fundatoris imperio, quod cum oſtendiſſet D. Ignatio, ipſeque reddidiſſet, Simon, ne tale relinqueret poſteris exemplum, laceravit; dicens, nolle ſe uti tali immunitate. Ad annum 1564. vixit in Italia; tunc migravit ad Hiſpaniam, ubi vitam exegit ad usque annum 1573. quo reſtitutus eſt Luſitaniæ. Eo in itinere completum eſt vaticinium, quod erat ex ipſo editum, antequam abiret è Luſitania; Nam prædixerat Didaco Pinto nato in Oppido *Villa de Conde* Interamnenſis Provinciæ, qui tunc erat Religioſus Societatis: Ipſum Didacum ob morbos ſuos exiturum de Societate, ducturum uxorem, ædificaturumque domum novam in oppido dicto: ſe multis annis abfuturum à Luſitania, cum regrederetur, in ea domo à ſe inviſendum. Cum duas vaticinij clauſulas Didacus videret expletas, poſt annos non minùs 20. ſtupuit, cum introeuntem domum ſuam Simonem conſpexit. Hujus viri graviſſimi teſtimonium conſervamus in tabulario Conimbricenſi. Vix credi poteſt,

eſt, quantum fuerit totius Provin-
iæ gaudium ſuaviſſimo parente ſuo
ecepto. Luſtravit omnia Collegia,
t tandem conſedit in Domo Profeſ-
ı Ulyſſiponenſi. Rex Sebaſtianus
oluit, ſibi foret à confeſſionibus,
t fuerat ſuo patri; Verùm cauſans
um ætatem feſſam, tum morbos,
ė ſubtraxit illi honori. Paulatim
um lenta febris depaſta eſt lecto
ærentem; Cùm movendum ab aliis
rat corpus, ajebat: *Transferte, quò
ibuerit, hunc terræ ſaccum.* Adeò fuit
ttenuatus, ut vix præter oſſa, &
ellem haberet aliquid. Sentiebat
rdentiſſima deſideria Deum coram
ntuendi: Quælibet hora, qua in
ac vita morabatur, erat illi inſtar
æculi: Pronuntiabat colloquia, &
erba piiſſima. Paucis ante obitum
oris rogavit Domûs Præpoſitum,
cciri juberet Socios omnes, quibus
ixit, verba noviſſima inſtar Patriar-
chæ Jacobi ſingulos complectens.
Multa commendavit filiis ſuis præ-
ſertim amorem erga Societatem.
Hora ſecunda poſt noctem mediam
circumſtantes intuens dixit, ſe mori.
Tunc pronuncians ſuaviſſimum JE-
SU nomen, nullo facto motu, deſiit
vivere. Omnes ejus manus exoſcu-
lati, collegerunt tanquam reliquias
de rebus, quibus uſus fuit. Vide-
runt in ejus pectore ferro exaratam
crucem, de qua paucis diebus ante
mortem, ne putaretur divinum ali-
quid, declaraverat cuidam Socio,
à ſe factam, quando ſe totum pri-
mò ad Deum convertit. Eodem momento, quo expiravit, viſa eſt ſuper tectum cubiculi lux ingens. Illius oſſa condita ſunt in ſarcophago parietis templi cum inſcriptione. Primus parens fuit hujus Luſitanæ Provinciæ, Braſilicæ, & Indicarum, & Hiſpanienſium. Miraculis tum vivens, tum mortuus eſt illuſtratus: virtutes in eo usque ad certamen colluxerunt omnes: Spiritu prophetiæ afflatus prædixit quamplurima, quæ probavit eventus; Propterea magis mirandum ac dolendum eſt, quod tam parum decorè de illo ſint ſcripta nonnulla ab ipſismet, qui deberent tanti hominis venerari cineres; ſed illi ſolatium erit alius è primis Patribus, de quo habet Hiſtoria Societatis, quæ indignationem contra talem ſcriptorem pariunt legentibus: cum S. Parens Ignatius apertè dixerit, neminem fuiſſe, cui plus deberet Societas; Ut fatear, quod ſentio, lectis noſtrarum rerum annalibus, vix erit è noſtris, cui magis ſit obſtricta Societas, quàm Simoni; Illius enim apud Regem gratia, quæ maxima fuit, tota incubuit unicè ad promovendas res novæ Socieatis, tum in Luſitania, tum in cæteris Europæ regnis; Cùm in lucem eſt edita Orlandini Hiſtoria, magnæ & juſtæ adverſus eam fuerunt Luſitanorum Patrum querelæ, quibus viſa ſuis oculis eſt Simonis gigantea ſanctitudo: Conclamatumque eſt, purgaretur illa Hiſtoria, ut mererentur fidem cætera, quæ referebat. Obivit Simon

anno 1579. regnante Cardinali Henrico.

P. Ignatius de Azevedo Martyr.

ANno 1570. in navigatione Braſilica prope Fortunatas Inſulas martyrio laureatus unà cum 39. Sociis, quorum dux erat Ignatius. Natus ille ex illuſtri familia in urbe Portuenſi, Patre Emmanuele Azebedio, cujus etiam fuit filius Hieronymus Azebedius Indiæ Prorex. Concionante in illa urbe noſtro Franciſco Strada, cœpit Ignatium tædere humanarum rerum. Has inter curas ſeceſſit in villam ab urbe diſtantem; Ibi eum inviſit Henricus Nunius deGouvea, de quo 21. Martij fit illuſtris mentio. Suaſit, ut ambo ſimul irent Conimbricam ad habenda S. Parentis noſtri Ignatij Exercitia; Igitur eò profecti. Ignatius in ſe eſt uſus magnâ ſeveritate; nam multis corporeis caſtigationibus conjunxit omnis levamenti odium. Diebus illis necdum tempore diurno aliam admiſit lucem præter accenſam lucernam. Eis meditationibus ſic eſt illuſtrata illius mens, ut ſe adjecerit Societati 23. Decemb. 1548. bona ſua relinquens Franciſco fratri ſuo. Magno fervore incubuit in perfectionis ſtudium: Orabat per multas horas copioſis adeò lachrymis, ut humum madefaceret. Indulſit ſeveris jejuniis, & caſtigationis corporis tantâ contentione, ut vires alioquin robuſtas valdè debilitaverit. Humilia quæque opificia didicit multa, tanquam eorum lucri[s] eſſet vitam ſuſtentaturus; Sic evaſi[t] inſignis calceolarius & ſartor, ſib[i] & Sociis utilis. Studuit Philoſophiæ in Reſidentia S. Felicis; nam illic noſtri primùm eam intra domeſticos parietes tradiderunt facultatem. Ibi ſtudiis conjunxit tantam corporis afflictationem, ut ſe pænè conſumpſerit. Eum adeò attenuatum videns Simon Rodericius, de quo proximè dictum eſt, ad illum inquit: *Frater Ignati, pingueſce, colorem ſumito vividum, & vires ad ſervitium Divinum.* Tribuerunt omnes Simonis virtuti, quod ex illa hora in dies completum eſt corpus ſucco, & facies induit colores vegetos. Anno 1552. menſe Februario Bracharæ initiatus omnibus Ordinum gradibus. Eodem anno præpoſitus fuit primus Rector Collegio Divi Antonij Ulyſſipone. Laborabat unus inſtar multorum, juvando damnatos ad triremes, mancipatos carceribus, & in noſocomiis lecto addictos, concionando, & excipiendo confeſſiones. Poſteà egit Miniſtrum in Domo Profeſſa. Poſt mortem S. Patris Ignatij eunte Romam Provinciali ad generalem Conventum Societatis, explevit Provincialis vices. Luſtravit Collegia conficiens pedibus itinera. Anno 1560. cùm eſſet electus Archipræſul Bracharenſis Vir Sanctiſſimus Bartholomæus de Martyribus, poſtulavit è noſtris aliquot ad excolendam ſuam Diœceſim: Ex ipſis unus fuit Ignatius: Noluit ad

ſua

ıa commoda uti liberalitate Archi-ræſulis : Hoſpitium illi fuit noſo-omium à Divo Marco : Fecit Bra-haræ magnam, & communem mo-um mutationem. Comitatus eſt ırchiepiſcopum in luſtratione Diœ-eſis. Poſteà agente Bartholomæo le fundatione Collegij noſtri, cum ɔrirentur nonnulla impedimenta ; limiſſus Ignatius, collegit ſe in no-ocomium, ſequenti mane profectu-us Conimbricam. Verum ipſo nane multus eò convenerat popu-us ad expiandas per confeſſionem onſcientias. Dilato itinere, con-ědit auditurus pœnitentes. Hora ɔrandii dixit Archipræſul ad famu-os : *Quantum viæ erit jam emenſus ɔptimus noſter ſocius Ignatius?* Cui unus è famulis : *Mi domine, Bracharæ eſt: modò eum reliqui ſeptum pœnitentibus in templo noſocomij.* Tunc ille: *Citò ad me voca.* Interim ad cæteros : *Me miſerum! tales homines, tam fidos divinæ gloriæ miniſtros abire ſinam è mea Diœceſi? non ita, non ita.* Mandato accepto, reſpondit Ignatius : *Se quamprimum, ubi liceret per pœnitentes, pariturum Excellentiſſimo Domino.* Introeuntem excepit ambabus ulnis tanquàm Angelum : Imperavit, ne recederet, fundandum fore Collegium; Protinus adhibuit vires, & omnes induſtrias ad amovendos obices; denique conſtitutum Collegium, cujus primus Rector Ignatius. Incepit illic cum ſociis vivere, in magnis ædium, & rei domeſticæ anguſtiis, & paupertate in ædificio ſcholarum, quod nobis ſolùm eſt traditum. Culcitras, & ſtragula habebant in domuncula. Noctu quiſque ſumpto humeris lecto ibat pernoctatum in aulis ſcholarum. Se tractabant tanto rigore, ut eſſent obſervantibus admirationi ; Cùm per id tempus Archipræſul adiret Tridentinum Concilium, Patres inviſens Diœceſis Gubernator, miratus, quæ vidit; *Plane*, inquit, *Arrabida non eſt, quæ hujusmodi æquet paupertatem, & rigorem.* Alluſit ad ejus nominis monaſterium, quod in Luſitania colunt Monachi S. Petri de Alcantara, ubi viget ſummus rigor, & ſumma paupertas. Dictitabat Ignatius, ſe milio, & vino viridi, (ſic vocant ejus Provinciæ vinum viliſſimum) fundaturum Collegium, in quo tempore venturo noſtri abundanter viverent. Quod certè eſt factum. Ipſe Archipræſul virtutum egregius æſtimator de Ignatio tanquam de homine ſanctimoniæ inſignis loquebatur, nec aliam opinionem ejus merebantur facta, & labores : Semel panem domi non habens, juſſit dari ſignum ad prandium, ſperans Deum neceſſitati non defuturum. Id ubi peractum ad januam ignota mulier accedens tradidit caniſtrum panibus plenum. Plura alia per id tempus admiranda contigerunt, quæ omitto brevitatis causâ. Indictis Provinciæ comitiis in oppido Almerimo, quod illic Reſidentiam haberemus, dum ruſticabantur ibidem Reges. Eò fecit iter pedi-

pedibus, ferens ante ſe aſellum ſarcinulâ impoſitâ; Is cùm præ debilitate fatigaretur, Ignatius levavit ſarcinulâ, & clitellis, portavitque ſuis humeris, ut miſerum jumentum vires reciperet. Ignatius in diverſoriis agebat agaſonem. Intrans Conimbricenſe Collegium, ſtatim duxit in præſepium, exuit clitellis, mundavit ulcera, & ſtragulo operuit; Cùm illi diceretur venire Socios hoſpitem ſalutaturos, reſpondit janitori, Socios rogaret, parumper expectarent, dum proſpiceret itineris comiti. | Electus eſt, ut Romam adiret Indiæ, & Braſiliæ Procurator: In eis comitiis S. Franciſcus Borgia factus Generalis Ignatium ad Braſiliam Viſitatorem miſit; Unde redivit in Europam, ac Romam, tum edocturus Generalem de ſtatu Provinciæ, tum ad tantam vineam novos conducturus operarios. De illo in commendatitiis litteris ad Summum Pontificem Pium V. inter alia verba hæc habet Archipræſul Bracharenſis: *Veſtra Sanctitas eum exiſtimet virum Apoſtolicum, & plenum Spiritu ſancto; talem enim reputant omnes, qui noſcunt illum in hac Luſitana Provincia.* Magno in honore eſt habitus à S. Pio V. D. Franciſcus Borgia conceſſit, ut ſecum duceret operarios ex Provinciis, per quas tranſiret; deinde Reginæ Luſitaniæ dono dandum tradidit primum exemplum imaginis B. Virginis depictæ à D. Luca; Etenim ad id tempus venerationis causâ Pontifices pingi non permiſerant. Hujusmodi picturam hodiè conſervamus in ſacro veſtiario templi Domûs Profeſſæ Ulyſſiponenſis appenſam in pariete ſuper eum locum, ub[i] ſunt ſacræ veſtes celebrantium in ar[a] primaria. Curavit Ignatius multa[s] fieri ſimiles picturas, quas donavi[t] noſtris Collegiis, ex his unam in ſuo ſacello noſtri colunt Eborenſes Novitij. Vix explicari poteſt, quantum noſtros, tum in Hiſpania, tum in Luſitania accenderit ad eundum in Braſiliam. Integra Collegia ſanctum Virum volebant ſequi. Præcipuus animorum motus exarſit Eboræ non ſolum in noſtris, & Academiæ Scholaſticis, ſed etiam in Sæcularibus urbis incolis. Habuit Ignatius ad captandos animos mirum in verbis ſuis veneficium, & vim planè cæleſtem. Conjunxit operariorum egregiam, & numeroſam cohortem: Cum hac aliquot menſibus commoratus in prædio Ulyſſiponenſis Collegij, quod vocant *Vallem Roſarum.* In eo ſeceſſu tot fuerunt virtutum exercitia, ut ipſe Ignatius ſcripſerit, ſe non ſperare æquè piè, ac devotè dies ullos tranſacturum. Appetente navigationis opportunitate migrarunt ad Profeſſam Domum: Unà cum triginta novem conſcendit navem à S. Jacobo dictam. Cæteri diviſi ſunt in alias naves, claſſis univerſæ Præfecto Ludovico Vaſconcellio. Ex Inſula *Madeyra*, quò appulerunt, neceſſum fuit navi à S. Jacobo accedere ad Inſulam Palmam unam

nam de Fortunatis. Non carebat er periculo, quod sciretur piratas æreticos id mare habere infestum. Protinus confessione, & sacro pane ectores, nautas, & Socios Ignatius nimavit ad tantum periculum: Omnes mirificè recreati sunt; Quatuor è Sociis non ausos, reliquit in nsula, sumptis eorum loco aliis uatuor. Ex ipsis quatuor ne unus uidem in Societate perseveravit. Perveniens ad Terjamcortem fidam avibus stationem Palmæ Insulæ, iberaliter ibi exceptus à viro Flandro, cum quo fuerat educatus in urbe Portuensi. Ejus suasione staterat ad urbem ire terrestri itinere; Verùm facto Sacro, intellexit Dei voluntatem esse, mari contenderet. Cùm navis velificabat portum intratura, incidit in Myoparones Jacobi Soriæ piratæ hæretici natione Galli, & Calvinistæ Societatis hominibus infensissimi; dictitabant enim hæretici per nostros stare, quò minùs universa Gallia non sequeretur Calvini dogmata. Navis à S. Jacobo dimicavit ardentiùs quàm pro viribus, & paucitate militum: Tandem expugnata est multorum cæde: destinaverat Ignatius è Sociis nonnullos, qui verbis incenderent defensores: Ipse tenens manibus picturam B. Virginis, & stans prope maximum navis malum, magnis vocibus & hæreses detestabatur, & clamore præliantibus addebat animos. Illîc, (è Sociis aliquot jam occisis) aderat, cùm hæreticus inflixit capiti læthale vulnus, alij tribus, aut quatuor ictibus transverberarunt. Corruens ille altâ voce clamat: *Omnes mihi sint testes, me pro fide catholicâ, & sanctâ Romanâ Ecclesiâ mori.* Quatuor milites, qui Ignatium vulneraverunt, repentè obcæcati sunt. Accurrentes Socij Patrem inter brachia tulerunt semivivum ad locum navis clavo proximum; Ibi eos animavit, dicens: *Æquum esse praire se, ut ipsis pararet locum.* Sanguine venis exhaustis, defecit, & animam efflavit, manu retinens imaginem B. Virginis, quam non potuerunt extorquere de manibus hæretici, quamvis id post mortem sint conati. Hac imagine natavit super undas; donec nocte appetente, fluctus applicuit navi cadaver, de cujus manibus è vectoribus captivis unus picturam abstulit, à cadavere facilè concessam. Hic in Insula *Madeyra* illam tradidit nostris, indeque delata in Brasiliam, hodiernâ die servari dicunt in Sanctuario Collegij Bahiensis. Eodem tempore septus micanti luce apparuit Hieronymo fratri suo. Diva Theresia vidit Martyrum insignitos laureolis tum Ignatium, tum ejus Socios, de quorum apotheosi procuranda non est oblita Societas.

De XXXVIII. Sociis Ignatii.

DUcem Ignatium eâdem die sunt comitati Socii, de quibus dicendum est, nam alius die sequenti necatus

catus. Illorum ſubjungo nomina ordine alphabetico. I. *Alexius Delgado* natus Helviæ, Societati adſcriptus ætatis anno 14. dicens ſe plurimùm deſiderare mori Martyrem. II. *Alphonſus Baena* Coadjutor è Toletana Provincia, projectus in mare vulneribus confoſſus. III. *Alvarus Mendes* Scholaſticus domo Helvienſis vivus in undas præcipitatus. IV. *Andreas Gonſalves* Scholaſticus, natus Vianæ Diœceſis Eborenſis, ſauciatus vulneribus ejectusque vivus in mare. V. *Antonius Correa* Scholaſticus Portuenſis; Antequam ad nos veniret, ſingulis diebus DEUM rogabat, ut ſibi donaret pro fide mori: Vivus in undas devolutus. VI. *Antonius Vaz* Coadjutor Portuenſis, vulneribus transfoſſus in fluctus dejicitur. VII. *Antonius Fernandes* Coadjutor, natus Ulyſſipone, aut Monte majore novo, multis ſaucius ictibus in mare jacitur. VIII. *Antonius Suares* Coadjutor ex oppido Trancozo ſemivivus vulneribus plenus demergitur. IX. *Benedictus de Caſtro* Scholaſticus natus in oppido *Chacim* Diœceſis Mirandenſis, vivus mittitur in pelagus. X. *Blaſius Ribeyro* Coadjutor Bracharenſis, capite fracto jam mortuus mari traditus. XI. *Dominicus Fernandes* natus Borbæ Diœceſis Eborenſis plurimis ictus vulneribus in mare miſſus. XII. *Pater Didacus de Andrada* ex oppido *Pedrógam*, vulneratus plagis mortiferis conjicitur in fluctus. XIII. *Didacus Pires* Scholaſticus natus Nizæ Diœceſis Portalegrenſis, transfoſſus crudeli vulnere occiditur, ac in fluctus devolvitur. XIV. *Emmanuel Alvres* Coadjutor, natus Eſtremoſii: à plurimis annis noverat divinitùs ſe ad Martyrii palmam electum: variis fractus cruciatibus in undas vivus dejicitur. XV. *Emmanuel Fernandes* Scholaſticus ex oppido *Serolico*, vivus ejectus in mare. XVI. *Emmanuel Pacheco* Scholaſticus Septenſis in Africa vivus præcipitatur. XVII. *Emmanuel Rodrigues* Scholaſticus ex oppido *Alcochete* vivus commiſſus undis. XVIII. *Fernandus Sanches* Caſtellanus natione in undas vivus evolvitur. XIX. *Franciſcus Alvres* Coadjutor ex oppido *Covilham* vulneratus demergitur. XX. *Franciſcus Magalhaes* ex oppido *Alcacere do Sal* vivus emiſſus. XXI. *Franciſcus Peres Godoy* conſanguineus S. Thereſiæ ſaucius vulneribus multis ad mare conjicitur. XXII. *Gaſpar Alvres* Coadjutor Portuenſis pluribus ictus plagis adhuc vivus propellitur in fluctus. XXIII. *Gonſalus Henriques* Portuenſis Diaconatu initiatus in undas vivus emittitur. XXIV. *Gregorius Eſcrivano* Coadjutor ex Logronio in Caſtella vivus mittitur. XXV. *Joannes Fernandes* Bracharenſis vivus ejicitur. XXVI. *Joannes Fernandes* Ulyſſiponenſis etiam vivus eſt miſſus. XXVII. *Joannes Mayorga* Arragonienſis pictor depellitur vivus. XXVIII. *Joannes à S. Martino* Scholaſticus natione Caſtellanus ex oppido *Juncos* Toletanæ Diœceſis vivus ejectus

ctus eſt. XXIX. *Joannes Safra* Coad-
utor ex oppido *Xeres* Diœceſis Pacis
Auguſtæ vivus deturbatur. XXX.
Ludovicus Correa Eborenſis vivus
mittitur. XXXI. *Ludovicus Rodri-
ues* Scholaſticus Eborenſis vivus un-
lis traditur. XXXII. *Marcus Cal-
eyra* ex oppido *Feira* Diœceſis Por-
uenſis Scholaſticus; cum eſt in Sa-
ello Tyronum Eborenſium ad Bra-
iliam deſtinatus, edidit clamores in-
gentes dicens : *O me felicem, quod
ro Martyr!* vivus ivit in fluctus.
XXXIII. *Nicolaus Diniz* Scholaſticus
Brigantinus; Antequam ad nos ve-
niret, ajebat: Cor ſibi divinare fore
ſe Martyrem: Vivus in mare dejici-
tur. XXXIV. *Petrus Nunes* Schola-
ſticus ex oppido *Fronteyra* Diœceſis
Helvienſis, vivus mari committitur.
XXXV. *Petrus Fontoura* Coadjutor
Bracharenſis magnis ſauciatus plagis
evolvitur in mare. XXXVI. *Si-
mon Lopes* ex Oppido *Ourem* Diœceſis
Leirienſis vivus ejicitur: Erat Scho-
laſticus. XXXVII. *Sam Joanninus
Adauctus* Interamnenſis Præfecti na-
vis ſobrinus. Hic vices explevit
unius, cui pepercerunt hæretici,
quod eſſet coquus; Adeò cupiit no-
ſtris adjungi, ut ſemper ipſis adhæ-
ſerit, indueritque habitum noſtrum,
ut unus è Sociis exiſtimaretur: vi-
vus ad undas projectus. XXXVIII.
Stephanus Zurara Coadjutor Cantaber
vivus mari deditur. Hi DEI ſervi,
cum ſint commorati in Domo Pro-
feſſa, frequenter auditi fuerunt in-
ter ſe dicere, futuros ſe Chriſti Mar-
tyres, DEO ſcilicet eos faciente
ſuæ felicitatis vates.

P. Georgius Rijo.

Conimbricæ anno 1614. Superis adjectus eſt. Natus in pago S. Joannis de *Talba* Diœceſis Ulyſſiponenſis. Conimbricæ conjunctus Societati 19. Februar. anno 1548. ætatis 19. Poſt Tyrocinium exactum conſtitutus fuit Collegii Subminiſter: Sacris initiatus eidem Collegio præfecerunt Miniſtrum, quod munus obivit amplius annis 50. egregiis virtutum exemplis. Anno 1566. emiſit ſolemnem trium votorum profeſſionem, excuſans ſe à nuncupanda votorum quatuor, illi oblata, quod, ut ipſe dixit, ſibi non eſſent ad eum gradum dotes neceſſariæ: adjecitq; abundè honoris ſibi conferri in trium votorum profeſſione. A primis in Societate annis maxima fuit de ipſius virtutibus exiſtimatio inter viros & litteris, & virtute præſtantiſſimos: quales fuerunt Ignatius Martinius, Petrus de Fonſeca, Hieronymus Carvalius; Franciſcus Suarius Granatenſis, & alii, quorum teſtimonia prætereo causâ brevitatis. Claudius Aquaviva Univerſæ Societatis Moderator, cùm agitavit de luſtrandis Hiſpaniæ Provinciis, ajebat: Labores itineris reddendos ſuaves, conſiderando, quod eſſet viſurus, & alloquuturus S. Senem Georgium. Conimbricæ apud externos invaluerat mira de ipſo exiſtimatio; quamvis perrarò limen domûs egrederetur. Tot annis bis tantùm, ut ipſe

faſſus

faſſus eſt, deſcendit infra templum urbis maximum. Sereniſſima Brigantina Princeps Catharina, quanquam de facie non novit, ex dictis aliorum de Georgio tanquam de magno Sancto loquebatur. Qui convixerunt ipſi, affirmabant adeò obſervantem æqui, ut poſſent jurejurando teſtari, actionem illius à ſe non viſam, quam levis culpa inficeret. Annis 67. quibus vixit in Societate, prima cogitatio, quâ manè ſurgebat, hæc fuit: *Hodie incipio DEO ſervire* Hinc orta eſt ſingularis puritas, & circumſpectio conſcientiæ, ac vigilans cura, ne de Regulis noſtris ullam violaret. Erat aſſiduus in contemplandis rebus Divinis; necdum infirmus orationem omiſit. Ne horâ ſolitâ deeſſet hujusmodi exercitio, dum per valetudinem licuit, ſemper cum reliquis de lecto ſurrexit manè. Liberatus à Miniſtri officio ob nimiam feſſam ſenectutem, dictum illi eſt, poſſe diutiùs in lecto quieſcere, quod tempus defuturum non eſſet ad ſolitas precationes obeundas, cum ad easdem non deficeret, cùm Miniſtrum agebat, quibus ille: cum ex obedientia id muneris exequebar, DEUS mihi dabat tempus & peragendo muneri, & meis precationibus; modò liber à tali penſo teneor ego tempus mihi quærere ad ſtata devotionis complenda exercitia, valdè mirari ſolitus; cum audiebat dicentes mentem inter orandum diſtrahi importunis cogitationibus, & quæ ex Deo non forent. Id exiſtimabat rem novam, & inſolitam, cæteros ex ſe dimetiens. Oravit ſemper genibus flexis: Eodem modo peregit examina conſcientiæ, quæ nec ſanus, nec ægrotus unquam reliquit. Sacris tam devotè operabatur, ut externi multi adeſſe curarent ad capiendum animi ſolatium. In quacunque occupatione ſic gerebat collectos ſenſus, ut facilè appareret ipſius mentem ſoli DEO addictam eſſe: quidquid temporis ex munere ſuo ſuppetebat, ſolitus cum DEO terere vel orando in cubiculo, vel inviſendo Sacella, vel templi altaria. SS. Euchariſtiam, & B. Virginem ſingularibus coluit obſequiis; Cùm poſt menſam prandii legebatur Martyrologium, ſingulis Sanctis eo ordine, quo nominabantur, ſe commendabat. Ajebat: efficacius non eſſe medium ad obtinendam animæ perfectionem, DEI præſentiâ. E rebus quibusque obviis erigebat mentem ad contemplandum omnium Factorem, ejusque excellentias. Affectibus minùs ſanctis, & appetentiis inſinceris ſic eſt dominatus, ut hujusmodi fœces in eo non ſint viſæ. Lætitiæ tantum habuit, quantum permiſerunt leges modeſtiæ. Res nulla, quamvis facetiſſima, & vel ex ſtatuis eruendo riſui nata, riſum ab ipſo extorſit. Siquis inopinus eventus turbavit domum, vel Socios omnes, nihil ipſe eſt commotus. Culinæ Camino non ſine Collegii periculo flagrante, cæteris flammam extincturis

ris convolantibus inter ſummam trepidationem, adfuit Georgius tam ſui potens, ac ſi nullum immineret periculum: jubet rumpi ligone camini latus, quo remedio reſpirante flammâ, totum difflatum incendium, & emortuum. Fracto ciſternæ muro, & ingens noſtris ſeptis, & Canonicorum S. Auguſtini minantibus aquis exitium, nuntiatum Georgio horarias preces recitanti; Nihil re tantâ turbatus, poſito digito ſuper Pſalmi verſiculum; *Ite*, inquit, *culcitras duas in ciſternam conjicite, aquarum impetu trahentur ad labem muri, & obturabunt.* Non ſecùs evenit. Nemo unquam iratum conſpexit; quod planè rarum eſt, conſiderato, quod egit, munere, & multitudine Sociorum in Collegio Conimbricenſi; ſunt enim fermè 200. & nonnunquam plures. Tam manſuetè iratis reſpondebat, ut omnium ferventes iræ, adinſtar undarum in arena littoris, ejus conſpectu frangerentur. Hæc animi pax adeò mirabilis, & nota fuit, ut poſt illius mortem fuerit ſæcularis perſona, quæ diebus ſingulis tot ſalutationes Angelicas recitabat, quot Georgius annos in Societate vixerat, ut ſibi à DEO adipiſceretur animi, & conſcientiæ pacem; Cùm ſui muneris ratione per domus incedebat pergulas, pedes non ſine ſtrepitu per ſolum trahebat. Id putabant contingere causâ ſenectutis; ſed eo ex officio amoto, cùm non ampliùs ſic incederet; intellectum eſt, voluiſſe noſci adventum ſuum ab imperfectis, ut ſibi conſulerent deſiſtendo à defectibus committendis. Schedas, quibus ſcribebat obeundas pœnitentias, ſervabant nonnulli tanquam reliquias. Obruit ſummo ſilentio ſubditorum peccata. Eâ ratione multos in Societate retinuit. Nemo de illius dubitavit veritate. Injungebat graviores pœnitentias ſubditis, cùm defectus erant modeſtiæ contrarii; quam virtutem & in ſe, & in aliis maximè curabat. Obedientiæ nutibus ſic ſe attemperavit, ut vulgò dicerent, ipſum ſic ſe Majorum voluntati accommodare, ut ſpeculum rebus objectis; quamquam educaverat in Societate plurimos Collegii Rectores, & Provinciales, coram ipſis adſtabat inſtar pueri humilis, & ſubmiſſi. Non ſinebat adverſus illos fieri detractiones. In ſuo munere omnium ſe reputavit vile mancipium. Nunquam in Rectorem conjecit culpam ullam circa res acerbas ſubditis injunctas, ſed ſumebat in ſe talia onera. Agens Vice-Rectorem præbuit facultatem Procuratori emendi caballum ad piſtrini uſus. Ignatius Azebedius Vice-Provincialis cenſens emptionem minùs neceſſariam, vendi juſſit; Cùm deeſſet emptor, injunxit Vice-Rectori, & Procuratori, haberent illius curam, dum non vendebatur: Et Georgius, & Procurator verbum intelligentes, ut ſonabat, caballi ſuſcepêre curam. Præbebant pabulum, ducebant ad ciſternam, dum unus extrahebat aquam, alter tene-

bat capiſtro. Tam cæca fuit in DEI ſervis obedientia. Illius charitas tum erga noſtros, tum externos rebus magnis illuſtrata eſt. Materies virulenta corrumpebat è noſtris unum, extrahendæ nón erat aptum inſtrumentum. Georgius inauditâ charitate paulatim exuxit labiis ſuis putredinem, donec infirmus ſanitati eſt reſtitutus. Petrus de Fonſeca, vir planè magnus conſiderans & partem abſceſſus (vix enim modeſtè explicari poteſt) & Georgii charitatem, ſupramodum admirabatur; nec enim aliquid ſimile obvium fiet in hiſtoriis: Sæpè crevêre in manu externorum eleemoſynæ, quas ipſis dederat, ut panes, oleum, & ſimilia. Non permiſit coram ſe de alienis peccatis ſermonem inſeri: Erat idem omnibus. Magnoperè procurabat, ne deeſſent unicuique neceſſaria, præſertim ægrotantibus; denique Georgius virtutum omnium genere colluxit. Secunda Junii Novitio defuncto conjecto in feretrum, Georgius per otium contemplans jacens cadaver, bis, terve circum feretrum inceſſit, dixitque ad Socium, qui aderat: *Fortaſſe ego primus ero poſt hunc tyronem; Si enim moriuntur agni, juſtius eſt, obeant diem ſuum arietes.* Multa pronuntiavit, ex quibus conjectum eſt, diem poſtremam ipſi à DEO indicatam: Octava Julii cœpit ægrotare. Quæ fecit, ac dixit usque ad obitûs horam, fuerunt plena exemplo. Numquam ſuadere ſibi potuit, aliquid exequi, quod abeſſet à ſumma animi demiſſione; Cùm poſcerent, tanquam à Patre, benedictionem Socii, humilitatis causâ ab illa impertienda abſtinuit; Cùm idem pro ſuis Tyronibus rogaret Magiſter, recuſavit; Verum oſculans ejus manum, & in altum tollens, precatus eſt, Novitiis benediceret, quod egit hujuscemodi verbis: *Omnibus commendo, præſentem ſibi ſemper DEUM habeant, & cuncta, quæ ſunt ex obligatione, peragant magna cum perfectione, & devotione.* Ad vitæ poſtremum anhelitum ſervavit mentem integram: Quando ipſi nominabant Chriſtum, ac ejus Matrem Sanctiſſimam, mirificè lætari ſolitus. Expiravit poſt ſeptimam noctis horam. Ejus corpus venerati ſunt omnes. In colligenda ſupellectile quâ fuerat uſus, ad reliquias, tanta Socios tenuit aviditas, ut rebus jam deficientibus, aliquis ſit conatus rapere armillam portæ, cùm non poſſet eam convellere, abſtulit fruſtum panni, quo erat involuta, ne cadendo cieret ſtrepitum. Illius oſſa cum aliis hominum venerabilium ſunt diverſis condita loculamentis, & inſcriptione in parietibus Sacelli Divo Antonio dicati intra Conimbricenſe Collegium. Ante mortem, quin ipſe adverteret, ad ſolatium Collegii depictus eſt, ejusque imago appenſa in cubiculo Miniſtri, cerniturque ibi adusque præſentem diem.

P. An-

P. Antonius Francisco, & P. Petrus Berna Martyres.

CUculimi in regione Salsetana apud Indos anno 1583. quinque de Societate Martyrio laureati: nempe Rudolphus Aquaviva, Alphonsus Paciecus Sacerdotes, Franciscus Aranea Coadjutor, & Patres Antonius, ac Petrus, qui soli pertinent ad laborem nostrum. Mortis occasio illa fuit: Nostri homines impetraverant ab Indiæ Prorege, ut in terris Salsetanis diruerentur omnia idolorum templa, prohiberenturque cæremoniæ, quibus colebantur ficta numina. Hæc odiorum adversus nostros causa, creverat facto Patris Bernæ. Jussit vaccam occidi, quam ethnici adorabant, ejusque intestinis ungi stagnum, ubi lavacris profano ritu mundabantur. Ibat Rudolphus Salsetani Collegii futurus Rector, cæteri comitabantur sine milite, qui defenderet: Optimam rati ethnici opportunitatem iram satiandi, ac vindicandi suis templis illatas injurias, factâ conspiratione, & sumptis armis irruunt, ac multis vulneribus omnes conficiunt. Patris Bernæ verticem coronæ cum parte cranii unico separant ictu à reliquo capite, tenui tantum pelle vertex hæsit pendens. Immiserunt per oculos hastæ ferrum; & alias quam plures adversus eum exercuerunt immanitates. Patri Antonio sciderunt caput: Quotidiè Sacrum faciens, DEUM rogabat Martyrium. Ipsa, quâ occisus, die, dum Missæ immolat hostiam, sanguis Christi ferbuit in calice, & sic fervendo ebulliit, ut tantum non sit effusus: sequenti die tracta per humum cadavera conjecerunt in puteum, obrueruntque multis ramis, & frondibus eodem missis. Post triduum ex eo loco extracta sunt, & annis volventibus Goam translata ossa conservantur hodiè in Domicilio Tyronum. Antonius natus Conimbricæ, & ibidem Societati conjunctus 7. Septemb. 1571. Audiens Martyrium Ignatii Azebedii, & Sociorum, permotus ad ineundam Societatem. Navigavit ad Indiam anno 1581. cùm esset missus ad Insulas Molucas, coactus ventis contrariis Goam repetere, iverat ad excolendos Cuculimi oppidanos. Petrus Berna natus Asconæ in Lombardia: studuit litteris Romæ in Collegio Germanico. Romæ adscriptus Societati 2. Julii 1577. Paucis post mensibus venit in Lusitaniam destinatus ad Indiæ Missiones: eâ conditione, ut illô iter non faceret, nisi absoluto biennio. Vim omnem adhibuerunt consanguinei, ut eum in Italia morarentur. Irrisit illorum importunos conatus. Conimbricæ tyrocinium continuavit. Anno 1579. Solvit ad Indiam, ubi Sacris initiatus. Dum strenuam promovendæ fidei navat operam, Martyr efficitur.

P. Antonius de Macedo.

IN Domo Professa Ulyssiponensi anno 1693. venerabili senectute extinctus. Natus Conimbricæ. Ulyssipone Societatem amplexus 25. Augusti 1626. Verus fuit Israëlita sine doli umbra. Humaniores litteras apprimè calluit. Aliquot annis vixit Mazagoniæ in Africa Lusitanos colonos nostris ministeriis excolens. Anno 1650. Joannes IV. Lusitaniæ Rex mittens in Sueciam Legatum suum Joannem Pintum Pereyram adjunxit illi, ut à secretis esset, Patrem Macedum. Agebat simul legati Confessarium. Illo munere tectus, nequaquam est ab hæreticis reputatus vir Societatis. Negotia transigebantur latinè, Antonio interpretem agente, nam Legatus eum ignorabat sermonem. Erat ille cultissimus in loquendo, & linguæ elegantiis adjungebat raram modestiam, quæ ipsi fuit virtus innata: Summoperè gratus erat Christinæ Reginæ, tum propter insignem modestiam, tum propter sermonis elegantiam. Odorans illa hominem esse de Societate, de qua non vulgaris apud hæreticos est opinio, inquirendo, & percontando eò devenit, ut se verum existimasse comperit: Et fuit hæc prima fax, quâ Deus Christinæ mentem illustravit, duxitque ad miram, quam fecit, religionis mutationem; patrias detestans hæreses. Ex grato vultu, & Reginæ in Antonium benevolentia ortum est hæreticis aulicis adversus eum odium, Lusitanis invidia: Sæpè Regina secretò cum ipso locuta, tempus exquirens, quo sermones forent sine arbitris, & observatoribus; ne, quid ageretur, aulici suspicarentur. Multa de religione Catholica, ejusque mysteriis, & fundamentis inquisivit: Tandem 12. Augusti 1651. illi commendans summum secretum, nudavit mentem suam hujusmodi verbis: Scias, esse te primum Jesuitam, quem novi; de quibus Viris audieram multa, quod essent in rebus tractandis præstantissimi, & exculti omni scientiarum genere: volo tuâ uti diligentiâ in negotio maximi momenti, cujus secretum tibi credo unicè. Mihi mens est Romanam amplecti fidem, quam solùm veram existimo; Quoniam, abeunte Legato, manere hic non potes, iturus es Romam, & meam mentem explicabis Generali Societatis, ut mittat ad me duos Viros litteris præstantes sub mercatorum habitu. Cuncta executus, magnis periculis, & itineribus pervenit Romam. Contenderunt in Sueciam duo de nostris sacerdotibus. Christina fidem amplectens, ut notum est orbi, Romæ vixit, ac mortua est. Antonius viginti annis substititRomæ agensPœnitentiarium in Vaticano; deinde redditus Lusitaniæ, Tyrones Ulyssipone instituit, præiens illis vitæ suæ exemplis præsertim humilitate. Posteà rexit Eborense Collegium: multùm promovit

vit religiosam observantiam: Nihil eo submissius. Ibat sæpè locuturus cum Tyronibus, è quibus eram unus. Nobiscum humi sedebat; Non semel cum duobus Tyronibus cibos inter mendicos ad januam capiebat. Recordor unum ex his me semel fuisse. Post sumptam offam, & jusculum unà cum mendicis, gabatis sub axillâ brachij accommodatis, perreximus sinè pallio ad forum publicum in medio urbis; ibi suam quisque gabatam lavans, per eam instar mendici, ex fonte bibit; Inde regressi ad Collegium. Magna illi suavitas in corrigendis subditorum commissis. Cum provectioribus ætate nequaquam erat timidus. Lectori Theologiæ primario loquenti inter prandium ex loco suo per Socium dici jussit, recordaretur silentij; Cùm Reginæ Confessarius verba misceret in triclinio prandij tempore cum Principis, qui posteà Rex fuit, Confessario: ambobus injunxit pœnitentiam cibos sumendi in parva mensa. Frequens illi cum Deo commercium per Divinas commentationes: Expositâ Eucharistiâ, vix recedebat ab illius conspectu, Virginem Matrem singulari prosecutus affectu. Votum transigendi in illius honorem jejunio sabbata tam severè, & exactè observavit, ut ne ægrotus quidem omitteret tale jejunium: Quodque magis admirandum est, cùm urgeretur morbo postremo, non potuerunt illi suadere Medici, hujusmodi desereret jejunium. Pileolo, quod apud nos *Soli DEO* vocamus, defendebat caput ab injuriis temporum, dum recitabantur in sacello domestico Litaniæ, quamvis caput haberet tectum, ubi pronunciabatur hymnus: *Ave maris Stella*, detegebat caput; Propterea Socij jocandi gratiâ dicebant, sui Rectoris pileolum esse *Soli Mariæ*. Crebrò diebus festis ad urbem prodibat Catechesim docturus: Ut populum alliceret, suspendebat è vicino pariete valdè pulchram, & valdè modestam B. Virginis Imaginem, quam ad præsentem diem conservant Ulyssiponenses Tyrones. Voluit Sueciæ Regina ad ostendendum animum gratum, à Rege petere, ut Antonium Episcopatu honestaret, è quâ sententiâ vir humillimus eam dimovit. Bis rexit Domum Professam à Divo Rocho, ubi cessit è vita.

Emmanuel Valasco Coadjutor.

BRigantiæ anno 1596. de quo nihil inveni præter mortem, obivit diem. Sæviit in ea urbe crudelis fames, in qua multùm eluxit Collegij nostri charitas; Nam quotidiè pænè trecentis pauperibus ad januam nostram per menses plurimos tributa sunt alimenta. Famem secuti pestilentes morbi. Discurrebant huc, illuc nostri homines tum spiritualia, tum temporalia ferendo miseris subsidia. Reliquos Deus servavit incolumes, Emmanuelem dira febris corripuit, ex quâ periit factus victima charitatis.

P. Josephus Vieira.

MEliapore, sive in urbe D. Thomæ apud Indos Orientis exemptus est humanis rebus an. 1716. Natus Bejæ Diœcesis Eborensis. Nostris adscriptus Eboræ 2. April. 1703. In eo micabat felicissimum ad scientias capessendas ingenium, & nobile ad habendas conciones talentum. Floruit semper singulari morum innocentiâ; Quamvis vivida natura non sinebat in tyrocinio quietum; si commendatum ipsi est aliquod laboris pensum, sic explendo solitus addici, ut aliud non videretur cogitare sui penitùs obliviscens; quod erat non contemnendum indicium; cum posteà studiis scientiarum toto conatu, & mentis attentione incubiturum. Propter hanc indolem in puero supra modum vividam, delatus est tyro apud Provincialem lustrantem Eborense Collegium, quod esset indignus vivere inter nos. Propterea Provincialis jussit Tyronum Magistro, referret apud Consultores ad id vocandos, an esset talis adolescens in Societate conservandus. Magister coram omnibus, tacito nomine Tyronis, sic est locutus: „ Tyro, de quo agitur, est „ ortus honestissimis parentibus, „ ostendit prima talenta ad nostra „ ministeria, nihil momenti alicu„ jus notatur in ejus moribus. Ad hæc siluit Provincialis, quamvis erat delationibus plenus, Ulyssiponem misit, auxit tyrocinij biennium causâ magis probandi, quid in eo foret. Post tam durum experimentum, nuncupatis biennij votis, Conimbricam missus, fecit magnos progressus in litteris humanioribus. Tam solidis nitebat moribus, ut ipse Provincialis absoluto magistratu, habitans Conimbricæ, non semel dixerit: *Hic est Josephus Vieira? aliud mihi suaserant.* Auspicatus Philosophiam, antecellebat cæteros condiscipulos longis intervallis, ob eximiam ingenij præstantiam: simul incepit cogitare missiones Indicas. Nocte, dormientibus aliis, è lecto surgens, flexis genibus in cælum preces fundebat, Deum enixè rogans, se numeraret inter præcones Evangelicos apud Indos: Id petivit à P. Generali; Tandem factus voti compos; peregit secundum Philosophiæ examen tanto plausu, ut ingeniosiores finito anno non satisfaciant plenius, quàm ipse pauco tempore. Profectus ad Indiam anno 1708. Appulsus oræ Malabarensi, absolvit scientiarum studia, ac se giganteo spiritu dicavit excolendis neophytis, & convertendis Ethnicis. Regionis linguam supra modum difficilem summâ felicitate didicit, & pulcherrimè pronuntiavit. Mirum est, ingressus Missiones, quos motus fecit tum in neophytis ad retinenda Christiana dogmata, tum in Ethnicis ad ea sequenda. Ejus conversatio sic animos omnium sibi devinciebat, ut discedentem prosequerentur copiosis admodùm lachrymis. Nescivit labori

ri parcere, ſe mittebat in omnia pericula ad lucrandas animas. Infinitus eſſem, ſi huc transferrem elogia operariorum illius vineæ narrantium ejus mortem, & quantæ ſpes ſint ſuccisæ. Unus ad me ſcribens hæc de Joſepho habet in ſuis litteris: „ Hoc anno gratulor Reverentiæ „ Veſtræ de quodam ſuo Tyrone „ in cælum recepto: Is fuit P. Joſephus Vieira, qui nimij laboris causâ, tum à ſole torrido, tum à defectu alimenti, ac expeditionibus „ ad ſalvandas animas, ſic eſt fatigatus, ut morbus, quo periit, „ fuerit ipſamet fatigatio. Obivit „ hic Dei ſervus penè phthiſicus, „ & exhauſtus viribus. Quod morbus urgeret, adivit Pudicherium, „ ut ibi cum noſtris Patribus Gallis „ curaretur. At videns morbum „ eſſe læthalem conceſſit Meliaporem, illic ſolutus vinculis corporeis ad amplexum Domini conſcendit. Jure merito dici poteſt victima charitatis, qui non in corporibus, ſed in curandis proximorum animis vitam poſuit.

DIE XVI.

Simon de Coſta Coadjutor Martyr.

ANno 1570. è Sociis Ignatij Azebedij poſtremus in odium fidei occiditur. Natus in urbe Portuenſi. Archipirata Jacobus Soria, quo die navem Luſitanam expugnavit, juſſit ad ſuum Myoparonem deferri Gubernatorem, & Conſtipatorem navis, in quos ferrebatur odio inexpiabili, quòd occidiſſent Joannem Bocardum præcipuum poſt Soriam in eâ claſſe. Cum ipſis deductus eſt Simon; Etenim adhuc non induerat Novitij togam, ut apud nos moris eſt primis tyrocinij diebus. Ex oris forma & cætero corporis habitu & veſtitu crediderant eſſe aliquem filium prædivitis mercatoris, à quo poſſent colligere pro libertate bonam ſummam. Cæſis capitibus duorum, Simonem interrogavit Soria, quid hominis eſſet? Cui ille: ſum Jeſuita eorum de numero, quos interimi juſſiſti; ſupra modum eo verbo impius ferociit, protinusque imperavit, abſciſſo capite, detrudi in undas.

DIE XVII.

Martinus Affonſo Scholaſticus.

ANno 1562. Conimbricæ vitam explevit. Natus Ulyſſipone ex parentibus illuſtriſſimis Martino de Caſtro, & Domna Eleenora. Conimbricæ Societati conjunctus 30. Novemb. 1555. Ex animo incubuit Evangelicæ perfectioni, corpori affligendo, & cum Deo commerciis. Eum plurimum omnes diligebant, tum ob virtutem, tum ob genium affabilem, & ſermonum ſuavitatem. Videbatur cum ipſo enata de afflictis commiſeratio. Redegerat in anguſtias unus è noſtris externum condiſcipulum argumento ſolutu difficili. Sudabat, ut ajunt, inter

inter malleum, & incudem, ut vim effugeret, vel illuderet, sed incassum. Tunc ad Socium voce inquit submissâ: Propter Deum cessa, non tantum enim Scholasticum, quantum me crucias illius afflictatione; Quamvis nobilis, educatusque inter delicias, contemptor honoris, & sui erat egregius, nihil æquè habens odio, atque delicias omnes. Morbo supremo magis enituerunt acquisitæ virtutes; Nam vel sensibus vi morbi alienatis, obtemperabat jubentibus sine mora ulla: Benè semper recitabat psalmos & hymnos, & alia verba Deo plena. Aperta frontis vena, cùm sanguis missus flueret usque ad os, aliquid est turbatus. Tunc unus è Sociis, ut eum tranquillaret, usurpavit hanc vocem *Obedientia*. Hic ille quiescens ait: *Etiamsi oportuerit, jugulate*. Deum suavissimè alloquens efflavit animam.

P. Gaspar Nunes.

Eboræ anno 1600. cessit è vita. Natus in oppido Monasterio *de Flegros* Diœcesis Lamecensis. Conimbricæ Societati adscriptus 25. Junij 1592. ætatis 26. Cùm pestilentes morbi agrum Eborensem, & urbem ipsam strage multâ popularent; de nostris quamplurimi vitam periculis objecerunt, ut miseris succurrerent. Quibus obtigit ea sors, migrarunt ad habitandum in urbe extra Collegium. Ex his unus fuit Gaspar, qui suis precibus Deum vehementer obsecravit, ut vitam poneret in opere tam pio. Exaudita est illius petitio; nam contagiosi confessionem excipiens, pestilentiâ contactus, Deo tradidit felicem animam.

P. Doctor Ludovicus Fragozo.

Eboræ anno 1714. vitam explevit. Natus Grandolæ Diœcesis Eborensis. Iniit Societatem 20. Novemb. 1657. ætatis 16. Rhetoricam tradidit Ulyssipone, Philosophiam, & Theologiam Eboræ, ubi laureâ Doctoris insignitus; Posteà ad vitæ finem egit Eborensis Academiæ Cancellarium. Adfuit cum jure suffragij comitiis generalibus Romæ, cum est electus universæ Societatis Moderator Reverendus Pater Michael Angelus Tamburinus. Mores illius erant hominis antiqui moris sine doli umbrâ. Exactissimus in obeundis ab instituto præscriptis spiritualibus exercitiis. Matutinam orationem gubernabat horologium arenarium; Si quos è nostris ipso tempore audiebat confitentes, dejiciebat, ac sistebat horologium, ne tale tempus computaretur; posteà complebat totum horæ pensum: Orabat semper flexis genibus: Pomeridianis horis invisebat SS Sacramentum, & altaria in templo. In sacello 11000. Virginum recitabat provolutus in genua SS. Virginum precariam coronam. Intimè afficiebatur Domini considerans Passionem. Nostris non Sacerdo-

dotibus, quorum audiebat confessiones, injungere solitus pro pœnitentia, vel ter Dominicam orationem, & salutationem Angelicam in honorem Clavorum Christi; vel semel in obsequium plagæ lateris. Illius erga omnes æqualis, & ingens charitas non admisit studia nationum, nec privatos affectus. Ajebat amicos particulares, & affectus nec utiles esse in hoc mundo, nec in alio. Interrogatus, an scripsisset quædam monita Patris Generalis, quibus studia nationum increpabat, respondit: sibi opus non esse talibus monitis, quod odio semper habuisset hujuscemodi insinceros affectus. Magnoperè curavit Societatis commune bonum. Hâc de causâ Academiæ leges adnitebatur perstare integras, & inconcussas; Cùm agebatur de provisione muniorum Academiæ, non ostendebat animum magis in hunc, quàm ad illum propensum: Eundem animum in cæteris Professoribus esse non dubitabat. Ejus vita erat instar horologij rectè attemperati. suis quibusque exercitiis habuit horas præfixas, quas non turbabat, nisi urgenti permotus causâ. In cubiculo nullus otiosum vidit, vel recitabat, vel studebat. Quotidiè verberabat corpus, & invisebat ægrotos. Non defuerunt illi occasiones patiendi, & quidem in rebus, quæ pungunt altiùs; verùm major omnibus fuit ejus tolerantia. Hæreticos tanquam mundi pestem aversabatur. Existimatum est ipsi à Deo prædictum mortis tempus; nam obeunte ejus fratre Dominico Leitamo, de quo 15. Aprilis, cùm mentio injiceretur de Dominici ætate, sæpè dixit Ludovicus, se quoque moriturum, cum explesset totidem annos, ut re ipsâ contigit. Peculiari cultu Divam Annam venerabatur eam identidem rogans, ut sibi obtineret felicem mortem. Annuit petenti Diva; nam morte, cui omnes juremerito invideant, vitam deseruit. Decidentis in lectum verba omnia fuerunt piissima. Totus erat conformis ad voluntatem Divinam. Decursu morbi tam pacatus fuit, quàm qui mori solùm cupiunt, ut fruantur Deo suo. Singulari pietate Viatico, & Unctione munitus; Cùm invisentes dicerent, posse ipsum vivere, respondit: *Sat vixi mihi, mundo, & peccatis meis.* Posteà repetebat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Cùm est inunctus, percontanti Rectori, an haberet aliquid per confessionem expiandum? respondit: *Cuncta sua jam redacta esse ad justum calculum: neminem prudentem rationes suas ad eam horam reservare.* Quo die excessit, ardentissimos, juvante alio sacerdote, agebat Fidei, Spei, & Charitatis actus; Cùm Sacerdos Evangelium pro infirmis legens, pronunciando verba: *Super ægros manus imponent*; manus super ejus caput imposuisset, continuavit infirmus: *Benè habebunt in anima, in anima; in corpore enim parùm refert*; Cùm illi dicerent, gratias Deo ageret pro susce-

ſceptis Sacramentis; *Habeo*, inquit, *quàm maximas.* Statim cœpit repetere: *Sancta Anna ſuccurre miſeris*: Semper uſus mente ſanâ. Ultima verba fuerunt illa D. Pauli: *Gratia Dei in me vacua non fuit.* His dictis, effudit poſtremum anhelitum magis dormienti, quàm morienti ſimilis.

DIE XVIII.

P. Ludovicus de Crux.

CONimbricæ anno 1604. ſatisfecit naturæ. Natus Ulyſſipone. Societatem ingreſſus Conimbricæ 1. Januar. 1558. Eminuit peritiâ Latini, Græci, & Hebraici ſermonis: divinis litteris apprimè eruditus, eas Conimbricæ expoſuit. Annis 12. humanas litteras, & Rhetoricam docuit magno plauſu: eodem auditus eſt è ſacro ſuggeſto; nam emicuit cunctis dotibus, quæ reddunt utilem, & gratum Divini verbi præconem. Senex jam, annis duobus Rhetoricam tradidit; Cùm podagræ causâ non poſſet ſuis pedibus Gymnaſium adire, mandabat illò ſe deferri in ſella, ut ſuum obiret munus. Toleravit patientiſſimè acutos morborum dolores. Vixit, ac mortuus eſt tanquam Vir ſanctus.

P. Emmanuel Monteyro.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi anno 1680. obivit confectus longo Senio. Natus in Oppido *Monforte* Diœceſis Helvienſis. Eboræ conjunctus Societati 2. Febr. 1617. Vir pius, ac devotus, deditusque orationi, ut vel ejus vulgatæ typo Meditationes oſtendunt. Neſcivit de ullo mortalium malè loqui. Egit Socium trium Provincialium, Præpoſitum Domûs Profeſſæ à D. Rocho, & Provincialem. Octogenario major inſtar juvenis laborabat tum confeſſiones audiendo, tum exhortationes faciendo, & concionando; Si Miniſter venerabilem, & & feſſam attendens ſenectutem, obliviosum ſe fingebat in eo monendo ad conciones obeundas, ipſe reddebat memorem; Propterea, ne afficeretur triſtitiâ, conſolandus erat deſignatâ concione. Noluit annos ſuos, ac dignitates eſſe ſibi immunitati à labore. Comparaverat bonam Bibliothecam, quam legavit Collegio Portalegrenſi.

DIE XIX.

P. Doctor Petrus de Arouche, & alii ad Indiam euntes.

QUod hujusmodi vacet dies adnectam nonnullos, quos abſtulit mors in itinere Indico anno 1680. licèt diverſis obierint diebus mihi certè non compertis. Quatuor fuerunt Sacerdotes, & unus Tyro, horum nomina ſubjungo. I. *P. Petrus Arouchius* domo Cetobricenſis in Diœceſi Ulyſſiponenſi. Præclarum, quod noſtro tempore vidimus, exemplum præbuit eundo ad miſſiones. Primæ illi dotes ad quæque grandia. Docuit Eboræ Philoſophiam, & Sacræ

cræ ſcripturæ moderatus cathedram, ibidem Doctoris condecoratus laureâ. Obibat Academiæ Cancellarium, cum altioribus permotus ſtudiis Luſitaniæ valedixit, ſeque dicavit ethnicis convertendis. Magna omnes admiratio tenuit, cùm in Sacello Eborenſis Collegii eum conſpeximus inter operarios Indicos nominari. Ibat aliis Superior; primus ille, quod imperabat, exequebatur; Plerumque non attingebat capitalem portionem, ſed egenis tribuebat. Multi morbi navem infeſtarunt: diligenter ſuccurrit laborantibus, donec eodem ægrotavit morbo: duobus jacuit menſibus, ne uno quidem inter dolores edito gemitu. Vicinus morti juſſit ad ſe comites accedere: ſingulos complexus, rogavit veniam de commiſſis, quibus eos offendiſſet. Vitâ exceſſit prope Caput Bonæ-Spei. Eodem tempore in Collegio Eborenſi inter ſomnia aliquibus Religioſis conſpectus eſt, qui ipſum vitâ defunctum non dubitantes, petiverunt pro eo fieri Sacra. Notatâ die, poſteà compertum fuit, tunc obiiſſe. II. *P. Adamus Veneidenſelius* Germanus natione, vir proceræ charitatis, agebat Præfectum valetudinarii navis. Operam adhibuit convertendis hæreticis, quorum nonnulli ibant in navi: Ex his reduxit tres ad veram fidem. E victu ſuo bonam partem largiebatur pauperibus. Inceſſit ſemper læto vultu, & qui cæteros hilararet. In morbo multus erat in Pſalmis, & Hymnis repetendis. III. *P. Joannes Franciſcus* natus in Oppido *Sam-Joaninho* Diœceſis Bracharenſis. Converſabatur cum egenis militibus, eos ad virtutem capeſſendam exhortans: Verrebat navis conclave: lavabat culinæ ſupellectilem: Excipiebat ægrotantium confeſſiones, eosque conſolabatur: febri perniciosâ correptus, & extinctus. IV. *Franciſcus Suarius* Tyro contendebat ad Indiam, ut ibi conjungeretur Societati; Quamvis è nobili genere non dedignabatur parare cibos in focario navis, militum facetias exprobrantium illi talem operam nihil curans. Ob ſingularem virtutem, ubi morbo eſt implicitus, adſcripſerunt Societati. V. *P. Theodorus Villarius* Flandrus natione. Febri continuâ, ac diuturnâ Sanguinem egerens per os paulatim contabuit. Crebrò repetebat: *Sic Domino placuit, fiat ejus voluntas.*

DIE XX.

P. Alexius Alvres.

ANno 1585. vitam finivit Eboræ. Natus Brigantij: Conatus erat ingredi Societatem; verùm in propoſito frigeſcens, penè ab eo deſtiterat, cum adeuntem Brigantium Provincialem noſtrum inviſit. Interrogavit Provincialis: Ut eſſent illius antiqua propoſita? prætendens excuſationes frigidas, domum ſe contulit. Nequivit totâ nocte ſomno indulgere, nihil aliud præter Socie-

tatem apud ſe cogitans; Tandem ſecum decrevit animæ ſuæ ſalutem in eo ſitam, quod nomen Societati daret. Orto ſole, quæſivit Provincialem, & ſe totum commiſit illius arbitrio: Quo ſe liberaret omni obice, non ſalutatis amicis, conſanguineis, ſororeve, clam profectus Eboram: Illic aggregatus Tyronibus 13. Julij 1584. ætatis 27. initiatus jam ſacris. Unico, quo apud nos vixit, anno magnos in virtute fecit progreſſus: Multùm ſe illi Deus infudit: dies erant, in quibus horas ſex, vel ſeptem orando conſumebat, plurimis delibutus conſolationibus, & ubertim fluentibus lachrymis ſuavibus: Corpus affligebat jejuniis, ciliciis, ac flagello: Tantum exceſſit in his caſtigationibus, ut illi modum præſcribere neceſſum fuerit. Nihil magis cupiebat, quàm fatigationes, & labores, voluntatem, & appetentias domare: Sine dulci fletu Sacrum non fecit: Ipſemet admirabatur favores, quibus à Deo recreabatur. Tyrones, etſi pueros, ſuſpiciebat, ut natu majores. Petivit ad noſocomium mitti, ut ægrotis ſerviret. Quæſivit Magiſter, an forent ibi ex iis morbis, qui facilè diffunduntur: cum nullos ſævire, reſponſum eſſet: Illò contendens, nullum charitatis genus erga jacentes omiſit. Tondebat forfice capillum promiſſum, lavabat ſordidos; purgabat ſcopis domûs pavimenta, ſternebat lectos, juvabat piis alloquiis morientes, defunctos componebat, ac pro ipſis operabatur Sacris. Hujusmodi officiis ſic omnium devinxit animos, ut ipſi precarentur à Deo innumeras felicitates. Fortè unus languebat eryſipelate valdè noxio, ſed cujus vis non foret probè nota. Huic advigilavit aſſiduò. Sanatus eſt, at malum hæſit Alexio. Eodem tempore morbus ſimilis per urbem vagatus, ejusque patuit vis mortifera, & contagioſa. Idem compertum in noſtro Collegio; nam ex Alexio eryſipelas in alios vulgatum, multos abſumpſit, qui ſervierant Alexio: de ipſis dicam infrà; Quamvis haberet guttur tumidum, & febrili calore exuſtum, ipſique eſſet moleſtiſſimum cibos trajicere; ubi dicebant, eſſe Rectoris imperium, ut comederet, ſine mora laborabat in ſe vincendo; Cùm mors illi denuntiata, ingemuit, quod finiretur tempus macerandi corpus. Summoperè exhilaratus eſt ſimulacro Pueri JESU delato ad ejus cubiculum. Adnixus fuit, oculos malo gravatos aperire, ut ſuavi frueretur JESU conſpectu. In ipſo vitæ poſtremo articulo JEſum nominans exhalavit animum.

P. Georgius Contreyras.

Conimbricæ anno 1600. ſuaviſſimè obivit. Natus Montemajore novo Diœceſis Eborenſis. Addictus Eboræ Societati 30. Novemb. 1582. Magno erat omnibus exemplo illius vita, & mores ſanctiſſimi: An-

Anxietas scrupulorum, quâ multùm est exagitatus, Deo magis conjunxit: Cautissimus fuit in verbis proferendis, ne quemquam offenderet: Nemini obtrectavit: Illius studium erat omnes laudibus extollere. Docebat Conimbricæ Philosophiam, cum irrepente morbo, cognovit supremum esse; Quamvis toto vitæ decursu nihil egerat accuratiùs, quàm se ad luctamen ultimum comparare, modo nullam omisit diligentiam, quæ faveret tanto negotio. Ferventissimi erant virtutum actus. Sæpè æternitatem considerans, tenebat suspensam mentem, & veluti extra se raptam. Post morbi quinque hebdomades, destituerunt vires omnes, nec dubium fuit, actum de vita. Nihil mori timebat. Dicebat Sociis, non esse, cur contristarentur morte suâ: sibi magnum afferre solatium Dei in se collata beneficia. Loquens cum Rectore; *Sociis*, inquit, *referam, ut sibi caveant, quod me magis in hac hora cruciat: id est peregisse mea exercitia spiritualia frigidè, ac tepidè; Si mihi modo vivendi extenderentur spatia, puto, nihil diligentiùs, & fervidiùs acturum, quàm hujusmodi exercitia.* Cùm Socius unus illi diceret, tranquillitatem, quâ moriebatur, omnibus esse invidiæ, cœpit ridere tantâ hilaritate, quantâ fuerat solitus in re sibi gratissima, & suavissima. Eâdem lætitiâ adjecit: *Hîc non est, quod timeatur, ad talem finem sumus ingressi Societatem.* Præ devotione flebant circumstantes, mirabanturq; extraordinariam, quæ vultu natabat, lætitiam: hæc illi triduò perennis fuit, quo tenuit mentem sui compotem, nihil aliud pronuncians præter verba sancta, & Psalmos. Majorem in modum recreabatur memoria SS. Trinitatis, Divinæ naturæ, Dominicæ Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis. Inter piissimos virtutum actus corpore solutus est. Demortui vultus, nescio, quid gratum intuentibus spirabat. Convenerunt omnes, illius manus, pedesque venerationis ergo sunt osculati.

P. Emmanuel Dias.

ANno 1539. in Collegio Macaensi apud Sinas mortales reliquit. Natus in Oppido *Alpalham* Diœcesis Portalegrensis. Eboræ Societati conjunctus 30. Decemb. 1576. Compulsus salvandi animas desiderio petivit Indiam anno 1585. Inter Insulam à S. Laurentio, & oram Sofalæ miserando naufragio fractâ nave, vix cum aliis emersit in Africæ arentes regiones. Apud eos Cafros nihil est durum: quod non sit perpessus, famem, & nuditatem incredibiles. Vidit oculis suis è Sociis aliquos in summa rerum omnium solitudine expirantes, quos obruit arenâ. Tandem unà cum Petro Martinio, de quo 13. Feb. sospes egressus crudeles terras; Postquam est sacris initiatus, & obivit diversa munera, comes fuit in longis navigationis Alexandri Valignani Visita-

tatoris noſtratium per Indiæ regiones: deinde bis rexit Macaenſe Collegium, & egit bis Viſitatorem Operariorum Sinenſium. Plurimis annis promovit novale Evangelicum in urbe Nanquinenſi. Glorioſis laboribus exhauſtus, vitæ finem impoſuit.

Dominicus Pereyra Coadjutor.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi anno 1702. annos vivendi explevit. Natus in pago à S. Maria *de Labrujo* Diœceſis Bracharenſis. A primis annis ſequutus artem nauticam: agebat navium gubernatorem, & ætatis numerabat annos 41. cùm valedixit rebus caducis. Bona ſua largitus pauperibus, & noſtræ Domui Profeſſæ. Societatem iniit Eboræ 24. Martij 1677. Mirus in eo fulgebat morum candor, apparebatque Deum illius animæ inſidere; Quamvis tam adultæ ætatis, & talibus tot annis educatus exercitiis, admirabiliter ſe Novitiis pueris attemperabat. Eborâ miſſus ad Profeſſam Domum, ubi reliquos traduxit annos. Antelucano tempore ad res Divinas contemplandas de lecto ſurgebat: Quidquid temporis illi ſuppetebat, ſuo peracto munere, conſumpſit coram Deo vel orando mente, vel obeundo vocales precationes, non ſine piis lachrymis: Comitans ad Regiam aliquos Patres, qui Principes edocebant litteras latinas, dum ipſi ſatisfaciebant muneri ſuo, Dominicus orabat in Palatij ſacello. E virtutibus amabat plurimùm ſanctam Paupertatem: ſuas veſtes ipſe reficiebat: dolores calculi ejus exercendo patientiam auxerunt merita, & tandem abſtulerunt vitam.

DIE XXI.

Patres Gonſalus Alvres, & Emmanuel Lopes.

ANno 1563. in ora maritima Japoniæ ſublati naufragio. Gonſalus natus Villæviſſoſæ Diœceſis Eborenſis. Conimbricæ adjectus Societati 1. Januar. 1549. Familiaritati cum Deo ex animo ſe commiſit. Id præter alios probavit ſequens eventus: Convaleſcebat in Reſidentia à S. Felice, cùm dato ſigno ad examen conſcientiæ ante prandium, in choro templi peragendo flexis genibus incubuit. Horâ menſæ ſonante, non factum eſt ſignum, quod condita non eſſent obſonia: his paratis, & Religioſis prope triclinium conjunctis, viſum eſt otioſum pulſare campanam; Itaque ſumptum eſt prandium; nec animadverſum abeſſe Gonſalum, qui obedientiâ planè cæcâ perſtitit horis non minùs octo continuatis in choro flexis genibus, donec ante cænam Religioſos ad triclinium vocavit campana, tunc eum quærentes invenerunt inſtar hominis dulci ſuſpenſione Divinis addicti contemplationibus; Quod tantum miraculum in homine viribus attenuatis juremerito tributum eſt ſanctæ

tæ Obedientiæ. In ſeipſum admo-
ùm ſeverus utebatur femoralibus
ilicinis. Egit Conimbricæ Tyro-
um Magiſtrum, & Collegij Recto-
em, ac Domûs Ulyſſiponenſis Præ-
oſitum: ſubditis prælucebat exem-
lo: Regens Conimbricenſe Colle-
ium, ſæpè Religioſos, poſtquam ſe
n lectos collegerant, viſitabat, ut
ecognoſceret indumenta interiora;
i reperiebat nimis attrita, vel pa-
ùm commoda, præberi curabat
neliora. Ægrè ferebat vulgari in
xternos domeſticos defectus; Id-
ircò non permiſit impunè moram
on pulſantis campanam momento
olito, quod ſæcularibus talis negli-
entia poſſet offenſioni eſſe, ab ip-
iſque animadverti. Cuſtodi vale-
udinarij juſſerat, quotidie ſibi re-
erret de Sociis valetudine affectis,
e quid ipſis deeſſet. Aditus illi
rant faciles, & benevoli, proptereà
on fuit, qui non nudaret Rectori
uo animæ latebras omnes; dum re-
it Collegium, & Profeſſam Domum,
ibi unicè reſervavit munus docendi
ueros, & rudes Catecheſim. Plu-
imum cupiit dicare vitam exco-
endæ Japonicæ vineæ. Anno 1568.
miſſus eſt à S. Franciſco Borgia, ut
Viſitator recognoſceret ſtatum In-
dicarum Miſſionum; primuſque eò
apud Indos perfunctus munere.
Goam perveniens, cognitis rebus,
quamvis laborabat valetudine, in
Japoniam navem conſcendit. Pro-
pe oram Japoniæ metuendus venti
turbo, ut ſunt ecnephiæ illic formidabiles, navem corripuit, ac momento ſubmerſit undis. E ſexcentis nautis, & vectoribus vix Maurus unus natavit ad littus, cæteri cum nave perierunt. Gonſali cadaver ad littus ejectum, ibi eſt inventum flexis genibus, & manibus in cælum levatis, ceu foret vivum; Ibidem naufragio ſublatus Gonſali Socius *Emmanuel Lopius* natus Ulyſſipone ex illuſtri ſanguine: noto gradu contingebat Divum Antonium; Idcircò dictus eſt Emmanuel Lopius Bullonius. Conimbricæ adjunctus Societati 10. Februar. 1549. Rexerat Bracharenſe Collegium. Ob inſignes virtutes datus eſt Socius Viſitatori.

DIE XXII.

P. Alphonſus Gil.

ULyſſipone glorioſâ ſublatus morte anno 1569. Natus in Oppido *Cadafal* Diœceſis Guardienſis. Conimbricæ conjunctus Societati 1. Maij anno 1550. Ad nos venit jam Sacerdos: Vir fuit notiſſimæ charitatis, & humilitatis. Ulyſſipone viſitabat illuſtrem fæminam, cùm accedit oſtio paupercula ſtipem rogans; eam ut Alphonſus eſt intuitus, è ſella ſurgens properat, ac flectens genu obſecrat, ſibi benedicat, ac porrigat oſculandam manum, verſuſque ad illuſtrem fæminam; *Ne mireris*, inquit, *eſt enim mater mea.* Tantum exemplum valdè eſt venerata, ut res ipſa poſcebat;

Quam-

Quamvis illi non difficile matri suæ quærere meliorem fortunam, id non curavit. Voluit potiùs vivere deditam virtuti, & contentam sorte, quâ nata fuerat, quàm rebus caducis abundare. Mira in eo prudens sinceritas, & erga omnes affabilitas; solum sibi rigidus, & austerus. Ulyssiponensis populus Sanctum reputabat ob excellentem charitatem, quâ protexit miseros: nam quærebat eleemosynas, quibus esset omnibus præsidio; alios vestiendo, alios à contractis debitis liberando: Singularem ostendit modum & charitatem in adjuvandis damnatis ad furcam; propterea eum vocabant eorum criminosorum Patrem. Ipse morem induxit habendi exhortationem ad populum post suspensionem, & strangulationem damnati; Verùm nunquam illius magis splenduit charitas, quàm anno 1569. cùm atrocissima pestilentia tantum incubuit Ulyssiponi, ut urbs tota sui videretur sepulchrum. Primus ille fuit, qui se objecit effrænatissimo incendio. A primo mane ad meridiem per urbem discurrebat perâ ex humero pendente, quâ salgama ferebat ægrotis tribuenda. Post prandium ad noctis horam nonam simili modo miseris auxiliabatur: Sic periculis animosior redditus, peste contactos, si opus fuit, complexu huc atque illuc permovit, ut agitur in morbis levioribus. Suadentibus, ut sibi prospiceret, respondebat: *Faciliùs peribit bos hominis pauperis, quàm ego: Si me Deus ad se rapuerit, ibo justo pretio.* Ejus cubiculum refertum erat omni cupediorum genere, & salgamis saccharo compositis, quæ personæ piæ largè tribuebant, ut egentibus succurreret. Prodivit in aciem hoc modo; pallio ad collare togæ uncis ligato, galero clericali pileo superimposito, mantica plena rebus escarij. Quod non esset par ferendæ provisioni necessariæ, sociabatur à famulo prædictis alimentis onusto. Id exemplum sunt imitati nostratres, facti Medici corporis, & animæ. Altâ voce percontabatur in plateis, ubi laterent infirmi. Sicut primus ad hæc opera egressus, ita primus donatus præmio. Vulneratus malo non ampliùs triduò supervixit. Ubi sensit pernicie vitalia perculsa, accedens ad custodem valetudinarij, voce ridenti, hæc ait: *Soror nostra pestis me venit invisere: lætare mihi meo, frater; nam volo jam Deum coram intueri.* Deum alloquiis compellabat suavitate plenissimis. Hos inter virtutum actus desivit apud mortales vivere in Domo Professa.

P. Antonius de Azevedo.

ULyssipone in Domo Professa anno 1632. migravit in cælum. Natus Ulyssipone ex illustri genere. Parentes dicebantur Ruyzius Gomesius Azebedius, & Domna Hieronyma. Unus fuit ex octoginta dynastis, qui capti sunt in lamentabili

Re-

Regis Sebastiani calamitate. Redditus Lusitaniæ, voluit se potiùs Deo, quàm rebus humanis dicare; propterea Sacris est initiatus. Jam 47. ætatis numerabat annos, cùm mancipatus Societati 5. Jan. 1598. Ulyssipone in domicilio, quod fuit Tyronibus in villa dicta Campolide. Primus fuit, qui eam Domum de novo erectam est ingressus: devoluto biennio, habitavit annis 33. in Domo Professa, & quidem eo exemplo, quod se dignum erat. Perpessus multos adversus castitatem incursus, quos omnes instar S. Josephi à se rejecit. Juvit eleemosynis è suo reditu Domos Tyronum, & Professorum. Assiduus erat in audiendis pœnitentibus: dum templum fuit apertum, plerumque consedit in confessionum tribunali. Liberalis erga pauperes, juvabat eleemosynis: Reliquum tempus ab excipiendis confessionibus immune transigebat in cubiculo, recitans preces, vel orans, vel asceticos libros evolvens, quorum lectioni multùm erat deditus. Ex ipsis non pauca colligebat, quæ loquendi tempore proferebat in medium, vel cum invisebat ægrotos. Sæpè dixit: Nihil se avidiùs expetere, quàm mortem. Annis postremis acerbi vexarunt morbi, quos patientissimo tulit animo. His purgatus, humanâ fæce, & nostræ fragilitatis labibus discussis, cælitibus adjectus est.

Petrus Delgado Novitius Scholasticus.

ULyssipone in Domo Tyronum anno 1629. præmaturè raptus est, forsan ne intellectum ejus mutaret malitia. Natus Alviti Diœcesis Eborensis. Ulyssipone adscriptus Societati 29. Feb. 1629. Annis quinque expetivit adoptari in Societatem. Rejiciebatur ob exiles corporis vires. Ejus perseverantia Superiores expugnavit; Equidem ingressus est, ut inter nos moreretur; Nam ingressui successit acutus, ac diuturnus morbus. Totum corpus pervadebat penetrans dolor; inter cujus terribiles punctiones crebro usurpabat illud D. Augustini: *Da patientiam, & auge dolorem.* Addictissimus fuerat B. Virginis obsequiis. Recitabat quotidie illius coronam, & officium, & jejunio transigebat Sabbata: Ejusdem diebus festis, expiatâ per confessionem conscientiâ, sumebat Panem sacrum. Adhuc puer exaudivit sodalitium esse dictum à Cælo, cujus erat quotidianum pensum per anni dies singulos certus numerus Dominicæ Orationis, & Salutationis Angelicæ in honorem Christi, B. Virginis, Apostolorum, diversorumque Indigetum. Placuit illi valdè. Si noctu jam receptus in lectum recordatus est, se sui pensi oblitum; protinus tollens è culcitra corpus genibus flexis solitas obibat precationes. Vicinus morti quievit aliquamdiu. Interrogan-

ganti Magiſtro, quietem ne cepiſſet? „ Nequaquam reſpondit, ſed obtuli „ dolores meos Chriſto, ac B. Vir- „ gini, quam deprecatus ſum, ut „ morerer in die Sabbati. At ſibi „ viſum eſſe, SS. Matrem extendiſſe „ ſuper ipſum peplum ſuum, dixiſ- „ ſeque moriturum potiùs die Do- „ minicâ, quod ea dies eſſet reſur- „ genti Chriſto dicata, ſeque re- „ ſpondiſſe: Oh felix dies craſtina, „ erit mihi feſtum Paſchæ! Res ip- ſa probavit eum opinione falsâ non teneri. Manè lucis Dominicæ ſciſci- tatus eſt Rector, an memor eſſet adventaſſe jam diem Dominicam? cui ille: *Reminiſcor, illuxiſſe mihi Pa- ſcha.* Hora media ſextæ tempore ma- tutino tranquilliſſimè expiravit.

DIE XXIII.

P. Sebaſtianus de Magalhaës.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi an- no 1709. vitæ finem attigit. Na- tus in urbe Tingi Luſitanorum olim in Africa colonia. Conimbricæ no- men dedit Societati 1. Maij 1651. Philoſophiam docuit Eboræ, Theo- logiam in ſcholis Ulyſſiponenſis Col- legij; Illud rexit Collegium, deinde Domum Profeſſam, poſteà totam Provinciam: Quo tempore agebat jam Petri II. Regis Confeſſarium. Hu- juſcemodi munus peregit omnium bonorum ſatisfactione; Etenim mi- cabant in eo ad certamen usque dotes tanto muneri pares: Nam præter litteras inerat illi mens gran- dium rerum capax, ſingularis gra- vitas, modeſtia, & affabilitas, adi- tus benevolentiſſimi. Semper con- tinuit ſe intra limites demiſſionis Religioſæ. Propter has virtutes ac dona non fuit ullus, qui apud Re- gem æquali polleret gratiâ. Quid- quid in ipſo omnes intuebantur, ſolidis virtutum innitebatur funda- mentis. Maximoperè dilexit Reli- gioſam paupertatem. Salarium Re- gium tribui ſolitum confeſſariis, jube- bat colligi à domûs œconomo, & in communem conſumi uſum: Nihil ſibi reſervabat; ſiquid illi opus fo- ret, per ſocium ſuum petebat ab œconomo, ut ſolent reliqui. Sua- dente ſocio, haberet apud ſe aliquid pecuniæ, ut ſolveret epiſtolarum portoria; noluit: Et quod eſt ma- gis admirandum, non cognoſcebat monetæ valorem; Cùm neceſſum fuit nummos præbere, rogabat So- cium, ut ſibi donandam ſummam traderet numeratam, & ſeparatam, ne vel minus, vel plus juſto daret propter ignorantiam ſupputationis; ſi petebat mutuam pecuniam, aje- bat, ſibi numeratam darent juſto calculo, quod neſciret hujusmodi rationes inire. Cubiculi ſupellex talis fuit, qualem habent ſtudioſio- res paupertatis. Picturas, & res cu- rioſas poſſidere noluit. Indumenta nova non admiſit, niſi quando Re- ligioſa decentia non permittebat centones. Diebus concurſus ad con- feſſiones ibat primus ad pœnitentes audiendos, & recedebat ultimus;

nec

nec nisi miseræ plebi commodabat aurem. Festis solemnioribus, quibus excipiebat Regis confessionem, protinus domum redibat, ut juvaret Patres. Dixerat janitori, vocaret se, cùm fieret pœnitentium concursus; si valetudinis causâ exire de cubiculo non poterat, jubebat illò venire pœnitentes: Nunquam observabat, an accederent alij confessarij ad hoc obeundum ministerium, nec ne; Ipsius enim dictum, & velut effatum erat: Non attendendum, irent, deficerentve cæteri, sed incumbendum unicuique tam sancto operi, versis in Deum oculis, unde exspectamus præmium; reliqua Superioris esse. Undecimâ vel duodecimâ noctis horâ è palatio rediens, si erat obvius ad januam, qui rogaret sacerdotem ad juvandum moribundum, vel confessionem audiendam, pergebat ipse, ne cæteri quiete privarentur; Antequam esset Regis confessarius, zelo multo studuit convertendis Mauris captivis: Videns paucos esse domi concionatores per Quadragesimam obtulit se Ministro ad aliquas peragendas conciones. Re ipsâ duas obivit; Quantum licebat per munus suum, sequebatur ordinem domesticum. Postulabat, ut se monerent ad recitandas litanias; Cum alio tempore Officij sui ratione impediretur: diebus Exercitiorum S.Ignatij, quod foras non iret, explebat eam devotionem; Si dictabat scribenda Socio, cùm personabat signum examinis, statim opus suspendebat; Nec admisit Sæculares hoc tempore ad se venientes, sed jussit exspectare, nisi tantæ essent nobilitatis, ut mora pareret offensionem: solùm impediente ægritudine abstinuit à Sacro faciendo; Sæpè quod reverteretur post mediam noctem è palatio, nihil cibi trajecit, ne sequenti die fraudaretur Missæ fructu; Quamvis ob eandem moram, vel oblivione coqui nihil inveniret sibi paratum, vel cibos omninò frigidos, non turbabatur; sed lætus dicebat Socio: Ne tristitiâ afficiamur, imò gratias habeamus Deo propter hunc panem, & poma, quæ desunt quamplurimis multæ nobilitatis, ob idque plus nobismet ipsis patiuntur. Non sinebat dari sibi aliquid ciborum speciale, quod non apponeretur cæteris. Plurimum favit Ultramarinis Missionibus: Erant illi magno solatio conciones, in quibus unicè tractabatur de vitiis extirpandis, ac plantandis virtutibus. Ajebat *conciones peractas ab viro orationis studioso, esse tormenti bellici displosionem cum pila ferrea; quæ verò fierent à viro sine spiritu, esse displositionem tormenti sine pila; quæ nihil aliud est, quàm inanis strepitus, & nitrati pulveris fumus.* Cùm erat Superior, graviter reprehendebat nostros concionatores, si non prædicabant doctrinam solidam. Natura ipsa formaverat in eo mentem, & animum perturbationis alienissimum. Præsumptionem, aut existimationis appetentiam nec habuit, nec harum rerum indicia dedit ulla.

Nemo recedebat ab ejus conſpectu triſtis. Si candidatos honorum re non eſt conſolatus, blandis, & ſuavibus reſponſis dimiſit minùs querulos, & benè animatos ad ſperandum meliora: Hujusmodi homines tractavit magnâ benevolentiâ, ne augeret faſtidia, quibus torqueri ſolent ob moras admodùm moleſtas. Euntibus domûs Sacerdotibus ad carceres, ut confeſſiones audirent, ibat illis comes, quin ulla morarentur negotia, rogabatque cuſtodiæ Præfectum, mitteret ſe ad infimum carcerem, ubi eſt pædor intolerandus. Illius virtus notior reddita poſt Regis mortem; Nam protinùs domeſticum ordinem ſecutus, tanquam ex eo nunquam abfuiſſet; nihil voluit privilegij. Quo die ſepultus eſt Rex, Conſiliarij ſtatus ipſum vocaverunt, ut antiquo more conſultationibus intereſſet; quibus reſpondit: tempus jam eſſe colligendi ſe in ſuum cubiculum, ut ageret de morte ſua; Cùm miſſa fuiſſet pars annui ſalarij, non acceptavit, dicens: ſibi Religioſo pauperi pecunias non convenire, nec opus eſſe; propterea delerent nomen ipſius de libris Regiæ; Verùm jubente ſucceſſore Rege,] tribuebatur illi conſuetum ſalarium, quoniam aliud Regum morem non decebat; quod imperavit, ut uſui communi applicaretur, ſicut anteà fieri ſolitum. Conceſſam lecticam etiam reſpuit, dicens, eâ ſolum eſſe uſum, quod aliter nequiiſſet mandatis Regis, & itineribus ſatisfacere; modo Religioſum eſſe cæteris parem ſolutum negotiorum impedimentis. Declaravit Miniſtro Domûs, ſibi nullam à concionibus obeundis excuſationem; ferendum onus inſtar reliquorum. Tandem effectus Domûs Præpoſitus, quinque menſibus ſuſtinuit acutum morbum incredibili tolerantiâ. Exiſtimantibus Medicis eum calculo laborare, nihil remedij non tentatum frangendo malo. Cum vana, & inefficax humana foret ars, confugit ad præſidium Divi Liborij, cujus patrocinium experiuntur præſentiſſimum, qui tali morbo cruciantur. Juſſit Divi ſimulacrum fieri, & in templo locari: Voluit Divus obſequium perſolvere clienti ſuo, illum ad cælos ferendo, quo die colitur in terris; Nam die Liborio conſecratâ, ritè ad poſtremum agonem comparatus, è vita ceſſit. Ad ejus exequias vix duo, tresve dynaſtæ concurrêre, cùm eſſent innumeri, quibus benefecerat; ſed illa eſt fortuna potentium gratiâ apud Reges, ut ſolùm amicos habeant, dum ſerviunt eorum commodis.

DIE XXIV.

P. Ludovicus de Vaſconcellos.

In Collegio Angrenſi Tertiæ Inſulæ mortuus eſt anno 1590. Natus Ulyſſipone è parentibus illuſtris familiæ dynaſtiæ Mafrenſis: dicebantur Antonius Meneſius, & Catharina Oliveria. Conimbricæ iniit So-

Societatem 7. April. 1554. Primus jecit initia Angrensis Collegij à Rege Sebastiano fundati, & multis rexit annis utique magno virtutis exemplo: Cum nobilitate religiosam animi demissionem conjunxit. Ipse domum verrebat, cæteris incumbens humilitatis officiis, ceu ad ea esset Societatem ingressus. Ejus in pauperes charitatem rebus miris sibi gratam Deus ostendit. Præter ordinariam eleemosynam separavit bonam tritici copiam donandam egenis. Quotidiè ex eo monte frumenti saccus molendus, ac excoquendus in panes detrahebatur. Anni fine montis mensura integra fuit, & nihil minuta est. Omnes ut virum Deo plenum suspiciebant. Rediens in Lusitaniam egit Eboræ, Conimbricæ, & Ulyssipone Novitiorum Magistrum, & Socium Provincialis. Bis Romam adivit Procurator. Occupatâ Insulâ Tertiâ ab Antonio Serenissimi Infantis Ludovici filio ejecti sunt nostri per summam injuriam, captum, ac direptum Collegium; Postquam est urbs recuperata, missus est Ludovicus, ut iterum regeret instauratum Collegium, & nobis placaret infensos civium animos: Utrumque executus magnâ prudentiâ, quod maximi fieret ab omnibus illius virtus; Non enim ut hominem, sed tanquam Angelum intuebantur. Qui postremam Ludovici excepit confessionem, fassus est post obitum, nunquam se putasse tantam in homine mortali Sanctitatem esse, quantam reperiisset in Ludovico. Ingens mœror omnium animos occupavit, cùm desiit vivere. Tamen altam tristitiam sunt consolati, quod in urbe sua illius haberent cineres.

P. Joannes Rebello.

EBoræ vitam explevit anno 1602. Natus in Oppido *Prado* Diœcesis Lamecensis. Fuit germanus frater Fernandi Rebellij Doctoris præclarissimi, de quo 20. Novembris. Conimbricæ amplexus Societatem 21. Julij 1558. Quo die erat ingressurus, jussit per famulum ferri ad Collegium suam culcitram, & lodices, existimans illis sibi opus fore; Cùm Tyronum Magister ad januam accedens eum domi recepturus, scivit, quid rei esset involucrum. *Eja*, inquit, *nunc videbo, an sis dignus Societate, tolle humeris tuis illum tuum fascem, ac porta in domum tuam, unde perduci jussisti.* Nihil adolescens moratus est, sumpto onere processit mediam per urbem, ac domi relictâ culcitrâ, rediit in Collegium. Tam illustria primordia non vulgaris præbuerunt sanctitatis spem: Nec his initiis vita reliqua dissimilis. Adversus se ipsum vix ullus rigidior: flagello creberrimo domuit corpus: Id sequenti modo exequi solitus: Obligabat collo suo sparteum funem; cujus extremitatibus implicabat pedes Crucifixi; deindè sumpto flagello, ajebat: *Oh mi JESU Cruci affixe, quas pœnas non merear; quando te affixi*

Cruci! Secundum hæc, & ſimilia doloris verba, vulnerabat ſe flagris ad ſanguinis usque effuſionem. In Collegio Eborenſi altâ nocte, induens veſtem pœnitentiæ, ſecedebat in ſcalas abditas remoto loco, per eas conſcendens voce inſtar præconis clamabat: *Juſtitia, quam Deus fieri jubet contra Joannem Rebellium propter ejus maxima ſcelera.* Hanc vocem ſequebantur in tergo flagelli ictus. Fuit ex inſignioribus Evangelicis operariis, quos habuit Luſitania. Majorem vitæ partem conſumpſit in obeundis ſacris Miſſionibus per Tranſtaganam Provinciam, ubi tanquam hominem ſanctum venerabantur populi. In erigendis ſodalitiis, quæ procul dubio ſunt illuſtres Chriſtianæ pietatis officinæ, vix parem habuit. Multas inſtituit B. Virginis ſodalitates, plurimas Animarum Purgatorij, quas juvit ſemper continuatis ſubſidiis. Ob hanc ſingularem pietatem, docent antiqua monumenta, in nonaginta, aut centum oppidis celebratas ſacro, ac defunctorum officio Joannis exequias. Fuit etiam magnus propagator piiſſimæ ſupplicationis *à Paſſibus Domini* dictæ. Compoſuit, & vulgavit libros omni pietate refertos, & utiliſſimos, tum promovendæ B. Virginis devotioni, tum populis Catecheſi inſtruendis. Morabatur in oppido concionum ratione, cum veſpertinis horis exivit ſpatiatum ad ripam fluminis: Piſcantes ibi interrogavit, quomodo ſuccederet piſcatio? reſponderunt, ex omni piſce, quem alebat flumen, aliquos cepiſſe, uno, quem nominarunt, excepto. Tunc Joannes arundinem manu ſumens; *Ut ſitis*, ait, *addicti SS. Virgini, illius nomine veniat piſcis, qui deficit.* Sub hanc vocem hamum conjecit in aquam, ac ſine mora foras extraxit deſideratum piſcem, non ſine intuentium admiratione. Longâ ſenectute, & morbis feſſus obibat ſpiritualia exercitia, & recitabat horas canonicas flexis genibus. Ad tanti viri plenam laudem ſatis eſt, quod uſurpare ſolebat præclariſſimæ ſanctitatis vir Ignatius Martinius. Ajebat enim: *Se in hac Provincia valdè confundi à Patre Joanne Rebellio, ipſique deberi præcipuam reverentiam, quâ Luſitani ſacras colunt imagines.* A noſtris obviis domi, & ab externis foris ſciſcitabatur, ſi die illa fudiſſent aliquas preces pro animabus ignis Purgatorij? Superfluum tempus conſumebat fundendo ſtanneas, plumbeasve imagunculas, aliaque faciendo præmiola dividenda pueris inter Catecheſis explicationem, ut moris eſt in hac Provincia. Tulit æquis animis diros morbos; Semel herpete illi putruit vomica ſalutaris, cùm eſſet ad vivum caro ſecanda; Ut corpus eſſet quietum, juſſit chirurgus ligari infirmum ad ligneam ſcalam, nexis brachiis, & cruribus: Noluit Joannes pati hos nexus, & vincula, ſed petivit Crucifixum, dicens, ſe complectendo Crucifixum, ac Domini meditando Paſſionem quie-

quietiorem fore, quàm constrictum funibus: dum chirurgus secuit carnem, habuit Joannes os suum Christi affixum lateri tam immobilis, quàm esset, si foret saxeus; Post factam curationem acerbam, more discutientis suavem somnum; *Oh mi*, inquit, *bone JESU!* Percontanti, peregissentne jam curationem, responderunt, factam. Tunc ille: *Habeantur gratiæ huic Domino, quem teneo complexu.* Hoc Crucifixi simulacrum, quatuor affixum clavis, in cubiculo Magistri Tyronum Eborensium ad præsentem usque diem conservatur. Joannes meritis cumulatissimus ad meliorem translatus patriam.

P. Antonius de Sequeyra Novitius.

EBoræ de vivis abiit anno 1585. Natus in oppido *Arronches* Diœcesis Portalegrensis. Eboræ litteris incubuit, & creatus Theologiæ Baccalaureus. In eadem urbe egit Priorem, ut vocant, Parœciæ à Divo *Mamede*, & Portalegriæ Parœciæ à S. Laurentio: Ambæ possident reditus pingues. A teneris, ut ajunt, unguiculis navavit operam virtuti, curavitque adhærere æqualibus rerum divinarum amicioribus; Cùm tauri agitabantur, non ille adibat circum, sed invitabat alios scholasticos ad id tempus in nostro templo consumendum. Portalegriæ, ubi nondum nobis domus erat, illius præcipua fuit conversatio cum Capucinis Divi Antonij. Habuit familiaritatem cum uno multæ virtutis, qui magnoperè Institutum Societatis commendabat: dicebat illi, ne se falleret videndo homines Societatis calceatos, & Capucinos suos discalceatos, & aspero vestitos habitu: nam die judicij cernendum erit Religiosos Societatis esse magis pauperes Monachis discalceatis; Tandem his, aliisque permotus, relictis beneficiis, ac pingui reditu, Societatem amplexus Eboræ 20. Novemb. 1583. ætatis 42. Quamvis antè ob ætatem suam, & affectam valetudinem sibi Religio appareret metuenda; postquam est ingressus, detersa inani existimatione, omnia ipsi videbantur suavissima. Magni Paupertatem, magni fecit Obedientiam: Officia domestica humiliora erant ipsi in deliciis; Quamquam vir litteratus, & optimus concionator agebat cum Tyronibus, ceu foret ejusdem gradûs, & ætatis: læto vultu excipiebat reprehensiones: corpus fatigabat acerbis castigationibus: assiduâ oratione, & charitate erga omnes multùm se excoluit. Specialius ægrotos charitate mirâ complexus: ipsis in nosocomio serviit, & Alexio Alvaro, de quo hujus mensis 20. ex eo illi morbus hæsit. Audiebat confessiones scholasticorum, cùm sensit febri tentatum corpus, protinus è loco cessit. Dicens, nolle se morbum diffundere in pueros, si fortè ex iis esset, qui vulgari solent: Singularem inter suas molestias ostendit lætitiam. Ajebat contigisse sibi, quod

quod evenit hominibus ad forum publicum euntibus, & exiguâ pecuniâ ementibus rem pretiosam, se pauco admodùm Religionis tempopore mercatum vitam æternam. Vitam non amabat, quam unicè voluerat, ut impenderet laborando in missionibus. Hæc desideria Deus amplè remuneratus, eum ad se vocavit felici exitu.

DIE XXV.

P. Doctor Sebastianus Vidigal.

EBoræ vitam exuit anno 1714. Natus in eadem urbe, ibique conjunctus Societati 26. Apr. 1669. ætatis 19. In Academia Eborensi docuit Philosophiam, Theologiam Moralem, & Scholasticam; Posteà moderatus est cathedras Theologiæ in scholis Ulyssiponensis Collegij; Undè regrediens Eboram tradidit eandem scientiam è primaria cathedra, & honore Doctoris insignitus: Præclaro fulsit ingenio: Verum scrupulorum per totam vitam nimia importunitas non permisit ex illius studiis percipi fructus, qui posset, si non urgeretur dictis anxietatibus. Liberatus magisterio, reliquam vitam consumpsit Eboræ ferendo molestas scrupulorum punctiones, & nostris incumbendo ministeriis. A primis in Societate annis habitus est vir justus. Cùm dedicaretur valdè pulchrum sacellum villæ suburbanæ Eborensis Collegii; inter alios plausus missæ sunt sortes de virtute: unica, quæ prodiit, obtigit Sebastiano tunc Juniori: Cæteri casi non accidisse, testati sunt; sed illo signo ejus adolescentis virtuten Deum voluisse notam fieri; Cur de frænanda lingua, ne quemquam offenderet, tanta fuit, quanta apud mortales esse potest; Nec detraxi unquam alienis moribus, nec permisit coram se obtrectationes. Nequibat sibi persuadere Religiosum hominem mentiri. Fassi sunt, qu noverunt, illum totius vitæ decursu, factum, dictumve in ipso non visum, cui posset nota levis culpa inuri. Pænè semper gessit mentem divinarum rerum addictam considerationibus; Idcircò venerabilis in eo observabatur externorum sensuum collectio; Sæpe latens fervor vel incedentis per domum prodibat in actus amoris Dei voce expressos; Cum ante Deum orabat, modus ipse corporis humillimus significabat profundissimam animi demissionem. Habitus ipse oris, & corporis intuentibus infundebat reverentiam. Ubi mane surgebat erat, primum illius iter, Venerabile, & Virginem trem invisere, ut ab his fontibus sumerent initia opera cujusque diei. Pensum Canonicum horarum recitabat cum alio ratione vitandi scrupulos. Comitem rogabat frequenter, haberet patientiam. Crebrò inter versiculos, ex ipsis occasione sumptâ, jaculabatur in cælum voces Divino ardentes igne. Operabatur Missæ sacris magnâ perfectione:

ne: apparebatque totum animum esse Deo penetratum: Reputavit se totius domûs vilissimum: Conciones ostendebat Religiosis minorum annorum, humiliter rogans, delerent, quæ corrigenda ipsis viderentur; ne fortè proferret verbum, undè offensio nasci posset; Cùm eum laudibus extulêre, præ pudore erubescens ipsa corporis contractione significavit intimam animi demissionem. Non obstante scrupulorum, quibus angebatur, martyrio, in se ipsum erat piè impius: Bis quotidie flagris torquebat corpus: Convalescendi causâ ad villam Suburbanam contenderat ibi moraturus, cùm advertit domi relictum flagellum, statim petivit à Sacerdote comite, sibi restitueret funiculum, quem nectendo involucro ipsi commodaverat. Odorans, quorsum tenderet petitio, negavit se daturum; Verùm institit tantum, ut eo dato fuerit consolandus, ex illo adornavit scuticam, quâ dum fuit in villa, verberavit corpus. Si fratres mittebant ipsi escas saccharo conditas; habitâ facultate, servabat tribuendas ægrotis. Nondum recuperatis ex morbo viribus, convenit Ministrum rogans, destinaret sibi peragendas aliquot conciones, ut mereretur Religionis panem: Convalesceret priùs, respondit, tunc morem gerendum; Ad hæc verba instar pueri lachrymantis, cùm, quod appetit, negatur, cæpit ubertim flere, existimans se vitam ducere otiosam, & quotidiano indignam victu, nisi laboraret. Cibi parcissimus, plerumque vescebatur solo pane. Notantibus id austeritatis respondebat hilari voce: *Nescio quid suavitatis invenio in solo pane.* In Religiosa observantia nullus exactior. Cùm ipsius frater ex eo quæreret, cur è nostris unus dimissus è Societate fuisset? respondit: siquis te interrogaret, quid intra domum tuorum parentum fieret, dixisses? puto, non! Igitur scito, Societatem meam esse matrem, nec speres me vulgaturum, quod intra fores domûs ipsius contingit. Propter morbos suos non potuit uno anno, labori, ut cupiebat, indulgere. Motus suis scrupulis, quod victum non meruisset, scripsit ad fratrem Ulyssipone Senatorem, persolveret Societati factum eo anno in se alendo sumptum, quod ipsi nihil servisset. Admiratus novitatem, pecuniam, & epistolam secum ferens, convenit Provincialem nostrum; cujus responsum fuit plenum laudibus Sebastiani, dixitque id necessum non esse, sed sanctum Virum scrupulos coëgisse ad insolitam novitatem. Si inter loquendum excidit verbum, quod ejus vellicaret conscientiam, sine mora veniam commissi rogabat audientes. Serviens accumbentibus mensæ, mentem non amovebat à spirituali lectione, videbanturque in vultu quædam significationes animam indicantes eâ lectione ad cælestia totam rapi. In petendis facultatibus adeò fuit circumspectus, ut li-

lineam, acum, chartæ folium, & similes minutias non flagitaverit, nisi pace Superioris habita; Si de facultate qualecunque exortum dubium, rediit iterùm explicatiùs obtenturus: Charitas ipsius omnes æquè complexa, cunctis exoptabat morem gerere. Fortè audivit Magistrum adolescentem cupidum habendi baculum manubrio in orbem flexo; cùm unum possideret, suspensum ex humero subter lacernam, sive manicatam tunicam; tulit ad Magistri cubiculum: eo non invento, redivit, ac dedit libentissimè: Urbanitas & in factis, & in illius eminebat verbis: Arguens de more Academico, ut erat acutissimus, si præsides, vel externos defendentes redegit in angustias, unde se expedirent ægrè, finito actu semper verbis amplissimis defensoribus est gratulatus. Vitam traduxerat inculpatam, cùm eum perniciosa febris corripuit. Laborans deliriis, peragebat ferventissimos amoris Dei, & contritionis actus, tantâ contentione, ut appareret ipsum velle cor, & & viscera dolore findi: Redditus sibi, singulari pietate facto prævio colloquio, Viatico refectus: Tempus illi abibat Deum contemplando. Fuit, qui diceret Sebastianum mori ex amore Dei; Si dicebat aliquis brevi de vita cessurum, ac fruiturum Deo, similis confuso contrahebat se in lecto, respondens: *Ego peccator miserabilis, ego sum Deum visurus?* Post hæc verba levabat in cælum manus, & oculos, subsistens altæ contemplationi deditus. Mirum in modum angebatur, quod Matri suæ Societati (sic eam semper nominabat) non pro merito serviisset. Postremos vitæ dies traduxit sine umbra vel levissimi scrupuli, quod favoris genus Deus impertit iis sanctissimis Viris, quos diuturna multorum annorum probavit molestia. Expiravit prope meridiem: Illius vultus eâ vitæ aurâ aliquamdiu sic perstitit, ut, an esset mortuus, dubitaretur. Oculos claros, & lætos habuit fixos in simulacro venerando, quod erat è regione lecti: Videbatur homo, qui elevatis quâdam suspensione oculis Divina contemplatur. Hanc rem, ut mirabilem, & inusitatam circumstantes notarunt, & tribuerunt illius virtuti. Adhuc eo vivente, quamplurimi expetebant, ut reliquias, servaturi, de rebus, quæ illi fuerant usui. Crevit post mortem hæc aviditas non solùm inter nostros, sed etiam inter Sæculares. Pileolum, quo defendebat caput ab injuria temporis, quidam è nostris sibi rapuit, atque in actis litterariis ferebat applicitum pectori.

DIE XXVI.

P. Antonius Paes.

IN Angola extinctus est anno 1597. Natus in pago *Lobelhe de Mato* Dioecesis Visensis. Conimbricæ addictus Societati 29. Decemb. 1570. ætatis 20. In Angola multùm laboravit in con-

convertendis, & excolendis Æthiopibus. Magnos pro Dei gloria sustinuit labores. Adeò Majorum adhæsit voluntati, ut visus sit diversam non habere. Ejus deliciæ fuerunt assiduum cum Deo commercium; Si nostrates, ajebat, cognoscerent, quantum se Deus illis in Angola communicet, qui propter ejus amorem patrias reliquerunt, omnes deserturos collegia, ut illò convolent. E plurimis confessionibus, & concionibus mors illi est orta.

Antonius Joannes Coadjutor.

COnimbricæ anno 1625. vitam explevit. Natus in pago Sylva obscura Diœcesis Visensis. Eboræ adscriptus Societati 28. Junij 1610. ætatis 25. Iter facienti, ut Eboræ Societatem iniret, apparuerunt adolescentes duo, qui scientes illius propositum, multis verbis conati sunt abolere tam sanctam cogitationem; dum suasiones noxias multiplicant, fit obvius adolescens alius, qui materiâ sermonum cognitâ, Joanni persuadet, ne desistat ab incepto: hunc, ajebat ille posteà, suum custodem Angelum fuisse. Cùm esset in Angola, vel Brasilia, exiretque ad locum ab oppidis remotum, prodivit è sylva tigris, genus animantis admodùm ferox; Nihil Joannes ejus metuendo conspectu turbatus, sed more alloquentis hominem alloquens: *Quid vis*, inquit, *ego huc ex obedientia veni.* Hâc voce fera, ceu occultâ vi perculsa, abdidit se protinus in dumeta. Rediens in Lusitaniam, aliquot annis vixit præ membris contractis lecto affixus. Dolores suos egregiè tulit, donec spiritum tradidit Factori suo.

DIE XXVII.

Michael Alvres Scholasticus Novitius.

EBoræ sanctissimè obivit anno 1585. Natus Villævislosæ Diœcesis Eborensis. Societatem ingressus Eboræ 14. Novemb. 1583. ætatis 18. Vixit apud nos annum, & menses octo. Magna illi sinceritas in conscientia suo Magistro explicanda. Creber, & sanctè importunus erat in facultate petenda ad voluntarias obeundas afflictationes, & humiliora domûs officia; Cùm reprehendebatur, hilari vultu audiebat acria verba; tam altas egerat radices in ejus anima obedientiæ virtus, ut ægrotus luctaretur adversus quaslibet naturæ repugnantias, ne deesset jubentium imperiis. Fatigavit precibus Magistrum, ut serviret Alexio Alvaro; dicens, se jam alteri jacenti ex eodem malo serviisse, quin se læsisset morbus; Cùm obtinuisset petitionem suam, languenti assedit vigilantissimâ curâ, sed eum sua fefellit opinio; nam hæsit illi perniciosum erysipelas; Protinùs ritè se ad moriendum paravit. Invisenti Rectori dixit: Mi Pater, huc venit Angelus, affirma-

vitque, devolutis diebus aliquot, me moriturum. Interroganti, quot futuri essent dies, respondit: Id mihi non declaravit, sed adjecit, purgandum in flamma lustrali diebus paucis, sed horum numerum pendere ex numero Sacrorum, quæ pro me fierent; cum hæc dixit, nondum Medici diffidebant illius vitæ. Septimo die morbi biduo ante obitum, spatio horæ duplicis extra sensus fuit deliquio correptus. Posteà excitus tanquam de somno cæpit vocare Præfectum sanitatis, qui præsens erat, illique dicere: Mi Pater, mi Pater, vale; nam ego volo pergere visum Dei mei faciem; Etenim ulnis apertis me exspectat Virgo sanctissima, Archangeli Michaël & Gabriel, qui legatione apud B. Virginem functus. Hæc loquens edebat signa instar videntis agmen Sanctorum longo procedens ordine. Enixè rogavit, sibi præberent moriendi facultatem: dicentibus, quò plus viveret, plus augendum tolerantiâ dolorum meritum, respondit: non esse tormentum par illi, quod sentit anima Dei conspiciendi avida. Replicantibus, quò diutiùs foret apud mortales, eò sæpiùs reficiendum sacro pane, respondit: Id est Deum in Eucharistia recipere: verum, non est meliùs eum facie ad faciem cernere in cælo? Quo die obivit, cùm mane audisset signum orationis matutinæ; Quid rei foret, sciscitanti, responsum dari ad orandum signum; Tunc ille manus sursum levatas operiens sindone, totâ horâ perstitit quietus, licet antea propter dolores acutos crebrò moveret in lecto corpus. Finitâ horâ, in quâ sua peccata meditatus fuerat, ajebat: „ Hic est Michaël Alva-„ rus; certè benè merebar propter „ mea peccata, majorem agere pœ-„ nitentiam, quam egit S. Joannes „ Baptista: Væ mihi, quod me nun-„ quam novi! sed gratiæ Deo, qui „ me vocavit in Societatem. Hoc postremo verbo magnoperè recreabatur illius anima. Si dicebant illi: Frater, dormi, hæc enim est obedientiæ voluntas: statim colligens se intra lintea, dormiebat: si jubebant, sustineret sine gemitu dolores, sic ferebat tacitus, tanquam non haberet, denique totus pendebat ex obedientiæ nutu: dolores mitigabat intuendo Crucifixum. Paulò ante mortem rogavit socios offensionum veniam adjecitque, *si nosceremus mortem, aliter viveremus.* Die Sabbati matutinis horis est mortuus, & conservavit tam lætum vultum, ut, an expirasset, dubium foret. Cubiculum, quo in Domo Tyronum vitam explevit, in hodiernam usque diem vocatur cubiculum Angeli. In eodem quondam hospes fuit D. Franciscus Borgia, cùm transiit Eborâ comitans Cardinalem Alexandrinum. Id significat inscriptio, ac Divi simulacrum super ostij limen suspensum.

DIE

DIE XXVIII.

P. Doctor Ludovicus Cardeyra.

ANno 1684. Eboræ vitâ defunctus. Natus in pago *Odivelas* Diœcesis Eborensis. Societatem ingressus Eboræ 13. Martij 1633. Singulares illi dotes ad pulpita sacra, & magisteria. In Eborensi Academia docuit Moralem Theologiam, & egit S. Scripturæ Professorem, Doctorisque illustratus laureâ. Multùm dilexit Societatem; Cùm ex alio Ordine Religiosi novissent, eum nonnullas in Societate pati adversitates, magnos illi promittunt montes, si ad eorum transeat castra. Verbis severis increpavit tantam audaciam, adjiciens: Velle se potiùs vivere in Societate sub pedibus hominum, quàm in alia sacra familia super capita; Cum adiret concionatum in patriam suam, post concionem inter alios gratulantes accessit vir agricola, significans, quâ eum audiisset, voluptatem; sibi fuisse specialem, quòd illum baptizaverit. Hic Pater interno motus instinctu percontatur, quomodo verba Baptismi pronunciaverit? Erubescit agricola, nec ex eo vox ulla erui potuit; Tunc Ludovicus in re summi momenti non connivendum ratus, iterum baptizatus est sub conditione, & sub eâdem Sacris iterum initiatus. Scalabitanum regebat Collegium, cùm res illi contigit insolita. In domo Oppidani videbatur quædam inusitata lux, & ex ea prodibat vox petens subsidia Sacrorum, & precationum. Hanc vocem ad rem explorandam vocatus audivit, dubitans, forentne dæmonis præstigiæ. Suspensus domum rediit, cum noctu de more suo flagellavit corpus: ea verbera applicavit intra se pro illa anima, si talis erat: die sequenti, ubi domum ingressus, vox de luce exiens habuit illi gratias propter applicationem verberum; Tunc planè intellexit fraudem non esse, cùm malus dæmon cogitationes cordis nequeat cognoscere, quod eas sibi solùm Deus reservet; Postquam pro anima facta sunt Sacra multa, & preces; numero expleto, actis suis benefactoribus gratiis, evanuit & lux, & vox: semel accidit ad ejus pedes peccator planè monstrosus: Cacodæmon illi erat incitamentum, & complex in peccatis luxuriæ modis omnibus, quos fatua suggerit libido. Tandem lacerti valdè horridi Dæmon induens formam, miserum impulit, ut avidè fœdissimum expeteret concubitum: Commisso peccato, in se reversus de se ipso stupuit, considerans, in quos scelerum gurgites se imerserat. Perculit benignus Deus lumine suo cimmeriis plusquam tenebris cæcam mentem. Genua flectens ante Confessarium præ confusione vocem expedire non poterat. Mitibus verbis has Confessarius abegit difficultates; Virus omne evomuit, ac dimissus fidenti animo, & firmo proposito cavendi in

poſterum tam noxias illecebras. P. Cardeyra longâ ſenectute tandem confectus eſt. Illius exequias celebravit apparatu muſico Auguſtinus Souza Pimentelius Eborenſis, Canonicus, Patris Cardeyræ amiciſſimus.

P. Didacus Alvres.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi vitam finivit anno 1596. Societatem ingreſſus, cum jam erat creatus Baccalaureus in Sacris Canonibus, non tamen proceſſit ultra gradum Spiritualis Coadjutoris. In audiendis patientiſſimè pœnitentibus vix fuit, qui illum excederet. Ad eos dirigendos nactus ſingularem modum. Ipſius virtus non ſemel illuſtrata miraculis; nam ſuper ægrotos eo formante crucis ſignum, repentè obtinuerunt ſanitatem. Ob conceptam opinionem multi poſt mortem de rebus Didaci ſibi ſumpſerunt reliquias. Nec defuerunt in exequiis lachrymæ eorum, quos in ſpiritu juverat.

Joannes Alvres Scholaſticus.

ANno 1657. obivit in Collegio Ulyſſiponenſi. Natus Villænovæ de Portimano in Algarbiis. Eboræ complexus Societatem 22. April. 1649. Poſt ſtudia Philoſophiæ, ut ſtuderet Matheſi, migravit Ulyſſiponem. Animæ perfectioni plus incubuit, quàm ſcientiis. Frequenter aperiebat conſcientiam Præfecto à Spiritu. Semper, ut pareret Regulæ, exponebat per confeſſionem labes veſpere diei, quâ reficiendus erat ſacro pane. Ipſas verò confeſſiones ſolitus peragere tanto cordis ſenſu, ac dolentis animi ſignis, ut valdè Confeſſarius miraretur, cùm nec eſſet levis culpæ materia. Nihil illi horridius cogitationibus impuris. Ad caſtitatem ſervandam illibatam triplici uſus remedio, B. Virginis devotione, ad obtinendam gratiam divinam: Circumſpectione in oculis ad occaſiones vitandas: Caſtigatione, ad frænandum corpus, ac Dæmonem. Speciatim recitabat officium Immaculatæ Conceptionis, & faſſus eſt, ex quo litavit hujusmodi preces, expertum Divinam opem præſentiorem. Majus B. Virginis Officium quotidiè non omittebat. Crebrò ciliciis, & flagello puniit corpus ſuum. Sed has, & ſimiles corporis afflictationes obibat ex præſcripto Confeſſarij. Spectabilis, & rara modeſtia cohibebat ejus oculos, præſertim cum ivit foras, ne videret, quæ nollet. Exactiſſimè peregit exercitia, quibus ex inſtituto noſtro promovemus ſpiritûs profectum. Ubi ægrotavit, intellexitque periclitari, ſe comparavit ad ſupremum iter illis actibus, quibus ſanctiores animæ. Sentiebat intus quandam æternæ ſalutis ſecuritatem. Ingens illi ſolatium in alloquiis cum B. Virgine, & Crucifixo. Quo die obiit, ipſi dixit Confeſſarius, velletne eâ die mori, quod eſſet Sabbatum B. Virginis? Ad quæ reſpondit citò, & multo affectu: *Ah*

Pa-

Pater, in die Matris meæ, volo. Annuit optanti Deus, nam eâdem die reliquit mortales.

DIE XXIX.

Ludovicus Bravo Coadjutor.

ULyssipone in Collegio Divi Antonij gloriosâ morte occubuit. Natus Tavillæ in Argarbiis: Sex annis duram apud Mauros servivit servitutem: Liber captivitate admissus in Societatem Florentiæ, inde missus ad Lusitaniam, absolvit Eboræ tyrocinium. Anno 1569. grassante pestilentiâ, obtulit vitam suam curandis infectis: Ex hoc commercio contraxit pestem. Postremis Ecclesiæ munitus subsidiis, manu tenens, & alloquens Crucifixum, ad supremum anhelitum conservatâ mentis integritate, piissimè obdormivit.

Balthasar Gonsalves Scholasticus.

ANno 1585. naturæ concessit Eboræ, ibidem natus, & Societatem ingressus 2. Junij 1578. Ajebat ejus Magister in tyrocinio, ipsum reliquis Novitiis antecellere: Hanc de suo profectu curam conservavit post biennium: Nihil frequentiùs Deum rogabat, quàm ut sibi daret humilitatem, & propriæ vilitatis cognitionem, & contemptum; Quamvis acuto micabat ingenio nesciit superbiam: Sæviebat plurimum adversus se ipsum flagris, ciliciis, ac jejuniis. Nullus ausus est coram ipso defectus adversus observantiam committere; nec ille tegendo dabat ansam. Conscientiæ puritas, & in oratione devotio illi fuerunt singulares. Phthisi correptus, nihil egit accuratiùs, quàm habere cor paratissimum ad moriendum; cùm eum vellet quidam consolari socius, respondit: Ne, mi frater, existimes mortem esse metuendum colubrum, est læta, præsertim viris religiosis: dum sanus fuit, à nullo onere injuncto se excusavit, nec detractio ejus infecit linguam. Phrenesi laborans, sic parebat jubentibus, ut mentis suæ compos non obediret promptiùs.

P. Doctor Franciscus Pinheyro.

COnimbricæ è vitâ cessit anno 1661. Natus in oppido *Gouvéa* Diœcesis Conimbricensis. Societati nomen dedit Conimbricæ 14. Mart. 1611. ætatis 15. Fulsit admirabili sapientiâ, quâ Societatem illustravit. Eboræ tradidit Philosophiam, & Theologias, laureatus Doctoris gradu, rexit ejus Academiæ primariam cathedram, merito plausu, & nomine. Rectorem egit Eborensem, & Conimbricensem. Maximi æstimatus ob insignem doctrinam à Magistris, ac Doctoribus Conimbricensis Academiæ, à quibus in rebus majoris momenti consulebatur. Animus illi grandis ad res arduas evincendas. Adversitates, quas multas pertulit in Societatis jure defendendo, generoso pede protrivit, & conculcavit; Illius mores incul-

pa-

pati: Cubiculi ſui valdè amans, totus incubuit ſtudiis, & virtutibus. Modeſtia, charitas, & zelus obſervantiæ ſpeciatim ornarunt ejus vitam, quam eſt ſecuta juſti viri mors. Libros in lucem dedit Juris civilis, & Pontificij doctrinâ præclariſſimos; Qui omnibus ſapientibus ſunt in pretio.

DIE XXX.

P. Franciſcus Gonſalves.

ANno 1569. glorioſâ morte defunctus Ulyſſipone. Natus in urbe Viſenſi. Conimbricæ conjunctus Societati 22. Febr. 1562. ætatis 29. Vaſtante peſtilentiâ Ulyſſiponem, objecit vitam incendio, miſeris ſuccurrens, eorumque audiens confeſſiones. Poſt multos in miniſterio piiſſimo labores impenſos eâdem ex commercio ægrotantium infectus peſte vitam ad aras charitatis exhalavit.

Antonius de Crux Scholaſticus.

EBoræ anno 1632. attigit vivendi limites. Natus Ulyſſipone. Abſoluto latinitatis ſtudio in noſtris ſcholis, incubuit Philoſophiæ in monaſterio Prædicatorum. Per id tempus acquiſivit ſingularem amorem erga B. Virginem à Roſario, arſitq; magnis deſideriis ineundi Societatem. Ad fruendum voto ſuo patronam elegit tutelarem SS. Virginem. Diſtulerunt ejus petitionem ob vires infirmas, & quod plenè de illius

non conſtaret ingenio. Biennio p
tivit admitti. Tandem è noſtris gr
vis Sacerdos, cui erat perſpecta A
tonij ſanctitas, cùm recipiendus
necne, proponeretur; Dixit, ado
tandum Societati, ut eſſet Sanctus
Idcircò huic alij conſultores aſſe
ſerunt. Ulyſſipone ingreſſus Soci
tatem 1. Martij 1627. Cæteris N
vitiis erant exemplo illius mores
Virginem Matrem miro amore pr
ſecutus: Expetebat abjectiora d
mûs officia; propterea multo ten
pore habuit furni procurationen
Veniebat cum aliis tyronibus è Co
legio Divi Antonij, cum obvius e
pulſus ad ſcholaſticos inquit Ant
nium indigetans. Ille eſt furnariu
domûs. Audito hoc verbo, mu
tùm exhilaratus, quod ſibi apu
ſcholaſticos verteretur deſpectu
Ardens ſentiebat deſiderium mac
randi corpus; & faceret, niſi m
dum fervori adhiberet Magiſter co
ſulens virium imbecillitati. Po
biennium ſtudiorum causâ miſſu
Eboram, ſecum decrevit nihil r
mittere in ſanctis tyrocinij propoſ
tis, idque executus. Neceſſum fu
ipſi advigilare, ne corpus fraudar
juſto cibo. Promptiſſimus fuit a
obediendum; Antequam libro
evolveret ad ſtudia, offerebat De
ſtudendi laborem; Cùm pangend
carmina menti occurrebat vel opt
mum ad rem carmen, vel cultio
explicandi modus, levatis in cælun
manibus, & oculis gratias Deo h
bebat. Idem egit, ſi ſtudens Philo-
ſo-

ſophiæ venit in mentem optata nodi ſolutio. In Gymnaſio, cùm Magiſter nominabat Divum Thomam, venerationis ergo detegebat caput, quod ſanctum Doctorem elegiſſet ſtudii ſui patronum: ſive defenderet quæſtiones, ſive argumentaretur, tam modeſtus fuit, ut externi ſcholaſtici vocarent ſanctum. Propter ſtudium nunquam omiſit ſolitas precationes. Siquid nomine B. Virginis petitum ab ipſo eſt per aliquem, ſemper annuit optatis. Horâ ad loquendum conſuetâ, quærebat eos ſocios, qui de Deo miſcerent ſermones. Menſibus vacationum vivebat inter tyrones eorum habitu, & more. Per id tempus, ut Novitios confirmaret, frequentiores illius ſermones erant de vocatione ad Societatem, ejusque prærogativis. Mentem pænè ſemper gerebat Deo affixam. Verrebat in Collegio ſcalam, ubi erat ſuſpenſa de pariete pictura B. Virginis. In ſingulis gradibus hæc verba jaculabatur ad magnam Matrem: *Monſtra te eſſe Matrem, fac me eſſe filium humilem, caſtum, & devotum.* Cùm fieret ſolemnis ſupplicatio in obſequium B. Virginis, quo tempore ab ægritudine convaleſcebat, deſideravit cernere B. Virginis ſimulacrum magnâ pompâ, & apparatu circumferri; idque rogavit B. Virginem. Eodem die, cum mos non eſſet foras mittere convaleſcentes, comes datus alteri ad urbem exeunti fruitus B. Virginis conſpectu; quod ille reputavit ſingulare magnæ Matris beneficium. Vitæ poſtremis menſibus, cum videret extingui vitam, ſtudioſiùs ſe Deo tradidit. Laborioſum perpeſſus morbum. Propter illius inſignem virtutem certatim unusquisque ægrotanti cupiebat aſſidere. Dicentibus Medicis eum poſſe Viatico muniri die S. Ignatij non conſenſit: nam antè ſignificarat Patri Rectori ſe vocari à ſancto Protoparente, ut præſens eſſet illius ſolemnitati in cælo, cupereque vehementer eum conſpicere. Tertiâ horâ poſt noctem mediam poſtulavit, ad ſe vocarent Rectorem: flagitavit, impertiret ſibi benedictionem, & moriendi facultatem. Reſtitit Superior; verùm cùm ægrotus multiplicaret importunas preces, ſolatij gratiâ benedictionem dedit, ac facultatem, ut cùm Deo placeret, expiraret. Reliquum tempus adusq; horam ſeptimam matutinam tranſegit quietus. Tunc multâ animi, & corporis tranquillitate ſupremum edidit anhelitum: cadaveris in ſacello de more locati noſtri exoſculati ſunt pedes ob eximiam de ipſius virtute opinionem.

P. Thomas de Sequeyra.

ANno 1612. Eboræ deſiit vivere. Natus in oppido *Alcaſſere de Sale* Diœceſis Eborenſis. Conimbricæ complexus Societatem 9. Jun. 1608. ætatis 26. jam ſacris initiatus. Antequam ſe aggregaret Societati, vir fuit notæ virtutis, & qui cæteros per exhortationes, & exempla Deo con-

conjungeret. Moriente ſorore, cujus ratione morabatur, quò minùs mundum corpore deſereret, arctiùs Deo adhæreſcere ſtuduit. Reliquit patriam animo ad eam non revertendi. Ingreſſurus erat aliam Religionem; empturus jam habitum, ſenſit cor ſuum denſâ gravari nube. Cognoſcens ejus amicus triſtitiæ cauſam, illi dixit Dæmonis eſſe tentationem, conveniret aliquem Societatis hominem in Domo Ulyſſiponenſi, remque totam panderet, obediretque conſulenti. Parens monenti, nudavit ſacerdoti noſtro conſcientiam. Ejus conſiliis diſcuſſa nube abiit lætus, ac mutans ſententiam petivit, & obtinuit in Societatem adoptari. Apud nos ſanctiſſimè vixit. Singularis illi modus ad captandos animos perſonarum, cum quibus egit. Anxiè procuravit mitti ad Braſiliæ Miſſiones. Cùm non impetraret, miſſus eſt ad Algarbienſe regnum; Inde migrans Eboram morbo ſupremo corripitur. Securitatem de ſalute æterna tam firmam habuit, ut timuerit, ne Dæmonis ſubeſſet dolus; Verum conſiderans eam fiduciam niti Divinâ ſolùm miſericordiâ, ſentiebat ſpecialem animi conſolationem. Plurimum cupiebat pati. Urgebatur vehementiſſimâ tuſſi, quæ nonnunquam eum pænè ſuffocabat. Ceſſante tuſſi canebat modulatiori, quo potuit, concentu. Nolebat à ſe regi, ſed totum ſe commiſerat arbitrio cuſtodis valetudinarij. Sciſcitantibus, velletne hanc, illamv rem, ſolitus reſpondere: quod pla cuerit cuſtodi valetudinarij. Poſ ſacram inunctionem ſuadenti Sacer doti, ut Sociis aliqua diceret con ſolationis verba, reſpondit: *Non ſun ſanctus, ut poſſim monitiones præbere* Verùm cæteris abeuntibus, paucis qui manſerant, hæc ait: *Chariſſimi, illud unicè commendo, geſtemus in oculo rum pupillis honorem Dei, & ſuper caput; noſtrum verò ſub pedibus: ſit, quoc fuerit: dicant, quod dixerint.* Tandem ad ſupremum usque articulum, ut ſolent phthiſici, mentis retinens integritatem, & cum Deo ſuo loquens, extinctus eſt.

DIE XXXI.

S. Ignatius noſtræ Societatis Parens.

QUanquam ob unicas hujus operis rationes, non erat, cur mentionem de S. Parente facerem. Quoniam tamen in Chriſto genuit tot heroes, quot hic noſter labor complectitur; & quòd ſpecialiter hanc Luſitanam dilexit Provinciam, injurius illi eſſem, ſi præſenti die brevem de ipſo memoriam omitterem. Præſertim attingam argumenta amoris erga Luſitanam Provinciam & gentem. Natus Guipuſcoæ in Cantabria illuſtriſſimo genere. Militiam ſecutus. Pampelonenſem in Navarrâ defendens arcem, graviter vulneratus, dum convaleſcit, evolvens Sanctorum vitas, eos decrevit imitari; Propterea relictâ do-

domo paternâ, apud Monſerratum B. Virgini, ac Deo ſe totum devovit; Inde ſecedens Manreſam, degit illic vitam pœnitentiis aſperrimis, & aſſiduæ deditam orationi. Peregrinatus eſt Hieroſolymam; Inde revertens, dedit operam Grammaticæ rudimentis Barcinone. Migrans Complutum, habuit Confeſſarium Emmanuelem Mionam Luſitanum Algarbienſem, qui poſteà Societatem ingreſſus Romæ magnâ virtutis opinione, obiit 4. Martij 1569. de quo Nadaſus noſter in ſuo *Anno dierum*. Compluto Salmanticam contendit, inde Lutetiam Pariſiorum. Quòd plurimis Scholaſticis mores corruptos exuere, & vitam ingredi ſanctiorem ipſe perſuaſiſſet, ab imprudentibus, & profanis reputatus eſt Academiæ turbator; Idcircò à Profeſſoribus ſcientiarum accuſatus apud Rectorem Collegij S. Barbaræ. Is erat Didacus de Gouvéa Luſitanus ex Pace Julia, ſive *Beja* in Diœceſi Eborenſi. Tulit adverſus eum crudelem, ſed uſitatam in turbatoribus puniendis ſententiam. Nempe ut à Magiſtris virgarum manipulis tergo cæderetur. Quid in ſe conſultum eſſet ſciens Ignatius, ipſemet libentiſſimè obtulit ſe Rectori. Admirans hominis virtutem, & animum ſanctiſſimæ indicem conſcientiæ, abſtinuit ab inferendo ſupplicio, Ignatiumque in poſterum maximoperè dilexit propter inſignem virtutem præter alia tam duro probatam experimento; Igitur, ejus commendata modeſtia dimiſit liberum. Pariſiis adjunxit Socios, quibuscum fundavit Societatem: ex his unus fuit Simon Rodericius Luſitanus, de quo dictum eſt 15. hujus menſis. Cùm ſanctus Parens, & Socij compleſſent Italiam totam famâ ſui nominis, antequam eſſet à Sede Apoſtolica confirmata Societas, Didacus de Gouvéa Regem Luſitaniæ Joannem III. certiorem fecit de zelo noſtrorum, & virtutibus ſibi Lutetiæ perſpectis, adjecitque rectè ejus facturam Majeſtatem, ſi aliquos ab Ignatio pro Indiis poſtulaſſet. Protinus Rex commendavit negotium Petro Maſcarenio legato ſuo in Urbe, cui S. Franciſcum Xaverium, & Simonem Rodericium conceſſit. Ignatius erat Legato à confeſſionibus, eum magni faciebat, quod ſibi fuiſſet commendatus ab Eleonora Maſcarenia Luſitana Philippi Regis nutritia. Eunte ad Indiam Xaverio, ſubſtitit in Luſitania Simon ad ponenda initia Collegij Conimbricenſis, quod Rex ad fovendas operariis miſſiones Orientis fundare decreverat. Maxima per epiſtolas familiaritas Ignatio cum Joanne Rege; quem Sanctus vocabat *Parentem Societatis*. Divus ipſe Romæ nihil tractavit accuratiùs, quàm negotia ad Regis utilitates ſpectantia. Ille induſtrias, quæ multæ in ipſo erant, omnes adhibuit, ut concederetur Luſitanæ Inquiſitionis tribunal eo modo, quo Rex optabat. Ille, ut in Collegium Cardina-

lium adoptaretur Infans Henricus Regis frater. Ille jus Patronatus Regis per Æthiopiam ad mare Rubrum defendit, cum Romæ vellent creare Patriarcham,& Epiſcopos pro illis regionibus non attento Regis jure. Conſtituit hancLuſitanamProvinciam totius Societatis primam. Propterea in litteris patentibus ad Simonem ſic habet: *Primo Provinciali Societatis.* Nam Romana Provincia omnium parens redacta in formam. non erat, ſed ſanctus Generalis per ſe regebat. Illi fuit à ſecretis P.Bartholomæus Ferramus Luſitanus ex Oppido *Caſtellobranco.* Vitæ ſuæ ordinem, initia, & progreſſus narravit P. Ludovico Gonſalvio Cameræ viro ex illuſtriſſima familia. Habuit Confeſſarium aliquo tempore Melchiorem Carnerium, unum è primis noſtræ Societatis Epiſcopum. Ad Socios hujus Provinciæ, ut illorum immoderatos ſe mortificandi fervores compeſceret, ſcripſit mirabilem de Obedientia epiſtolam, quæ ſingulis menſibus in noſtris tricliniis pro menſa legitur, cujus autographum conſervamus in Sanctuario templi Conimbricenſis. Sæpè ſcripſit ad Socios Conimbricenſes, ut, ſicut ipſe ait, ſe cum ipſis conſolaretur. Dicebat Societatem poſt Deum opus eſſe Joannis Regis. Propter has, & alias ſui amoris ſignificationes erga noſtram Provinciam, & Nationem ipſi debemus obſequia majora, quàm ulla Natio, vel Provincia. Obivit Romæ anno 1556. In Beatorum relatus numerum per Paulum V 3. Decembris 1609. In Divorum adſcriptus Catalogum 12. Marti 1612. per Gregorium XV.

P. Franciſcus de Sampayo.

IN navigatione Indica anno 1682 vitæ finem impoſuit. Natione Luſitanus ex oppido *Torrozelo.* Magna vis morborum incubuit navi multi mortales de medio ſublati Noſtris ampla exercendi charitatem materia; dum infirmis conſuluerunt Erat Pater Sampayus, ut ejus Confeſſarius teſtatus eſt, vir conſcientiæ puriſſimæ: Celebrabat Miſſam ſingulari pietate: Primus ſurgebat manè ad altare parandum; Quamvis eſſet ipsâ naturâ pronus ad iram, ſic fregit ſeipſum, ut in eo viſa non ſit iracundiæ vel minima ſignificatio; dum tenuit morbus, peculiarem oſtendit patientiam. Fluxu ſanguinis ſupervenit pernicioſa febris, & parotis gemina, quæ vitam oppreſsêre.

Antonius de Mello Coadjutor.

EBoræ anno 1564. hoc menſe obivit, quamvis incognitâ mihi die; Nec patriam, nec ingreſſûs diem reperi. Exiſtimo mutaſſe poſt biennium nomen. Antequam ad nos veniret, famulabatur Nonio Rodericio Beja, de quo facta mentio 1. Martij. Cùm Nonius Societatem complecteretur, Antonius herile imitatus exemplum, eidem ſe adſcripſit. Sæpè Magiſter Nonium exer-

ercendi, & probandi causâ, jubebat, ut ipse excalcearet Antonium, cæteraque perageret servitia, quæ famulus illi extra Societatem præstabat. Leo Henricius Senior magnoperè recreabatur familiariter conversando cum Antonio propter ipsius insignem virtutem. Momento, quo mortuus est, moniales Divæ Monicæ (habitant è regione Collegij, nondum Purificationis interposito) vidêre lucem insolitam adinstar stellæ. Admirantes novitatem, miserunt, qui sciret ex Patribus, quid foret lucis flagrans radius tali hora, & tali loco super tectum Collegij conspectus è suo monasterio. Tunc nostris intellectum est, eo signo voluisse Deum notum facere æternam Antonij felicitatem. Nam ipsâ horâ, quâ lux conspecta est, è vita migravit.

P. Petrus Cassui Martyr.

IN urbe Yendo apud Japones anno 1639. martyrio illustratus hoc mense, die mihi non compertâ. Natus Imi in Regno Bungensi, quod est in Japonia. A teneris annis educatus in nostro Seminario. Anno 1614. cum fuerunt exterminati Japoniâ præcones Evangelici, & Petrus cum ipsis exivit. Cupidus invisendi Hierosolymam, transiit ad Indiam: inde penetratâ Perside, adventavit Hierosolymam; & coram intuitus, ac veneratus est amabiles Christi memorias. Ex sancta urbe Romam contendit, ubi conjunctus Societati 20. Novemb. 1620. Paulò pòst missus ad Lusitaniam, in domo Tyronum Ulyssipone nuncupavit biennii vota. Anno 1623. ad Indiam navigavit. Quò posset ingredi Japoniam, adivit Manilam induens mancipij personam; ne quis esset, pateret. Duobus annis remigavit in phaselo instar vilissimi mancipij, taleque existimabatur. Hâc dissimulatione potuit ingredi Japoniam. Ubi suos populares nunc has, nunc illas adeundo regiones in fide confirmavit; donec ab excubiis deprehensus, ac deductus in vinculis Nangazaquium. Ut deficeret à verâ fide, perduxerunt ethnici ad ejus præsentiam Christophorum Ferreyram, de quo 25. Aprilis, ut suo pessimo exemplo, & verbis impudentissimis eam fidei columnam labefactaret. Ubi inverecundum Apostatam ante se conspexit, Divinæ gloriæ succensus zelo in eum acerrimè invectus, objecit illatam Societati, & Christiano nomini injuriam, & execrabilem impudentiam, quâ, non contentus suo damno, cæteros evertere conabatur. Verbis suis igni divino incensis sic insanissimi Apostatæ verberavit faciem, & audaciam, ut continuò de conspectu pudore suffusus abierit. Petrus verò diversa tormentorum genera egregiè sustinens, sanctissimam effudit animam.

P. Sebastianus Gonsalves.

IN Japonia die, mense, & anno mihi non compertis, plenus meritis

tis valedixit rebus caducis. Natus in oppido *Chaves* Diœcesis Bracharensis in Provincia Transmontana. Conimbricæ se conjunxit Societati 25. Junij 1555. Vir fuit magni spiritus, & virtutis, adversus seipsum piè ferox. Nihil æquè odio habuit, atq; philautiam, sive amorem proprium. Præditus antiquâ bonitate, & candore, verbis jucundis explicabat hujus vitij naturam. Illud vocabat titulo *Dominationis*, vulgo *Senhoria*. Prodebat ejus artes, & artificia, quibus consulebat corpori conservando, exterminans, quicquid foret laboriosum, & insuave: ut mane causando hæc, & illa incommoda, suadebat volutari inter culcitræ lintea, morari plusculum; interim dilabi orationis habendæ tempus, quod sua Dominatio unicè intendit excogitando tales artes, & moras. In eandem sententiam non sine lepóre adjiciebat similes discursus in rebus aliis. Motus ardentibus studiis propagandi fidem apud barbaros, duodecies diebus singulis à Deo flagitabat numerari inter Indicos operarios. Voti compos eò profectus est anno 1562. Inde Japoniam ingressus, annis plurimis strenuam adjecit operam fidei promovendæ. Eos inter labores tanquam Dei fidelis servus animam posuit.



AUGUSTUS.

DIE I.

Antonius Pereyra Coadjutor.



Nno 1645. è vita cessit Eboræ. Natus in pago *Nobra* Diœcesis Conimbricensis. In Societatem cooptatus Conimbricæ 6. Junij 1594. Vivebat in Collegio Insulæ à S. Michaële anno 1599. cùm gravissimo implicitus morbo, se postremis subsidiis Matris Ecclesiæ ad mortem comparavit. Postquam est inunctus sacro Oleo, res admirandæ in eo contigerunt, quarum summatim aliquas complectar; nam continent plurima documenta, doctrinamque ad rectè vivendum. Igitur ubi corpus unxerunt, redditum est tam frigidum, quàm redduntur, abeunte animâ, cadavera: Nusquam calor, nusquam sentiebatur ullus venarum pulsus, tantùm erat admodùm subtilis respiratio, quæ vix percipi, ac dignosci posset. Hoc modo diebus tribus jacuit extentus in lecto pedibus, manibus, & oculis compositis: ut polliceretur, nihil præter defectum tenuissimæ reciprocationis animæ exspectabatur. Ipsâ re Antonius est mortuus, Deo conservante in ore re-

reciprocatum halitum, quoniam ſuſcitandus erat; poſtquam eſſent illi variarum rerum viſæ formæ, & figuræ: Ubi uſum vocis amiſit, hærente adhuc corpori animâ, in magnas à cacodæmone conjectus anguſtias, qui repetito, & importuno tentationum incurſu conabatur morientem pervertere; Nihil interim eum æquè animabat, atque audire SS. JESU & Mariæ nomina, pronunciata à Sacerdote, qui de more noſtro juvabat piis alloquiis. Erant illi inſtar lucidiſſimæ facis ea nomina, ubi ceſſabat pronunciatio, velut extincta face, manebat tanquam cimmeriis merſus tenebris; Verum repetitis, iterum reviviſcebat illa veluti fax, & novus animus, ad eas arcendas oppugnationes dæmonum. Ardentiſſimè deſiderabat, rogare ſacerdotem, ut ſibi veneranda nomina non ſolùm identidem, ſed ſemper uſurparet, ac repeteret. Urgebatur hinc, inde, ut abjiceret ſpem obtinendæ ſalutis æternæ. Has inter anguſtias conſpexit ante ſe duos juvenes, hos, dixit, fuiſſe Angelum ſuum cuſtodem, ac D. Antonium. Eorum præſentiâ, & patrocinio B. Virginis, ad quod confugerat, incolæ Avernales evanuerunt. Videbatur illi ſe decumbere in valetudinario; ubi ægroti plurimi de Societate jacebant. Ad eos inviſendos ingredi venerabilem, & multæ authoritatis virum comitatum aliis Patribus etiam magnæ authoritatis. Porrò illum graviorem, quem exiſtimabat S. Parentem Ignatium, manu inſtar Medici tentare uniuscujusque ægroti pulſum venarum, ut videret, quinam eſſent jam ritè diſpoſiti, ut abirent è vitâ; Cùm attrectavit Antonij venam, tactu ipſo ſenſit acutum dolorem, quem ille intellexit eſſe quoddam indicium, adhuc aptum ad gloriam non eſſe propter, neſcio, quem defectum; Cùm impetitus eſt à dæmoniis, magnos edebat corporis motus natos ex horridâ dæmonum facie ſupra modum fæda, & metuenda; Poſtquam anima ſoluta corpore apparuerunt iterum ſupradicti duo adoleſcentes: hi animam deduxerunt per loca valdè grata, ubi conſpexit coronam pulcherrimam. Dixerunt ipſi adoleſcentes: ad illam eum non acceſſurum coronam, niſi ferret quinq; faces accenſas. Erant hæ faces bona opera; Ubi primùm accendebat unam, prodibant innumeri dæmones ad eam extinguendam: Si extinguebant, indicium erat opus fuiſſe multis permiſtum defectibus, & labibus: ſi verò nequibant extinguere, ſignum fuit opus omnibus numeris eſſe abſolutum: Quatuor ille habuit accenſas faces, quintam verò nunquam potuit accenſam conſervare: Id contigiſſe, ait Antonius, quod in hac vita remiſſus fuiſſet in reſiſtendo cuidam tentationi. Hic eum ſunt conſolati adoleſcentes, præbueruntq; ſpem perveniendi tandem aliquando ad coronam. Addiderunt animos ad res formidabi-

biles inſpiciendas. Pervenientes ad locum quemdam, juſſerunt, ut videret animarum infinitatem ad inferos cadentium. Levatis oculis tot intuitus ruentes,& præcipites ire,quot ſolus Deus poſſet numerare. Decidebant, inſtar tritici ex infundibulo molinario in catillum molarem, ut conteratur, aliis alias fortiter impellentibus: vel ſicut populus ruit ad colligendas pecunias, quæ ſparguntur à Principibus. Maximus erat ſtrepitus, & fragor cadentium, & in ſingula momenta ſic augebatur numerus, ut appareret obrui, & ſuffocari multitudine immenſum ignem. Velut, inquit Antonius, ſi calcaria, ſeu furnus calcarius eſſet ſuccenſus, & nimio ſimul injecto pabulo videretur ſopiri, & extingui; at mox ex immenſitate pabuli majoribus ſumptis viribus exurgeret impetuoſior; Inde deductus ad ſupremi Judicis conſpectum, à quo damnatus ad ſuſtinendas Purgatorij flammas. Hic locus ſibi eſt viſus valdè obſcurus ſuper inferos, quò ruebant animæ; Verùm inter locum utrumque tanta erat interpoſita diſtantia, ut ex inferiore nihil ad ſuperiorem accederet. Illic ſubſtitit ſuſpenſus aëre: Ex ipſomet vehementiſſimus exibat dolor, quem poſteà neſcivit explicare, quod explicationi nec res, nec eſſent verba ulla ſatis. Videbatur intenſior igne intenſiſſimo. Unicum erat levamen in tantâ doloris acerbitate, nimirùm conformare ſe totum ad voluntatem Divinam. Egreſſo ex hujusmodi tormentis aliæ res valdè notabiles contigerunt, quas fuſiùs in ejus vita ſcriptas hìc omitto brevitatis causâ. Dixit illi Deus, ipſum rediturum ad vitam mortalem, quod aliquæ perſonæ virtute inſignes id precibus multis ſe rogaſſent, ſimul ut plenè mereretur monſtratam coronam. Ex rebus à Deo communicatis una fuit Luſitani ſceptri reſtauratio; quam ſcripſit annis pene 50. antequam eveniret. Bis anima venit corpus ſuum inviſere; illud non ingreſſa, cuncta obſervavit quæ erant in cubiculo; poſteà cùm anima corpori eſt reſtituta, reperit omnia, quæ obſervaverat, non aliter fuiſſe; Tandem poſt tres aut quatuor dies animatum corpus oculos aperuit, præbuitque viventis ſigna. Sex menſibus indè ſecuti crudeliſſimos ſuſtinuit dolores: nam luctamine corporis ex horrore dæmonum coſtæ contuſæ ſunt; deinde abſente animâ, caro cœperat putreſcere. Omnis caro tegens ſcapulas decidit, ac fluxit, nudis relictis oſſibus, donec nova carne ſunt veſtita. Dolores quamlibet atrociſſimi nihil illi videbantur collati cum doloribus, & horroribus, quos erat perpeſſus. In poſterum vixit accuratiſſimè ſibi conſulens. Invidioſus dæmon, & indignatus; quòd eum non poſſet tentationibus ullis ſuperare, ſemel voluit, & conatus interficere; ſemel ſuffocare reſtem faciens ex induſio, ſive interula

ve

rerum confugiens ad B. Virginis, & Angeli Custodis patrocinium, avernalem belluam fugavit. Magnis, & multis castigationibus vexabat artus suos, & multò pluribus eos cruciaret, nisi obedientia fervori modum imponeret. Ardebat moriendi desideriis. Oculis sæpè præ mœrore fiebant instar nubium aquâ gravidarum. Singulari devotione Passionis meditabatur mysteria. Intus sentiebat tranquillissimam animæ pacem; Itaque, postquam traduxit longos vitæ annos ex eo tempore, quo talia est expertus, suavi transitu festinavit ad fruendum illâ, quæ sibi visa, & promissa fuerat, coronâ.

P. Franciscus Teixeyra.

Conimbricæ anno 1677. desiit vivere. Natus Arrifanæ Portuensis Diœcesis. Plurimis annis Theologiam tradidit Conimbricæ. Peragens id magisterium ad juvandos in spiritu milites, missus ad Beirensis Provinciæ confinia, morbum contraxit, ex quo tandem extitit surdus. Reliquos annos consumpsit se tradens Divinis commentationibus: diebus Jubilæi æedituo se offerebat, ut sacrum panem largiretur populo, quando eum confitentem nequibat audire. Inter orandum frequentia suspiria prodebant animæ fervorem: Vehementer cupiebat, Deo inservirent omnes; Cùm alloquebatur externos, id egit verbis adeò sanctis, & eo cælesti nectare imbutis, ut eorum corda Deo conjungeret; Quamvis esset surdus, assistebat semper domesticis exhortationibus, & concionibus in templo, ut pareret Regulæ, sive in illius obsequium. Conceptionem B. Virginis adeò coluit, ut vicinus morti rogaverit, sibi, cùm deferretur ad sepulturam, in sinu conderent exaratam picturâ Conceptionis chartam. Die S. Ignatio sacrâ multis verbis precatus est, obtineret filio transitum è vita, ut tantum Parentem in cælo videret: Votis satisfactum sequenti die.

P. Doctor Antamus Gonsalves.

Romæ anno 1680. è vita migravit. Natus Stremotij in Diœcesi Eborensi. Societatem ingressus Eboræ 25. Mart. 1615. Micuit splendore scientiarum, quas Eboræ tradidit usque ad primam Theologiæ cathedram, estque insignitus laureâ Doctorali. Missus est in Brasiliam cum potestate Commissarij, ut in ea Provincia magni momenti negotia componeret: Posteà egit Provincialem Lusitaniæ: In magistratibus æquitatem ergà omnes, & integritatem voluit inconcussas; Cùm deferretur illius in rebus administrandis modus apud Patrem Generalem, tanquam minùs rectus. Acceptis litteris criminosis nihil est turbatus, sed respondit: Mirari se, quod sua Paternitas non protinùs abire jusserit à magistratu hominem, de quo talia credidisset: si enim foret ipse Generalis, haberetque sibi persuasum aliquem Provincialem commi-

ſiſſe ſimilia his, quorum accuſabatur, ſine morâ benè mulctatum per ſe amovendum de magiſtratu. Placuit tantùm hoc reſponſum Patri Generali, ut, Aſſiſtente defuncto, Antamum Romam vocaverit, & creaverit Aſſiſtentem. Homo erat priſci moris, in quo dolus viſus non eſt. Familiaris cum Deo commercij amiciſſimus. Erga animas Purgatorij tam pius, & liberalis erat, ut vulgatum ſit ipſi apparuiſſe, & habuiſſe gratias ob ſubſidia, quibus earum mitigabat flammas.

Maurus Ferreyra Scholaſticus.

ULyſſipone in Domo Tyronum anno 1698. efflavit animam. Natus in Oppido *Moledo* Diœceſis Viſenſis. Conimbricæ conjunctus Societati 31. Octob. 1695. Humanioribus litteris ſtudebat, habebaturque à cæteris adoleſcens virtutis multæ: decubuit oppreſſus variolis valdè pernicioſis, quæ nullis remediis vinci potuerunt. Quâ nocte ſoluta eſt anima corpore. Pater Joannes de Fonſeca, de quo 1. Octob. de ſomno excitus vidit ante oculos ſuos lucem in cœlos abeuntem. Manè ſciens de Mauri obitu, intellexit eam lucem, ad quam videndam occultâ manu ſuſcitatus noctu fuerat, Mauri eſſe animam. Sic vir ille proceræ ſanctitatis coram Junioribus faſſus eſt dicens: Amantiſſimi, lupus avernalis ad mundum rapuit unum ex hoc numero, (proximè enim de Societate Junior unus fuerat expulſus) verùm nos Deus conſolatus eſt ad cælos ferendo alium, & narravit, quomodo eum de ſomno excierint, ac viderit prædictam lucem, quam Mauri animam non dubitavit.

DIE II.

P. Andreas Gualdames Martyr.

IN Æthiopia ad mare Rubrum anno 1562. martyrio illuſtratus eſt. Natione Caſtellanus in oppido *Xeres de Frontera* natus. Sacerdos jam, & ætatis anno 40. Societatem ingreſſus Conimbricæ 24. Septemb. 1555. Sequenti anno unà cum Patriarcha Joanne Nunio ſolvit in Indiam; deindè cum Epiſcopo Andrea Oviedo contendit ad Æthiopiam, ad explorandum Regis animum, excepturusne eſſet Patriarcham? Poſtquam introgreſſi ſunt, Turcæ occuparunt armis, & præſidiis maritimos portus Æthiopiæ; Propterea nec liber acceſſus, nec receſſus patuit amplius: interciſaque communicatio, & commercium cum India. Neceſſum erat edocere Indicos Patres Æthiopiæ ſtatum. Res illa plena periculis ob ſupradictam difficultatem commiſſa eſt Andreæ: cum aliquibus indigenis profectus Maſſuam oppidum maritimum. Novit ibi in anchoris eſſe navem Baneanorum, qui ſunt mercatores Dienſes ſubjecti Luſitanis. Commendavit Pater uni Chriſtiano, ut conveniret Navarchum, ſuaderetque, ut, cùm levaſſet anchoram, miſsâ ad ſinum remotum ſca-

ſcaphâ Patrem Andream acciperet, non defuturam mercedem. Noluit Chriſtianus caput tanto periculo exponere; Idcircò Andreas, quando alia non patebat via, allocutus Maurum, qui ſe fingebat Luſitanis amicum, ut negotium cum Navarcho tranſigeret. Se facturum pollicitus, at exiſtimans gratiſſimum ſuo Mahumeti vano Prophetæ præſtari obſequium, ſi ipſi ſacerdos Chriſtianus immolaretur, Turcas fecit certiores in tali loco Chriſtianum ſacerdotem occultari, & quid meditaretur: ducente Mauro, egreſſi armati non curantes pretium ex redemptione captivi habendum, eum gladiis conciderunt. Primus fuit è noſtra Societate, qui ſuo ſanguine illam arentem Æthiopiam irrigavit. Hoc menſe occubuit, die non compertâ.

P. Antonius Mendes.

Conimbricæ anno 1580. glorioſam oppetivit mortem. Natus Mouræ Diœceſis Eborenſis. Societatem complexus Eboræ 18. Maji 1574. ætatis 28. Magna ejus charitas abundè perſpecta eſt Conimbricæ; Nam diriſſimâ peſte urbem infeſtante Antonius ſe dicavit ſervitio infectorum. Conſtitutâ ſalutis æde (ut eam vocabant) ubi peſte contacti curabantur. Senatores flagitarunt Rectorem noſtrum aliquos, quibus pro Societatis charitate mandaretur hujusmodi domûs cura. Obtigit ſors felix Antonio, & Nicolao Pereyræ Coadjutori. Rem aggreſſi ſunt animo forti. Antonius, ubi primùm deſignatus, ad templum iens coram SS. Sacramento, vitam ſuam obtulit Deo ſuo, ac proximorum ſaluti; Cùm cæteris loquens de ſua expeditione ajebat, eam ſibi pluris fieri, quàm annos decem optimo profectu Theologiæ ſtudiis impenſos: ſolum diebus quindecim ſupervixit; Correptus enim peſte mortiferâ triduò extinctus eſt: Humatus fuit prope ſacram ædiculam S. Sebaſtiani. Ad præſentem diem ibi in ſepulchrali lapide hujuscemodi leguntur verba: *Sepultura Patris Antonij Mendeſij de Societate JESU, qui anno 1580. mortuus eſt juvans milites peſte contactos: Pater Nonius de Cunea Rector Collegij JESU juſſit hoc monumentum inſtaurare.*

DIE III.

P. Hieronymus Cardozo.

In Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi anno 1695. deſiit eſſe inter mortales. Natus Gouveæ Diœceſis Conimbricenſis. Addictus Societati Conimbricæ 27. Junij 1566. Ex animo ſtuduit ſemper Evangelicæ perfectioni: Ejus ſermones non niſi de Deo erant. Non admiſit aliquid ſingulare, quod ſuo corpori commodaret; Cùm adminiſtraret ſimul Procurationem hujus Provinciæ, Indiæ, & Braſiliæ, propter inſanum laborem Superiores illi obtulerunt mulas, quibus cum ſocio equitaret, ut poſſet ſuaviùs, & multâ utilitate

vincere locorum distantias, & negotia promovere. Respondit: *Nolit Deus, me tale exemplum posteris relinquere, successori meo id concedi potest.* Magnoperè curabat Regularis observantiæ integritatem. Omnes æquali charitate est complexus.

P. Melchior Teixeyra.

ULyssipone in Domo Professa diem obivit anno 1629. Natus in Insula à S. Maria, quæ una est ex novem, quas Tertias dicunt. In suo Coadjutoris spiritualis gradu, ubicunque fuit, serviit cum exemplo nostratium, & externorum. Ultimis vitæ annis habuit procurationem de criminosis carceri addictis, quod munus nihil aliud est, quàm ipsa charitas. Reliquum tempus insumpsit obaudiendo domi confessiones, vel juvando foris morientes; Si per hæc exercitia licebat, orationi vacabat. Specialibus obsequiis Divinam coluit Eucharistiam: eam obsecratus, ut abire de vita concederet die Jovis, quod ea dies sit SS. Sacramento dicata. Votis subscripsit Deus.

DIE IV.

P. Mauritius de Serpa Martyr.

IN Africa Tingitana anno 1578. illustratus insigni morte. Natus Caminiæ Diœcesis Bracharensis. Conimbricæ Societati conjunctus 21. Maji 1547. Ne cognosceretur à suis, deposito Gasparis nomine, sumpsit Mauritij, & fermè in nostris Historiis hoc solo nomine indicatur. Magnæ in eo floruerunt virtutes. Exiens peregrinatum de more nostro cum aliis Tyronibus publico carceri mancipatur, quod rustici latrones existimaverint. Silentes eas tulerunt angustias: Affluente populo ad latrones videndos, accessit Scholasticus, qui noscens esse homines de Societate, sustulit errorem. Petitâ veniâ, jusserunt abire solutos, & liberos. Magnum, & assiduum bellum suo indixit corpori, quod flagris tanquam vile, & ferox mancipium edomuit. Maximè aversatus est obire Religionis magistratus, qui vel reluctanti sunt mandati. Humanos respectus non attendit, cum interponebatur Divinus honor, & conscientiæ obligatio. Absente proprio Confessario Cardinalis Henrici administrantis loco Sebastiani rerum summam, jussit Cardinalis Mauritium vocari, ut confitentem audiret. Ubi stetit coram Principe, disertissimè illi dixit, se ejus Celsitudini absolutionem non impertiturum, quod sineret Regios Ministros exigere tributa à personis Ecclesiasticis contra fas, ac Jus Pontificium. Tunc Princeps, ut erat vir inculpatis moribus, ingenuè fassus est, se tale quid prorsus nescire, sed statim corrigendum. Cùm Pater Ludovicus Gonsalvius, quæsito prætextu, recesserit à munere confessiones Sebastiani Regis audiendi ob indomabilem pertinaciam, quâ ruebat ad suum, re-

regnique interitum, in ejus locum ſuffectus Mauritius, movit omnem apidem, ut Regem ab eo, quod exſtimabat ſanctum, dimoveret proɔoſito. Cùm nullæ rationes poſſent lectere, ſed exercitu peteret Africam, eum cum plurimis de Societate ſecutus Mauritius. Exſcenſione factâ, ob cæli gravitatem cæperunt norbi ſerpere. Hìc Mauritius incredibili charitate unà cum ſocio anguentes imponebat plauſtro, & nſtar boum trahentes plauſtrum, ducebant infirmos ad locum curanlis deſtinatum. Profligato bello, & rebus perditis, inundante campo ſanguine, & cædibus, Mauritius præbebat aurem dynaſtæ Luſitani graviter ſauciati confeſſioni. Accedens illò Maurus victrici plenus iracundiâ; *Quid hic agis*, inquit, *canis Nazarene, quæ impietas hæc eſt, cui incumbis*? Sub hæc verba nudato enſe diffidit caput in duas partes. Hoc felici exitu cæteras coronavit, & exornavit virtutes.

P. Emmanuel Godinho.

ULyſſipone in Domo Profeſſa glorioſâ morte clauſit vitam. Natus Vianæ Diœceſis Eborenſis. Societatem ingreſſus Ulyſſipone principio anni 1542. Secundus fuit, qui in Luſitania ſe conjunxit Societati in corpus hujus Provinciæ; nam Luſitanos duos S. Xaverius admiſerat, quos ſecum ad Indiam tulit. Erat Emmanuel è nobilioribus oppidi ſui, ac de famulatu Regiæ. Almeirini egit familiariter cum S. Xaverio, ac Magiſtro Simone Rodericio, adeòq; illorum converſatione captus eſt, ut vix egrederetur limen domûs, in qua diverſabantur. Decrevit adhæreſcere noſtro inſtituto ob auditam concionem Joannis Suarij Auguſtiniani de Transfiguratione Domini; in quâ tenuitatem rerum caducarum cum æternis compoſuit. Cùm Magiſter Simon migravit ad Domum D. Antonij Archimandritæ, juvit Emmanuel ædem parare novis hoſpitibus. Die Sabbati 11. Martij pergens ad noſtram domum, tranſiit prope templum à Miſericordia. Videns ſodales paratos ad conquirendum cadaver, ut ſepelirent, cupidus illos imitandi voluit ſumere, quâ utuntur, lugubrem veſtem. Verùm animadvertens, ſi ad noſtram domum noctu accederet poſt ſepultum cadaver, differendum à Simone ingreſſum, abjectâ, quam reputavit tentationem, charitate, per tramites ſecretos, ut vitaret quemlibet morantem obicem; Domum noſtram introivit, ac Societati adoptatus. Habitis D. Ignatij Exercitiis, & votis ſcholaſticorum poſt Exercitia nuncupatis, eum miſit Simon peregrinatum ad usque templum D. Jacobi in Gallæcia, eâ conditione, ut in reditu ſub ſcholaſtici ſæcularis habitu ſubſiſteret Conimbricæ. Eò tendebat provida Simonis mens, ut Emmanuel ſermonibus ſuis Academicos redderet benè affectos Societati. Nam brevi erat cum

aliis iturus Conimbricam ad Collegij noſtri ponenda initia. Conimbricæ morbi causâ coactus morari, ſtudiis adjecit animum in contubernio Monachi Carmelitani fratris ſui. Menſe Junio Simon Conimbricam ingreſſus eſt. Emmanuel ſub ea diſſimulatione nunc hos, nunc illos Scholaſticos ſecum ducens in Collegiolum noſtrum, benevolos nobis reddidit quamplurimos ex Academicis: quanquam ejus frater Monachus improbabat tantam familiaritem cum noſtris, quos dicebat ſuſpectos rerum novarum, urgebat opus ſuum. Donec Simon rebus ad votum peractis, juſſit, poſitâ ſimulatione, domum recipi. Tunc Monacho patuit Emmanuelem noſtrum eſſe. Fulſerunt in ipſo humilitas profunda, & rara mortificatio. Iens peregrinatum, ut ſtultus reputaretur, nudus umbilico tenus oppidum quoddam intravit, & ſtipem rogavit oſtiatim. Creatus Rector Conimbricenſis Collegij exiſtimavit ſe anteà Procuratorem domûs offenſioni fuiſſe civibus in quibusdam litigiis: Ut has offenſiones deleret, ſolus prodivit in urbem, ac per vias plublicas ſe flagellavit petens magnis, & lachrymoſis vocibus veniam comiſſorum. Id exemplum mox Collegij ſecuti incolæ, quos eſt comitatus. Procedebant more ſupplicantium, præeunte Chriſti imagine. Hanc minimè neceſſariam ſatisfactionem, & exemplum non imitandum vocavit S. Parens Ignatius *ſtultitiam ſanctam*. Magnâ uſus charitate ad ſubditos in Societate conſervandos. Ajebat, commercium Religioſorum in Domo Regis, nec privato, nec bono communi eſſe utile; ſolùm frequentaturos Regiam, cùm id vitare non poſſent, & à Principibus forent coacti. Erat in Domo Profeſſa, cùm noſtri primi Epiſcopi ſunt conſecrati. Conſulentibus Patribus de illorum modo in veſtitu, reſtitit Emmanuel cæterorum opinioni; Propter eà injunctum illi eſt, ſe flagellaret. Lætus egit illam pœnitentiam, dicens, ſe magni facere, quod primæ Societatis dignitates pro hilari plauſu fuerint celebratæ verberibus. In eadem domo, ob quam, neſcio, culpam juſſus eſt menſæ tempore, dum cænabant alij, ſtare pedibus, & habere manu candelabrum cum cereo accenſo. Anno 1569. graſſante peſtilentiâ, dicavit curandis infirmis vitam, eâdemque obivit correptus peſte, perpeſſus tolerantiſſimè curationem valdè acerbam.

Emmanuel Villasboas Scholaſticus.

IN navigatione Indica anno 1693. morte defunctus. Natus Ulyſſipone, ibidemq; Societati adjunctus. Diſcipulum habui in Gymnaſio Rhetorices Eboræ, & Miniſter Juniorum, ſubditum. Perſpexi ſemper in eo virtutem ſolidam, raram modeſtiam alieniſſimam omni ſuperbiâ, quamvis micaret præſtanti ingenio. Quinquennio ſenſit intus ardens deſiderium eundi ad Miſſiones: Deum, & Con-

Confeſſarium diu conſuluit; Tandem decrevit imitari S. Xaverium: deſideriis contentus Deus, ea in itinere ipſi remuneravit.

DIE V.

B. Benedictus de Valle.

ANno 1665. vitam explevit Eboræ; ubi Societatem inierat 22. Martij 1602. Natus Ulyſſipone. Plurimis annis docuit Eboræ humaniores litteras, & Rhetoricam. Cæterum vitæ tempus conſumpſit magno zelo noſtra obeundo miniſteria; Ubicunque fuit, in diſceſſu magna de ſe reliquit deſideria apud externos, tum propter ſuavem in Domino converſationem, tum propter charitatem, quâ ſuccurrebat indigentibus. Inter ejus præcipuas virtutes fuit in rebus adverſis patientia, & in morbis ferendis tolerantia. His, ceu malleum inter, & incudem probatus, è vita ceſſit ſeptuagenarius.

DIE VI.

Petrus Tinoco Scholaſticus.

COnimbricæ conceſſit naturæ anno 1653. Natus in oppido à S. Petro *de Figueyredo* Diœceſis Bracharenſis. Societati aggregatus Ulyſſipone 17. Decemb. 1649. Ex aſſidua ſui mortificatione, & applicatione ad litterarum ſtudia ſupervenit illi pernicioſus rheumatis fluxus, qui menſibus novem tenuit lecto affixum inter dolores incredibiles. Humore noxio perforante ſiniſtram maxillam, inde per arcanos meatus deſcendit in brachium, nec enim tanta copia poterat per unicam ſciſſuram foras mitti. Tumuit, ac torpuit brachium urenti dolore: Non ſemel cauterio inuſtus eſt. Materia ſic concreverat, ut inſtar albi goſſipij forcipibus extraheretur. Omnia ſufferebat invictâ patientiâ, nihil aliud amans, quàm in ſe compleri Divinam voluntatem. Sibi perſuaſerat morbum eſſe medium, quo Deo placebat eum ad ſalutem æternam vocare. Angelica videbatur illius conſcientia. Raró habuit ſufficientem abſolutioni materiam. Audiens plurimùm conducere animæ ſaluti æternitatis memoriam, ſecum ſtatuit quotidiè utilem hanc recordationem certo numero renovare; dum non ægrotavit, diebus ſingulis expoſuit conſcientiam, ac modum faciendi precationes Præfecto à ſpiritu, & examen, ut vocamus, particulare. In morbo illius erant confeſſiones de Regularum obſervantia: de nulla ipſi illata moleſtia ſenſûs oſtendit ſignificationem. Obſequio tenerrimo, & valdè ſingulari coluit noſtrum Beatum Aloyſium, tranquilliſſimè vitam clauſit.

DIE

DIE VII.

P. Michael de Barros.

DEſiit vivere Bracharæ an. 1565. Natus in urbe Portuenſi. Conimbricæ Societati conjunctus 24. April. 1549. Unus fuit ex antiquioribus Patribus hujus Provinciæ, & è primis ad CollegiumEborenſe fundandum miſſis: de ipſo ſcriptum reperio & litteris, & virtutibus micuiſſe. Quamvis tam probus erat, poſtremis vitæ annis paſſus eſt graviſſimam tentationem deſperationis de ſalute æternâ, quam denique poſt moleſtiſſimum luctamen egregiè vicit, & quietiſſimus efflavit animam.

P. Bartholomæus Duarte.

AD ſuperos evolavit obitu felici in Collegio Ulyſſiponenſi Divi Antonij. Exortus eſt in oppido *Unhos* Diœceſis Ulyſſiponenſis. Vacabat ſcientiis Eboræ, cùm illò receſſerat noſter Ludovicus Gonſalvius, poſtquam depoſuit munus excipiendi confeſſiones Regis Sebaſtiani; cum eo comunicavit Bartholomæus conſilia Societatis ineundæ; ſimul aperuit ſibi vivam eſſe matrem viduam, & ſorores. Ad hæc Ludovicus: Igitur gratius esDeo facturus, ſi ad matris, & ſororum ſolatium, ac ſubſidium vivas in ſæculo; dum hæc loquitur, datur ſignum ad ſalutationem Angelicam. Flectit Ludovicus genua preces effuſurus: Inter orandum à Deo illuſtratus mutat ſententiam. Bonis, inquit, eſto animis, ingredieris Societatem, nuncupabis profeſſionem ſolemnem quatuor votorum. In ea morieris. Exitus vaticinium probavit. Eboræ Societati nomen dedit 20. Mart. 1574. ætatis 21. Annis ſequentibus, cum erat profeſſurus, non defuerunt vincendæ difficultates ob valdè afflictam valetudinem: ſed tandem ſuperatæ ſunt. Cætera, quæ de illo comperi, dicam verbis Codicis antiqui Collegij D. Antonij. „ Septimâ „ (ſunt manuſcripti verba) die Auguſti an. 1598. vitam exuit mor„ bo ſanguinis. Fuerat Profeſſus „ quatuor votorum, & agebat Col„ legij Conſultorem: docuit Philo„ ſophiam, & annis aliquot Theo„ logiam moralem: Erat prudens, „ deditus virtuti, & rebus ſpiritua„ libus: Præter virtutes alias in ip„ ſo magnoperè micuit patientia, „ & tolerantia; quamvis enim ab „ aliquot annis uteretur afflictâ va„ letudine, nemini ob ſuos morbos „ erat gravis: Non curabat com„ moditates particulares: Etenim „ in eo profunda eminebat humi„ litas, quâ ſibi omnium animos „ devinciebat; illuſtrabatur magis „ hæc virtus, quod erat vir ſapiens, „ magnæ mentis, & ingenij ſubtilis. „ Tandem fuit ſemper in Religione „ exemplo omnibus, modeſtiâ ſuâ „ & vitâ, cunctos conſolans, „ & ædificans.

Do-

Dominicus Fernandes Coadjutor.

IN Domo Professa Ulyssiponensi anno 1607. spiritum Deo reddidit. Tenebatur erga Domini Passionem singulari devotione. Rogabat Christum enixè, sibi communicaret partem dolorum, quos in dirissimis cruciatibus fuerat expertus; Cùm mora esset in petitionis concessione, cum Domino peramanter expostulabat; tandem exauditus est. Metuendus cancer in facie erumpens corrosit nares, oculos, & sic fœdavit vultum, ut vel chirurgis assuetis videre, & tractare ulcera pestilentiora esset horrori. Tetrum odorem nemo ferre poterat. Patientiam mirabantur omnes: Curationes fuerunt ipso malo horridiores; Sæpè concisa caro, sæpè ignibus adusta. In hoc acerbitatum cumulo præter SS. JESU nomen verbum aliud non usurpabat; dum per qualescunque vires licuit, incessit pedibus, audiit Missæ Sacrum, & cœlestibus refectus epulis. Posteaquam nequivit ambulare, flagitavit, ut se inter brachia ad sacellum portarent. Secretò narravit cuidam Socio, dæmonem sæpè accedere ad ostium sui cubiculi, indeque terrere metuendis spectris, & in cubiculum canes immittere, ut importunitate suâ inquietarent ægrotum, qui vocato in auxilium B. Mariæ nomine abigebat facilè hujusmodi terricula. Multum, diuque illius probatâ virtute, reliquit mortales.

P. Antonius Marques.

BRacharæ adscriptus æternitati anno 1619. Natus in urbe Portuensi. Annis plurimis docuit quæstiones de moribus. Peragebat omnes, quas illi conciones injungebant, quin ulli se subtraheret. In assiduitate audiendi confessiones nullus eum vicit. Existimabat interesse ad honorem suum, sedere primum in tribunali confessionum, & abire postremum. Paupertas illi fuit in pupillis: duas tantùm imagines possidebat in vetustâ depictas chartâ. Cubiculi præcipua supellex codices nonnulli usui suo necessarij. Res curiosas odio habuit. Maximas scrupulorum anxietates inter Sacrum Missæ faciendum, & horas recitandas perpessus. Omnibus erat commiserationi videre scrupulis suis tanquam scyllam inter & Charybdim laborantem. Diuturnum tulit morbum, ideoque molestiorem, quod Medici nesciebant morbi naturam, & origines. Ex eo morti vicino quæsitum, quid fuisset illi majori solatio? Respondit: *Serviisse Societati cum honore, ac sine ulla proprij commodi appetentiâ.* Quinquagenarius expiravit.

DIE VIII.

P. Doctor Georgius Serram.

IN Domo Professa Ulyssiponensi anno 1590. ad Cælites migravit. Natus Ulyssipone. Motus concionibus Patris Francisci Stradæ Conim-

bricæ se junxit Societati 23. Martij 1544. Claruit acuto ingenio. Doctor Pradus, Academiæ Conimbricensis Professor, Georgium vocabat Aquilam suam, cùm auditorem habuit in aula. Romam contendens causâ comitiorum post obitum S.Ignatij, illic est insignitus gradu Doctoris; deinde in Lusitania explevit omnes partes singularis Magistri. In Eborensi Academia egit primum Theologiæ Professorem, moderans primam cathedram. Deputatus fuit Sanctæ Inquisitionis in supremo ejus tribunali: Ad quem honorem in hac Provincia solus ipse, & Leo Henricius sunt evecti: Voluit sibi unicè laborem: ob præstantem humilitatem non assistebat actibus fidei publicis, cùm aliquando illi competeret præsidere. Rexit Collegia Eborense, Conimbricense, & Domum Professam, & Provinciam totam. Absens Electus Romæ Assistens, quamvis per affectam valetudinem stetit, quominus Urbem adiret. Instituti nostri observantissimum Principum ampli favores non dimoverunt unquam à Religiosa humilitate. Cùm nostri epulas ferebant tribuendas vinctis in carcere, ipse Provincialis cum alio præibat lebetem juris portans: Subditus necdum lineam, reculas ve minoris momenti poscebat sine facultate. Licèt esset contrariæ sententiæ, ubi aliud sentire Superiores novit, pedibus ivit in eorum sententiam, proprio contempto judicio, idque solùm convenire prorsus secum decernebat. Castitatem, cui summoperè consuluit, ajebat esse Societatis nostræ singulare stemma, & singularem tesseram. Postremis annis sustinuit terribiles calculi dolores. Ad mortem se comparavit per novem dies visitando templi Reliquias, & Sanctuaria. Sanguinis fluxus, qui coërceri non potuit, ejus vitam extinxit; Postquam solito more terræ mandavimus, die sequenti Inquisitionis Tribunal justa illi solemniter in templo nostro persolvit. Plurimum suis litteris, & singulari prudentiâ adjuvit stabilire primis annis morem, & ordinem, quem in Lusitania servat illud venerabile Tribunal, perfidis Judæis terror.

P. Petrus Netto.

IN Insula à S. Jacobo ad caput viride cessit è vitâ anno 1607. Natus Povoæ Diœcesis Ulyssiponensis. Conimbricæ amplexus Societatem 29. Maij 1604. ætatis 25. Speciali veneratione serviit SS. Deiparenti. Eam sæpissimè quotidiè salutabat. Ad villam suburbanam cum cæteris contendens animi laxandi causâ, non ludo honesto, aliisve indulgebat levamentis, sed amabat secessum, ut orationi vacaret. Semper studiosus fuit propriæ vilitatis: suorum natalium humilem fortunam, & consanguineorum palàm fatebatur. Socio Coadjutori lanam carminanti, ut juvaret, se libens obtulit, adjiciens se multos habere consan-

nguineos ejusdem opificij. Inter
andum cadebant ex oculis peren-
s lachrymæ. De vestitu nihil so-
itus fuit. Calceos novos, quibus
us subveniebatur necessitati, reje-
t, dicens: laceros esse meliores,
od una parte admissam aquam
iâ emitterent, novos intus om-
em retinere. Singulis horis, imi-
ndo S. Ignatium, examine con-
ientiam discutiebat. Crebrò hu-
i capiebat prandium, & vesceba-
r pane secundario. Ajebat, inte-
orem vestem, quæ non videtur,
ntonibus plurimis diuturniorem
ciendam. Reliquit Philosophiæ
udia, ut ipse dixit, quod suum non
set, argumentum machinari, quô
retiret fratres suos. Subministrum
gens Tyronum, viliora in cubicu-
s Novitiorum ægrotantium alacer
bibat ministeria. Urebatur vehe-
entibus desideriis salvandi animas,
clamabatque: Oh quando me cer-
am inter ethnicos ad multa millia
Ethiopum dealbanda lustrali fonte!
unquam joci, aut facetiæ, aut ul-
m verbum, quod offensioni esse
sset, audita sunt ex ipsius ore. An-
o 1607. ad Hesperides Insulas, ubi
esidentiam habebat Societas, mis-
s est. Nihil naturæ regionis no-
æ alienigenis meminit: propterea
on remisit, quos in Lusitania con-
eperat fervores in studio virtutum.
antam contentionem non patieba-
r cœli gravitas. Idcircò brevi
ortiferè ægrotavit, & amisit vi-
m. Ingens mœror tenuit in ejus
morte Insulanos, quod magna de fructu laborum tam sancti viri esset spes. Sepultus fuit in templo à Misericordia prope majorem aram.

P. Michael Esteves.

ANno 1569. Ulyssipone in Domo Professa vitam finiit. Natus in oppido *Covilham*, Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ Societati conjunctus 19. Decembris 1549. Plurimis annis egit œconomum Domûs Professæ. Ad audiendas confessiones adeò infatigabilis, ut semel in magno Jubilæo sederit in confessionum tribunali viginti horas continuatas. Vastante Ulyssiponem pestilentiâ, magno animi ardore sacravit vitam miserorum tum corporibus, tum animabus curandis. Ibat ad salutis ædem, & sub olivis in campo infectos expiabat. Ex eorum commercio peste afflatus, rogavit, ut sibi ad moriendum concederent cubiculum, in quo obiit Alphonsus Gilius, de quo 22. Julij, dicens: *Volo mori, ubi mortuus est ille sanctus.* Ejus pio voto satisfactum. Illic sæpè repetens hæc verba: *Oh hora mihi valdè desiderata!* obdormivit in Domino.

P. Franciscus Botelho.

COnimbricæ anno 1707. de vita migravit. Natus in oppido *Linhares*, Diœcesis Conimbricensis. Societati aggregatus 9. Januar. 1667. ætatis 18. Præstanti floruit ingenio. Litteris narravit operam in Eborensi Academia; Ibidem docuit Rhetori-

cam, & Philoſophiam. Poſteà miſſus in Braſiliam, tradidit Sacram Theologiam in ſcholis Bahienſibus quadriennio. Redditus Luſitaniæ, eandem eſt profeſſus Ulyſſipone, tum in Seminario Hybernorum, tum in ſcholis noſtri Collegij, cui deinde præfectus eſt Rector. Per id tempus moriente Patre Franciſco Crucio, de quo facta eſt mentio 29. Januarij, Principis Joannis Regni hæredis Confeſſario. In ejus locum ſuffectus Pater Botelius. Mortuo Petro II. Rege Joannes paternum conſcendit ſolium; Protinus ſuo Confeſſario commiſit earum rerum curam,& adminiſtrationes,quas defuncti Regis habuit Confeſſarius. Has vir alieniſſimus ambitionis à ſe rejecit, dicens: Sui muneris tantum eſſe proſpicere Regiæ Majeſtatis conſcientiæ, non intricari negotiis. Id reſponſum omnes venerati, noluitque Rex benigniſſimus tam ſanctæ voluntati contradicere. Etenim Franciſco quietis amantiſſimo nihil æquè moleſtum accidit, atque hujuſcemodi honor. Mihi id faſſus eſt, & verum eſſe, qui novit hominem, non dubitavit; Solùm enim deſiderabat ſibi, libris, & noſtris vivere miniſteriis. Tota vita virum oſtendit integerrimum, modeſtiſſimum, & virtutis ſummoperè ſtudioſum. Magiſter Philoſophiæ noctibus Domini Natilitiorum coram præſepi, & Sociis canebat in ſacello, ut pio concentu aliorum juvaret devotionem; Nam inter alias præclariſſimas dotes ſcivit modos muſicos, & nactus genium modeſtiſſimè ſuavem: propterea diligebatur plurimùm ab omnibus. Morbis atrocibus Collegium infeſtantibus, tantâ charitate aſſedit ægrotis, ut, ipſo erubeſcente, in monitionibus apud nos ante Renovationem votorum conſuetis nominatim laudatus ſit ob inſignem charitatem. Conceptâ mæſtitiâ ob prædictum Confeſſarij ornamentum ſic ejus afflixit animum, ut paulatim deſiverit in phthiſim, ſive hecticam. Frangendo nimio, & nocivo calori miſſus ad ſalubres Mondæ fluminis aquas Conimbricæ accedens illi medicamento ferendo præ debilitate non erat. Dies 40. quibus ſupervixit poſt adventum, conſumpſit, animam diſponendo ad agonem ultimum. Illius exequias ornavit ſua præſentia tum civitatis nobilitas, tum Antonius Vaſconcellius Conimbricenſis Antiſtes, qui prægrandi face cereâ cadaver ad ſepulturam usque eſt comitatus.

P. Thomas Arnão.

ANgræ in Inſula Tertia vivendi tempus explevit anno 1713. Natus Mirandæ Diœceſis Conimbricenſis. Adjunctus Societati Conimbricæ 22.Maij 1654. Abſolutis ſcientiarum ſtudiis, miſſus eſt ad Tertias Inſulas, quas magnis virtutibus, & ApoſtolicisMiſſionum laboribus plurimis annis illuſtravit. Fugiebat Sæcularium familiaritates, & commer-

mercia, nisi in rebus ad profectum animarum pertinentibus, ad hunc enim promovendum & interdiu, & noctu accurrebat promptissimus. Per omnesInsulas excursiones sacras peregit incredibili populorum commotione, & proventu. Ipsius verba instar sagittarum penetrabant corda. Magnam apud Summos, & infimos nactus authoritatem; propterea reprehensiones è sacro suggesto, quamvis acres, & pungentes admittebant benevolis animis, cum scirent ex sano zelo profectas: suspiciebant ut sanctum, vocabantque Insularum Apostolum. Visceribus Fayalensis Insulæ formidabile vomentibus incendium in monte Capello, tenuit omnes immensus timor, & tremor, existimantes adesse diem supremum. Solatium unicum rebus in angustis Thomas fuit. E re præsenti capiens occasionem, nulli pepercit labori, ut omnes per dolorem peccatorum, & confessionem Deo conjungeret. Ejus vita sanctissima, & multis virtutum actibus exercita. Adversus corpus suum extitit severissimus: etiam in senectute fracta flagris in se animadvertit adeò vehemens, ut se velle discerpere videretur. Epulas delicatas, ut carnes avium, & cupedia, non attingebat, contentus comuni victu, & sæpè rustico. Plurimos transigebat dies pane tantùm aquâ madefacto; Cùm diebus festis valdè mane Missæ operabatur sacro, habebat exhortationem ad populum. Tantâ concionabatur contentione, ut sudor cæteris madidis vestibus, etiam humectaret superpelliceum, ut vocant: Necessum erat, ne putresceret, lavari post concionem. Nemo volebat mori, quin eum haberet assidentem prope caput. Credebant enim perdi non posse, cui in ea fatali hora præsens assisteret. Quater, & quinquies eâdem nocte ad morientes juvandos non semel vocatus ibat sine morâ. Quamvis naturâ foret melancholiæ obnoxius, hac laborandi crebritate solitus exhilarari: semel nocte unâ ter foras prodierat, quartum vocantibus respondit Collegij Moderator nolle se optimum senem necare, si vellent alium, missurum; vel si ad ortum Solis posset ægrotus expectare, tunc Thomam iturum. Manè declaravit illi Rector, quid fecisset. Hic vir Dei gemebundus inquit: *Si hujusmodi anima sit perdita, cujus erit culpa? parum refert meam amitti vitam, plurimum lucrari animam unam.* Nunquam consensit senex eximi se à labore. Jam senio gravis noctu exibat incumbens baculo; cùm nocte tenebrosâ in humum caderet, exurgens lætus; *Et hic*, inquit, *lapsus scribetur in libro rationum cum Deo.* Altâ nocte ad januam pulsat mendicus stultus, Thomam vocans ad audiendam morientis confessionem, ducem sequitur. Propinquans stultus domum quandam, ostio monstrato, *Illuc vocaris*, ait, ac effuso cursu profugit. Et ipse, & Socius existimarunt se delu-

 lu-

lusos à fatuo. Domum intrant, mirantibus incolis, quid tali horâ vellet. Se ad ægrotum, inquit, expiandum accersitum. Respondent, id sibi nec in mentem venisse, nec esse domi, qui egeret, solum eo vespere adventasse ex agro rusticum levi tactum morbo, intus esse lecto receptum, si velit ægrum solari, licere. Convenit infirmum, tentat manu venam, reperit affectionem valetudinis majoris esse momenti, quàm putent, disponit ad evomenda, & eluenda peccata. Domûs incolas monet, sequenti mane certum faciant curionem de periculo infirmi, ut muniat Sacramentis. Ajebat posteà Thomas de nulla confessione à se auditâ tantam cæpisse voluptatem: intellexitque Custodem Angelum per illum stultum providisse clienti suo; nam altero die mortuus est. Addictissimus fuit obsequiis B. Virginis: Magnâ perfectione celebrabat Sacrum: Egenis plurimum succurrit: Collegia gubernans non permisit quemqnam mendicum ab ostio sine stipe facessere; cùm juberet frumenti certam mensuram dari pauperculæ, obstitit Procurator dicens: Multum esse. Cui Rector: Vestra Reverentia largiatur mensuram, quam statueram, duplicatam, ne amplius ad me veniat objiciens tales obices. Etiam sudore suo promovebat bona temporalia Collegiorum; Cùm enim domus in villa suburbana ædificaretur, ipse admovebat lapides operi. Idem egit, cùm villa pariete cingebatur. Ad Collegium sub noctem regrediens cantabat in itinere Rosarium B. Virginis cum operis: Etiam hunc morem tenuit in Missionibus, pergens ex uno ad alium pagum: cum multitudine comitante recitabat alternis vocibus Rosarium. Fortè rediens è villa stetit prope urbem dividens pueris egenis, quæ in id ipsum portabat poma; cum equus captato impetu insolito dejecit sessorem in terram. Ex eo lapsu habuit pejus indies; donec maximo omnium dolore vitâ caruit. Ad illius exequias confluxit populus sine numero. Tot de vestitu cadaveris sunt rapta, vel secta frusta, ut necessum fuerit, aliis indumentis decenter componere. Per has reliquias multa contigerunt, quæ tanquam miracula circumferebantur.

DIE IX.

Rodericus de Menezes Scholasticus.

ANno 1548. cessit è vita Ulyssipone, ubi natus fuerat ex parentibus illustrissimis Henricio Menezio filio Comitis de Tarouca, ac Beatrice Villena. Litteris navabat operam Conimbricæ plenus spe, quam faciebant magna nobilitas, præclari mores, & ingenium, ac memoria præstantissima. Nullum enim audivit concionatorem, cujus prædicationem ad verbum non repetiverit. Motus instinctu admodùm vehementi complexus Societatem Conimbricæ 14. Junij 1543. Academiâ stu-

tupente. Nam cùm essent alienigenæ penè omnes incolæ nostri Collegij, habebantur risui, & contemptui. Paucis dici non potest dolor, quem parentes conceperunt. Mittunt Conimbricam Joannem Telum filium natu majorem, qui præter cætera ornamenta Aveiræ dynasta fuit. Igitur magno equitum numero, velut educeret copias in aciem, festinat Conimbricam. Multum certavit cum Roderico, ut à proposito desisteret. Altior his incursibus Rodericus, cæpit fratri suo persuadere, ut spreto sæculi fastu, & se Societati conjungeret. Videns oleum, & operam perdi, regressus Ulyssiponem. Objicienti patri in negotio conficiendo ignaviam; *Scito*, respondit, *mi Domine*, *non parum me fecisse redeundo*; *tot enim mihi ad ejus imitandum exemplum proposuit rationes*, *ut nutaverim*, *& nisi citò recessissem*, *Deus scit*, *quid contigisset*. Non ideò parentes abjecerunt mentem suam. Posuerunt excubias Conimbricæ, ut in singulas opportunitates vigilarent. Brevi se aperuit nova molestia. Exiit Rodericus peregrinatum cum Emmanuele Godinio Eboram usque ad venerandum simulacrum JESU pueri in Asceterio Monialium Divi Augustini: deinde ituri visitatum Guadalupense sanctuarium: Id noscens unus è præcipuis domesticis parentum Roderici secutus illum est, obviumque adeptus in oppido *Seras* obtulit matris epistolam, & omnia comoda, ut indè contenderet Ulyssiponem: Nihil profecit. Rodericus antelucano tempore, deserens nosocomium, ubi pernoctaverat, viam citato capit gressu. Tunc famulus secum ducens oppidanum Judicem instat fugienti, & consequitur, jam conscensâ scaphâ, ut Tagum transiret; cùm nihil ageret, petit saltem responsum epistolæ matri ferendum. His litteris properat Santarenum, ubi erat mater Roderici; cùm inertiæ reprehenderetur, sibi adjungens equites duos assequitur tyronem ad oppidum *Paviam*; cùm nihil proficerent ullæ preces, præmittitur Eboram, ubi rex erat, unus ex equitibus, cum mandatis ad Roderici consanguineos; Suspicans tyro, ubi essent futuri prope urbem, aliâ ingressus urbis portâ se recepit incolumis in hospitium Magistri Simonis Rodericij. Perduxit Tyrones Simon ad exosculandam Regis manum, qui singulari benevolentiâ adeuntes excepit. Aderat in Regio comitatu Roderici soror, quæ mirum in modum erubuit conspecto fratre suo pannosis indutum vestibus, pudori adjecit lachrymas. Verùm Rodericus illi declaravit, quantus thesaurus lateret sub Evangelicâ paupertate. Causâ incursus alios vitandi reversus est Conimbricam. Cum magnæ insurgerent criminationes apud Henricum Cardinalem adversus Ignatij Parentis nostri Exercitia. Commisit Henricus examen Academiæ Rectori Monacho Divi Hieronymi, inquireret de quibusdam

dam visionibus à peragentibus Exercitia, ut fama vulgabat, perspici solitis. Mandata exequens interrogat prævio jurejurando Rodericum: An inter Exercitia conspexisset ullam visionem? Respondit, citra dubium esse. Hic Rector existimans nodi deprehensum caput, urget, ut omnem rem pandat. *Domine mi*, respondet, *vidi ego inter commentationes Exercitiorum visionem planè mirabilem, nempe meipsum, quem hactenus non introspexeram, & mundi vilitatem: hæ visiones à me conspectæ.* Hæsit Rector, & indagatione omissâ, Cardinalem certiorem fecit de mendaciis contra Exercitia invidiosè confictis. Ex eo tempore Cardinalis, qui res nostras oculis parùm benevolis intuebatur, mitiorem nobis induit animum. Rodericus egregios in virtutibus habuit progressus. Si semitonso capite, dicebant vocari à Rectore, surgens è sede conveniebat Superiorem, ea deformitate non curatâ. Nullus ingeniosior fuit ad reperiendos novos mortificationum modos. Iverat Ulyssiponem, ut sacris initiaretur, cùm ægrotavit. Percontanti, si paratus esset ad supremum iter, respondit: *Tot annis me comparavi, quot numero Societatis.* Rogavit ejus mater, filium sibi domi suæ curandum præberent: Satisfactum est voto matronæ nobilissimæ. Interdiu, noctuque assistebant nostri. Vicinus morti, & complexu tenens Crucifixum, sustulit oculos ad Magistrum Simonem, & blandè risit, significans animæ suæ lætitiam. Postquam expiravit; illius mater, quæ recesserat, ne videret morientem; è conclavi prodiens osculata nati pedes, ac manus tollens in cælum, gratiis Deo habitis; *Felix ego*, inquit, *sum mulier, quæ talem genui filium.* Magna fuit de ipsius sanctitate opinio. Ludovicus Grana vir exquisitæ virtutis iturus ad Brasiliam, secum tulit de ossibus Roderici partem, tanquam pretiosissimum thesaurum, & in rebus angustis subsidium. Noster Franciscus Strada Vallisoleti audiens obitum Roderici, valdè piam & elegantem dedit epistolam ad Socios Conimbricenses, eos in morte tam desiderati, & sancti fratris consolans.

P. Doctor Gaspar Gonsalves.

OBivit Romæ anno 1590. Natus Conimbricæ, ibidemque mancipatus Societati 25. Maji 1556. Calluit apprimè latinas, græcas, & Hebraicas litteras. Theologiam tradidit Eboræ, insignitusque Doctoris gradu 26. Octob. 1572. Eâdem in Academiâ egit S. Scripturæ Professorem. Maximi habitus, à Rege Sebastiano, Cardinali Henrico, & Principe Eduardo, cui fuit à confessionibus, ipsique sanctissimè morienti assedit. Numerabatur inter excellentes sui temporis Concionatores. Cardinalis Infans post ejus auditas conciones, petebat manuscripta, ut legeret. Illud ostendebat Viri singularem virtutem, quod magni factus

ſtus ab omnibus, nunquam tumuit ſuperbiâ elatus. Sæpè diſcurrit concionando, more Apoſtolico, per Tranſtaganam Provinciam copioſo fructu collecto. Romam accerſitus, unus fuit è Doctoribus Theologis deſtinatis à Sixto V. ad revidendam, corrigendamque Sacrorum Bibliorum editionem: cui labori ſunt appliciti ſolum homines Divinis litteris præclari, & linguis, quibus ſacri libri fuêre ſcripti, ſumopere eruditi: latinam orationem recitavit coram Pontifice, cum ad præſentiam ſuam admiſit Legatos Principum Japonenſium. Ejus mors contigit in Domo Tyronum.

Antonius Gonſalves Coadjutor.

ULyſſipone in Collegio Divi Antonij vitam explevit. Natus Borbæ Diœceſis Eborenſis. Adjunxit ſe noſtris Eboræ 10. Julij 1607. Toto animo ſtudiis virtutum incubuit. Præcipua illius cura fuit naturam ſuam rebellem, & contumacem peſſumdare, ac domare. Indulgebat multùm Orationi. Crebrò viſitabat SS. Euchariſtiam, apud ejus præſentiam ſiſtebat tam immobilis, ut oblivíſci ſui ipſius videretur, & inde dimoveri non poſſe, niſi ad officia domeſtica commiſſa illius curæ. Laborabat inſtar plurimorum: quæcunque injungebantur, exequi ſolitus, optimâ diligentiâ, & voluntate. Advigilavit ſuis ſenſibus indefeſſâ curâ, ne turbarent animæ quietem, excitatis contra caſtitatem cogitationibus; nam hujus virtutis proſpexit integritati ſummis ſtudiis.

P. Antonius de Lemos.

COnimbricæ anno 1644. naturæ conceſſit. Natus Villænovæ è regione urbis Portuenſis. Sanctiſſimis moribus eſt inſtitutus à Sacerdote ipſius patruo. Alienus erat à puerilibus oblectamentis. Audivit à perſona pia, eum, qui vellet ingredi Religionem, ſi recitaret officium B. Virginis, ante elapſum annum voti compotem faciendum. Unà cum altero ſcholaſtico non defuit obeundis hujuſmodi precibus. Nondum annus abierat, cùm alius addictus eſt alteri ſacræ familiæ, & Antonius admiſſus ad ineundam Societatem, hanc ille complexus eſt Conimbricæ 7. Junij 1632. Religioſa vita ipſi videbatur non acquiſita, ſed innata. Datus eſt illi primis menſibus, ut mos eſt, inſtructor, qui ſupra modum erat importunus. Nihil tot moleſtiis turbabatur. Executus ſemper accuratè, quæ jubebat. Poſt biennium ingreſſus ſcientiarum ſtudia, ſecum propoſuit B. Aloyſium Gonzagam imitari. Librum vitæ habuit in cubiculo, & crebrò evolvebat, ut lectas virtutes imprimeret animo. Tantum huic imitationi ſtuduit, ut Juniores cæteri eum vocarent ſui ſtatûs B. Aloyſium. Nemo eum vidit Regulam violare. Ubi primum ſurgebat manè, B. Virginem in ſuo ſacello inviſit; cùm ad Scholas ibat, invicem

ajebant ſcholaſtici externi : Solùm intueri hunc Patrem vel per atrium ſcholarum, vel per urbis vias incedentem incitat animos ad amorem virtutis. In loquendo tam modeſtus fuit, ut nihil magis : Neque hujuscemodi gravitas erat faſtidioſa. In mortificationibus, quas petebat aſſiduè, non exceſſit præſcriptum modum à concedente. Obſervavit exactè Regulam imperantem ſcholaſticis noſtris latinè loqui. Poſt annos ſeparationis voluit manere inter Juniores. Nec inde ad Collegium exibat, niſi ad viſitandum SS. Sacramentum. Docuit Rhetoricam Conimbricæ. Diſcipuli eum, ut ſanctum, ſuſpiciebant. Eorum profectum æquè in litteris, ac in Chriſtianis virtutibus curabat. Plurimi ob ejus monita confugêre ad ſacras familias. Poſteà in urbe Portuenſi moderatus eſt primum Rhetoricæ Gymnaſium. Ante id tempus ſcholaſtici non comitabantur diebus Dominicis Magiſtrum Sacræ Doctrinæ ad loca publica. Suis diſcipulis eam ſuaſit conſuetudinem, quod illius permotus exemplo cum ſuis egit ſecundi Gymnaſij Magiſter. Cùm Miſſæ faciebat Sacrum, ſic affici ſolitus Divinis myſteriis, ut appareret avelli non poſſe ab altari. Si celebrabat in ſacello domeſtico, ſæpè duas horas in conficiendo ſacrificio conſumpſit. Per ſemihoram Deo agebat gratias poſt Sacrum. Antequam matutinæ orationi daretur ſignum, quartâ horæ parte morabatur ſalutans B. Virginem in ejus ſacello. Alterum tantum temporis poſt nocturnum examen conſumebat repetens eodem loco idem obſequium. Semper excuſabat facta, & Majorum imperia. Diebus feſtis jam ſacerdos mane egrediebatur pedes ad pagos vicinos urbi, ut plebem Catecheſim edoceret. Poſt talem explicationem ſedebat ad confeſſiones audiendas usque ad horam pomeridianam, quâ domum erat rediturus. Nunquam à curionibus oblatum acceptavit prandium, ſed cibos nocte domi capiebat, cum eundo, ac redeundo pedibus eſſet emenſus ut minimum quatuor leucas. Vocatus ad urbis carcerem ægrotum perniciosâ implicitum febre confitentem audivit. Hinc orta mortis origo. Jam corpore ex parte affecto, adivit oppidum Travançam, ibi per otium habiturus miſſionem. Sed illa morbi ſemina eruperunt incensâ febri. Regreſſus ad Collegium nihil aliud præter mortem, & æternitatem cogitavit, omnibus Eccleſiæ ſubſidiis ad tale tempus paratis animam roboravit. Vel delirans nihil à virtutis tramite deviavit. Servabat miram modeſtiam, & raram obedientiam. Morbus omnis, & obitus pleniſſimi fuerunt exemplis.

DIE X.

P. Doctor Melchior Nunes Barreto.

GOæ apud Orientis Indos anno 1571. ſanctâ defunctus morte,

e. Natus in urbe Portuensi nobilis-
nis parentibus Fernando Nunio Bar-
eto, & Elisabethâ Ferraziâ. Videns
Conimbricæ generosa nostrorum ex-
mpla, eos decrevit imitari. Subie-
at prævios actus ad lauream Docto-
alem in Jure Pontificio obtinen-
am. Cupiebat ingredi Societatem
ne tali splendore. Verùm Simoni
Roderico placuit, ut priùs honesta-
etur laureâ. Posteaquam illam ac-
cepit, de more Academico comita-
us Doctoribus se contulit in no-
trum Collegium, & se conjunxit
ocietati 11. Martij 1543. utique
nagno totius Academiæ exemplo.
Parum effluxit temporis, & vix Do-
tores attigerant suarum domorum
imina; cùm Simon exploraturus
novi Doctoris spiritum, illi jussit, ut
rietem excoriatum, paratum in id
psum, humeris sumptum, portaret
er illam, quâ venerat, plateam usq;
d domum sui in Doctoratu Patro-
ni, offerretque hujusmodi honora-
ium in gratiarum actionem: Non
ecus fecit; Igitur vili sub onere
am notus, & tantus Vir per me-
diam vadit urbem. Conscendit sca-
as Patroni, qui prodit plenus stupo-
e. Tunc Melchior: *Mi Domine, hæc
st vexatio Academica, quam mihi irrogat
ost Doctoratum Societas JESU, ut me insig
iat laureâ mortificationis, & mundi con-
emptu.* Professor, ut erat homo men-
tis profundæ, veneratus, ut mere-
batur, tyronis egregiam jam in pri-
mis horis virtutem, nec dubitavit
super tantum fundamentum mirabi-

lem virtutum erigendam fabricam. Nihil eam opinionem Melchior fefellit. Suis monitis Joannem Nunium fratrem suum germanum permovit, ut Societati nomen daret. Missus ad Indiam anno 1551. ubi habuit obvium è Japonia revertentem D. Franciscum Xaverium. Eum Xaverius interrogavit: *Quot annis studuisset litteris in Societate?* respondit: *novem, tribus Philosophiæ, sex Theologiæ.* Cui Xaverius: *Utinam tres impendisses Theologiæ, & sex experientiæ.* Protinus misit illum ad urbem Bassaimum; Ibi fecit apud omne genus hominum egregiam mutationem morum. Interim Goæ moritur Gaspar Barzeus, quem Xaverius ad Sinam proficiscens suo loco Provincialem reliquerat, & siquid humanitùs contingeret, nominaverat Melchiorem. Propterea illi mandatur communis per Indiam de Societate cura. Anno 1554. præclari venêre de Japonia nuntij. Referebatur agminatim adjungi Christo eam nationem; Igitur suffecto in locum suum Balthasare Diasio, conscendit navem in Japoniam. In hujusmodi navigationibus sic omnes amore salutis æternæ solebat incendere, ut navis, quâ vehebatur ipse, cœnobium videretur. Accedens Malacam, ultra progredi non potuit illo anno, ejus urbis magno bono; nam concionibus suis novam moribus induxit faciem. Anno 1555. Malacâ solvens tenuit Insulam Sanciamum, ubi Xaverius diem obivit. Bis intravit Cantamum emporium

maritimum in Sinæ continenti. Per duos menſes exploravit ingenia nationis, & modum, quo in id imperium poſſet invehi lux Evangelica. Diſputavit cum ſacrificulis, ac ſectarum Doctoribus. Primus ille fuit de Evangelicis concionatoribus, qui intra Sinam prædicavit Chriſti legem Nec obſtat, quod ſcribit Agiologium Luſitanum, & ex illo Dominicanum ad quintam Februarij diem, nempe quemdam Fatrem Gaſparem patria Eborenſem Ordinis S. Dominici fuiſſe primum, qui apud Sinas promulgavit Evangelium. Non evolverunt noſtra monumenta. Habemus enim epiſtolas Melchioris ex Sina ad Europam, ſcriptas an. 1555. deque ejus ingreſſu in Sinam eodem anno meminit Orlandinus noſter in Hiſtoria Societatis. Prædicti ſcriptores referunt illum Gaſparem Sinam intraſſe anno 1556. uno poſt Melchiorem. Et ineptè id probant, dicentes, Rogerium, & Ricium noſtros, non fuiſſe primos; nam indubitatum eſt eos multos poſt annos ingreſſos Sinam. Nihil ipſi meminerunt de Melchiore. Si qui memorant Rogerium, & Ricium adiiſſe primos; Intelligendum eſt, quod in illius regni meditullium, & interiores urbes primi fidem intulerint, jecerintque fundamenta, quibus Sinenſis Eccleſia nititur; quod etiam notum eſt ſcientibus primordia converſionis Sinarum. Menſe Junio anni 1556. è Sina petivit Japoniam. Non licuit per valetudinem illic, quantum cupiebat, immorari. Expertus eſt cœlum ſibi valdè noxium, & grave; Cùm videret moram eſſe inutilem, & corpori nocivam, coactus ad Indiam remeare, illò appulit ſub finem anni 1557. Tunc ſolemnem Profeſſionem quatuor votorum nuncupavit celebrante ad aram Gonſalvo Sylveyra Provinciali. Præfectus Rector Collegio Coccinenſi plurimùm exemplo ſuo, ac doctrinâ eam urbem illuſtravit. Inter alia magni momenti facta meruit primum locum converſio, ſive reductio ad veram fidem hæretici Epiſcopi Gubernantis Chriſtianos à Divo Thoma. Is à Melchiore convictus, publicè ſuos errores deteſtatus eſt; Cùm adivit Japoniam, tulit ſecum S. Xaverij ſuperpelliceum, quo patravit non pauca miracula ægros ſanando, & placando maria; Cùm apud Indos peperiſſet ſibi factis heroicis illuſtre nomen, inter noſtrorum uberes lachrymas exhalavit animam.

Franciſcus Vaz Coadjutor.

Diem obivit Eboræ anno 1585. Natus in oppido *Grijo* Diœceſis Mirandenſis. Eboræ ſe conjunxit Societati 28. Januar. 1579. Reputabat ſe tanquam omnium vile mancipium; Propterea reverebatur multùm ſocios ſcholaſticos. Ajebat, vitam ſuam in Societate eſſe plantare vineam, & ita excolere, ut ſibi in altera vita præberet alimenta. Vineæ cultorem non ceſſare, jam exca-

cavando terram, jam putando sarmenta, jam pedando pampinos, & cæteram exercendo culturam sperare laboris fructum. Se modo simili non debere labori parcere, nec indulgere quieti, si vellet suæ vineæ fructus colligere. Opera, quæ faciebat, vocabat de novo plantatam vitem in vinea sua. Solùm enim curabat augere vineam assiduè laborando, & sudando. Sæviente peste, ipse in villa suburbana curæ habuit nostros, quos id malum perculerat. Inter labores suos præ se ferebat in vultu miram lætitiam; Quamvis erat labori deditissimus, non ideò cogitationes ejus vagabantur extra Deum. Sonante quolibet horologij pulsu, mentem in Deum sublevabat. Plurimùm juvit quà precibus, quà indulgentiis animas addictas igni lustrali. Crebrò recitabat Dominicas orationes, & salutationes Angelicas præscriptas ad lucrandas indulgentias grani piacularis, quas applicabat prædictis animabus. Ajebat, granum piaculare esse pergulanam vitem racemis gravem; ex qua uvæ plurimæ colligi poterant; Idcircò iterando assignatas preces, obtensurum multiplicatas indulgentias, tanquam dulces racemos, quibus recrearet sanctas animas. Agens janitorem ostij, ad quod tribui solent alimenta egenis, diligenter conquirebat subsidia. Paciscebatur cum hortulano, ut olus superfluum sibi daret ad ollam mendicis parandam. Ipsos docebat sacram Doctrinam, cujus Codicem, (vulgo *Cartilha*) sic tenuit memoriter, ut singula capita repeteret. Ex servitio ægrotorum in nosocomio aliquot è nostris contraxerant pestilens erysipelas, his Franciscus tantâ invigilavit assiduitate, ut tandem illi hæserit idem malum. Erysipelate cinctum est, ac tumefactum dirum in modum guttur, & collum, ægerrimè poterat aliquid transmittere, quo vitam traheret. Illud ostendit sancti viri egregium adversus venerandum JESU nomen amorem, quod nihil illi juberent eas inter angustias propter JEsum pronuntiandum in hora mortis, ut non protinus adniteretur exequi. Si dicebant: Frater, comede, ut vires habeas ad proferendum JESU nomen, sine mora vim sibi ad edendum inferebat. Siquid aliud commendabant adjicendo conducere, esse utile, vel necessarium, ut JEsum pronuntiare posset, nihil distulit executionem. Tandem complexu vinciens Crucifixum, & exosculans, ipsi tradidit ornatam multis virtutibus animam.

DIE XI.

Joannes Nogueyra Coadjutor.

ULyssipone in Domo Professa desiit vivere anno 1579. Unus fuit è nostris, qui sunt comitati Sebastianum Regem. Dum prælium committitur, Joannem Christianos animantem per latus cuspide Maurus transfigit, ac prosternit solo. Alter

ter videns cadentem, arripuit manu, ac positum super equi coxendice captivum tulit ad suum tentorium; Indè ad urbem Fessam distantem leucis 50. deductus labore sanè incredibili. Intrantem muros excepit plebs injuriis propemodum infinitis, sibilis, colaphis, sputis. Ægrè vivus eripitur. Sesquimense præsepij custos aluit septem domini equos, ac purgavit stabulum. Post hujusmodi tempus redemptus est auro, ac Fessæ substitit procurans captivorum commoda, præsertim dynastarum, qui nudi jacebant humi adinstar vilissimorum Æthiopum. Consuluit etiam aliquibus de nostris, quos eodem procella conjecerat. Ubi Maurus accepit pretium, exutum omni veste præter indusium dimisit in plateam. Per urbem ipse discurrebat medens ægrotis captivis. Semel applicuerunt Mauri ejus pectori duas fistulas ferreas minitantes mortem, nisi fidem desereret. *Me potestis*, inquit, *interficere, fidem nunquam extorquebitis.* Sub hoc responsum pugnis, & colaphis benè mulctatum abire permiserunt. In tot laboribus vivebat lætissimus. Id quædam ejus epistola significat his verbis: *Valdè sum consolatus tot inter labores, meque felicem arbitror, quod huc venerim. Etenim si hactenus non fui Religiosus, nunc esse decerno.* Datæ sunt hæ litteræ in Januario 1579. Julio sequenti unà cum Patre Petro Martinio restitutus est Ulyssiponi. Eum adeò consumpserant ærumnæ, ut brevi attigerit vitæ finem, hoc mense, quamvis die mihi incognitâ.

Gonsalus Barreyra Scholasticus.

ANno 1569. Ulyssipone in Domo Divi Antonij Archimandritæ diem feliciter obivit. Natione Bæticus, natus Ecisæ Diœcesis Hispalensis. Eboræ Societati adscriptus 13. Novemb. 1561. ætatis 24. Navabat operam quæstionibus conscientiæ, cùm dirissima exarsit pestis. Sacravit hujus vitæ usuram infectorum commodis. Pio incumbentem operi mors occupavit, hoc mense, sed latet dies certa.

DIE XII.

P. Hieronymus Dias.

ANno 1624. Conimbricæ, ubi natus fuerat, vitam clausit. Parentes eum sanctissimis erudierunt moribus. Non erat in scholis felicius ingenium, nec gratior ad dicendum è suggesto pronuntiatio. Cupiebant parentes, ipsum adhærescere Divi Augustini Eremicolis; propterea illi ejus sacræ familiæ induerant habitum. Hoc vestitus adibat scholas. Verum placuit magis adolescenti nostra Societas. Ad nos venit eodem, quo incedebat, habitu 10. Novemb. 1561. ætatis 14. Idcircò solebat dicere, se nunquam fuisse sæcularem, quod semper sit usus veste Religiosâ. In studiis scientiarum cæteros sui temporis antecelluit. Nondum Sacerdos, nec Theologus docuit Philosophiam cum plausu, & splen-

ſplendore; Quamvis ad magiſteria excellens eſſet, multò magis eminuit ad ſacrum ſuggeſtum. Id habuit benè perſpectum Pater Ludovicus Alvarus celeberrimus per id tempus in Luſitania concionator. Novies Ludovicus fuerat concionatus in Actu fidei. (ſic vocant occaſionem, qua publicè leguntur ſententiæ Judæorum, & eorum puniuntur ſcelera) Præmittitur concio adverſus ipſorum perfidiam, & errores. Tantus fit concurſus, ut major eſſe nequeat; Igitur Ludovicus ab Inquiſitoribus iterum ad concionandum rogatus; Si per vos licet, inquit, offeram concionatorem, qui veſtram compleat exſpectationem; nam mihi, cùm toties prædicaverim, id erit citra dubium ex parte moleſtum. Placuit Inquiſitoribus. Nominavit Ludovicus Hieronymum, qui Theologiæ abſolverat ſtudia. Quo die erat habenda concio, ivit Hieronymi comes Ludovicus. Nemo dubitavit, Ludovicum concionatorem eſſe. Hieronymus eo plauſu ſatisfecit conceptæ exſpectationi, ut ſepties in actibus fidei ſit concionatus. Ob præclariſſimas dotes ad tale munus, ipſum exercuit, dum vixit. Nec annis plurimis, quibus Collegia rexit, & Provinciam deſtitit ab exercitio concionandi. Rectorem non ſemel egit Eborenſis, & Conimbricenſis Collegij, & Provincialem. Quantum ſtuduerit virtutibus, multis verbis non explicatur. Anno 1587. cœpit evehi ad ſublimiores perfectionis gradus lectione vitæ Divæ Thereſiæ. Id exemplum, ſeu Volumen, quod ſervatur hodiè in Novitiatu Conimbricenſi, Hieronymo dedit Theotonius Brigantinus Archiepiſcopus Eborenſis. Adhibuit ſpecialem ordinem, & modum in obeundis exercitiis ſanctis juxta mentem Inſtituti noſtri. Tutelarem ſibi Patronam D. Thereſiam elegit. Plurimum ſe comiſit orationi, è quâ velut radice prodierunt cæteræ virtutes, Dei fervens amor, ac proximi, humilitas profunda, patientia cunctis altior adverſitatibus. Summoperè dilexit B. Virginem. Ad illius augendum cultum impetravit à Patre Generali, ut in hac Provincia recitarentur Litaniæ B. Virginis diebus Sabbati; utque poſt litanias Sanctorum adjungeretur hymnus: *Ave maris ſtella.* In habendis exercitiis ſpiritualibus eò fuit aſſiduior, quò ſe magis ſenſit aridum ac ſiccum, dicens ſe Deo non ſervire ſpe lucri, aut conſolationum. Diem totam diſtribuerat, ut quæque exercitia ſtatutis horis perageret. Expertus eſt admirabilem ſuavitatem in meditationibus de vita Chriſti. Quamquam præ capitis dolore intenſiſſimo nequiret mentem diſtinere res alias conſiderando, eodem tempore horis quamplurimis commentabatur Chriſti virtutes, ceſſante protinùs dolore, quem ipſe dicebat ſuaviſſimis, quas profundebat, diſſipari lachrymis. Corpus ſuum multis, ac diver-

versis puniebat castigationibus, ut hic amor in Deum à Deo sibi conservaretur. Levia peccata non minùs horruit, quàm læthalia. Fugiebat confabulationes cum nostris, & externis, & risum, dicens, his devotionem extingui. Majori vitæ parte fuit illi particulare examen de humilitate. Vel in ultima senectute dabat conscientiæ suæ rationem Superioribus tam sincerè, & exactè, ut eum tyro non vinceret. In itineribus suis ibat mente tam elevatâ in Deum, & à terrenis alienâ, ut famulo necessum fuerit adhærere fræno mulæ ad eam regendam. Præcipuâ quadam veneratione tenebatur erga Divinam Eucharistiam. Missæ sacrificio operabatur attentione maximâ, ipsâ morâ significante reverentem animum. Illo Provinciali, Quadraginta horarum introductus est per Lusitaniam à nostris, Jubileus, qui jam à multis annis erat in usu Romæ. Subditis vix ullus fuit benignior. Ajebat, neminem, qui crediderit se, suaque omnia fidenter sibi, pænituisse facti. Anno 1599. pestilentiâ Conimbricam vastante, regebat nostrum Collegium: Magnâ charitate juvit miseros, nulli parcens sumptui. Patronum Collegij constituit Divum Antonium, promittens adornandum in illius obsequium speciale intra Collegium Sacellum, & ibi locandum Divi simulacrum, si pestis non infestaret Collegium. Obtinuit favorem, & votum solvit. Solebat dicere: Esse Religiosum Societatis JESU in eo situm, quod haberet animum promptum ad omnia, quæ de ipso vellent Superiores, & voluntatem attemperatam eorum voluntati. Conciones illius eò tendebant, ut animas salvaret; Propterea mirabiles fecit morum conversiones. Cùm profectura fuit Philippi Regis validissima classis in Angliam, ut esset Catholicis auxilio, Hieronymo commendata est concio, quâ duces, ac milites ad tam pium capessendum bellum erant in profectu animandi. Conatus est eandem comitari classem, verùm Majoribus aliud fuit visum. Semper verba sua perpendit; idcircò tot concionum numero, & tot annorum spatio, quot illud exercuit munus, ne unum quidem verbum protulit, quod esset auditoribus offensioni. Cùm iret visitatum Scalabitanum Miraculum, (sic vocant in Lusitania Eucharistiam à multis annis in crystallo Divinitùs conservatam) vidit Christum Dominum in pulpito manu in altum levatâ benedicentem sibi. Mortis suæ præscivit tempus. Subita mali incursio abstulit ad omnia usum linguæ, nisi ad Hymnos, & Psalmos pronuntiandos; denique corroboratus Sacramentis, & JEsum nominans emisit spiritum. Tenuis illius supellex habita loca reliquiarum. Ejus confessarius petivit sibi Hieronymi talarem tunicam, velle se, dicens, in ea tumulari. Ossa locata sunt in Sacello Divi Antonij cum aliis hominum virtute insignium.

P. Ga-

P. Gaſpar Planus.

ANno 1569. Ulyſſipone in Collegio D. Antonij de vivis exceſſit. Natus Antverpiæ apud Flandros. Navarat operam Lovanij Latinis, & Græcis litteris, Juri civili Dolæ in Burgundia. Veniens in comitatu Dynaſtæ ad Hiſpaniam, ſtuduit Philoſophiæ, ac Theologiæ Salmanticæ. Tentatus morbo abſtraxit animum à rebus caducis, decrevitque inire Societatem, quod executus Simancis. Poſteà miſſus eſt Conimbricam, ubi annis ſeptem latinas docuit litteras; Inde migravit Ulyſſiponem, ut eſſet Præfectus ſcholarum noſtri Collegij. Morum ſanctitate par ſibi ubique fuit. Ortâ peſte, devovit ſe juvandis miſeris; dum piiſſimum exercet opus, contactus peſtilentiâ, triduo tantum vixit. Tenens manu Crucifixum, & eum blandiſſimis alloquens verbis, viſus eſt potiùs dormire, quàm mori.

P. Stephanus de Caſtro.

IN Collegio Portuenſi anno 1639. fato ceſſit. Natus Ulyſſipone. Conimbricæ addictus Societati 10. Auguſti 1589. Profeſſus tria vota ſolemnia. E primis fuit, qui poſuerunt initia Collegij Portalegrenſis. In obeundis noſtris miniſteriis habitus ſingularis operarius. Obivit Miſſiones plurimas. Specialiter micuit ejus pietas in adjuvandis morientibus. Ut etiam poſt mortem hanc exerceret pietatem, compoſuit, ac vulgavit libellum valdè utilem, qui circumfertur omnium curionum manibus, ad poſtremo laborantes articulo diſponendos, & animandos.

DIE XIII.

P. Gaſpar Alvres.

ULyſſipone in Collegio D. Antonij anno 1569. glorioſâ morte diſceſſit è vitâ. Natus in oppido *Grijo de Parada*, Diœceſis Mirandenſis. Salmanticæ ſtudiis incumbens, auditis noſtri Franciſci Stradæ concionibus, rebus caducis valedixit. Societatem jam ſacerdos amplexus Conimbricæ 4. Novemb. 1553. Vir fuit conſummatæ virtutis. Bis egit Rectorem Ulyſſiponenſis Collegij; quo tempore carebat firmo reditu, noſtros alebat conquiſitis, & petitis eleemoſynis. Induſia, ſindones, & thoraces Religioſorum erant ex goſſina tela, quæ dabatur de attritis navium velis. His indumentis, ſeu potiùs ciliciis utebatur ipſe jam provectæ ætatis. Noctu ſe diriſſimè flagellabat. Sæpè tranſigebat noctes ſuper gradus ſcalarum; & raro veſtibus exuebat corpus. Ergà pauperes mirificè pius, & pro rerum tenuitate liberalis. Sumebat prandium, cùm janitor adeſt, dicens mendicum ad oſtium rogare ſtipem: ſine mora dat omnes epulas, quibus ſe refecturus erat, nec cepit alios cibos, niſi nocte vocatus ad cænam. De omnibus benè loquebatur, eorum defectus excuſans. Cum diceretur

quendam Socium ore vomentem ſanguinem, ad nihil eſſe utilem, niſi ad afferendum cæteris moleſtiam; illum Gaſpar defendens, ait, plus ipſum agere bona præbentem exempla, quàm alios, qui laborabant. Noctu ſolus de Collegio exiens ad collem, ubi eſt Monaſterium à D. Anna, Sacerdotem morientem juvit, & poſt mortem cadaver compoſuit; ſeque domum collegit, quin ſciret ullus de domeſticis. Rem talem vir Dei non faceret, niſi ſpeciali Numinis inſtinctu. Iter conficiens cum viro nobili, ut ejus ſervos doctrinam edoceret, cum ipſis canebat orationes, Fidei Symbolum, Dei mandata, & cætera, quæ debet noſcere Chriſtianus. Id peregit ſub prætextu animum cantu levandi. Cum referret illi Socius, veſtiarii Cuſtodem non habere thoracem, quem ad pectus apricandum petiverat; rem diſſimulans ſubtraxit ſibi thoracem ſuum, tradiditque veſtium cuſtodi, ut illi Socio ſuccurreret. Adeò fuit amicus ſilentii, ut Societatem ingrediens, illud ſervaverit ſex integris menſibus continuatis. Joanni Alvaro ſobrino ſuo, de quo 10. Martij, cùm eſſet tyro, prædixit, futurum in Societate Provincialem. Cùm Xarifius obſedit Mazagoniam, Coloniam Luſitanam in Africa, Gaſpar eò miſſus ad obſeſſos in ſpiritu juvandos, partes ſui muneris optimè explevit, præſentiſſimisque à Deo liberatus periculis. Majorum imperia ſic veneratus, ut ab eis quanquam in ſpeciem duris non deceſſerit. Regebat Ulyſſiponenſe Collegium, cùm Pater Ludovicus Gonſalvius per id tempus Superintendens, (ſic initiis Societatis aliquot annis dicebatur Vir è Gravioribus ſuper Rectorem habens poteſtatem) Gaſpari injunxit, curaret cuidam ægroto aquam deferri ex fonte *Pimenteyra* dicto, quod nullus prope Ulyſſiponem ſit melior, ac ſalubrior. Sciens Ludovicus oblitum imperij Rectorem, ipſi jubet, amphoram manu ſumat, eatque ad prædictum fontem, portetque plenam aquâ. Diſtat fons à Domo noſtra ultra duo milliaria. Paruit Gaſpar, quin eum ulla retardaverint incommoda. Uſus in ſubditos magnâ benevolentiâ. Semel emptor Collegij Rectorem convenit plenus mœrore, quòd amiſerit crumenam. Exiſtimabat Rectorem furore uſurum adverſus ipſum corripiendum. Verum Gaſpar ſubridens; *Modò*, inquit, *mi frater, cave ne te ipſum perdas.* Hoc lepore deterſit nubem omnem, quâ gravabatur. Plurima laborum onera in ſe ſuſcipiebat, ut cæteros levaret. Deditus erat Divinarum rerum contemplationi. Ejus giganteus ſpiritus ſuos diffudit ſplendores luce majore, occaſione peſtis, quæ Ulyſſiponem afflixit anno 1569. in quâ Gaſpar & illius ſubditi nullum charitatis officium in ægrotis curandis omiſerunt. Noſtris, qui malo ſunt perculſi externis ſerviendo, diligentiſſimè proſpexit. Ibat ipſe geſtans manu am-

ampullam ad pharmacopolæ domum, undè portabat medicamenta. Ex infectorum servitio, & commercio hæsit illi pestis. Acutissimis penetratus doloribus, offerebat se victimam supremo Numini. De illius obitu hæc ait Antonius Monserratius: *Habebat oculos in Crucifixo; sic de vita migravit, oculis manentibus apertis, ore clauso, & vultu tam læto, ut ego, qui experimento novi, cùm quis expirat; perseverarim aliquo temporis spatio JEsum nominans, quod crederem vivum esse.* Plurimi ejus subditi vitas suas Deo obtulerunt, ut Gasparem servaret incolumem.

P. Emmanuel Rodrigues. Stephanus Nunes, & Didacus de Carvalho Scholastici. Georgius Alvres Coadjutor.

ERant subditi P. Gasparis Alvari. Dies obitus mihi ignoratur. Propterea quod in eodem ministerio perierint, quo suus Rector, huc appendere volui breves ipsorum memorias. Præter nomina, & piissimum mortis genus vix aliud ad nos pervenit. De Patre Emmanuele Rodericio nihil specialius inveni. Stephanus Nunius, cùm reliquissent solùm, paulò post repertus est flexis genibus, & manibus compositis instar orantis. Existimatum est adhuc vivere, sed efflarat animam. Didacus Eboræ natus fuerat, inierat Societatem in Domo D. Rochi. De Georgio nihil amplius habeo compertum. Annus fuit 1569. Jam volumen erat factum, cum reperi ex his Stephanum Nunium obiisse 22. Augusti; Georgium Alvarum 30. ejusdem Mensis.

DIE XIV.

Andreas Jorge Scholasticus.

ANno 1608. vitam explevit Eboræ Natus Vianæ Diœcesis Eborensis. In illa Academia litteris studens, micabat inculpatis moribus. Singulis octo diebus expiabat per confessionem conscientiam, & se reficiebat sacrâ synaxi. Existimans Magister eum commisisse quoddam delictum, subjecit verberibus. Quamvis erat innocens, tacuit, ac tulit supplicium. Posteà sciens Magister Andreæ innocentiam, sciscitatus est, cur non obtendisset excusationem? *Quoniam*, respondit, *à te in exhortatione audivi, Christum sustinuisse quinque millia verberum, sine ulla querela, volui eum imitari, propterea silui.* Illius modestia cæteros condiscipulos componebat. Ingressus Eboræ Societatem 10. Januar. 1603. Ad id tempus Baptismi gratiam conservabat, eandem retinuit, dum vixit. Id constitit ex testimonio Confessarii, qui generalem excepit illius confessionem. Etiam post biennium videbatur tyro; Nec enim mutatus est, nisi in melius. Vultûs modestia propior Divinæ, quàm humanæ, intuentes accendebat amore virtutis. Orabat semper flexis genibus, vel cùm laborabat affectâ valetudine. Pridiè sacram communionem noctu stans ad cubiculi januam, fixis in cælo oculis

Deum flammatis verbis alloqui ſolitus. Libros ſtudii ſui ſignabat vel ſanctis imaginibus, vel chartæ ſegmentis, in quibus erant ſcriptæ ſententiæ, ac dicta Scripturæ, & SS. Patrum ad excitandam pietatem accommodæ. Finito Separationis Juniorum tempore, rogavit, ſibi concederent in eo ſtatu permanere diutiùs, eisdem oneribus, quibus cæteri vivebant obnoxij. Quamvis præſtabat ingenio, valdè cupiebat ab omnibus contemni. Pejorem, ac magis tritam veſtem habuit in deliciis. Quæ præmia obtinuit in certaminibus litterariis, protinus largiebatur, ne rebus caducis addiceret amorem ſuum. Si dabant illi aliquid, reſpondebat: ſibi facultatem ad acceptandum non eſſe. Si dicebant, peteret; reſponſum illius erat: Ego facultatem non peto ad res, quibus non indigeo. Adeò eum reverebantur ſcholaſtici externi, ut loquentes inter ſe de rebus minùs gravibus, ſi videbant eodem Andream accedere, invicem dicerent: Loquamur attentiùs, nam venit huc Pater Andreas Georgius. Illius ſermones de Deo erant, citra faſtidia circumſtantium, nam eos condiebat hilaritas innoxia. Nihil æquè moleſtè audivit, atque obtrectationes adverſum Superiores, tunc ipſi videbatur rurſus fædis ſputis Chriſti maculari faciem. Si laboranti deliriis in morbo dicebant, hoc, illudve adverſari Majorum imperiis, ſtatim obtemperabat. Quamvis alienus eſſet à mentis integritate, ſuis horis obibat ſpiritualia exercitia. Ante obitum ſui factus compos, petivit Crucifixum, cujus plagas ſuaviſſimè exoſculans vitam abſolvit.

P. Doctor Joannes Cabral.

Conimbricæ mortuus anno 1679. Natus in oppido *Louſam* Diœceſis Conimbricenſis. Societati adſcriptus eſt Conimbricæ 10. Febr. 1613. Præter Magiſteria aliarum facultatum, docuit Eboræ Theologiam, & inſignitus Doctoris gradu. Poſteà rexit Collegia Scalabitanum, Conimbricenſe, & Eborenſe. Antiqui moris homo, habuit odio omnem ſimulationem. Cæteros incendebat exemplo ſuo; humilis, devotus, atque amicus obſervantiæ, volebat in aliis easdem virtutes. Regens Collegium Conimbricenſe, ſcivit quemdam è noſtris ſcholaſticis adoleſcentem nullius virtutis, faſtidioſum veſtium interiorum ex panno, quo ſolum utimur ad arcendas temporis injurias, ſibi delicatiores veſtes è tela parùm decenti Religioſam modeſtiam proprio ſumptu comparaſſe; Id indumentum ab eo Rector abſtulit, vocatisque cæteris ejusdem ætatis, ipſoque nocente, poſtquam ſeveriſſimâ eum corripuit animadverſione; delicatam veſtem coram omnibus conjecit in ardentem rogum. Hic, ut ſimilibus contingit, poſtea de Societate eſt ejectus; Nec enim digni ſunt, qui vivant inter Chri-

Christi Socios, quos pudet Religiosæ paupertatis.

DIE XV.

P. Salvator Rodrigues.

ANno 1553. Bahiæ apud Brasilos in America morte defunctus. Natus Ulyssipone. Conimbricæ adjunctus Societati 4. Januar. 1549. ætatis 34. De ipso scripsit venerabilis Vir Josephus Anchieta in hunc modum: „ Anno 1550. venerunt è „ Lusitania quatuor Patres. Primus „ Salvator Rodericius, vir fuit multæ simplicitatis, & obedientiæ. „ Proficiscens Emmanuel Nobrega „ ad Præfecturam à S. Vincentio dictam; eum reliquit infirmum, illique dixit, ne moreretur ad usque „ ipsius reditum. Id accepit tanquam „ imperium obedientiæ. Vicino „ jam morti videbatur mori se non „ posse contra obedientiæ mandatum. Donec Ludovicus Grana „ extinxit scrupulum, illi dicens, „ benè mori posse, quoniam eum „ ipse solvebat illo obedientiæ præcepto. Tunc plenus lætitiâ decrevit mori. Solus erat sacerdos, & tamen agebat Superiorem „ Vincentius Rodericius nondum „ sacris initiatus. Distulit ejus vitam Deus usque ad Ludovici Granæ, & Sociorum adventum, ut „ supplerent ipsius vices. Specialiter addictus erat mysterio Virginis Assumptæ. In ipsius ore Ascensio, & Assumptio idem erant. „ Monitus non semel de diversitate „ mysterij. Propter devotionem „ voces iterum confundebat. Propterea voluit eâdem die eum B. „ Virgo ad cælos ferre; Nam post „ dies 20. quibus hæsit lecto, ubi „ sonuit media nox Diei Virginis „ Assumptæ, de vivis abiit anno „ 1553. Primus de Societate fuit, „ qui vitam efflavit in Brasilia. Hactenus Anchieta.

P. Antonius de Carvalho.

COnimbricæ mortuus anno 1682. Natus Bracharæ. Egit Tyronum Magistrum Conimbricæ, Romæ Pænitentiarium, Instructorem Tertiariorum. Micuit in eo charitas singularis erga infirmos, & scrupulosos. Antelucano tempore ad orandum surgebat. De victu elegit semper communem, & minimè delicatum. Conquirebat eleemosynas, quibus honestis succurrit pauperibus, qui nequeunt ostiatim sibi providere. Se nunquam ulli commendato subtraxit labori. Specialiter dilexit Reges, ac Principes Lusitanos, pro quibus diebus singulis in sacro Missæ adjiciebat orationem. Hoc venerandum sacrificium solitus peragere devotione plurimâ. Virginem Matrem ardentibus coluit obsequiis. Ipsâ obitûs die horis duabus ante mortem, illi dixit unus è sacerdotibus, diem præsentem ad moriendum esse pulchram. Cui ille; *Et ego ponerem in parte felicitatis meæ tali die animam exhalare.* Annuit B. Virgo

go parens optanti. Quod cessaverit ea die Ecclesiasticum Interdictum, quo civitas erat illaqueata, potuit frui Ecclesiæ subsidiis.

Dominicus Carrilho Scholasticus.

ANno 1707. Eboræ concessit naturæ. Natus in Oppido *Povoa* Diœcesis Portalegrensis. Mortuis parentibus, infantem amita sanctissimè educavit Nisæ. Cùm illic concionaretur unus è nostris, Dominicus latinis studens litteris secum statuit amplecti Societatem. Ut id assequeretur faciliùs, Portalegriam contendit, & continuavit studia in scholis nostris Collegii, simulque petivit in Societatem adoptari. Eboræ nostris adjunctus Tyronibus 15. Octobr. 1701. In itinere correptus febri, pervenit labiis malè affectis ex febrili calore. Credidit Magister id contigisse ex itineris jactatione; propterea dimissis consanguineis, domi eum recepit. Duobus evolutis diebus revertit febris, inventumque esse quartanam, quæ tam pertinax fuit, ut illum afflixerit usque ad Julium. Per id tempus potiones sumpsit valdè amaras, & quidem animosiùs, quàm pro ætate, quæ non excedebat 14. annos; Idcircò non potuit imbui solitis Tyronum instructionibus; verum, quæ vis est sanctæ educationis, extinctâ penitùs quartanâ, & redactus in ordinem, nihil ab antiquioribus, & modestioribus differebat. Transegit totum biennium instar Angeli. In studiis Rhetoricæ cæteris condiscipulis antecelluit. Erat illi ad scientias capessendas optimum ingenium. Tam suavis, & tam sanctis moribus, ut nemo de illo sit conquestus. Studebat omnibus placere citrà offensionem Religiosæ observantiæ; Cùm ægrotarent nonnulli Juniores, curà de ipsis Dominico mandata est. Totam diem consumebat illis prospiciendo. Si per onus impositum non licebat interdiu recitare horas B. Virginis, quamquam fessus diurno labore, in lectum se non recipiebat, quin id precationum obiret. Eodem tempore legebat pro secunda mensa in triclinio, ne suis excusationibus, quamlibet justis afficeret molestia Professorem Scripturæ, cujus est lectores pro mensa destinare. Fassus est ipse Professor se ad id munus non invenisse ullum magis patientem, & modestum. Hæsit illi febris perniciosa, quæ suos ægrotos implicuerat. Protinus se disposuit ad æternitatem subeundam. Condidit suum testamentum. Legavit Sacello B. Virginis à Modestia in Domicilio Tyronum sufficientem summam ad fabricandum ex ligno pegma pro exornando altari. Cætera reliquit amitæ suæ ob sanctam educationem, quâ fuerat ab ea institutus. Toto morbi decursu nihil præter Deum cogitavit. Voluit SS. Virgo clienti suo gratificari, ad cælum sui triumphi comitem ferendo eâdem die, quâ ipsa innixa super dilectum suum nu-

ubes tranſcendens intravit cæle-
tem Hieroſolymam.

Bartholomæus Lourenſo Coadjutor.

OBivit Eboræ anno 1629. Natus in Tranſmontana Provincia DiœceſisBracharenſis.Societati conjunctus Ulyſſipone in Domo Profeſſa . Jun. 1576. Annis 54. vixit in Soietate magnis præditus virtutibus. ingulari uſus charitate adverſus grotos. Eos frequenter inviſebat, ſimul ipſorum procurabat comoda. Sociis duobus morbo graiter impeditis, vitam ſuam Deo obulit pro ſalute unius. Contigit inè, ut alter cæperit habere meliùs, aurentius decubuerit in lectum, ac t mortuus; & ex ægrotis unus etim fato ceſſerit. Singulis diebus onſumebat horas ſeptem Divina ontemplando. Toties videbatur enu flectens ante SS. Sacramenum, & altaria, ut multi ſibi perſuaerent, imitari D. Bartholomæum. Non ſolùm adoleſcens, ſed etiam ſeex orando perſiſtebat flexis genibus ntegris horis non ſine intuentium dmiratione. Sicut aliis Sociis coneditur dies vacationis hebdomadis ngulis, ipſe unum deſtinabat inſuendum totum in peragendis ſpiriualibus exercitiis. Iverat ad Collejum à Purificatione ſolutum pecuias ad alendos convictores; quod beſſet accepturus, dum expectat, Collegij ſacellum ingreditur, ac ſe liverberat. Audivit flagelli ſonitum Prorector, dixitque poſteà Bartholomæo: Etiam huc venis, ut nos ædifices? Cui ille: Ne veſtra Reverentia miretur, hodiè dies eſt, quo Socij recreantur in villa, & hâc offulâ ſpeciali his vacationum diebus ſoleo corpus meum, ſive potiùs ſpiritum reficere. Alluſit ad aliquid obſonij, quod tunc epulis communibus additur. Magna fides ſociis erat in ipſius precibus; Idcircò litterarios actus obituri, eum rogabant, præſidio eſſet. Dolebant oculi cuidam ſocio, diſſimulanter flagitat Bartholomæum, ſibi perflet oculos, ſperans ſanitatem recepturum. Non caſſum fuit illius votum, & ſpes, nam brevi evanuit omnis dolor. Unà cum Leone Henricio juniore, ut dicitur 12. Novembris, apparuit prope Helviam homini, deſertâ domo ſuâ, abeunti ad Caſtellam; cùm tamen ambo eſſent in Eborenſi Collegio eodem tempore. Occaſionem ſe macerandi non omittebat. Diebus, quibus Socij piſces veſcebantur, ſemper in culina deſquamabat piſces. Cùm cæteri nequibant aquæ tolerare frigus, tunc ipſe libentiùs in eam manus mergebat. Poſt ſuum munus expletum Coadjutores alios ſæpè ſublevabat adjuvando in ipſorum officinis. Si defectu dentium comedere non poterat, quæ ponebantur ad menſam; quamvis commodiores afferrent epulas, non attingebat. Nemo illum unquam vidit inutili deditum otio. Duobus vel tribus ante mortem annis ad eam ſe diligentiſſimè comparavit. Poſt omnes adhi-

adhibitas industrias sensit animum adeò quietum, ut sit fassus se ritè paratum esse ad mortem excipiendam. Postremâ suæ ægritudinis hebdomade B. Virginem rogavit, obtineret sibi de vita facessere, quo die sit ipsa ad cælos assumpta. Augusti 13. laboravit febri gravissimâ, & 15. manè se induens è lecto surrexit, dicens, velle per confessionem detergere labes animi, ad accipiendum sacrum Viaticum, ut moreretur. Coactus redire in lectum, corroboratus est cælesti pane. Posteà recurrente febri, sacro inunxerunt oleo, expiravitque horâ tertiâ post meridiem.

Dominicus Rodrigues Scholasticus.

EBoræ vitam explevit anno 1582. Mores illius semper fuerunt integri. Ægrotavit correptus tertianâ admodùm forti. Quo die erat præter omnium opinionem de vita abiturus, dixit Socio, qui sibi aderat: *Hodiè sum ex hoc mundo profecturus, quoniam id heri à B. Virgine postulavi, & multam sensi devotionem.* Res ipsa ostendit eum non vana protulisse. Magnâ animi tranquillitate efflavit spiritum, pronuntians illa verba: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & mortis horâ suscipe.*

Didacus Alvres Coadjutor.

COnimbricæ mortuus anno 1658. Non minùs annis 40. Socius fuit Procuratorum, quos per id tempus habuit Collegium, magnis utique emolumentis rei temporariæ. Omnes eum reverebantur propter morum sanctitatem. Agens per tot annos cum plurimis omnis sexûs, ætatis, & gradûs personis, unum verbum non dixit, quod pareret vel levem offensionem. In mores suos circumspectè vigilavit, ne quis malè de ipso loqui auderet. Administrans tot pecunias, ne teruncium quidem in suos usus convertit. Quod suppetebat illi tempus, orando ante Venerabile consumebat. Nullæ occupationes eum dimoverunt à studio virtutum; Idcircò vitam admodùm sanctè transactam secuta est mors non minùs sancta.

Antonius Ribeyro Scholasticus.

ANno 1696. Conimbricæ vitam clausit. Natus in oppido *Ansam* agri Conimbricensis. Societati conjunctus, 25. April. 1686. Ingenium, ac dotes singulares ad nostra ministeria cupiit exercere in Orientis Missionibus. Cum Moderatores Provinciæ nollent ejus votis subscribere, rogavit Patrem Generalem eò adeundi facultatem. Interrupit executionem phthisis: hâc lentè putrescens, curas omnes posuit in se religiosissimè comparando ad mortem. Die S. Ignatij ardenter mori desideravit. Cùm non impetrasset, à B. Virgine petivit, sibi mortem obtineret Assumptionis die. Auditæ sunt illius preces, nam septimâ horâ post meridiem de vita migravit.

P. *Em-*

P. Emmanuel Fernandes.

BAhiæ in Brasilia vita cessit anno 1633. Profectus in Brasiliam an-
io 1601. captâ ab Anglis nave, de-
atus est in Angliam. De rebus fidei
:um prædicatore hæretico dispu-
ans, eum convicit. Excandescens
æreticus verbis indignissimis ad-
ersus Patrem invectus. Modestis-
imè audivit opprobria, & convicia:
lisceptationi aderant nobiles hæreti-
:i, qui sui magistri ægrè ferentes im-
udentiam, & Patris laudantes in-
ignem modestiam, inflammantur
dversus prædicatorem, & quà ver-
is, quà pugnis, & calcibus præci-
itant per domûs scalas. Redditus
.usitaniæ, conscendit iterum navem
d Brasiliam anno 1604. Tradiderat
am Moralem, & Scholasticam Theo-
ogiam. In Brasilia egit Novitiorum
Magistrum, Collegij Bahiensis Re-
:torem, denique Provincialem. An-
equam cæteri de lectis manè con-
urgerent, jam duabus, tribusve ho-
is orationem ante Deum fuderat.
Quotidiè sæviebat in se cilicio, &
lagello. Secretum observabat ex-
ctissimè. Delicta subditorum emen-
lata, non revocavit ampliùs in me-
noriam. Singulari devotione ve-
eratus est B. Virginem. Quotidiè
n illius obsequium legebat aliquid
le libro, *Amor Mariæ*, dicto. Aggres-
urus negotia, tutelæ B. Virginis to-
am rem subjiciebat. Utebatur ve-
titu valdè attrito, & paupertati
nicè consentaneo. Res plurimas prædixit, quas probavit ipse eventus. Omnibus tum domesticis, tum externis habitus est vir magnæ virtutis. Eadem opinio tenuit Præfectos summæ rei potentes.

DIE XVI.

P. Emmanuel Borges Martyr.

NAngasachij apud Japones martyrio illustratus est anno 1633. Natus Eboræ. Societatem iniit Conimbricæ 10. Jan. 1601. ætatis 16. Navigavit ad Indiam anno 1608. inde ad Japoniam 1612. Postquam illic uno tantùm anno animarum culturæ incubuit, causâ fidei exulavit Macai usque ad annum 1621. quò dissimulato habitu ingressus est iterum Japoniam. Præter labores eam excolendi vineam, agebat munus Procuratoris nostrorum, qui occultati consulebant rei Christianæ, mittens singulis, quæ forent opus. Quanta sit perpessus, cognoscitur ex ipsius epistolæ fragmento. „ Postquam, „ inquit, Aprili sunt profectæ naves, „ gubernavit Teixo tribus solùm „ mensibus. Verum tantâ pertinaciâ persecutus est Christianos, „ præsertim Religiosos, ut ter eodem die domum, in quâ eram, „ invaserit. Ulla domus viri Christiani non fuit, quam ut minimùm „ ter in hebdomada non fuerint „ scrutati. Primò quæsierunt me „ valdè mane, cum adhuc è lecto „ non surrexissem: erant armati „ septem. Secundò, cum induebam

„ veſtimenta, ad aram facturus, ſe-
„ ptemdecim fuerunt. Tertiò pro-
„ pè horam prandij, viginti milites
„ tanto irruperunt fragore, ut vi-
„ deretur labi domus; Verumta-
„ men ſemper evaſi illorum manus,
„ abdens me in latibulum, ubi jam
„ ſæpe eluſeram ſimiles indagatio-
„ nes. Hæc Emmanuel. Tot ethnici multiplicaverant excubias, ut tandem inciderit in eorum manus, dum corroborat Neophytos Bungenſes. Deductus Nangaſachium, & conjectus in carcerem. Auguſti 13. ſuſpenſus fuit in crudeliſſimo foveæ patibulo, de quo jam retuli explicatiùs. Toleravit eam immanitatem ultrà tres dies, quarto ſolutus eſt corpore ſpiritus. Cum ipſo perierunt Coadjutores duo JoſephusReomuyus, & Ignatius Quindus ambo Japones.

DIE XVII.

Emmanuel Semedo Coadjutor.

ULyſſipone in Collegio D. Antonij naturæ conceſſit anno 1619. Natus eſt Nizæ Diœceſis Portalegrenſis. Eboræ addictus Societati 17. Sept. 1614. ætatis 29. poſtquam annis plurimis ſecutus fuerat militiam. Eximiæ vir charitatis. Ægrotante Patre Antonio Simonio, de quo ſequenti menſe, obtulit ſe Emmanuel, ut illi ſerviret. In eodem cubiculo cum ipſo die, ac nocte fuit, ægroto conſulens, ejusque medens corruptiſſimis ulceribus, à quibus adeò peſtilens exhalabatur odor, ut eſſet genus martyrij, illius gravitatem ferre. Ex hujusmodi charitate traxit originem ejus mors, quam divinitùs prænoviſſe creditum eſt; nam diebus paucis, antequam induceretur theatro coram RegePhilippo tragœdia in noſtris ſcholis, affirmavit Emmanuel à ſe jam non ſpectandam, ita prorſus evenit; correptus enim violento morbi incurſu, vix biduò ſupervixit.

DIE XVIII.

P. Balthaſar Sarayva.

ALpedrinæ, cùm illic habebamus Reſidentiam S. Xaverij ad fundandum Collegium, diem obivit anno 1660. Natus in oppido *Garajal* Diœceſis Lamecenſis. Conimbricæ Societati conjunctus 7. Decembris 1613. ætatis 14. Ad Miſſiones Sacras obeundas indefeſſus illi fervor. Nulli pepercit labori, ut animas Deo lucrifaceret. Erga noſtrum D. Franciſcum Xaverium vix ullus fuit pronenſior. Quantum illius venerationem propagavit, explicari ſatis non poteſt. Id pro comperto ſexaginta D. Xaverij ſimulacra Balthaſaris induſtriâ, ac ſuaſione diverſis templis locata. Ubicunque enim concionatus eſt, noſci Xaverium, & coli magnoperè procuravit. Non immemor tam devincti animi Divus, multis favoribus Balthaſarem cumulavit. Inter cætera beneficia, ſemel ægrotans periculosè, voto ſe in obſequium Xaverij obſtrinxit, ac protinus me-

liù

iùs habuit, restitutusque est pristi-
næ sanitati. Frater Germanus fuit
llius Monialis, quam reddidere ce-
ebrem in Oppido *Moymenta* cumu-
ata D. Xaverij miracula.

P. Joannes de Cota.

POrtalegriæ vitam explevit anno 1664. Natus Odemiræ Diœce-
s Eborensis. Singulari præditus in-
enio Theologicis Studiis incubuit
Romæ magnâ laude. Reversus in-
de, docebat Portalegriæ Moralem
cientiam. Erat integerrimis præ-
larus moribus. Perniciosis febri-
us jacebant multi in urbis nosoco-
nio: hos Joannes frequens invise-
at, ac solabatur, audiebatque con-
tentes. Ex eo commercio perni-
iosam contraxit febrem, & ritè
omparatus, sanctissimè de vivis
biit.

P. Doctor Joannes Dicius.

COnimbricæ desivit esse inter mor-
tales anno 1569. Natione Flan-
rus. Conimbricæ dedit Societati
omen 15. Martij 1544. Micuit in
o præclara bonitas, & perspecta vir-
us. Dictis Majorum sincerissimè
arere solitus. Quatiebatur vehe-
nenti tentationum procellâ, vix
ciens; quid ageret, ut importunos
rceret stimulos. Cuncta manife-
tabat Superiori, petens afflicto ani-
no remedium. Semel, ut se libera-
et Simon Rodericius Provincialis à
Dicij assiduâ de tentationibus ratio-
e, dixit illi post alia consilia: „ Si
„ rursus te Dæmon turbaverit hu-
„ jusmodi molestiis, ipsi denuntia-
„ bis te publicè coram omnibus So-
„ ciis signo campanæ ad id vocatis
„ expositurum illius tentationes.
„ Hæc facies, ut superbum inimi-
„ cum confundas, & Socij te suis
„ juvent orationibus. Hæc Simon;
non tam animo, ut ea Dicius ex-
equeretur, quàm, ut eum à se di-
mitteret. Conspectu discessit quie-
tus. Brevi sensit solitâ concuti tem-
pestate; Igitur convolat ad Campa-
nam, eâ pulsatâ, adsunt Socij, quid
rei sit, ignorantes. Hîc Dicius fle-
ctit genua, ac obortis lachrymis,
narrat Sociis, quibus angitur, ten-
tationes; rogat, ut precibus ad cæ-
lum fusis misero subveniant. Mi-
rantur omnes simplicissimum viri
candorem. Illud contigit admiran-
dum, quod in posterum nec umbra
earum tentationum illius afflixit ani-
mum. Anno 1550. unà cum Sancto
Martyre Gonsalo Silveyra conten-
dens Gandiam in ea prima totius
Societatis Academia Doctoris laureâ
est insignitus. Anno 1559. missus
in Brasiliam. Cum illîc cælum vale-
tudini grave experiretur, nec posset
vires recuperare, ad Lusitaniam re-
diens cæteros vitæ annos singulari
transegit sanctitate.

DIE XIX.

P. Melchior Carneyro Niceæ Episcopus.

MAcaij ad oram Sinensis Imperij anno 1583. migravit ad cælos.

Natus Conimbricæ, ibique Societati conjunctus 25. April. 1543. E Sanctorum genere exortus est; nam illius parens Petrus Carnerius Leitamus consanguineus fuit D. Gonsalo *de Amarante* Ordinis Dominicani. Propterea singulis annis secum ducens filios suos peregrinabatur pedibus usque ad oppidum, ubi coluntur Divi reliquiæ. Idem nobilissimus civis quotidiè obsecrabat Virginem Matrem, ut sibi morienti adesset Divus Antonius, & suus filius Apostolus; intelligens Melchiorem, quòd eo nomine dignoscantur homines Societatis per Lusitaniam. Factus est voti compos. Fortè enim accessit Conimbricam Melchior, quo tempore morti vicinus erat parens. Dum interest jam jam acturo animam, inquit bonus senex ad filios suos: Exurgite, & veneramini introeuntem Divum Antonium, illiq; date locum prope Melchiorem, vult enim esse ad meum caput. Post hæc animam efflavit placidissimè. Melchior hæreditarias virtutes multis acquisitis cumulavit. Speciatim studuit vilescere propter Christum. Cùm esset è prima urbis nobilitate, exibat vel cum mulo, vel plaustro bojario ad usque Mondam, indeque reducebat onustos arenâ ad opera novi Collegij. Obtulit se Majoribus, ut serviret Societati in gradu temporalis Coadjutoris. Fundante Collegium Eborense Cardinali Henrico, egit Melchior primum Rectorem. Propter insignem virtutem cum magni fecit Henricus. Cum Simon Rodericius, deposito Provincialatu, à S. Ignatio Romam vocatus est, illi comes ivit Melchior. Plurimi habuit illius virtutem sanctus Parens, ipsoque aliquando est usus Confessario. Cum esset Patriarcha præponendus Æthiopiæ, idque Rex D. Ignatio commisisset, elegit Joannem Nunium, præterea Andream Oviedum, & Melchiorem Carnerium Episcopos Patriarchæ, siquid humanitùs contingeret, successuros. Electioni amborum restitit humilitas. Affirmabant enim se à Societate cogi non posse. Re multis consultationibus agitatâ, tandem Summus Pontifex sub obedientiæ præcepto utrique clausit effugia. Anno 1555. nondum eo gradu initiatus, conscendit navem ad Indiam. Id consentaneum est visum, ut cùm accederet Patriarcha, jam capta foret legitima notitia de statu rei Æthiopicæ. Adhuc Româ facultas non venerat, ut sacrarentur tales Episcopi. Quamvis Conimbricæ ejus mater viveret, noluit vir sine carne & sanguine illam supremum alloqui, & invisere. Augusti die 2. cum aliis Societatis applicuit Mossambico. Illis fuit hospitium Insulæ nosocomium. Tum in navi, tum egressus in terram omnes curavit Deo conjungere. Pervenit Goam 7. Septemb. indè missus Coccinum, ubi plurimos è Christianis Divi Thomæ Ecclesiæ restituit. Abegit Armenium Archiepiscopum, qui suis erroribus miseros implicabat. Per-

se

ecutus Judaicæ perfidiæ Sectatores, nagna vitæ subiit pericula. Semel conjecta in eum sagitta pileum super caput transfixit, caput tamen non attigit. Miserunt perfidi Judæi schedulas injuriis adversus Christum refertas in capsulam, quæ solet in templis esse ad excipiendas eleemosynas. Idcircò nostris solicitantibus, introductum est in India sanctæ Inquisitionis Tribunal. Ut eum subduceret tot manifestis periculis, jussit Patriarcha Joañes Nunius redire Goam, & insignivit Episcopi gradu 15. Dec. 1560. Posteà, cum non fieret opportunitas petendi Æthiopiam, injunctum est illi à Summo Christi Vicario, transiret ad Sinam, & Japoniam, ut Pastoris munus in iis Ecclesiis de novo surgentibus exerceret. Cum litteras accepit, laborabat tussi vehementissimâ. Hâc non obstante, ubi fulsit opportunitas navigandi, eò profectus est anno 1568. mense Majo. Mare ingressus, protinus convaluit. Volente nimirùm Deo eam sanitatem tam parùm hominibus speratam in præmium exactæ obedientiæ. Primus ille fuit Episcopus Sinensis, & Japonensis Ecclesiæ, quæ separata est à Diœcesi Malacensi. Substitit Macaij; Colonia est Lusitanorum in Insula ejus nominis adjacens littori continentis Sinæ interfuso mari, parvâ admodùm distantiâ inter Insulam, & continentem; Urbis solum pertinet ad Lusitanos, reliqua Insula ad Regem Sinarum. Novum templum Episcopale fuit sacra ædicula ex tabulis, & lignis constructa, palatium domuncula ex eâdem facta materiâ. Pro sacro faciendo erat unicus ex plumbo calix. Incipiebat tunc ea Colonia magnis mercium commutandarum emolumentis. Nostri Religiosi sibi tenuè paraverant hospitium, cum ipsis vivebat sub iisdem tectis Episcopus instar aliorum, ceu nullâ fulgeret dignitate. Nè tamen ratione sui muneris nobis colonos redderet parùm amicos, cum vitari non possent Pastorales coercitiones, quibus pro merito animadvertendum in criminosos. Visum Patri Francisco Cabralio Visitatori, extrà domum nostram viveret Episcopus. Id illi fuit ingratum, quod careret suorum fratrum suavi commercio, paruit tamen, ne ipsis esset nocumento. Ordinavit illam Ecclesiam, instituit nosocomium, ac domum Misericordiæ pietatis Lusitanæ singularem officinam. Fidem nostram adolescens Sina est complexus. Id ægerrimè tulerunt ejus parentes, & consanguinei, conquesti sunt apud Magistratum Cantoniæ, qui Lusitanis Macaensibus denuntiari jussit pœnas daturos gravissimas, nisi protinus Cantoniam ad suos adolescentem mitterent. Obstitit Episcopus, dicens, nolle se ovem suam lupis edacibus objicere. Cùm cerneret juvenis ruinam Lusitanis imminentem, nisi dederent, fidens Deo, volens, ac libens ivit Cantoniam. Eum, ut animaret verbo, præsentiâ, & exemplo, Episcopus comitatus est. Di-

Diris cruciatibus adolescentem contorsit Magistratus, ut fidem desereret, at ipse corroboratus sui Pastoris salutiferis monitis, & præsentiâ nullis cessit tormentis. Id videns Magistratus, mulctavit exilio. Lætus successu Episcopus unà cum ove suâ rediit Macaum. Summoperè adnixus est, & curavit abdicare se dignitate, ac restitui vitæ Religiosæ cum sociis. Id à Pontifice illi Pater Everardus impetraverat; Antequam voto satisfaceret, vocatus ad cælum. Adornabat ipse navigationem in Japoniam, cum asthmatis, quò à multis annis laborabat, est oppressus morbo. Qui illum vocant Æthiopiæ Patriarcham, eâ ducuntur ratione, quod obiverit post Andream Oviedum, cui erat successurus, si foret in Æthiopia.

P. Sebastianus de Moraes Episcopus Japonensis.

MOssambiquii, quæ est celeberrima Lusitanorum Colonia ultrà æquatorem ad oram Africæ, supremum diem explevit anno 1588. Natus in urbe Funchalensi Insulæ *Madeyra*, dum puer vagatur ludibundus cum aliis suæ ætatis prope torrentem aquæ, quâ movebatur officinæ sacchari conficiendi rota, decidit in aquam, ac ferebatur laniandus ad ipsam rotam. Cùm pervenit ad locum, undè torrens cadebat in agitatissimam rotam, puer occultâ manu detentus est, potuitque liberari non sine intuentium stupore: nec enim, nisi vis humanâ major obstitisset, tali statione quivit retineri. Inter eos, qui rem viderunt, unus fuit, qui puerum intuens in matris complexu, ad ipsam ait: *Educa diligenti curâ hunc tuum filiolum, quippe erit in Ecclesia Dei Præsul magni momenti.* Anno 1551. Societatem iniit Conimbricæ. Fuit è primis, qui tradidit Philosophiam Conimbricæ, postquam Academiæ pars commissa est regimini Societatis. Anno 1565. nondum quatuor votorum Professus electus est, ut ageret Confessarium Mariæ Principis, quæ nupserat Alexandro Farnesio Parmæ, ac Placentiæ Duci. In ejusdem comitatu migravit in Flandriam anno 1566. indeque ad Italiam. Anno 1569. emisit Brexæ Professionem solemnem. Micuit Princeps Maria singularium virtutum exemplis: A confessionibus illi fuit Sebastianus usque ad annum 1577. quo ipsa Deo fruitura cessit è vitâ. Post aliquot annos eum Pater Generalis in hanc misit Provinciam, ut illam gubernaret: quod septem annis peregit summâ prudentiâ temporibus difficultatum plenis ob regni ad Castellani Regis dominium translati novas turbas. Vix ullus fuit Provincialis acceptior subditis. Præter virtutes inerat ipsi paterna benevolentia non vulgaris, & in rebus agendis dexteritas, ac prudentia cuncta suis locis ponens. Singulis annis præsens recognovit Brigantinum Collegium, quin cum retardaverit longitudo, ac difficul-

cultas itinerum: ajebat enim justum non esse illos socios hujusmodi privari solatio, cum in urbe longinqua multis carerent commodis, quibus abundarent alia Collegia. Dum rexit, introduxit plurimas sodalitates Annuntiatæ Virginis, cujus singulari tenebatur devotione. Habitans in Domo Professa Ulyssiponensi, cùm ratione Jubileorum confluebat ad confessiones innumerus concursus, vel sedebat audiens confitentes, vel dividebat populo cælestem panem. Dicentibus, cur id ageret tot continuatis horis, & cur non quiesceret, respondebat, fatigari non posse, qui Deum ferebat in oculis, & manibus. Cùm pungeretur cutis doloribus, nullas adhibebat frangendis medicinas, dicens velle se eos tolerare in obsequium illorum, quos pro ipso sit passus Deus. Sæpè mediâ nocte repertus est orans coram SS. Eucharistia. Quamvis ipsius naturæ dominaretur melancholia, erat tamen lætus subditis; sciebat enim se rebus accommodare dissimulando, vel frangendo innatas animi, & corporis affectiones. In ejus verbis magnum pondus, magna modestia, & singularis moderatio effulgebat. Propter excellentes viri dotes, & virtutes Philippus Rex ipsum elegit ad Insulas Japonenses, quas ille acceptavit coactus Summi Pontificis præcepto. Martij 27. 1588. sacro delibutus oleo solitâ cæremonia in templo Domûs Professæ Ulyssiponensis. Quod videret, quàm parùm utilis esset futura talis dignitas, animo præsagiente brevi se moriturum, ipsâ die solemnitatis dixit: *Hodie me inungunt, cras mittar in mare.* Aprilis die 1. conscendit navem Prætoriam cum aliis nostræ Societatis. Die 6. mensis ejusdem è portu in altum provectus. Cunctis erat levamen, & solatium. Nihil remisit de solita vitæ austeritate. Matutino tempore horis duabus orabat intra suum conclave, vespertino eodem spatio repetebat orationem. Concionabatur, explicabat Catechesim, invisebat, & consolabatur ægrotos. Post superatum Bonæ-Spei caput, perniciosæ febres per navem sunt vulgatæ. Navis curione, & aliis sacerdotibus periculosissimè ægrotantibus, ipse eorum omnia suscepit onera, excipiebat confessiones, ungebat sacro Oleo, & mortuos mari tradendos solitis commendabat precibus. Octavâ Augusti gradu 19. ultra æquatorem, leucis 60. à Mossambiquio graviter decubuit. Morbus indè contractus est, quod supremum ad luctamen nautam unum pestilenti jacentem febri inunxerit. Ubi sensit tentatam valetudinem, confessione se paravit ad mortem. Expertus est maximam conscientiæ tranquillitatem. Ingressus Mossambiquij portum, ubi nuntiatum ipsi est, respondit: *Bene habet, ibit terra ad terram.* Dixit Sociis, qui supererant, supremum vale. Usque ad mediam noctem, quâ emisit spiritum, tempus consumpsit, Deum piissimis verbis

bis alloquendo. Demortui vultus ſic vegeto permanſit colore, ut appareret vivere. Cadaver pontificiis indutum veſtibus, quanto potuerunt apparatu, humatum eſt in ædicula Virginis à Propugnaculo dictæ. Poſt aliquot annos illius oſſa Goam delata ſunt à noſtro Emmanuele de Veyga.

Petrus de Sylva Coadjutor.

OBivit in navigatione Indica anno 1670. Ex quo fuerat adſcriptus Societati, ſemper expetiverat mitti ad Indiam. Cum non impetraſſet, inſtitit poſt biennium, donec illius deſideriis ſatisfactum. Multi eum impedire conati ſunt. Illius parens hoc ſciens, è patria ſua, quæ 50. leucis diſtabat, feſtinavit, ut filio moras injiceret; verùm delinitus rationibus, & ſanctis verbis, depoſitâ mente, quâ venerat, filio benedixit, ac laudavit propoſitum. Ejus in navi familiares cum externis ſermones ſic animos incenderunt, ut plurimi viri nobiles confeſſione generali animas expiaverint. Omnes doluerunt illius mortem, quod cunctis eſſet charus, & gratus ob plenam affabilitatis virtutem.

DIE XX.

Franciſcus Pereyra Scholaſticus.

E vita ceſſit Conimbricæ anno 1656. Natus Angræ in Tertia Inſula ex præcipua nobilitate. Mater, protectore D. Xaverio, illum à Deo impetravit; propterea maximoperè cupiit, daret nomen Societati. Idem erat patris votum. Navigabat in Luſitaniam, cùm Maurus pirata navem adortus eſt. His in anguſtiis Franciſcus voto ſe obſtrinxit Divo Xaverio largiendi noſtro Fayalenſi Collegio donarium pretioſum, ſi averteret periculum. Non defuit clienti ſuo Xaverius, nec Franciſcus promiſſo. Ut pater illius, ſolveret voto filium, donavit noſtro Collegio Crucem argenteam reliquiis exornatam. Et ipſius patruus Dominicus Pereyra Sarmentus legavit optimam villam. Societatem amplexus Ulyſſipone 14. Decemb. 1652. ætatis 14. Ex animo viam perfectionis Evangelicæ aggreſſus, extitit verus Societatis Novitius. Poſt biennium tenuit eandem morum ſanctitatem. Modeſtia tam rara, ac divina fuit, ut intuentes componeret. B. Virginis illibatam Conceptionem mirificè coluit. Illius preces, ſeu, ut vocant, Officium, etiam poſtremo in morbo penè diebus ſingulis recitavit. Amiciſſimus fuit Religioſæ paupertatis. De rebus piis ſolùm habuit ligneam crucem ante ſe. Quamvis naturâ ſuâ appeteret veſtium cultum, & munditiem exquiſitiorem; Excompoſito, ut vileſceret, ac domaret eam propenſionem, quærebat veſtes attritas, vetuſtas, & abjectiores. Ajebat, potiùs velle ſe mori, quàm repugnare minimæ ſignificationi voluntatis Majorum. Conceptam de illo ſpem ingen-

entem intercepit diuturnus mor-
us. Per id tempus non alios, nisi
e æternâ felicitate, volebat ſermo-
es audire. Mirâ æquitate dolores
ertulit. Quotidiè per confeſſio-
em detergebat animum. Preca-
ones horarias de Plagis Chriſti ad-
cit Officio Conceptionis, dum li-
uit per vim morbi. Exiſtimatum
ſt, gratiam in Baptiſmo acceptam
unquam amiſiſſe.

DIE XXI.

P. Joannes de Sequeyra Martyr.

[N regno Tunquinenſi prope Sinam
anno 1696. martyrio laureatus
ſt. Patria illi fuit oppidum *Cabeſſo*
e Vide Diœceſis Helvienſis. Societa-
i adſcriptus Eboræ 24. Octob. 1680.
'yrocinij partem Ulyſſipone tranſe-
it. Illîc admodum importunè, cum
erviebat in domo Profeſſa, rogavit
'rovincialem, daret ſibi facultatem,
ndiam adeundi. Crebritatem ob-
ecrandi peroſus Provincialis, cum
idiſſet mitibus, & bonis verbis
um non placari, ac deſiſtere; Am-
lius, inquit, ne me convenias, in-
aſſum fatigaris, non concedam, quæ
etis, propterea intempeſtivam de-
one curam. Ad hæc tyro: Pare-
o veſtræ Reverentiæ dictis, ſed
ciat, me in Indiam hoc anno à Ve-
ra Reverentia mittendum. Id ver-
um Provincialis Novitij fervorem
eputavit. Ecce tibi pridie quàm
avis Indica de portu ſolveret, unus
e Sociis ad eam navigationem de-
ſtinatis defecit. Ne ſumptus ad
commoda itineris factus perderetur,
enixè rogavit Provincialem Indiæ
Procurator, alium, quem nomina-
vit, & qui petierat, ſibi concederet,
negavit. Cum inſtaret; ſaltem No-
vitium permitteret in eum ſuffici
locum, reſpondit Provincialis: Qui-
dam Tyro hic meum caput frange-
bat quotidiè, importuniſſimè flagi-
tans Indicam miſſionem. Exploret
Reverentia veſtra, utrum ſit in eo-
dem propoſito. Si fuerit, dicat meo
nomine, facultatem toties petitam
illi dari. Vix Joannes ſeipſum præ
lætitia cepit. Tunc Provincialis re-
vocans in memoriam priſtinum il-
lius dictum, vaticinium fuiſſe non
dubitavit. Vulgatum eſt S. Xave-
rium illi clarâ voce dixiſſe, ad In-
diam præſenti anno profecturum.
Merebatur tantum favorem ſingula-
ris, quâ fulgebat, virtus. In Orien-
tem navigavit an. 1682. Cum mor-
bis implicati quamplurimi jace-
rent, mirâ charitate, ſuccurrit
omnibus. Nondum abſolverat bien-
nium, cum pervenit Goam. Ip-
ſum abſentem Magiſter cæteris No-
vitiis imitandum proponebat. Nam
eminuit religioſis virtutibus. Poſt
tyrocinium deditus litterarum ſtu-
diis, nequaquam eſt oblitus acqui-
ſitæ ſanctimoniæ, ſed eam indies au-
xit. Ingenij felicitas reddidit è me-
lioribus in ſtudio ſcientiarum. Cun-
ctis erat gratus, quamvis, ſe præ-
ſente, non ſineret delicta adverſus
obſervantiam; quæ protinus defe-

re-

rebat ad Superiorem, ut emendaret. Si delinquens ſibi timens interrogabat Joannem: An dixiſſet Superiori talem defectum? ſincerè reſpondebat, ſe dixiſſe. Is animi candor, & bonitas nemini movebat ſtomachum, imò habebant gratias, & ſibi conſulebant, utentes eâ notitiâ, ut extenuarent culpam conſideratis effugiis, vel tempeſtivè quæſito patrocinio, aut petitâ veniâ. Sæpè illum flagellavit Dæmon coram aliis Sociis. Id teſtabantur vibices ictuum, verum nec inſtrumentum, nec videbatur manus feriens, nec audiebatur verberum ſonitus, tantum conſpiciebantur ſigna livida in parte, quâ fatebatur ſe percuti. Sacris initiatus, & abſolutis Theologiæ ſtudiis migravit Macaum. Anno 1694. Pater Franciſcus Nogueyra Provincialis adiens Tunquinenſe regnum, ſecum tulit comites Didacum Vidalium, & Joannem Sacerdotes, unumque rei temporalis Coadjutorem. Erat illîc prohibita Chriſti fides; propterea cæteri de noſtra Societate occulti diſcurrebant, neophytos juvando. Cum hi noto habitu eſſent regnum ingreſſi, permiſit Rex, illic ſubſiſterent ratione commodi, & comercii cum Luſitanis Macaenſibus. Id tamen eâ permiſſum lege, ne prædicarent fidem. Ut hoc ne diſſimulanter quidem peragerent, eos tradidit obſervandos Eunucho noti furoris adverſus Chriſtianos. Illos ſecum perduxit ad ſuum oppidum Hienum. Incluſis domi adjecit diurnas, ac nocturnas excubias; ne poſſent alloqui neophytos, hique domum intrare. Hujuſmodi carcer, quamquam durus, utilis tamen erat Chriſti gregi ab ethnicis vexato; dum enim Chriſtiani conſiderabant adeſſe illic ſuos paſtores, non deſpondebant animos. Deinde ultrò, citroque miſſis occultiſſimè epiſtolis mirum in modum animabantur. De more regionis aliquoties per annum Regiam ad urbem contendebant, ut oblatis muneribus Regem ſalutarent. Per eos dies, in quibus erat major libertas, magnoperè juvabant Regiæ urbis neophytos. Cùm Joannes gravi morbo decumberet, conceſſum illi eſt, migrare ad urbem regni caput, ut illic conſuleret ſanitati. Eò delatus eſt, manente Vidalio Hieni. Nihil minus illîc, quàm valetudinem curavit. Ipſius major cura fuit neophytos in fide confirmare, adultos aliquot abluere ſacro fonte; Interim crevit paulatim morbus. Abiverat jam Provincialis in Sinam terreſtri itinere. Per id tempus noſtri ex urbe Macao miſerant capſam plenam imagunculis æreis, aliisque Chriſtianæ pietatis fomentis Patri Vidalio, ut neophytis divideret. Portabatur nave Hollandica profectâ ex Batavia, quæ ſedes Hollandorum eſt apud eas regiones. Hæc capſa deprehenſa eſt in portu Tunquinenſi, dum merces exponuntur in apothecas. Erant nominatim pœnis graviſſimis prohibitæ hujuſmodi res piæ.

piæ. Propterea Rex irâ majorem in modum succensus, imperavit severo admodùm diplomate, ut Patres manciparentur carceri, & catenis, cogerenturque exulare extra regni fines. Ex itinere retractus Provincialis occubuit in carcere: coram Patre Vidalio res piæ in flammas conjectæ, ipsique donari vitam Regis benignitate dictum est. Joannes adeò erat debilitatus, ut ægrè posset in lecto corpus movere. Sic jacentem alienis humeris vectum ponunt in phaselo, sociante exilij comite Vidalio. Additi sunt milites, qui custodirent. Jactatione fluctuum, ingravescente morbo, & acutissimis deindè subortis doloribus, mortem esse propinquam intellexit Joannes. Potuit Vidalius, facto sacro, munire Viatico ægrotum, & Unctione corroborare. Admirabilis erat inter acerbos dolores morientis tranquillitas. Ipse Vidalio est fassus se intus sic Deo esse innexum, ut una arbor cum alia. Ferventes edens actus Fidei, charitatis, & spei, ac bis pronuntiato JESU nomine usum vocis amisit, ac horâ secundâ post mediam noctem in Domino obdormivit. Vidalius defuncti manus, ac pedes exosculatus, ligneâ capsâ inclusum sepelivit in pago *Honem* dicto.

P. Fernandus de Prado.

ULyssipone gloriosâ morte vitam clausit anno 1579. Natus Oppido *Carrazedo* Diœcesis Bracarensis. Conimbricæ nomen dedit Societati 2. Julij 1548. Cùm pestilentia Ulyssiponem involveret, compleretque funeribus, obtulit vitam suam, ut in ministerio piissimo serviendi ægrotis juvaret Patrem Petrum Mascarenium. De Fernandi virtute, & obitu hæc scripsit Mascarenius: „ Hodie horâ 5. profectus „ noster bonus, ac S. Pater Pradus „ de terra ad cælum in hac gloriosa „ expeditione, tam propria nostræ „ Societatis. Mortuus est susceptis „ omnibus Sacramentis. Hâc nocte horâ 10. aut 11. petivit sacramenta confessionis, Viatici, atque Unctionis, quæ ipsi ministravi; illeque accepit eâ devotione, „ ut lachrymas non continuerint „ circumstantes. Fateor, neque me „ potuisse ad finem usque pronuntiare verba: Domine, non sum „ dignus. Hâc in domo defletur „ ab omnibus, tanquam perierit „ singulorum omne bonum, & remedium; Etenim illius modestia, „ obedientia, mansuetudo, & charitas omnes sibi devinxerat.

P. Josephus Gismonde.

IN navigatione Indica vitam explevit anno 1682. Natione Italus. Vixit multo exemplo Conimbricæ. Navigationem ingressus, diro tentatus morbo, abjecit vivendi spem, seque expedivit ad æternitatis iter subeundum. Semel nocte media magnis vocibus cæteros excitavit, rogans, ut se Deo impensissimè commen-

mendarent, quod urgeretur pertinaci tentatione desperandi. Objiciebat ipsi nostræ salutis insidiator vivas admodum rationes, & argumenta, quibus sentiebat conjici in angustias, unde non posset egredi humanis viribus. Faciebat actus contrarios, quanto poterat conatu: Ajebat, se non timere Inferos ob acerba tormenta, sed quod esset illic auditurus adversus Deum convicia. Complexus Crucifixum, eum incensis verbis rogabat, sibi antiquam pacem restitueret. Laborantem, & colluctantem contra hostis insultus animabant reliqui. Sumens libellum de mundi contemptu; *Loquere*, inquit, *Domine*, *quia audit servus tuus.* Aperiens offendit caput ad rem factum. Non ideò lectione mitigata est procella. Sub auroram, cæteris dormientibus, exclamavit, *Victoria, victoria.* Ad has voces somno excitus Superior, interrogavit, quid illa forent? dissimulavit, at posteà Sociorum uni aperuit, illa verba fuisse signum animi exultantis, quod evanuerit importunissima tentatio; Indè tam quietus fuit, ut apparuerit habere melius, sed erupit brevi febris perniciosa, quâ illius vita extincta est.

DIE XXII.

P. Nunius Ribeyro Martyr.

IN Amboino, quæ una est ex Molucis Insulis, martyrio illustratus anno 1549. Natione Lusitanus. Societati adscriptus Conimbricæ 1. Augusti 1543. Cum aliis perrexit in Indiam anno 1546. Malacæ obvium habuit S. Franciscum Xaverium revertentem de Molucis: duobus mensibus commoratus ibi est, fruens doctrinâ, & exemplis illius cælestis viri, à quo Nonius ob perspectam virtutem magni æstimatus. Ab eodem missus in Amboinum an. 1547. Sesquianno, quo vixit apud eam gentem, tinxit sacro baptismate supra duo capitum millia. Victum præbebant radices herbarum, & oryza admodùm exigua. Quod largitus esset egenis vestes suas, incedebat opertus lodice. Ob assiduum bellum, quo Maurorum sectam persequebatur, ipsi eum cupiebant de medio tollere. Semel applicuerunt ignem domui, in quam se receperat. Ægerrimè mortem evasit. Petens aliam Insulam, fecit naufragium; semivivus ad littoris arenam ejectus. Volentes Mauri venenum illi propinare, ad scelus invitarunt hominem minimè suspectum, & aptiorem, ut ipsis videbatur, patrando maleficio. Horruit immanitatem. Non caruit præmio, nam Deus illum ad veram amplectendam fidem vehementi stimulo incitavit. Paruit vocanti Deo, & Christianus effectus. Cùm Nonius præ morbo suis pedibus nequibat adire Neophytorum pagos, linteo impositus ferebatur à Christianis, ut eos in Fide roboraret. Die B. Virginis Assumptæ operans Missæ sacrificio hilari voce, & al-

altâ, ut in ſolemni ſacro fieri ſolet, concinuit canticum: *Gloria in excelſis Deo.* Quæ vox inſtar cygni fuit præſagientis vicinam mortem. Nec aliud qui præſentes aderant, ſibi habuerunt perſuaſum. Paulò poſt Mauri cibis ab eo edendis miſcuerunt venenum. Ubi diffuſum per viſcera, acerbiſſimos ſtomachi dolores, & perniciabilem excitavit febrim. Hîc Nonius complexu adſtringens Crucifixum, ac de ſe holocauſtum offerens Domino ſuaviſſimum, efflavit animam.

P. Emmanuel Martins.

TRicherapalij, quæ eſt urbs Madurenſis regni apud Indos Malabaricos anno 1656. vitæ finem attigit. Natus Alviti Diœceſis Eborenſis. Societatem complexus Eboræ 25. Martij 1615. Docebat latinas litteras, cum ad Indiam contendit anno 1624. dicavit ſe Miſſionibus Madurenſibus, quarum operarij cælo vivunt propiores, quàm ſolo. Illîc enim ſummâ adverſus ſe ipſos utuntur aſperitate. Secutus eſt morem Brachmanum Religioſorum in habitu, & victu, & reliquis cæremoniis, quæ veræ Dei legi non ſunt contrariæ. Nulla apud Chriſtianos ſacra familia ſubjacet præceptis ſeverioribus, quàm hi Brachmanes; omnibus ſe accommodavit Emmanuel, ſi ſecus faceret, profanus haberetur. Herbis tantum, oryzâ, & lacticiniis veſcebatur. Edere carnes, piſces, & vinum bibere Brachmanibus abominandum eſt. Quamplurimis præterea adſtringuntur continentiis humanæ vitæ moleſtiſſimis. Annos 31. laboravit apud eas gentes. Vix dici poteſt, quantum neophytis dilectus fuerit ob genium affabiliſſimum. Poſt ejus mortem, ſi vellent Chriſtiani explicare magnum amorem, quo aliquem proſequebantur, ajebant, ſe illum æquè diligere, atque dilexerant Patrem Emmanuelem Martinium. Expreſſuri ſingularem alicujus affabilitatem, dicebant: Tam affabilis eſt, quam erat Pater Emmanuel Martinius. Permittente Superiore, ſe voto obligavit ad obſervandum Brachmanum Religioſorum auſteritates. Itinera faciebat pedibus excalceatis. Lectum præbebat Tigrina pellis humi ſtrata, eadem illi ſella, & menſa. Inter orandum viſus eſt à terra ſublimis. Quater in odium fidei traditus carceri, & vinculis, flagellatusque ad effuſionem usque ſanguinis. Totidem pulſus in exilium, & expoſitus populorum injuriis, quas pertulit invictâ tolerantiâ, ethnicis admirantibus ejus in afflictis rebus lætitiam. Multis animarum millibus in Deum converſis, ſupremùm ægrotavit. Sub tectis pauperrimæ domunculæ, non lectus erat, in quo jaceret, non cervical, cui caput acclinaret. Suadentibus, ut tunicam exteriorem deponeret, reſpondit; id nullo modo facturum, quod ab annis 30. eam nunquam exuiſſet, niſi cum, veteri attritâ, alia de novo eſſet induenda.

da. Triduum tranſegit apertis oculis in Crucifixo defixis, & brachiis in crucis modum expanſis, mente ſemper integrâ, blandis, ac ſuaviſſimis verbis alloquens Dominum de cruce pendentem. Inter hujusmodi alloquia pia, nullo morientis dato ſigno, exhalavit animam. Mœror neophytorum æqualis fuit amori, quo adverſus eum tenebantur. Poſt illius obitum plurimis beneficiis Deus neophytos donavit, invocato Emmanuelis patrocinio. Uni filiis carenti in ſomnis apparuit, monuitque, recitaret ter B. Virginis Roſarium, nihil dubitans filios habiturum. Monenti obſequens, ſuo tempore nova prole domum ſuam felicem vidit.

P. Antonius Rodrigues.

OBivit, ad Indiam navigans anno 1588. cum Epiſcopo Sebaſtiano Moralio. Natus Monte majore novo Diœceſis Eborenſis. Petenti in ſacram Prædicatorum admitti familiam dixit Monaſterij janitor: Iret ad Collegium Societatis; ſi peteret, ibi admittendum. Dictum accipiens, ut ſuæ fortunæ felix oraculum, expetivit Societatem, eamque ingreſſus Eboræ 18. Febr. 1571. Ipſius mores erant integerrimi. Nunquam injunctis oneribus ſe furatus eſt. Sebaſtianus Moralius noſter Provincialis electus Japonenſis Epiſcopus poſt rem in ſacro Deo commendatam, è Patribus quæſivit, cui ſuffragarentur, ut ſibi eſſet itineris ſocius? Major pars Antonio ſuffragata. Ad ſingula ſibi ſuffragia flectens genua gratias habebat ſuffraganti. Unà cum Epiſcopo, & Coadjutoribus duobus navem conſcendit anno 1588. Multùm omnibus profuit ad confeſſionem exhortando, & pacificando diſcordes. Inſtituit ſodalitatem B. Virginis, quam dixit à *Bona Via*; hâc non parum eſt promota Magnæ Matris devotio. Morbis perniciosis navem infeſtantibus, cum primores interdicerent Epiſcopo ægrotos adire, ne ipſius vita periculis objiceretur, totus labor incubuit Antonio, donec & ipſe morbo eſt correptus. Non ideo deſtitit à juvandis proximis. Jubebat infirmos ad ſuum portari conclave, & illorum audiebat confeſſiones. Semel veſpertinis horis 13. expiavit. Causâ tanti laboris majorem in modum crevit morbus. Cum in portu Moſſambiquij obiit Epiſcopus, Antonius erat adeò proſtratus, ut nequiverit in terram exponi. Tunc rogavit, vectarent ſe ad conclave, ubi mortuus fuerat Epiſcopus, ut ibi moreretur. Cùm eſſet ejus voto ſatisfactum, mirificè eſt exhilaratus, dicens: Utinam me ad pedes Epiſcopi ſepelirent, ut inde ſubirem ad gloriam. Nolebat alia audire verba præter JESU Nomen; illud pronuntians animam Deo reddidit. Ipſius cadaver fragravit odore cæleſti, eoque completum eſt conclave, ubi expiravit. Ultra Moſſambiquium contigit illius mors.

Petrus Nunes Coadjutor.

ULyssipone occubuit gloriosè anno 1569. Natus Olivensæ Diœcesis Helviensis. Societatem ingressus 30. Januar. 1562. dictitabat, se reliquis servire non instar Religiosi, sed mancipij. Hâc consideratione velut stimulo utebatur, ut esset humillimus, & laboris amans. Pestilentiâ Ulyssiponem desolante vitam suam consecravit infectorum commodis: ex hujusmodi charitate, contractâ pestilentiâ, migravit ad cælestem patriam.

Doctor Blasius Viegas.

EBoræ diem obivit anno 1599. Natus in eâdem urbe, ibidemque Societati conjunctus 15. Febr. 1569. ætatis 16. Unus fuit è viris sui temporis Divinarum litterarum sapientissimus. Latinas litteras, & & Græcas apprimè novit. Exposuit S. Scripturam Conimbricæ, & Eboræ; in hujus Academia insignitus est Doctoris laureâ 24. Julij 1594. Scripsit in Apocalypsim admodùm doctè. Ejus labor ab omnibus plurimùm probatus, præsertim ab eximio Doctore Francisco Suario Granatensi. Eminuit facultate oratoria, & concionatoria. His dotibus præclarissimis conjunxit raram humilitatem, & singularem morum innocentiam; quæ virtutes reddebant omnibus æquè charum, ac venerabilem. Ejus immatura mors cunctis attulit ingentem mœrorem. Solemnem professionem emiserat 24. Septemb. 1595. uno tantum anno post sumptam lauream Doctoralem. Cum est mortuus, expleverat Societatis annos 30. ætatis 46.

P. Leonardus de Sâ.

IN Domo Professa Ulyssiponensi è vita cessit anno 1627. Natus Vianæ Diœcesis Bracharensis. Conimbricæ adjunctus Societati 7. Maij 1583. Vixit in gradu Coadjutoris spiritualis, cujus partes ad votum explevit. Egit œconomum in Domo Professa: conquisitis ab eo subsidiis pecuniarum supellex Divini cultûs multum est aucta. In audiendis confessionibus singularis ipsius patientia, & gratus modus sic allexit pœnitentes, ut omnes curarent ad ejus pedes conscientias exponere. B. Virgini, ac SS. Sacramento addictissimus, utrumque specialibus colebat obsequiis. Ut communio Generalis in singulis mensibus quartâ Dominicâ fieret majori cum apparatu, quærebat personas pias, quæ sustinerent expensas. Diuturno morbo probatus, toleravit dolores, & cætera morbi incommoda animo patientissimo. Tandem quartâ Mensis Dominicâ, sive cùm fiebat Communio Generalis in templo nostro, cui celebrandæ tantoperè faverat, solutus corpore.

P. Emmanuel Coelho.

EBoræ diem obivit anno 1697. Natus Vianæ Transtaganensis Pro-

Provinciæ. Antequam conjungeretur Societati, erat ab eleemosynis Joanni Mello Conimbricensi Episcopo. Visum est Emmanueli, quod sanctus approbavit Episcopus, ad fœminas honoratas noctu deferendas eleemosynas, ne die accipientes erubescerent. Forte saccum panis cocti plenum noctu detulit in domum viduæ, ut apparebat, honestæ. Existimans adolescentem in posterum sibi futurum magis obnoxium, & liberalem, provocavit ad illicita. Horruit juvenis castissimus. Cum rejiceret impudentiam, ostium ipsa clausit, invitamentis vim parans addere. Hìc Emmanuel arcens à se pestilentes manus, aperiens januam, fugâ se proripuit, tremens, ac timens imagine tanti præcipitij. Secum reputans non defutura similia pericula exitus dubij, statuit mundo renuntiare. Conimbricæ adscriptus Societati 6. Novemb. 1689. In tyrocinio nihil celabat Magistrum, dicens, se quiescere non posse, nisi totam exponeret conscientiam Magistro suo. Absoluto biennio, cùm juberent Majores, daret operam Philosophiæ, rogavit, ut finerent inservire Societati in gradu Coadjutoris Spiritualis, ad quem fuerat ingressus: docuit alphabetarios Brigantij, & Bracharæ. Studentem Eboræ casibus conscientiæ constituebant æditum templi, depulit à se id munus, ut cuidam amico dixit, ne cogeretur alloqui fæminas. Mortem à Deo postulabat, si non erat satisfacturus oneribus à Societate sibi injunctis. Ut nostris ministeriis fieret idoneus, diligentissimè incubuit studio scientiæ Moralis. Initiatus sacris, datus estSocius Procuratori EborensisCollegij. Cùm ex munere suo adiret prædia, nisi viri agricolæ domi erant, non pernoctabat sub iis tectis, ubi fuissent dominæ solùm, & famulæ, ac servæ. Semel agricolâ absente, traduxit noctem sub præsepi boum. Obversabatur enim ante illius oculos antiquum pudicitiæ periculum, de quo est dictum. Æstivo tempore Corucense adiens prædium, cui per æstatem dominatur cælum noxium, perniciosam contraxit febrim; receptus in Collegium, exhalavit animam omnibus Ecclesiæ subsidiis optimè comparatam.

DIE XXIII.

P. Simon Martins.

EBoræ vitam finivit anno 1592. Natus Conimbricæ, habuit germanum fratrem Petrum Martinum Episcopum Japonensem, de quo fit memoria suo loco. Absolutis Philosophiæ studiis, amplexus Societatem Conimbricæ 5. Maji 1565. docuit Eboræ Theologiam Moralem. Quod essent illi partes omnes ad sacra pulpita, his eum applicuit Societas magno cum lucro animarum. Sex mensibus comitatus est Eborensem Archiepiscopum invisentem Oriquiensem agrum. Dum concionatur in templo cujusdam Monasterij, sic ip-

ipſis Monachis placuit, ut eum invitarent ad ſuum ineundum Ordinem, deſertâ Societate, dicentes, abundare Societatem Concionatoribus, Ordini ſuo nullos eſſe, vel admodùm raros. Videns Simon illorum importunitatem, & magnas pollicitationes, quid, ait, facietis mihi, ſi ad vos tranſiero? Reſponderunt, liberandum à Tyrocinio, conſtituendum Præſulem, & Concionatorem, fruiturum tranquillâ vitâ, & multis inſuper ornandum Privilegiis. Ad hæc Vir Dei ſubridens; Mei Reverendi Patres, inquit, cùm reliqui mundum, id fuit, ut pro meis peccatis agerem pœnitentiam, ut me mortificationibus cruciarem. Si de rebus hujuſmodi mihi plus offerretis, quàm habeo in Societate, ratio poſcebat, acceptarem. Verùm Privilegia indulgendi meo corpori, non arrident. His auditis præ pudore demiſerunt oculos. Conimbricæ ſeparavit fœminam ab incubo Dæmone; indignatus, quòd amaſiam ab ejus conſuetudine abſtraxiſſet, inſtar magni globi huc, illucque noctu volvebatur inter ſindones lecti, quo Simon jacebat, non ſine magnâ cubantis moleſtiâ. Id ſciens Georgius Rijus Collegii Miniſter, Vir ſolidiſſimæ virtutis, ambulabat noctu propè januam cubiculi, ut Simon in ſuo tormento caperet animos ſonitu pedum inambulantis. Ad mortem uſque laboravit cum decore Societatis, & vitæ magno exemplo.

DIE XXIV.

P. Joannes de Moura.

ULyſſipone oppetivit mortem glorioſam anno 1569. Natus in eâdem Urbe Parentibus illuſtriſſimis, Emmanuele Moura, & Eliſabetha Albuquertia. Sobrinus fuit Chriſtophori Mouræ Marchionis Caſtel-Rodriguenſis Philippo II. Regi acceptiſſimi. Conimbricæ Societatem amplexus 20. Maji 1555. Graſſante peſtilentiâ devovit ſe totum ſaluti proximorum. Piiſſimo dantem operam miniſterio corripuit lues pernicioſa. Vicinus morti, verbis intimo depromptis ſenſu alloquutus Crucifixum. Ter repetens has voces; *Domine, miſerere mei*, percutiebat pectus ſuum. Vice tertiâ, dum manum levat percuſſurus, tribus conjunctis digitis manſit in aëre, ſicque expiravit elatâ in altum manu.

P. Emmanuel de Sequeyra.

ULyſſipone in Domo Profeſſa vitâ defunctus anno 1595. Natus in oppido *Aguiar*, Provinciæ Tranſmontanæ. Claruit virtutibus, oratione, animarum zelo. His magnam conjunxit prudentiam ad gubernandum. Egit Eboræ Tyronum Magiſtrum, Rectorem Collegiorum Maderenſis, Bracharenſis, Eborenſis; Ulyſſipone Præpoſitum Domûs Profeſſæ, ac Vice-Provincialem. Anno 1570. poſuit initia Collegio Maderenſi, ubi hoſpites habuit Ignatium Azebedium, ejuſque Martyrum illuſtriſſimam cohortem. Cùm appulit prædictæ Inſulæ, miſe-

randum in modum erant corrupti hominum mores. Vir nobilis non reputabatur, qui domi non alebat concubinas. Diversi non erant à sæcularibus Sacerdotes, eò devenerant impudentiæ, ut filios recens natos è domo sua cum apparatu &comitatu ferrent ad lustrale Baptismi pilam. Concionante Emmanuele contra debacchantem vitiorum licentiam, mirabilis morum facta est mutatio. Vix ipsimet Insulani seipsos cognoscebant, adeò diversas induerant morum facies. Collegium capere non poterat confluentem ad expiandas conscientias numerum. Omnes libri profani ad Patres mittebantur, ut flammis traderent. Tantus ardor castigandi corpora insedit animis, ut plurimæ personæ vitam sustentarent ex faciendis, ac vendendis ciliciis. Sublatæ res furto suis dominis sunt restitutæ: Ludi, ac domus ipsis destinatæ in exilium missæ. Prædicationem Emmanuelis Deus aliquot successibus admirandis nobilitavit. Dum concionatur occasione precum ad impetrandam pluviam; affirmavit, domum non ituros, quin plueret. Evenit, uti dixit. Tritici penuriâ Insulam premente, nomine S. Jacobi Insulæ Patroni, promisit sequenti die venturam provisionem. Verba consolationis existimarunt auditores. Verùm die proximâ quatuor naves onustæ frumento jecerunt anchoras in portu. Bartholomæus de Martyribus Bracharensis Archipræsul Vir sanctissimus, magni fecit Emmanuelis virtutem. Volebat in subditis verborum & animi candorem, quem ipse præ se tulit semper. Omnibus benefaciebat, & plurimùm diligebat subditos animi benefici.

P. Eduardus de Mello.

IN Collegio Brigantino die sacrâ D. Bartholomæo ad Superos, ut piè credimus, migravit anno 1617. Editus in lucem Conimbricæ, ibique Societati conjunctus. Vir fuit plenus virtutibus, & scientiâ Theologiæ moralis, quam tradidit annis novem. Accuratissimè obeundis nostris ministeriis incubuit, præsertim audiendis Confessionibus vilissimæ plebis. Id in eo laudabilius, quòd esset natus amplâ domo, & parentibus magnæ nobilitatis. Cùm Præfectum agebat scholarum, ad ejus pedes animas scholastici per Confessionem expiabant; quod est non vulgare argumentum de illius sanctimonia. Magnam diei partem consumebat genuflexus ante SS. Eucharistiam. Post ejus mortem, Codex, ipsius manu conscriptus, est inventus, in quo exaraverat calamo spirituales commotiones & sensa, quæ Deus illi dederat die D. Bartholomæi anno 1611. usque in diem ejusdem Apostoli 1617. quo vitâ est functus. Id non sine Mysterio, qui legerunt, credidêre. Quamvis tenuis viribus, se quotidiè feriebat flagello. Cibi fuit abstinentissimus. Nec in opere, nec in verbo notata est vel ab oculatissimis noxa levis. Morbus ultimus nudavit in eo virtutes plurimas. Nihil ipso conformius cum Dei voluntate.

Nemo

Nemo vitæ magis contemptor. Nihil æquè atque modestiam, & honestatem curavit. Ne pedem nudaret ab alio curandum, & tangendum, diu texit tumore affectum: Sic amavit paupertatem, ut aliquot ante mortem diebus, jusserit reculas sui usus extra cubiculum ferri, ut omnibus humanis rebus obiret nudus, & spoliatus, adinstar sui Domini de Cruce pendentis. Per id tempus aures non applicabat nisi sermonibus de Deo, ab aliis avertebat. Ad ejus funus, & honorandas exequias factus est omnium Ordinum magnus concursus; nam ab omnibus suspiciebatur ut Vir plenus Deo.

Bartholomæus Alvres Coadjutor.

IN Domo Professa Ulyssiponensi vitam clausit anno 1614. Natus in urbe Portuensi. Societatem ingressus in Domicilio Tyronum, quod fuit in ipsa domo Ulyssiponensi, anno 1568. 16. Junii. Ultra annos 40. illic egit Valetudinarii Custodem admirabili charitate, semper lætus, & gaudens labore. Omnibus æquè consulebat. Deditus erat rerum cœlestium contemplationi, & audiendis Missæ Sacris. Sermone familiari intra leges sui gradus externos ad virtutem inclinabat. Ingens illius fuit cura in promovendo Divini cultûs nitore. Quæsitis ab eo eleemosynis facta sunt plurima Divorum simulacra, & magni pretii sacra supellex. Cùm post sumptam S. Eucharistiam infirmus vomeret, ipse in obsequium Domini genua flectens adlambit, ac glutit omnem vomitum. Sebastianus Moralius Japonensis Episcopus eum voluit itineris comitem, ut in Japonia Sacris initiaret. Verùm ille pluris faciens sui gradûs humilitatem, se tanto honore reputavit indignum.

DIE XXV.

P. Michael de Carvalho Martyr.

OMuræ apud Japones Martyrio illustratus anno 1624. Natus Bracharæ. Cùm scenæ drama in nostris scholis induceretur, egit Michael Isacum portantem humeris lignorum fascem ad Sacrificium. Eam personam sic expressit, ut spectatorum animos, & oculos præ omnibus in se converterit. Id habuit instar præsagii victimæ sui corporis, quod in holocaustum Deo suavissimum erat venturo tempore apud Japones cremandum. Conimbricæ dedit Societati nomen 30. Augusti 1597. inde missus ad Ulyssiponensem Tyronum Domum, quæ tunc erat in villa Suburbana *Campolide* dicta. Studebat Philosophiæ Conimbricæ, cùm ad Indiam navigavit anno 1602. Goæ absolvit scientiarum studia, ac docuit Theologiam magno nomine. In Japoniam eum sua vocabant desideria. Non paucis difficultatibus superatis, jam quadragenarius cum alio Societatis ad Japoniam vela solvit. Prope Sinensem oram navis Anglum pyratam fugiens impacta est terræ, perditis omnibus rebus præter vitam naufragantium. Terrestri iti-

nere, maximis incommodis pervenit Macaum. Metu commercium cum Japonibus amittendi non permittebant Macaenses, inde Præcones Evangelicos ad Japoniam transire; Igitur habitu militis sumpto Manilam contendit. Sub hâc dissimulatâ personâ cum aliis Lusitanis redeuntibus in Japoniam, unde venerant, appulit optato littori. Nangasachii hospitatus est in domo cujusdam Lusitani, sobrini sumptâ personâ. Superior nostrorum eum misit, ut perdisceret linguam, ad Amacusam, Insulam pauperrimam, & frigidissimam. In eo secessu exegit vitam cælesti propiorem, quàm humanæ. Sentiebat intus ardentissima desideria vitam pro Deo suo profundendi. Pergens Omuram, ut exciperet pœnitentium confessiones, agnitus est, & comprehensus ab Ethnicis. Depositus est in domo cujusdam Neophyti, ligatus ad cippum, additis excubiis, qui custodirent. Vigiles defecerant à fide, in quam illos reduxit Michael. Hæc acciderunt Mense Februario. Omurano in carcere unà cum aliis Religiosis Dominicanis, & Franciscanis durissima perpessus est. Verùm ipsas inter ærumnas tantam est expertus consolationem, ut miraretur; posset in patiendo tanta suavitas inveniri. Quas per id tempus de carcere dabat litteras ad nostros in ea Missione occultos, erant plenæ flammis cœlestibus, quibus ipse vehementer æstuabat, & incensis Martyrii desideriis. Dies, quibus mors differebatur, illi videbantur sæcula. Appetente tandem die optatissimâ, deductus est cum cæteris in campum *Foco* dictum. Ferebant singuli cruces manibus, canebant Hymnos & Psalmos. Eminebat in omnium vultu tanta lætitia, ut esset Ethnicis stupori, dictitantibus, eos pergere tanquam ad solemne Festum hilaritatibus plenum. Cùm fuerunt ligandi columnis ligneis, quas cruces manibus gestabant, inseruerunt cingulo. Leviter adstricti sunt, ac laxo nexu, ut applicito igne motu corporum incomposito, risum facerent spectanti populo. Michael columnam suam exosculatus. Ubi est ignis admotus, idem altiori voce incepit Orationem quandam pronuntiare, cæteris continuantibus. Postquam sunt incensa corpora, cineres collecti, ac longè à terra sparsi in mare. Idem factum est de cunctis rebus, quæ fuerant ipsis usui, ne Christiani receptas venerarentur.

DIE XXVI.

P. Antonius Correa.

De vivis abiit Bucellis prope Ulyssiponem anno 1569. Natus in urbe Portuensi. Theologiæ studebat Conimbricæ, cùm illic est ingressus Societatem 8. Julii 1553. Sacris initiatus 1548. Promulgatis anno 1553. nostris Constitutionibus, egit primum in hac Provincia Tyronum Magistrum Conimbricæ, deinde Ulyssipone in Domo Professâ. Propter singulares virtutes in id munus est electus,

ctus; docturus enim erat potiùs exemplo, quàm verbo. Quamvis esset valetudine affectâ, non parcebat rigoribus spontaneis. Primâ cujusque Mensis die, quam paupertatis sanctæ diem vocabat, nihil ipse, & Tyrones attingebant de cibis in culina paratis. Vescebantur solùm pane secundario, & pomis. Eos exercebat publicis mortificationibus, ut assuescerent proprio contemptui. Convehebant humeris è foro provisionem ab œconomo emptam. Ulyssipone, quòd Professa Domus sustentatur eleemosynis, si Tyro frangebat vitreum poculum, aut luteum aqualem, mittebatur petitum ostiatim aliud vasculum, aut pecuniam, ut emeretur. Cùm alii notarent hujusmodi exercitii crebritatem, dixissentque Domûs Præposito, ut illi modum poneret. Vocato, quid reliqui sentirent, aperuit, adjecitque: Ne, mi Pater, solùm jubeas, & tu cape saccum, comitare ad forum emptorem, & porta tuis humeris, quæ fuerint empta. Volebat Præpositus eum tantùm experiri, destinavit socium, qui ad januam egressuro diceret, rediret in cubiculum. Verùm Antonius dicto audiens exivit sine mora, & tulit humero saccum provisione plenum. Cùm enim janitor est monitus, ut exeuntem contineret, jam ille erat in urbe. Inter Sacrum faciendum visus est aliquot palmis à terra sublimis. Missus in domum paternam, ut convalesceret, majorem temporis partem terebat serviendo ægrotis Nosocomii, vel eorum expiando conscientias. Sapientissimus Doctor Ludovicus de Molina, unus è primis ipsius Tyronibus, hæc habet de Magistro suo: ,, De ,, P. Antonio Correa affirmare possum, eum fuisse de Viris, quos novi, perfectioribus, humilioribus, ,, contemptoribus mundi, ac sui persecutorem; & qui majori impetu, ,, fervore, & perseverantiâ viam perfectionis arripuit. De ipso ajebat ,, Thomas Rodericius, credere se ,, non posse, ipsum naturaliter vivere. Possum dicere unum ex illis ,, fuisse, qui magis oderunt in hoc ,, mundo animam suam juxta Christi ,, consilium. De ipso dici potest, quòd ,, jugiter in corpore suo pro Christi ,, nomine Crucis mortificationem ,, portavit. Hactenus Molina. Grassante pestis contagio, se obtulit, ut infectis auxilio esset. Non admissa est oblatio, quòd phthisi laboraret. Per id tempus jussu Majorum secessit in villam nobilis fœminæ nostris rebus ex animo benevolæ prope pagum *Bucellas*, ibi diem sanctissimè obivit.

Cosmus Vaz Coadjutor.

Ulyssipone morte defunctus invidendâ anno 1569. Natus in urbe Portuensi. Societatem iniit in Domo Professâ 20. Octob. 1566. Vagante pestilentiâ, comitabatur nostros Sacerdotes, qui miseris opem ferebant, tum dividendo escas, tum confessiones audiendo. Nonnullis de nostris, & ex Domo Professa, & ex Collegio peste contactis additus est Cosmus sani-

sanitatis curator. Quos ex Domo Professâ contagium afflaverat, deducti sunt ad Collegium, ibique erat omnibus commune valetudinarium. Cunctis erat assiduus. Luem contraxit, ac magno omnium detrimento, doloreque expiravit. Quidam è nostris scribens de illius obitu, hæc ait: *Mortuus est Frater Cosmus Vasaus Columen Valetudinarii Divi Antonii.*

Laurentius de Costa Scholasticus.

CONimbricæ vivendi annos explevit anno 1605. Natus Ramelæ, Diœcesis Guardiensis. Antequam adscriberetur Societati, deditus erat virtuti. Ut minimùm confitebatur, & accipiebat Panem sacrum singulis octo diebus. Jejunio transigebat Quadragesimam, & ejus dies Veneris pane solùm & aquâ victitans. Conimbricæ recitabat Coronam coram B. Virgine à Salvatore dictâ. Postquam iniit Societatem, auxit virtutum studia. Absoluto biennio, quòd nondum erat apud nos status Juniorum post Tyrocinium, migrans ad Collegium, eundem fervorem spiritûs conservavit. Quinque annis, quibus laboravit attritâ valetudine ob sanguinis vomitum, non est oblitus solita pietatis exercitia. Illius sermones de rebus Divinis erant: Æquè dilexit omnes. Nullius moribus obtrectavit. Putabat Dæmonis esse tentationem, si vitam à Deo postularet, propterea quod vita sic affecta Societati potiùs erat oneri, quàm utilitati. Die obitûs S. Patriarchæ nostri sensit extraordinaria Deum videndi desideria, quæ ad mortis diem semper creverunt magis atque magis. Ajebat nihil sibi nuntiari posse injucundius, quàm quòd esset mortem evasurus; Sæpè usurpabat illud Psalmographi: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Quamvis hujusmodi fervidis arderet moriendi desideriis, si quid injungebant faciendum valetudini conveniens, sine mora mandabat executioni, obedientiæ motus veneratione; luctabaturque adversus naturæ repugnantiam. Afflictationes valdè acerbas ferebat patientissimè. Semel dixit: Multi affirmant phthisicorum mortem suavem esse, verùm si reliquorum, ut mea, sunt; contrarium arbitror. Quatuor Deum rogabat, nimirùm in sufferendis molestiis cum ipsius voluntate conformitatem, patientiam, fortitudinem, & lætitiam. Deus illi omnes concessit. Ipsius anima tanta inundabat gaudio, ut præ risu & lætitia vix se caperet. Diuturno morbi decursu nihil egit sine magno virtutis exemplo. Tranquillissimè exhalavit spiritum postremum.

Antonius Joam Coadjutor.

CONimbricæ mortuus anno 1565. Natus in oppido *Figueyró*, Diœcesis Conimbricensis. An. 1619. 18. Mart. dedit nomen Societati Conimbricæ. Illius fuerunt curæ præcipuæ animam ornare virtutibus. Interrogatus, quomodo Religiosus Vir posset adipisci perfectionem, respondit, sibi videri perfectiorem illum, qui se totum dicabat

cabat obedientiæ nutui, Collegium non eligens, nec cubiculum, nec officium. Exiſtimabat ſe non fratrem in Domino cæterorum, ſed abjectum mancipium; Idcircò hoſpitum venientium ſarcinulas excipiebat ſuis humeris, atque importabat cubiculo. Jam ſenio attritus ſemper rogabat aliquid faciendum. In villa cùm petenti non annuebant, diſcurrebat per villam colligens humi delapſa poma, aliàs convehebat humero ligneum faſcem. Reperiebant in cella plerumque orationi deditum, vel piæ lectioni, flexis genibus. Ejus inceſſus & vultûs modeſtia erat hominis, cujus eſt mens affixa Deo, Diviniſque contemplationibus. Tantam pacem illi Cacodæmon invidens, è pergulæ laqueari ſuper tranſeuntis caput effudit aquæ lagenam. Intelligens Antonius, quis eſſet author tantæ impudentiæ, nihil eſt commotus, ut hâc patientiâ magis inimicum ſuum torqueret. Cùm Subminiſtrum agebat, diviſerat totum Collegium in quaſdam ſacras ſtationes adinſtar Paſſuum Chriſti Domini: has altâ nocte percurrebat flexis genibus, ad ſingulas peragens conſtitutas corporis afflictationes. Adeò perſpecta illius erat virtus, ut dixerit Collegii Rector, Deum multis bonis cumulare Conimbricenſe Collegium, quòd incolam haberet Antonium. Accumbens menſæ, non guſtabat eſcas delicatas. Ex aſſiduitate orandi flexis genibus, ſic illi tumuerunt genua, ut conjectura fuerit, inde mortem ejus duxiſſe originem. Plurimi actus litterarios facturi, commodatum ab eo petebant pallium, ſibi perſuadentes non defuturum optatum ſucceſſum propter Antonii merita. Nonnulli precibus ipſius recuperarunt ſanitatem. Vultu fuit adeò compoſitus & modeſtus, ut in ipſo emineret latens animi virtus. Quos ille Subminiſtrum agens deprehendit in regulis violandis defectus, ſincerè narrabat Superiori, nihil curans, injungeret, vel non injungeret pœnitentias. Poſtremis vitæ temporibus propter affectiones valetudinis miſſus eſt ad Suburbanam Villam, ibi tempus omne conſumebat orando, & obeundo alias precationes. Illic ægrotavit, deductus ad Collegium tertio morbi die de vivis receſſit. Illius corpus venerationis ergò à Sacerdotibus in ſepulturam eſt deportatum, cùm moris ſit, ut, qui ſunt ejuſdem gradûs, ſuos efferant.

DIE XXVII.

P. Antonius Machado.

IN Angola occubuit glorioſâ morte anno 1627. Natus in oppido *Villa-Real*, Diœceſis Bracharenſis. Conimbricæ amplexus Societatem 4. April. 1609. ætatis 15. Enixè rogavit in Angolam mitti. Egregiè laboravit, Deo ſpecialibus curis eum protegente: nam ad ipſius ceciderunt pedes Barbarorum ſagittæ, quin illi, ne leviter quidem nocerent. Pernicioſiſſima peſtis Æthiopes invaſit, necique dedit innumeros. Miſerorum calamita-

tibus

tibus succurrit Antonius, omnis oblitus periculi. Tandem eodem contactus morbo animam Deo restituit. Mens illi erat aperire viam ad Æthiopiam Abassinorum penetratis regnis, & gentibus, quæ interjacent utramque Æthiopiam. Frater Germanus fuit Francisci Machiadi Martyris.

DIE XXVIII.

P. Didacus Cisneyros.

Conimbricæ immortales auxit anno 1594. Natus Ulyssipone. Conimbricæ adjunctus Societati 21. Novemb. 1558. ætatis 25. Ejus ad Societatem vocatio magnam in Academia excitavit admirationem. Laureatus erat gradu Doctoris in Jure Pontificio. Nullus Academicus eum antecellebat ingenii præstantiâ. Professorem agebat sacrorum Canonum. Quo die illi commendavit Academia Cathedram Decreti, suos alloquutus Auditores, agens gratias propter benevolentiam, quâ fuerant erga ipsum usi. Illos est hortatus ad amorem virtutis, & indagandam rerum veritatem. Stupebant omnes, quorsum illa tenderent, ignorantes. Vix enim amici pauci, quid agitaret animo, cognoscebant. Nemini venit in mentem Didacum abjicere spem omnem adipiscendi honores, ac divitias opulentas, quæ præstantissimos, qualis ipse erat, comitantur, vel sequuntur. Vespertinis horis unico tantùm sociatus amico adivit nostrum Collegium, mansitque domi. Post exercitia S. Patris Ignatii culinæ ministeriis addictus plus ibi docuit exemplo, quàm doctrinis, & magisteriis docuerat in Academia. Cæteros vitæ annos incubuit nostri Instituti ministeriis. Tradidit Eboræ Moralem scientiam. Etiam Professor aliquot annis Romæ fuit. Illius erat præcipua cura, tegere virtutes suas. Maximè recreabatur lectione Librorum Ludovici Granatensis, qui pleni sunt virtutum succo, & spiritu cœlesti, quo eorum calebat Author. Socius, qui Cisnerio serviit postremo morbo, affirmavit se non vidisse hominem dolorum patientiorem, nec, qui magis occultaret acquisitas virtutes.

Gaspar Correa Coadjutor.

Ulyssipone numeratus est inter charitatis victimas anno 1569. Natus in oppido *Villa de Conde* Diœcesis Bracharensis. Conimbricæ se adjunxit Societati 2. Augusti 1566. Impensè rogavit, sibi concederent servire infectis peste. Factus voti compos, occubuit contractâ ex eo ministerio felici pernicie.

DIE XXIX.

P. Thomas Vaz.

In hac die, quod non occurrat, qui obiverit, adjungemus aliquos, quorum dies ignoratur. Macai prope Sinam deseruit mortalitatem. Natus Vianæ Diœcesis Eborensis. Ingressus Societatem Eboræ 6. Febr. 1646. Studio salvandi animas ad Indiam profectus. Laboravit annis plu-

plurimis in Cafraria juxta Coamam flumen. Goæ egit Patrem (ut vocant) proximi, quod munus commendatur viris insigni charitate conspicuis. Posteà missus est Macaum. Illud rexit Collegium, & totam Provinciam. Magno zelo navavit operam nostris ministeriis. Præter ordinarium tempus orationi destinatum, noctu plurimis horis indulgebat contemplationi coram Eucharistico Deo flexis genibus, aut terræ hærente vultu. Castigatio corporis admodum severa; nam dies omnes transegit jejunio. Dormiebat super nudam tabulam ligno capiti subjecto, ciliciis vexabat artus. Hujusmodi pia instrumenta erant diversi generis. Nec anni, nec morbis infirmæ vires coegerunt unquam secum mitiùs agere.

Patres Thomas Barreto, & Emmanuel Lameyra.

HI duo egregii vineæ Dominicæ operarii in India obierunt, anno, mense, ac die mihi non compertis. Thomas natus Eboræ, Emmanuël Estremotii. Uterque auspicatus Eboræ Tyrocinium. Flagrantes studio convertendi animas, relictâ patriâ, navigarunt ad Orientis vastissimas regiones, inde ad Æthiopiam, unà cum Gaspare Faes, & Hyacintho Francisco Societatis Martyribus. Duobus Mensibus detenti sunt à Turcis in oppido Masśúa, Æthiopiæ portu maritimô. Ex immodicis caloribus pellem mutarunt. Tandem Æthiopiam ingressi, navarunt diligentem operam reducendis Schismaticis. Cum Patriarcha Alphonso, rebus in deteriùs conversis, pulsi in exilium, & per summam injuriam traditi Turcis, apud quos omnia dura sunt perpessi. Pecuniâ redempti cæteram vitam transegerunt in India Apostolicis dediti ministeriis.

P. Antonius Fernandes.

DIi, quæ colonia est Lusitanorum in regno Cambayæ apud Indos, de vivis abiit. Natus Vianæ Diœcesis Eborensis. Societatem inivit Eboræ 11. Junii 1614. Ad Indiam vela solvit anno 1619. Per id tempus valdè florebat fides nostra inter Æthiopes vicinos mari Rubro. Illò navigavit Antonius. Iter plenum fuit laboribus, & vitæ periculis. Tandem eas ingressus regiones, naviter omnes applicuit curas reducendis schismaticis; Sequuntur enim dogmata Alexandrini Patriarchæ. Postquam res mutatæ sunt, novo sub Rege expulsus Patriarcha Alphonsus, unà cum cæteris operariis. Perpessi omnes quæque dura. E multis, qui sunt traditi Turcis cum Patriarcha, unus fuit Antonius. Voluerunt eum cum aliis immolare suo Mahumeti. Prævivit in Indiam, ut tractaret de pecuniis, quibus erant redimendi captivi. Dium pervenit tam extenuatus, ut vix retineret hominis figuram. Primus ille fuit, qui de his sanctis exulibus ivit ad Cælos meritorum Coronam accepturus.

DIE XXX.

P. Franciscus Fernandes.

ANgræ in Tertia-Insula vitam posuit inter egregios labores 1599. Natus in oppido *Trancozo*, Diœcesis Visensis. Erat jam Sacerdos, cùm se conjunxit Societati Eboræ 4. Junii, 1586. ut esset spiritualis Coadjutor. Crudescens Ulyssipone pestilentia, delata est ad Tertiam-Insulam, ubi voravit capitum supra 7000. Hanc auxit fames dirissima. Utrique malo obviam prodivit Franciscus, juvans affectos peste, & fame laborantes. Omnium est habitus communis Parens: dum consulit miseris, afflatus est eodem malo, quo cadebant ipsi. Voluerunt nostri ejus occultare mortem, sed celari non potuit, & populus ad testandum suum dolorem, quanquam id prohibitum esset, pulsavit sono lugubri campanas Templi maximi; Propterea confluxit ad funus honestandum innumera hominum multitudo, corpusque inter effusissimas lachrymas terræ mandatum.

P. Franciscus Marques.

DIi apud Indos anno 1639. attigit vitæ finem. Natus Bracharæ. Ulyssipone adjunctus Societati 13. Septemb. 1620. Enixè rogavit Alphonsum Mendesium Patriarcham, ut se ferret navigationis Æthiopicæ comitem. Anno 1623. cum Patriarcha petivit Æthiopiam. In eo regno vidit Ecclesiæ Romanæ felicitatem, & incrementa. Musices notitiâ multum illîc auxit Divini cultûs apparatum. Succedente in regno Faciladio bipedum pessimo, ejecti foras Evangelici præcones, ac deditì Turcis; apud quos Franciscus fuit assiduus Comes Patriarchæ, & sustinuit omnes crudelitates, quas præstringo, cum de Patriarcha fit mentio. Tandem magnâ summâ pecuniæ redempti sunt: Dio restitutus agebat Procuratorem rei Æthiopicæ mittens subsidia nostris, qui manserant occulti. Sæva pestis incolas Dii vexavit. Non sibi Franciscus pepercit in adjuvandis miseris. Adstitit morienti filiæ cujusdam viri nobilis, quam implicuerat febris adeo perniciabilis, ut omnes, qui domum illius sunt ingressi, & qui detulerunt feretrum, sint eâdem pernicie contacti. Ipsamet de vivis abstulit Franciscum, cujus mortem fleverunt non solùm Christiani, sed etiam Mauri, & urbis Ethnici.

DIE XXXI.

P. Andreas Freyre.

QUos refero hâc die, obivêre die mihi non cognitâ. In Ora Piscaria apud Indos pago *Mampalim* anno 1692. excessit è vita. Natus in Oppido Golegam Diœcesis Ulyssiponensis. Eboræ conjunctus Societati 15. Febr. 1644. ætatis 19. Motus studio animas convertendi, petivit Indiam anno 1652. In gloriosa Regni Madurensis missione annos supra triginta strenuissimè desudavit. De ipso

ipſo pulchrum extat teſtimonium Gaſparis Alphonſi Meliaporenſis Epiſcopi. Hæc ille de Andrea, *Ut ſubveniret*, inquit, *Chriſtianis, multa tu'it, æſtus, & frigora immodica, pluvias in itineribus, quæ fecit pedes, & excalceatus per ſaltus invios, dumeta, ac ſolitudines enectus ſiti, ac fame. Sæpe vinculis addictus, & crudeliter tortus eſt.* Hactenus Epiſcopus. Ipſius vita continua perſecutio fuit. Jogues ſectarum Magiſtri terribiles excitarunt adverſus ipſum perſecutiones modò per ſe, modò per Mahumetis cultores. Quod ipſos ſtupore complebat, erat cernere ſecuritatem animi, quam, ſibilantibus undequâque procellis, præ ſe ferebat, quâ fiduciâ adibat tribunalia ſe, ſuos ac doctrina ſuam defendens, erubeſcentibus adverſariis. Dixerunt contra ipſum quamplurima falſa teſtimonia, præſertim illi, qui Lingamum venerantur. Hi apud eas gentes inexpiabili odio perſequuntur Chriſtianos, eo quod caſtitatem colant, ac doceant. Sæpe cultores ſectarum inter ſe continuis jurgiis decertantes in unum conſpiraverunt, ut Andream, ejusque neophytos funditus perderent. Vertebant culpæ, quod fregiſſet Lingamum, & taurum lapideum, qui apud ipſos exiſtimatur equus Dei Xiveni. Propter hujusmodi crimina delatus ad tribunalia, ſic periculum omne contempſit, ut facilè appareret, nihil magis cupere, quàm poſtremum effundere ſpiritum cauſam ſuam agendo. In itineribus eum Deus eripuit periculis propemodum infinitis tum à feris, tum ab animantibus venenatis, tum à latronibus. Confirmavit Deus illius prædicationem infirmorum ſanitatibus Divinitus reſtitutis, & ejectis ex obſeſſorum corporibus dœmoniis. Præter aſſiduos labores muneris ſui, pertulit dolores calculi acerbiſſimos. Jam ſenem, & feſſum vocarunt Majores ad Oram Piſcariam, ut liber longis itineribus, quibus, anni, & vires impares erant, tranquillius exigeret ſenectutem. Quod eſſet exiguæ ſtaturæ, moribus candidis, & capite, ac barba canis operta, cæteri vocabant *Columbulam*. Sereniſſimus Luſitaniæ Rex eum deſignarat Cranganoris Archiepiſcopum, diplomata Pontificia pervenerunt ad Indiam poſt ejus obitum. P. Joannes Brito Martyr inſignis, qui illius confeſſiones excepit de toto vitæ curſu, affirmavit Andream nunquam lethali culpâ contaminatum, rogavitque ſibi dono dari ſcuticam, quâ innocens corpus verberavit. Vix poterant neophyti ab ejus avelli ſepulchro, ornabantque luminibus accenſis. Aliqui bibentes pulverem indè collectum, depulerunt morbos. Mortem contraxit ab audienda confeſſione neophyti morbo peſtilenti expirantis.

Aliqui Servientes peſte infectis.

ULyſſipone anno 1579. diebus mihi ignoratis perierunt ſerviendo contactis peſte: *P. Balthaſar Eſteves*, incola Domûs Profeſſæ: *P. Petrus Albu-*

quertius natus in urbe Portuenſi, qui venerat Eborâ ad piiſſimum obeundum miniſterium. *Georgius Fernandius* Coadjutor templi æditus. Ex animo precatus eſt, ut ſinerent ipſum manere in Collegio. Peſtem contraxit ex comercio cum infectis, qui ad templi cancellos poſtulabant Confeſſarium. *Franciſcus Alvarus* Coadjutor, unus è noſtris fuit, qui capti ſunt à Mauris poſt exitium Sebaſtiani Regis. Magno fervore infectis ſuccurrerat. Cùm lues putabatur abolita, tunc eâ perculſus interiit.

Patres Didacus Valente, Joannes de Rocha, & Gaſpar Alphonſus Epiſcopi.

DE his tribus Epiſcopis nihil præter nomina venit in manus meas. Cum tamen res ſit extra dubium eos micuiſſe egregiis virtutibus, cùm non ſoleat noſtra Societas ad ſacras Infulas nominare, niſi præſtantiſſimos. Eorum nomina huc adjungam, ut excitent alios ſcriptores, qui noverint, iterum res geſtas, ad ipſas luci publicæ commendandas.

P. Didacus Valente Epiſcopus Japonenſis natus Ulyſſipone parentibus Joanne de Fonſeca, & Beatrice Valente. Conimbricæ addictus Societati 10. Januar. 1584. ætatis 16. Ab anno penè ſexto agebat Præpoſitum Domûs Profeſſæ Villæviſſoſanæ, magnoperè gratus Ducibus Brigantinis, cum eſt electus Epiſcopus Japoniæ. Ad orientem navigavit anno 1618. Brigantiæ Dux liberaliter præbuit ſumptum ad viam. Mortuus eſt gubernans Sinenſem Eccleſiam.

P. Joannes de Rocha Hierapolis Epiſcopus natus Ulyſſipone. Conimbricæ theatro induxit tragœdiam, cum migravimus ad nova Gymnaſia, quæ modo ſunt uſui noſtris Præceptoribus. Profectus ad Indiam cum Patriarcha Alphonſo Mendeſio anno 1623. nondum initiatus Epiſcopus ob moram diplomatis Pontificii. Ea cæremonia peracta Goæ, ubi vixit, & mortuus eſt.

P. Gaſpar Alphonſus natus *Anſeris* Diœceſis Conimbricenſis, parentibus Alexio Alphonſo, & Cæcilia Madeyra. Conimbricæ adjunctus Societati 14. Julii 1641. ætatis 15. Migravit ad Indiam anno 1647. ubi navam dedit operam Eccleſiæ Chriſti augendæ. Poſteà venit in Europam Miſſionum Procurator, undè reverſus ad Indiam anno 1677. nominatus Antiſtes Meliapurenſis. Regens Eccleſiam ſuam, illic obivit ſanctiſſimè.

P. Didacus Rodrigues.

PErnambuci apud Braſilos vitam clauſit die, menſe, & anno mihi non compertis. Natus Eboræ; ibidem Tyrocinium inchoavit 18. Feb. 1556. Miſſus eſt ſecundus Rector Collegii Madeyrenſis anno 1577. Illìc concepit quatuor vota ſolemnia 27. Jan. ejuſdem anni. Præclara geſſit in noſtris miniſteriis. Concordes inter ſe reddidit comitem Caletæ Inſulæ ſumum Præfectum, & Epiſcopum magno Inſulæ bono. Anno 1592. contendit

juſſu

juſſu Majorum in Angolam, acturus noſtrorum Viſitatorem & Rectorem. Plurimùm ſuis laboribus & exemplis juvit Socios illìc ſtrenuè in animarum culturâ laborantes. Indè migravit ad Braſiliam cum munere Provincialis; id obivit annis non minùs novem plus regens exemplo, quàm verbo. Noſter Simon Vaſconcellius in Catalogo annexo vitæ P. Joannis Almeidæ de nominibus Virorum illuſtrium Braſilicæ Provinciæ, Didacum adjungit, laudatque amplis verbis.

PP. Hieronymus Rodrigues, Fernandus Cardim, Simon Pinheyro, & Raphael Carneyro.

Hieronymus, die & menſe ignoratis, migravit ad Cœlites an. 1631. Birigtibæ apud Braſilos. De illo noſter Vaſconcellius in vita Joannis Almeidæ Libro 2. cap. 4. hæc habet: „ Pater Hieronymus Rodericius nobilis genere, ſed nobilior virtutibus, quibus exornatus, & zelo ſalvationis Indorum, natus eſt in Diœceſi Lamecenſi. Adoptatus in Societatem Conimbricæ anno 1572. Adoleſcens adhuc exarſit zelo veniendi in has Braſiliæ regiones adjutum culturam vineæ Domini, quæ hìc ſe illi offerebat laborioſiorem. Appulſus huic terræ cœpit flagrare deſideriis lucrandi animas Indorũ. Ubi didicit linguam, ſe mancipavit Indorum utilitatibus, quos inter abſumpſit vitam omnem, eos juvando, inſtituendo, & curando illorum morbos, idque perfecit perſeverantiâ, charitate, & patientiâ mirabilibus. Quamvis in eo colluxerunt omnes virtutes Religioſæ, ſpecialiter eſt inſignitus obedientiâ ſinceriſſimâ, puritate, & paupertate. Continuus fuit in oratione, & commercio cum Deo ſuo, & in mortificatione exemplum omnibus. Ingreſſus loca mediterranea ad perducendos indè Barbaros, quos cicuraret. In pagis animas convertit innumeras. Imprimis fuit amiciſſimus, & Socius valdè charus Venerabili Viro Joſepho Anchietæ, de quo adhuc vivo tantam conceperat virtutis opinionem, ut ſervaverit res, quæ fuerant uſui tanto Viro. Undè, Joſepho mortuo, habuit in eis theſaurum. Vix ullus fuit humilitatis ſtudioſior, propterea Joſepho accidit magis gratus. Hic tantus Vir mortuus eſt anno 1631. in pago Birigtiba natus annos 80. Societatis numerans 59. Hactenus Vaſconcellius. In libro Tyrocinii Conimbricenſis hæc de illo ſunt: „ Hieronymus Rodericius, domo Lamecenſis, filius Gonſali de Valle, & Margaritæ Fernandiæ, admiſſus in Societatem 2. Jan. 1572. ætatis 20. An. 1575. profectus in Braſiliam, cùm ad eam regionem invecta eſt pro noſtris domibus magna copia Reliquiarum, quatuor crania 11000. Virginum, & pictura B. Virginis à D. Luca.

In Catalogo ſupradicto, in quo virorum illuſtrium ponit nuda nomina Vaſconcellius, recenſet nonnullos

nullos ab hac educatos Provinciâ. Quæ de illis mihi comperta ſunt huc adjungo, cætera ſuis Chronicis in lucem proferent Reverendi Patres ejus Provinciæ, qui eorum fuerunt ditati exemplis.

Primus ſit P. Doctor Ignatius Toloſa in Caſtella natus mundo, ſed Societati in Luſitania. Ejus ſpiritus nutritus eſt ſub magiſterio Sanctiſſimi herois Ignatii Azevedii Rectorem agentis Collegii Bracharenſis, ut ex manuſcripto Toloſæ refero in Azevedii vita. Martyri facto Azevedio, qui Provincialis ibat ad Braſiliam, ſucceſſit in munere Toloſa dignus Magiſtro Diſcipulis, & Succeſſor. Contendit in Braſiliam anno 1572.

P. Fernandus Cardimius vir ex ſobole ſanctorum duos habuit in Societate fratres, & tres ſobrinos, quorum unus fuit Joannes Cardimius vir heroicæ ſanctitatis. Natus Vianæ Diœceſis Eborenſis. Iniit Eboræ Societatem. Studio ſalvandi animas perrexit in Braſiliam anno 1582. Poſt annos 19. rediit in Europam ſuæ Provinciæ tranſacturus negotia. Dum revertitur anno 1601. cum Viſitatore Joanne Madureyra, capitur navis à piratis Anglis. Mortuo in mari Madureyra, Fernandus defertur in Angliam. Poſt multorum laborum tædia redditus Luſitaniæ, capeſſit iter Braſilicum anno 1604. Egit illic Provincialem, & Sociis præluxit multis virtutum exemplis.

P. Simon Pineyrius contendit in Braſiliam anno 1591. de illo hæc habet codex ingreſſuum tyrocinii Conimbricenſis: *Simon Pineyrius natus in Oppido Villa de Milho prope Averium, Societati addictus 21. Jan. 1582. Parentes illi Antonius Pineyrius, & Hieronyma de Mariz.* Inter Socios Braſiliæ micuit non pœnitendis exemplis; eos rexit Provincialis.

P. Raphael Carnerius Luſitanus jam quatuor vota profeſſus, valedixit patriæ, ſe totum conſecrans Indorum Braſilienſium æternæ ſaluti. Illò navigavit anno 1595. Nactus ſpatium amplum ſatiando zelo, diligentiſſimè obivit Evangelicum operarium.

P. Balthaſar de Sa.

IN navigatione ad Indiam mortales reliquit anno 1650. Natus Ulyſſipone parentibus valdè illuſtribus; dicebantur Franciſcus de Sa Meneſius, & Domna Antonia Leytamia. Præclarus ingenio, abſolverat ſtudia Philoſophiæ, & Matheſis ætatis 20. cum pingue patrimonium, ſeu, ut vocant, Majoratum paternæ domûs ſprevit, ut ſe totum Deo traderet. Igitur Ulyſſipone ſe adjunxit Societati 7. Junii 1635. Floruit inſignibus naturæ dotibus, quas omnes Deo voluit ſacrare, ethnicos convertendo ad Fidem. Hujusmodi flammatus deſideriis iter Indicum eſt aggreſſus, ſed placuit Deo, eum ad ſe vocare in medio curſu die mihi non comperta. De ipſo Corographia Luſitana hæc habet Tom. 3. pag. 180. „ Balthaſar de Sa Mene-

„ Menesius, filius Francisci de Sa Menesii, ac Domnæ Antoniæ Leytamiæ reliquit domum suorum Parentum, ac se contulit in Societatem Jesu. Fuit unus è viris magnis litteraturâ sui temporis. Contendit ad Indiam studio patiendi martyrium. In ipsa navigatione mortuus est cum opinione magnæ virtutis.

P. Emmanuel Pinheyro.

OBivit Goæ; quantum conjicitur propè annum 1618. Natus in urbe *Pontadelgada* Insulæ S. Michaelis, quæ maxima est Tertiarum ditionis Lusitanæ in Oceano. Addixit se nostræ Societati in domicilio Tyronum Domûs Professæ Ulyssiponensis 8. Martii 1573. Studio lucrandi animas ad Indiam profectus anno 1591. Paulò pòst anno 1594. una cum Patre Hieronymo Xaverio consanguineo S. Francisci Xaverii adivit Regiam urbem Mogorum ad fidem propagandam; Ibi strenuam adjecit operam excolendæ Domini vineæ. Innumeris periculis vitam obtulit ad Christianos negotiationis causâ illic degentes continendos in Fide, & bonis moribus. Semel parum abfuit à sustinendâ morte, quod noluerit assentiri Christiano Armeno multum pollenti apud Regem, & conanti Patrum consensu transire ad secundas nuptias vivente primâ uxore. Cum domi suæ habuisset juvenem, ut apparebat, amantem virtutis, à latronibus immissum; is virulento semine sic omnes escas contaminavit, ut Patre, ac domesticis, qui comederant, profundo lethargo mersis, ædes admissi prædones diripuerint. Vitæ tantum dormientium pepercerunt. Vitavit insidias Mahumetanorum, quos disputando convicerat, & affecerat rubore. Anno 1607. Rex Mogorum Legationem misit ad Indiæ Lusitanum Proregem, voluit Emmanuelem Legati Socium, & negotii suscipiendi, & transigendi participem. Perveniens in Cambayam, cum res novatas comperisset, ibi relicto Mogorensi Legato, Emmanuel Goam contendit. Inde ad Legatum remissus amplâ cum potestate de bello, ac pace decernendi. Legatus cum mandatis ad Regem suum profectus commisit cunctam legationem Emmanueli. Goam igitur rediens, magnâ pompâ, qualis decebat tanti Regis Legatum, acceptus est à Lusitano Prorege. Eum honorem Viro Dei non recusante, ob majus suæ missionis bonum. Rebus ex voto confectis, missioni suæ restitutus per aliquot annos solitam impendit operam rei Christianæ promovendæ. Tandem ingravescente ætate in Goanam Domum Professam receptus, ibidem quievit tranqillâ in pace, & onustus meritis ad non peritura præmia convolavit. Erat Coadjutor spiritualis formatus.

PP. Arias de Sousa, & Antonius de Saldanha.

DE his Religiosissimis Heroibus præter nomina, & profectionem Indi-

Indicam ad salvandas animas nihil aliud hactenus reperire potui. Cùm fuerint sanguine illustrissimi, procul dubio ille spiritus adornatus erat magnis virtutibus. Arias Sousa, natus Scalabæ, Diœcesis Ulyssiponensis, quæ Decembri 1716. divisa est in duplicem Diœcesim, nimirùm Ulyssiponis Occidentalis, cum Titulo Patriarchæ, erecto Regio sacello in templum primarium Patriarchale, id curante Serenissimo Rege Joanne V. ad sui sacelli Regalis augendam Majestatem, ac Divinum cultum, & Ulyssiponis Orientalis, quæ spectat ad antiquam Diœcesim. Arias parentes habuit è prima nobilitate Franciscum Sousam, & Philippam Henriquiam, nepos ex patre, vel matre nostri Michaelis Sousæ, de quo suo loco mentio fit. Conjunctus Societati Conimbricæ 22. Feb. 1571. ætatis 26. Apud nos vixit magno exemplo. Agebat Eborensis Collegii Prorectorem, cùm valedixit patriæ, & in Indiam profectus ad salvandas animas. P. Antonius Saldania natus Portalegriæ, parentibus è prima Regni nobilitate Ludovico Saldania, & Maria Sylvia. Avi paterni fuerunt Joannes Saldania, & Eleonora Menesia. Materni Antonius Gama, & Elisabetha Sylvia soror Roderici de Cunea, Archiepiscopi Ulyssiponensis. Antonius Conimbricæ studuerat anno uno Philosophiæ, & quinque Juri Pontificio, agens Convictorem Collegii Academici à D. Petro. Sequebatur militiam obiens equitum ductorem. Ætatis 31. caducarum rerum considerans vanitatem, addixit se nostræ Societati Ulyssipone 24. Decembr. 1550. Transegit Tyrocinium sanctissimis exemplis. Posteà studiorum causâ missus Conimbricam, omnem Academiam, ubi erat notissimus, inspersit suarum virtutum odore; dum in urbem prodit cum Alphonso Castillio, Philosophiæ Magistro ad colligendam eleemosynam in cophino ad carcerem ferendam, stipem rogavit in Collegio D. Petri, ubi olim convictor fuerat; deindè petivit ab Emmanuele Saldania Academiæ Rectore, qui præbuit non sine lachrymis præ devotione effusis, adjecitque spem sibi esse finiendi vitam, stipem ostiatim petendo propter Deum. Studio vires omnes insumendi perditas animas restituendo Creatori suo, ad Orientis Indos navigavit anno 1556. De ipso fit mentio in Chronicis Canonicorum Regularium de S. Cruce, lib. 10. cap. 1. num. 18.

P. Joannes de Mesquita.

Apud Orientis Indos die, mense & anno mihi ignotis, rebus humanis est exemptus, plenus & ornatus meritis ingentibus. Exortus est in Oppido *Ansians* Diœcesis Bracharensis. Inchoavit tyrocinium Conimbricæ 10. Junii 1549. Professionem quatuor votorum emisit 28. Martii 1556. Unus fuit è tredecim Professis, quos hæc numeravit Provincia, vivente S. Ignatio. Eodem anno navem ad Indiam conscendit unà cum

Pa-

Patriarcha Joanne Nunio. Inter eas gentes egregiam impendit operam Sementi Evangelico. Plurimum profuit Lusitanis, & neophytis in arce Diensi. Nusquam diligentiùs incubuit Evangelio promovendo, quàm ad Promontorium Comorinum unâ cum Apostolico viro Henrico Henricio. Dio regressus duobus annis substitit Punicali in Ora Commorinensi æquè gratus Lusitanis, ac indigenis. Inde Goam vocatus ad explicandam Dialecticam. Sed visum est id magisterium animarum conversioni posthabendum: propterea rediit Punicale. Illic cum Henricio agitabat de transferendis illis Christianis ad stationem magis tutam ab incursionibusBadagarum. MenseAugusto, rebus jam compositis, ad migrandum cum neophytis ad Manariam Insulam, adsunt armati Badagæ. Erat Mesquita cum Henricio, & aliquot Lusitanis in lembo jam jam de littore soluturus. Cum præ nimio onere ægrè posset lembus expediri, incurrunt Badagæ. Henricus ad aliam ripam nando evasit, hujus artis Mesquita inscius, aliis, atque aliis vulneribus sauciatus capitur, simul cum Lusitano Præfecto, & aliis Lusitanis. Cùm jam esset conventum de redemptione: dimissis cæteris ad mittendam pecuniam, tenetur Mesquita pro obside. Indignatus Tyrannus, quod non statim repræsentaretur tota pecunia, Mesquitæ necem minitans, tenet in arctissimâ custodiâ. Totum onerat ferro; è collo ad pedes adeò brevis pendebat catena, ut noctes, ac dies transigeret incurvus, ac velut conglomeratus. Verum præ viri nimiâ debilitate metuens tyrannus, ne, illo moriente, lucrum perderet, levare jussit catenas, at indui compedes. Adolescens Christianus nomine Michael tyrannum illusit. Pecuniâ corrupit custodem, ut specie tenus compedes adstringeret, & negligenter obsepiret aditus. Altâ nocte custodiis somno, vinoque mersis, vinctum solvit. Cum eo per calles ignotos, interdiu latendo in speluncis, ac dumetis, noctu festinando littus petivit. Erant omnia septa periculis, venatici canes huc illuc à tyranno missi fugienti prædæ captandæ. Vix possunt explicari, quæ diebus septem, ac totidem noctibus sit perpessus in regione hostili. Tandem magis ope Divinâ, quàm humanâ pervenit semimortuus ad littora, ubi à Christianis in scapham est receptus. Multa alia dura instans Evangelicis operibus sustinuit, quin frangerent assidui labores; his potius fiebat animosior. Dignissimus profectò, qui in cælo augeat ejus vineæ cultores egregios, diem sanctissimè obivit.

Ludovicus Segurado Scholasticus.

ULyssipone in Domo Professa, ad Cælites conscendit anno 1561. Editus in lucem Eboræ. In dicendo de suggestu tam pulchro fulsit talento, sive actione, ut eum audiens, & admirans venerabilis vir Bartho-

lomæus de Martyribus, inter gratulandum illi dixerit, peccaturum peccatum grande, nisi se dicaret alicui sacræ familiæ, ut in pulpitis Deo inserviret. Non displicuit adolescenti tanti viri monitio; ideoque Eboræ conjunctus Societati 23. Maii 1555. de illo in sua Historia hæc habet noster Sacchinus: „ Seguratus Eborâ „ Ulyssiponem valetudinis causâ, „ quod sanguinem excrearat, missus, ibi decessit, die obitus sui prædicto. Quo instante, rogavit, ut „ lectulus sibi sacris Christi, ac Deiparæ (cui addictissimus erat) imaginibus undique circumdaretur: „ eaque re impetratâ, quasi inter „ sanctissimas manus Matris, ac Filii lenissimè expiravit, 18. annorum adolescens: qui cum donis „ humanis, divinisque cumulatus „ permulta haberet invidenda, innocentia tamen morum effecerat, „ ut observaretur, & amaretur ab „ omnibus, non domesticis modo, „ quod facilè erat, sed etiam alienis. Hactenus Sacchinus. Noster Alvarus Lobo eum in Sanfinensi Residentia obiisse reliquit scriptum.

P. Andreas de Cabrera.

IN Molucis Insulis vitâ perfunctus anno 1571. Exortus est in Oppido Villanova ab itinere Diœcesis Hispalensis. Conimbricæ se nostræ conjunxit militiæ 29. Febr. 1559. Compulsus votis ardentibus animas gignendi Creatori suo, ad Indiam est profectus anno 1563. Cætera quæ de illo novi, dicam nostri Sacchini verbis in 3. Historiæ, libro 7. ubi hæc ad litteram: „ Andreas utraque & „ naturæ, & religionis ætate major, simul ac Societatem oratione amici cognovit, sic adamavit; „ ut cum primum Hispalim invecta „ est (Bæticus enim erat) ad eam „ se jam sacerdos aggregaret: plurimas Deo gratias agens, quod „ ordinem talem suis temporibus „ edidisset in lucem. Neque enim „ aliter se Religiosum futurum fuisse: continuóque receptus a Borgia, & in Lusitaniam missus, annos complures Grammaticam docuit, non gravatè in eo labore „ vitâ perfuncturus. Sed tandem in „ Indiam, ultraque posteà in Molucum, obedientiâ duce, profectus „ cæteris recte factis coronam imposuit.

P. Ludovicus de Mesquita.

BAhiæ apud Brasilos piissimè de vivis abivit. Patriam in terris habuit pagum *Baldigem*, Diœcesis Lamecensis. Societati nomen dedit Conimbricæ 20. Martii, 1566. ætatis 21. Motus ferventi studio ethnicos Americæ convertendi ad suum Creatorem, eò fecit vela anno 1575. Reliquam de ipso mentionem, in medium proferam verbis Sacchini, Historiæ generalis parte 4. libr. 2. num. 122. „ Ludovicus Mesquita, inquit Sacchinus, qui ex Lusitania cum duobus Fratribus Emmanuele Dias, & „ Joanne Solonia advectus, ex navi-

„ ga-

" gationis ærumnis causam mortis
" traxit. Visum est Divino factum
" consilio ad hominis declarandam
" virtutem, ut relictus per oblivio-
" nem in navi, quâ advenerat, libel-
" lus nequaquam periret. Bis ea na-
" vis in Insulam D. Thomæ intento
" cursu è Brasilia solverat, bis velis
" tempestate interclusis retorserat,
" cùm ad manus venit cujusdam nau-
" tæ libellus incomptus, & obsoletus;
" eoque ad Collegium delato pridiè
" quàm P. Mesquita expiraret, navis
" deindè prosperè tenuit cursum. In
" eo libello reperta est cuncta ejus
" expressa vita, multæque & insignes
" perfectæ virtutis exercitationes.
" Inter cætera dialogus legebatur, in
" quo Angelus Custos docet Reli-
" giosum de Societate, in quo sita sit
" Societatis perfectio, & quâ ratione
" possit se ejus filium præstare. Multa
" etiam legebantur vota, quæ con-
" suetis addiderat, & illud maximè:
" Siquando eveniret, ut potestas sibi
" fieret à summo Pontifice ad alium
" quemvis religiosum ordinem tran-
" seundi, se ei beneficio penitùs re-
" nunciaturum: sique Societas vel-
" let expellere, tamen in ea vitam,
" saltem tanquam unum ex famulis,
" finiturum.

P. Michael Botelho.

ANno 1576. in Italia contigit extremam vitæ metam. Natione Lusitanus. Conimbricæ Societatem amplexus 27. Jan. 1544. Non multò pòst missus ad Italiam, ubi ad vitæ finem egregiè in nostris ministeriis impendit operam. De illo Sacchinus 4. parte Historiæ hæc refert: " Tarvisii
" per Quadragesimam Michael Bo-
" tellius magno successu Divinum
" verbum promulgabat: Cùm occu-
" patus morbo ægram relinquens ci-
" vitatem, ac suarum virtutum odo-
" re perfusam, tanquam in acie ca-
" dens, ad laborum præmia evola-
" vit. Vir laudatæ vitæ, facundiæ,
" prudentiæque, quam in regendis
" haud semel Collegiis prompsit. Na-
" tione Lusitanus. Unum & quinqua-
" gesimum ætatis, tertium circiter,
" ac trigesimum Religiosæ vitæ an-
num decurrens. Ulyssipone ingressus, sed in Italiam statim vocatus.

SEPTEMBER.

DIE I.

P. Antonius Mascarenhas.

VLyssipone in Domo Professâ senectute invidendâ consumptus est. Editus in lucem Montemajore novo, Diœcesis Eborensis Parentes habuit illustrissimos Vascum Mascarenium, & Mariam Mendozam, a primariis Regni familiis: De trib è illus

illius Fratribus fit mentio suis locis. Ejus amita, sub cujus tutela crescebat, solita est illi dicere, si fratrum suorum hæreret vestigiis amplectendo Societatem, tantam à se concipiendam lætitiam, ut, vel mortua si foret, resurgeret. Non defuit amitæ piis desideriis. Navabat operam rudimentis Grammaticæ in septimo Eborensis Academiæ Gymnasio; cum die Purificationis, explens 15. ætatis annos, ad januam Collegii accessit, dicens: se non rediturum paternam domum. Sic institit, ut illius fuerit satisfaciendum votis anno 1578. Apud nos studuit latinis litteris, & scientiis necessariis gradui Professorum. Posteà ob insignem virtutem, &prudentiam penè semper obivit Religionis Magistratus. Egit Eboræ, ante Professionem quatuor votorum, Magistrum Tyronum. Nuncupavit vota solemnia 25. Febr. 1596. Sequenti anno constitutus est Rector Tyronum Ulyssipone in villa de *Campolide* Anno 1601. 3. Maji cœpit esse Rector Collegii Conimbricensis. Societatis anno 24. Februarii 26. 1604. resignatus est primùm Provincialis, Societatis anno 27. In sexta generali Congregatione electus est Assistens, id obivit munus ad annum 1615. Redditus Lusitaniæ, egit Ulyssipone Præpositum Domûs Professæ. Posteà secundùm creatus est Provincialis; deindè Visitator fuit tribus, aut quatuor annis. Iterùm factus Rector Conimbricensis. Bis Vice-Præpositus fuit Domûs Ulyssiponensis, quater Vice-Provincialis occasione trium Provincialium, qui mortui sunt, & unius, qui ægrè mortem evasit. Postremùm declaratus Provincialis, sed brevi se excusavit, quòd jam non esset ferendo labori. Omnes hi honores in eum collati propter insignem virtutem, & prudentiam conjunctas cum insigni nobilitate. In tot muneribus ac magistratibus, quod attinet ad regularem observantiam, semper est visus Tyro. Faciens itinera nihil omittebat de consuetis virtutũ exercitiis. Visitans Quæsitorem Generalem fratrem suum semper habuit Socium in conspectu. Omnium una vox erat illius vitam per regulas Instituti componendam, quod ab eis, ne latum quidem unguem, ut ajunt, discederet. Si quid escarum delicatius ad ipsum mittebatur, jubebat dividi cæteris in triclinio. Singularitates odio semper habuit. Iens Romam, indeque veniens quotidiè fecit Missæ Sacrum. Quibuscunque urgeretur negotiis, nunquam minuit tempora destinata spiritualibus exercitiis. Imò pertractans negotia, si datum est campanæ signum, illa sine morâ relinquebat, ut oraret, vel excuteret conscientiam. Divina fuit ipsius modestia. Quidquid S. Parens Ignatius de hac virtute scripsit, in se expressit. Eum intueri, & modestiæ normas id ipsum erat. Cùm primùm factus Provincialis, ajebant, id mereri solùm propter raram modestiam, quamvis provectæ non esset ætatis, nec annos Societatis pro tanto munere recenseret. Liberalis fuit erga indi-

indigentes. Cùm dicebat janitor eleemosynam peti, vel nominabat, quæ peterentur, illius unicum erat responsum: *Si est, detur.* Non curavit injurias sibi illatas. Jam ipsius viscera, parentis omninò erant erga omnes; Proptereà consolabatur singulos. Verba detrahentia honori alieno nec ipse dixit, nec passus est dici se præsente. Cùm subditus erat, nemo illo circumspectior, & exactior in habendis facultatibus ad aliquid pro suo usu petendum. Nunquam extra domum cibos cepit, nec, ut haberet in cubiculo aliquid è cupediis ad se missis à consanguineis, suaderi potuit. Assistens Quæsitori Generali fratri suo morti vicino, domum ibat prandium accepturus; quamvis erat alieni commodi, præsertim ægrotantium, valdè studiosus, proprii incuriosus supra modum fuit. Ad postremos usque annos quotidiè castigavit flagello corpus. Non deerat in triclinio, cùm de more nostro alii scuticâ cædebant tergum; nec ullis rationibus adductus est, ut in ultima senectute ab eo rigore abstineret. Manè de lecto semper diligentissimè surrexit. Nulla avitæ nobilitatis in eo apparebant signa. Magna illi mens ad comprehendenda quæque negotia; uno, vel altero verbo solvebat negotiorum intricatas difficultates. Licèt ipsius firma de rebus erat sententia, non ideò aliorum anteponebat sententiis. Si erravit, planè confessus est errorem suum. Cùm exigebat rationem à subditis etiam minoris ætatis, jubebat sedere, & caput tegere, nec aliud permisit. Renitenti dixit: Esto, erimus ambo flexis genibus. Concedens facultates, ne petentis proderet defectus, sæpè dissimulabat scire, quorsum tenderet petitio. De ipso circumferebatur, neminem fuisse superiorem magis liberum querelis, neminem subditum majoris exempli. Postremo laborans morbo cœpit angi maximo timore propter rationem Deo reddendam. Interrogatus, cur sic affligebatur? respondit: *Tot annis fui Superior, mihi affert anxietatem, an me aliquando indulgentiorem æquò habuerim.* Cum dixissent, ipsum potiùs fuisse stricti juris, respondit: *Non angor, quod strinxerim, sed quod dissimulavi.* Tandem ille fuit ex hominibus consummatæ virtutis, quos habuit nostra Societas. Hæc opinio tenuit omnes, qui eum noverunt. Patri Nonio de Cunea referenti illius obitum per litteras Alphonso Mendesio Patriarchæ viventi Goæ, & simul condolenti de mœrore concipiendo talibus litteris; respondit Alphonsus: „ Accipio „ consolationem in tristitia ob mortem nostri boni Patris Antonii „ Mascarenii. Recordor, quod ait „ S. Ambrosius de simili morte: Quid faciet chorus juvenum destitutus muro senili? „ Magnum amissimus columen in ejus trunco; „ nam erat velut Pompejus, de quo Lucanus ait: Trunco, non frondibus efficit umbram: „ quod jam „ illi ciderint folia propter ætatem, & sit nudus truncus. Hæc Al-

Alphonsus. Illius vitam magnis abundantem rebus typis vulgavi in opere de Novitiatu Eborensi.

P. Antonius Dias.

In Collegio Insulæ à S. Michaele anno 1681. finiit vitam. Natus in Oppido *Niza* Diœcesis Portalegrensis. Eboræ studuit Philosophiæ, & quæstionibus de conscientia, Salmanticæ Juri Pontificio. Redditus Lusitaniæ, sacris est initiatus. Quod esset virtutis amans, & consanguineus Cantoris maximi in urbe Portalegrensi, Episcopus Joannes Mendesius Tavora præfecit Rectorem convictoribus Seminarii. Volebat patruus illum sibi successorem in Cantoris maximi dignitate. Verùm Antonio minimè placuit mundo, ejusq; honoribus servire. Rogavit B. Virginem, Filium suum precaretur, ut sibi significaret, cui sacræ familiæ se vellet addici. Tantum precibus institit, ut motus altiori instinctu cognoverit Dei voluntatem esse amplecti Societatem. Non distulit motus illius suasionem. Ulyssipone 9. April. 1639. ætatis 27. ingressus Societatem. Ut se in perfectionis via stimularet, sibi crebrò dicebat: *Antoni, ad quid venisti?* Nuncupatis biennii votis, missus est ad Insulam à S. Michaele, ubi reliquos annos transegit, modo agens Procuratorem, modo Collegii Ministrum, succurrens miseris, vel detentis in carcere, vel calamitate oppressis. Ad ipsum confessiones audientem tantus fiebat concursus, ut horas non solùm matutinas, sed etiam vespertinas pœnitentes expiando consumpserit. Corpus suum vexabat jejuniis, aliisque castigationibus. Detrahebat de victu suo partem, quam, habitâ facultate, largiebatur pauperibus. Adventum Domini jejunio transiens, acceptabat escas illatas mensæ, de quibus parùm carpebat, reliqua servabat egenis dividenda. Post mortem, ejus tergum est inventum lividis seminatum maculis flagello factis. Capiebat quietem cinctus aspero cilicio. Ipsius deliciæ fuerunt divinarum rerum contemplationes. Orabat semper flexis genibus. Visus est à terra in aere sublimis. Postquam defectu oculorum nequivit sacrum facere, audiebat sacra quamplurima. Cum non posset propter cæcitatem satisfacere obligationibus impositis celebranti, obsecratus est, ut se in triclinio nominarent ad recitandas Coronas B. Virginis, ut fit cum Sociis non Sacerdotibus; diu jacuit in lecto contractis nervis, propterea exulceratum est corpus, & ægrotati duplicata molestia. Ferebat patientissimè. Post ipsius obitum, de rebus ejus reliquias & externi, & nostri acceperunt.

DIE II

Emmanuel Henriques Coadjutor.

In Residentia B. Virginis à Lapa Diœcesis Lamecensis anno 1654.

ſanctiſſimæ vitæ finem poſuit. Natus in pago *Nogueyra* agri Conimbricenſis: Incumbens litterarum ſtudiis Conimbricæ, rixans cum alio ſuæ ætatis pugione eum lethaliter percuſſit. Ob id crimen patriam deſeruit, tandem ſubſtitit Hiſpali in Bætica. Naturâ ſuâ propenſus fuit ad pingendi artem. Idcircò pactus eſt, ut eam artem diſceret, cum pictore, cui multum placuit, ob præſtantem indolem. Memor ſui delicti cupiebat vehementer, deſerto mundo, ſe mancipare alicui Sacræ Familiæ. Conſilium ſuum communicavit cum noſtro Alphonſo Rodericio, quem libri de re aſcetica reddidere præclariſſimum. Applicuit animum Religioni Benedictinæ, libenter eum Monachi acceptaverunt. Ut prævia de ſanguine legitima offerret teſtimonia, redivit Conimbricam. Ne comprehenderetur ab juſtitiæ Miniſtris, receptus in noſtrum Collegium exercebat artem ſuam. Quamvis noſtri videntes illius bonam indolem, & ex arte utilitatem, conarentur ejus mutare ſententiam, ut Societati potiùs adſcriberetur; perſiſtebat in propoſito. Fortè illac tranſiens venerabilis vir Didacus Monteyrus, ad illum hæc unica effudit verba: *Domine, Henriquie, nobiſcum mane.* Inſtar ſagittæ penetrarunt Emmanuelis cor, & mutatus dixit, velle ſe amplecti Societatem. Scriptum eſt Romam, ut tolleretur obex ex homicidio, cum indè non annueretur petitioni duobus annis, quin Emmanuel moræ cauſam intelligeret; laboratum eſt, donec obtenta facultas, quod circumſtantiæ criminis locabant extra rigorem noſtrarum conſtitutionum, quæ reddunt homicidas omninò inutiles ad emittenda vota noſtræ Societatis. Conimbricæ 7. Novemb. 1618. inivit Societatem. Decurſus Religioſæ vitæ in dies auxit in eo virtutes. Magnâ uſus eſt victûs parſimoniâ: Sæpè victitabat ſolo cortice, ſeu cruſta panis, cujus medulla tergebat lapides coloribus oleo tritis inunctos. Nunquam adduci potuit, ut ientaculum ſumeret ex culina, quamquam hujus offæ genus illi concederetur. Paupertatis amantiſſimum probarunt omnia, quibus in ſuum commodum eſt uſus. Habebat lanea femoralia, numerabantur in eis præter innumeros minores centones, ultra 150. majores. His utebatur diebus feſtis. Alia, quibus eſt uſus per hebdomadem, nihil erant, niſi cumulus centonum. Cum de noſtris unus reperiſſet Emmanuelem reficientem femoralia ſua, & loco ſubtilis fili utentem funiculo lineo, adeò eſt intus ad virtutem motus, ut ſecum decreverit, femoralia in poſterum non petere, ſed ea roborare multiplicatis centonibus, ut faciebat Emmanuel. Similes erant laneus, vel lineus thorax, & calcei. Pallium non diſcrepebat. Fortè iturus foras Religioſus adoleſcens flagitavit Emmanuelem comodatum pallium. Tulit plicatum, ac impoſuit hu-

humeris, quin adverteret ejus pulchritudinem: pergens ad januam, vertit oculos ad pallium; ubi vidit infinitum centonum, hæsit attonito similis, & erubuit, ut moris est studiosis exquisiti ornatus. Sine morâ volat ocyor Euro, tradit Emmanueli pallium; talemque famam de ipso sparsit, ut ampliùs nulli adolescenti venerit in mentem ab Emmanuele postulare. Ad hujusmodi conservandas vestes habuit semper in cubiculo fila linea, acum, & panni frusta rejectanea à domesticis sartoribus, vel aliis tanquam inutilia foras missa. Ad castitatem tuendam usus fuit quibusdam artificiis admodùm violentis. Cum id genus rigoris nimii nonnullis Viris sanctis, quibus aperiebat conscientiam, manifestasset, ipsique, ut moderarentur, objicerent valetudinis jacturam; respondit, velle se potiùs corpus perdere, quàm animam. Observantia sanctæ obedientiæ tanta fuit, tamque exacta, ut vitam eligeret priùs amittere; quàm ullam de Regulis violare. Cunctos studebat verbis suis reddere virtutis amatores. Detractiones nimium est exosus, orientes protinus suffocabat. Charitas cum ipso videbatur enata. Hispali cùm pauperculæ non esset lac nutriendæ proli, ipse noctu portabat infantem ad fæminas lacte abundantes, ut mammam præberent sugendam. Id tam notum erat urbis excubiis nocturnis, ut, si vigil de novo additus manus in eum injiceret, cæteri clamarent, abire incolumen sineret Henriquium charitatis amatorem. Quærens ex culina alimentum feli officinam à muribus defendenti, non sumebat, quod posset dari pauperibus. Si postquam aliquid manu ceperat; dixit famulus, id egenis inutile non fore, protinus abjecit in ollam, & scrutatus est, an aliud esset ab humano victu prorsus alienum. Festos dies orando consumebat, tribus ut minimùm sacris manè auditis. Quotidie bis flagris tutudit corpus, primùm mediâ nocte, secundùm ante auroram. Verberato tergo in triclinio, rediens ad cubiculum, iterum flagellabat tergum, dicens, id ex voto non fieri in triclinio, quod statim duobus, vel tribus acceptis ictibus, sistendi streperet significatio. Addebat prædictis multas alias castigationes. Graves sanitatis affectiones tolerabat contemptis remediis, dicens, parum perdi, si moreretur. Quamquam scrupulis agitabatur, hos solùm non attendit in rebus laboriosis, & corpori insuavibus. Otiosum nemo unquam illum conspexit. Ajebat, se plurimi habere artem suam, quod posset laborare pingendo festis diebus. Scripsit ad suos consanguineos; ipsos à se Deo commendari, cæterà existimarent se fuisse mortuum, cum est ingressus Societatem. Præcognovit Divinitus mortis suæ tempus. Apertè dixit obiturum, cùm Pater Gaspar Gouvea finem imponeret magistratui Collegii

Co-

Conimbricensis. Necessum erat renovare picturas aliquot B. Virginis de Lapa, quam ipse speciali quâdam veneratione coluit. Igitur illò profectus 3. Augusti. Ex nimio itineris æstu decidit in lectum 17. mensis ejusdem. Triduo ante mortem passus est tristitiam, & angores extraordinarios, tunc has inter angustias voce admodùm lachrymabili sic effatus: ,, Ego pugione tranfixi juve-
,, nem in ventre. Solùm vixit die-
,, bus tribus; propterea hic modo
,, patior diebus etiam tribus. Sic
,, Deus vult. Illud stupendum fuit, quod hujusmodi triduo cœpit cruciatibus exagitari, acutissimo dolore eam mordente ventris partem, quam olim vulnere in adolescente ruperat. Proximus morti jussit circumstantibus, ut indè recederent ad capiendam quietem, adjiciens, se quoque velle parum quietis sumere. Protinus se composuit, oculos, & os claudens, ac decussans brachia. Cuncta tali peregit modo, ut fuerit admirationi. Nec posteà cadaver eguit aliâ compositione. Sub hæc cœpit laborare anhelitu postremo, ac suavissimè efflavit animam, inclinato capite ad Sacellum B. Virginis à Lapa. Feretrum locatum est in templo B. Virginis, ubi omnes illius manus, ac pedes sunt exosculati, tuleruntque reliquias. Quod sit B. Virginis Domus in rupe fundata, cadaver humatum est in templo Oppidi Quintelæ.

Antonius Affonso Coadjutor.

ULyssipone in Collegio D. Antonii gloriosè occubuit anno 1569. Natus in oppido *Alagoa* Regni Algarbiensis. Societatem iniit Ulyssipone in Domo Professâ 16. Junii 1556. Sæviente peste, cùm multos de nostris serviendo infectis implicuisset lues, curam de ipsis habuit Antonius, donec eâdem est perculsus tabe. Antonius de de Monserrate hæc de illo scripsit:
,, Frater Antonius Alphonsus habuit
,, abscessum tam insolitum, ut à mul-
,, tis diebus similis visus non sit: Oc-
,, cupabat collum totum pectore dex-
,, tro tenus. Erant illi multa forami-
,, na, & penetrantes lacunæ. Patefe-
,, cit ipsi tabes, quæ disjunxit ossa pe-
,, ctoris, per medium gutturis, lacu-
,, nam; ubi oculis meis vidi esse
,, admodùm subtilem nervum os u-
,, num cum alio conjungentem. Hic
,, cùm est ruptus, ossa se separantia
,, crepuerunt, de quo stridore stu-
,, puit ipse ægrotus, nec sensit dolo-
,, rem ullum. Humerus dexter sini-
,, stro mansit inferior digitis quatuor.
,, Si viveret, ita futurus erat. Con-
,, tulit illi Deus tantam patientiam,
,, & tolerantiam, ut possit locum ha-
,, bere inter antiqua exempla. Verè
,, transivit per ignem & aquam, &
,, eduxit eum Dominus in refrigeriū.

Dominicus de Oliveyra Coadjutor.

BRacharæ anno 1609. vivendi legibus satisfecit. Natus in pago B. Virginis de Valle Diœcesis Bracha-

 ren-

rensis. Societati conjunctus Conimbricæ 20. Octob. 1588. Plurimis annis curavit de petendis eleemosynis Domûs Farensis, quæ posteà mutata est in Collegium. Nulli parcebat labori, ut illorum Patrum juvaret paupertatem. Cuncta officia ipsi injuncta peregit magno exemplo. Pestilentiâ Eboram consumente, serviit infectis, exercens admirabilem charitatem. Eos tollebat suis humeris, ut portaret in ædem salutis, vel post mortem ad sepulturam. Tot, ac tanta fuerunt illius exempla, ut sanctus ab omnibus dictus sit; ut talis est mortuus.

P. Petrus Simoes.

ULyssipone obivit in Collegio Divi Antonii anno 1619. Natus Mortaguæ Diœcesis Conimbricensis. Societatem amplexus Conimbricæ 29. Novemb. 1557. Præclarus fuit litteris, & virtute. Plurimis annis docuit Moralem scientiam in scholis Ulyssiponensibus. Insigni micuit obedientiâ. Mentis enim usu amisso propter longam senectutem, quidquid dicebant imperium esse Rectoris, sine mora executioni mandabat detecto capite. Erat illius rara modestia, quanquam judicio carens, non exivit de cubiculo, nisi æquè compositus, & modestus, atque cum erat sui compos. Postremus illius morbus & ipsâ diuturnitate, & gravitate summam attulit infirmo acerbitatem, & molestiam, de quâ dictum est, cùm meminimus de charitate Emmanuelis Semedi.

DIE III.

P. Franciscus Garcia Archiepiscopus Cranganorensis.

CRanganore apud Indos Orientis plenus virtutibus obivit anno 1659. Natus in Oppido *Alter do Cham* Diœcesis Helviensis. Eboræ Societatem ingressus 12. Junii 1598. Navigavit ad Indiam anno 1602. Scientiarum studia absolvit Goæ; deinde tradidit Philosophiam Coccini. Rogavit impensè, ut sibi fieret potestas incumbendi salvandis animis. Propterеà annis multis in Ora Piscaria neophytos excoluit, & convertendis ethnicis strenuam navavit operam. Ex ea cura vocatus Goam Theologiam docturus. Absoluto hujusmodi magisterio, rexit Collegium Divi Pauli, Domum Professam, & tandem Goanam Provinciam. Tum in magisteriis, tum in administrandis magistratibus explevit magni hominis partes. Eum Serenissimus Lusitaniæ Rex nominavit Episcopum Ascalonensem successurum in Archiepiscopatu Stephano Britto de nostra Societate. Quam molesto animo honores acciperet diversis probatum eventibus. Nam resignatus Provincialis præ mœrore animi deliquium passus est; simile expertus delato Episcopatûs nuntio; tertium, quo die donatus sacris Infulis; quartum denique, cum iniit Archiepiscopatûs possessionem. Adeò graves illius humilitati erant honores. Hæc

Diœ-

Diœcesis constat ex Christianis à Divo Thoma factis. Antequam Societas Indiam intraret, sequebantur Babylonis Patriarcham, propterea utuntur in re Divina, linguâ, & ritu Chaldaico. Hujuscemodi errantes oves nostra Societas labore, & sudore suo Ecclesiæ Romanæ conjunxit. Postquam Lusitani eorum comprehenderunt schismaticos Archiepiscopos, Romanus Antistes illis præfectus est. Dum Summus Pontifex Archiepiscopum non misit, Alexius Menezius Indiarum Primas illi regendæ Ecclesiæ præposuit Archidiaconum, dignitate ab Archipræsule secundum. Nec enim Gubernatorem Latinum æquis ferrent animis. Hæc dignitas tantam apud suos nacta est authoritatem, tempori se attemperantibus, quantum fas erat, Archiepiscopis, ut ipsis magnum exhibuerit, hodieque exhibeat negotium, eamque diviserit Ecclesiam. Mortuo Stephano succedens Franciscus, nihil habuit antiquius, quàm frænos injicere Archidiaconi nimiæ licentiæ, quam dissimulare, salvâ conscientiâ, & jure suo, non poterat. Id ægrè ferens, scripsit ad Babylonis Patriarcham, ut illi Ecclesiæ mitteret Archiepiscopum, eò devenisse miseriarum, ut in Latinos Præsules inciderit. Re ipsâ venit Armenius, quem appulsum Meliaporio Lusitani dedere vinculis. Id sciens Archidiaconus, vulgavit nostrorum hominum malitiâ teneri vinctum Armenium à Romano missum Pontifice ad eam regendam Ecclesiam. Etenim verus schismaticus fingebat se verum catholicum. Adhibuere fidem homini suæ gentis indigenæ. Exarserunt adversus Franciscum criminantes, quod illius industriâ sit comprehensus novus Præsul. Unicum in tot malis erat remedium, si de Roma venirent Commissarii Pontificis, qui sigillata ostendentes diplomata populi errorem abolerent. Ad negotium Romæ transigendum contendit Hyacinthus de Magistris, insignis illius missionis operarius. Obtinuit Commissarios de Carmelitis Excalceatis, quorum absurdus agendi modus plagam exulceravit, & amplissimam patiendi materiam obtulit Archiepiscopo. Res est longioris scripturæ, quàm fert mentio succincta. Erant Coccini rebus nostris æmuli quamplurimi, & infensi, quibus nihil optatius potuit accidere, quàm nancisci deprimendæ Societatis occasionem. Hi vel simplices, vel malitiosos alienigenas imbuerunt veneno suo adversus Societatem, & Archiepiscopum. Propterea eò semper illorum propendit cura, & astutia, ut Societatis homines ab ea Missione excluderentur, & Archiepiscopus esset è sua dignitate dejectus; ipsorumque esset in posterum rerum administratio. Ultrò, citroque multâ varietate agitatum negotium, in quo nunquam est curatum de honore, ac dignitate Archiepiscopi. Propterea ipsius virtuti oblatum est sufferendi amplissimum thea-

theatrum, ut refero in ejus vita à me typis vulgatâ. Cum tandem Româ pervenit diploma Pontificium, quo deponebatur à Diœcesis administratione, jam de vivis excesserat, & Coccinum, ubi factæ sunt hujusmodi machinæ, ab Hollandis captum est, ac suo exitio persolvit scelera adversus innocentem Archipræsulem commissa. Franciscus visus est unus ex antiquis Ecclesiæ parentibus, & virtute, & scientiis. Habitus fuit doctissimus utriusque Theologiæ, Moralis scilicet, & scholasticæ, ac Juris Pontificii: Præter linguam Lusitanicam, Castellanam, & Latinam, scivit Græcam, Hebræam, Chaldæam, Syriacam, Tamulensen, Canarinam, & Industanam. Etiam novit Musicam, quâ multum exornavit cultum Divinum. Ut excitaret in se virtutis amorem, domi habebat pictos Episcopos, & Cardinales de nostra Societate. Cùm ejus Diœcesis majori ex parte esset in diversis regnis ethnicorum Regum non parentium Lusitanis, eam sæpè ipse lustravit inexplicabili sudore. Ornabat imaginibus ædes sacras, & indumentis ad celebrandum sacrum. Pauperes juvabat eleemosynis. Dotabat egenas puellas, ut honestè nuberent; dictitare solitus faces, sive funalia sui funeris non alia futura, quam eleemosynas datas egenis, dum vixit. In arce Cranganoris penè omnes pauperes alebantur Archiepiscopi eleemosynis. Constituit suis expensis Montem, ut vocant, Pietatis eâ conditione, ut qui ferret mutuum frumentum, solum teneretur tantumdem reponere, & si huic legi suo tempore non satisfaceret, in posterum jus ipsi non esset petendi mutuum ex illo monte. Reliquit moriens bonam pecuniæ summam, ut duobus annis sequentibus sustentarentur honesti pauperes, quibus largiebatur menstruum victum. Mulctas impositas delinquentibus vel applicabat ornandis ædibus sacris, vel aliis usibus piis; id peregit, ut viderent Christiani, se eas mulctas non injungere ad suam crumenam implendam. Etiam plurimam tribuit pecuniam ethnicis Regibus, ut sibi essent propitii, non impedientes Diœcesis rectam administrationem. Hollandis Coccinum obsidentibus invitatis ab ethnicorum Regulis, quo tempore amens erat urbis Præfectus rogaverunt Archiepiscopum, rem communem administraret. Non defuit tanto periculo. Sumpto clavo, pacificavit Regulos, & Lusitanis amicos reddidit. Igitur Hollandus eorum destitutus auxiliis, quibus maximè fidebat, sublatis anchoris reliquit obsidionem. Protinus deposuit regimen, quamvis vellent cives, continuaret, dum novus veniret Præfectus. Illud citra dubium est, quod si Lusitani ejus in administranda re communi hærerent vestigiis, Hollandus nunquam caperet Coccinum. Nihil eum honores mutarunt. Vivebat domi suæ cum domesticis tanquam in Collegio cum nostris. Re-

Regebatur campanâ Collegii Cranganorensis ad tempus orandi, & conscientiam discutiendi: Ubi sonabat, solitus est deponere, quæcunque negotia inter manus habuit. Quotidie celebravit Missæ Sacrum; post suum audiebat alterum. Præmature de lecto surgebat, ut, supervenientibus negotiis, esset expeditus, habitis primùs spiritualibus exercitiis. Sacrum applicabat pro animabus igni lustrali addictis. Recitabat diebus singulis B. Virginis Rosarium. A multo ante mortem tempore quotidie in Sacrificio Missæ per modum Viatici Divinam hostiam consumpsit. Societatem sic dilexit, ut non alio, quàm Matris, nomine dignaretur. Postremo in morbo jussit, ut quicquid domi haberet panni daretur pauperibus; & singulis mendicis centum ærea Regalia, si adessent exequiis suis. Nihil desiderabat ardentius, quàm frui Divino conspectu. Prope vitæ finem scripsit epistolam verbis plenam paternis rebelli Archidiacono. Dicebat, sibi solatium non futurum majus; si efflaret animam, sciens eum ad sanam frugem redactum. Quod si ad id assequendum opus esset ipsius præsentiâ, curaret deferri semimortuus. Illius funus magno omnium ordinum concursu celebratum est, præsertim lachrymis egenorum, quos amavit tanquam filios.

DIE IV.

Antonius Luis Scholasticus.

IN navigatione ad Indiam an. 1588. supremâ die oppressus. Ulyssipone natus est. Ante initam Societatem tam modestus erat, ut Religiosus videretur. Magni fiebat à Superioribus ob singularem virtutem, præsertim à Sebastiano Moralio, qui eum elegit comitem itineris ad Japoniam. Per id tempus docebat Bracharæ latinitatem. Navem conscendit anno 1588. Contigerunt graves morbi, quibus sublati sunt Episcopus, Antonius Rodericius Sacerdos, quos Antonius Luisius est secutus. Migravit ad conclave, ubi duo sancti viri de vita excesŝêre, ut magis consolatus moreretur. Die octavo ante mortem Episcopi cæpit morbo affici. Divinitus cognovit se de vivis abiturum. Loquens enim cum Gaspare Castrio comite suo, illi dixit plenus lætitiâ, à multis diebus sibi notum, Deum sui esse memorem. Rogavit Gasparem; inde facessens, relinqueret solum; se non moriturum promisit, quin illum ad se vocaret. Post aliquod temporis spatium, dixit se cupiisse mori Goæ, ut confiteretur generaliter, quod jam septies egisset; propterea id non necessitatis esse, sed solatii. Verum, quoniam Deo placebat, in mari periret, martyrium dulcius non esse, quàm sit resignatio cum Divinâ voluntate. Ab eo petivit, ut quando cru-

crucem è digitis formaret, nominaret illi nomen JESU, signum esse premi se labore aliquo. Horâ elapsâ, præbuit dictum signum. Cum ter socius Nomen JESU repeteret, respondit: modo satis est. Hora prima post noctem mediam petivit candelam accensam dicens, tempus adesse, quo manè ipsi significasset se moriturum. Habens manu cereum, respondebat Socio Litanias recitanti. Posteà eodem Socio præeunte, JESUM & Mariam pronuntians suavissimè emisit animam.

Martinus de Fonseca Coadjutor.

EBoræ mortuus anno 1623. Natus in oppido è Divo Martino *de Cambras* Diœcesis Lamecensis. Conimbricæ amplexus Societatem 1. Januar. 1564. De ipso memoratur annos 58. docuisse pueros alphabetarios Eboræ, & nunquam ex ipsius ore auditum iracundum verbum, nec visum in ipso signum ullum impatientis animi. Donatus à Deo est mansuetudine, & simplicitate verè columbinâ. Gaudebat servire omnibus, nolebatque ullum sibi servire, nec in ætate quidem decrepitâ, nam obivit octogenario major.

Cosmus de Oliveyra Coadjutor.

COnimbricæ edidit extremum spiritum anno 1604. Natus in oppido *Esperoés*, Diœcesis Bracharensis. Eboræ Societati addictus 4. Nov. 1592. Solidis nituit virtutibus. Officia, quibus incubuit Majorum jussu, peregit accuratè. Cautus erat in agendo cum externis. Obiens valetudinarii custodem Socio peste infecto diligentissimè servivit. Postquam est mortuus, illum sustulit suis humeris, & condidit sepulturâ. Furente rursus peste, rogavit Majores, ut se destinarent Socium Patribus, qui exibant audituri confessiones infectorum. Auditæ sunt ejus preces. E tot periculis emersit liber. His aliisque ornatus virtutibus piè de vivis excessit.

DIE V.

P. Franciscus Pimentel.

IN regno Tunquinensi prope Sinam oppressus die supremâ anno 1675. Natus in oppido *Arganil*, Diœcesis Conimbricensis. Ulyssiponne dedit Societati nomen 1, Febr. 1648. Inflammatus aviditate salvandi animas ad Indiam navigavit anno 1661. deindè 1673. ipse cum P. Emanuele Ferreyra sub mercatoris habitu regnum Tunquinense ingressus est. In portu fuit illis obvius P. Philippus Marinus, qui fidei causâ pellebatur in exilium; illius erat sententia, ut sub mercatorum dissimulatione illic subsisterent; mens tamen neophytorum fuit, ut ad regni interiora penetrarent. Per id tempus duo Lusitani inter se rixati sunt, eorum alter ægrè facturus cunctis, dixit Præfecto (Mandarinum vocant) venisse in ea navi duos Evangelii præcones sub alieno habitu: Protinùs Regem fecit certiorem. Comprehensi, ac deducti sunt ad urbem Regiam. Il-

Illic sunt onusti catenis. Erant jam publicè flagellandi, cùm à fæminâ Christianâ in palatio Regis degente per internuntios significatum est Ministris, ægrè sibi facturos, si Patres afficerentur supplicio: propterea illis pepercerunt. Posteà redire Macaum sunt jussi, eisque Regis nomine denuntiatum est sub gravibus pœnis, ne Tunquinum adirent in posterum: quòd nollet Rex suos fidem Christianam amplecti. Navis portum egrediens, noctu in scapha ambos loco secreto exposuit, quos neophyti domibus suis occultarunt. Pimentelius, de quo modò solùm fit mentio, duos tantùm annos apud eas gentes vixit. Plurimas animas Christo peperit, ac sacris mundavit fontibus. Omnibus reputabatur heros egregiæ sanctitatis. Prope mortem illi Christus apparuit cum B. Virgine, ac Divis quamplurimis in albis vestibus, ut secum illum ad gloriam ferrent. Ejus corpus ligneâ capsâ inclusum terræ mandatum est in pago *Bá* dicto. Anno 1682. se dedit cuidam neophyto conspiciendum, illique imperavit, ut sua transferret ossa in loculum lapideum. Monenti obsecutus est. Deinde anno 1689. secum perpendens, quid latuisset mysterii in prædicta translatione, cum aliis neophytis aperuit loculum, quem invenerunt plenum oleo purissimo, & ossa suavem effundentia odorem. Quod esset loculus obseratus, & oblitus bitumine, ne posset aqua, humorvè alius intrare, conjecerunt translationem Divinitùs imperatam in hujusmodi finem. Oleum in vasa collectum, ac divisum miracula patravit quamplurima ægrotis admotum. Rursus bitumine sarcophagum linerunt. Anno 1695. iterum est apertum monumentum; Simili erat oleo refertum. Aucta est tali miraculo Christianorum fides, & cæpit visitari sepulchrum à neophytis, magnâ utique Christianorum consolatione.

Franciscus Pires Coadjutor.

IN Domo Professa Ulyssiponensi anno 1608. ad perennem transiit felicitatem. Natus in urbe Portuensi. Eboræ conjunctus Societati 14. Martii 1565. De 40. quos in Societate vixit annos, postremi viginti dici possunt continuatum martyrium ob assiduos morbos, & dolores: in eis tanta fuit illius patientia, ut non ediderit significationes, quibus natura afflictationes levat. Plurimis ante mortem annis lectum non egressus, modo tortus chiragrâ, modo podagrâ. Sic id malum jacentem extenuavit, ut par miracuio videretur illius vita. Corpus ulceribus plenum poterat Jobo patientissimo conferri. His acerbitatibus excoctus, & purgatus, grande posteris relinquens animi patientis exemplum, immortalibus adscriptus est.

DIE

DIE VI.

P. Nicolaus Gracida.

Eboræ vitam explevit anno 1598. Natus Valentiæ, quæ urbs nomen regno facit in Hispania. Conimbricæ nostros auxit Tyrones 11. Jan. 1551. Antequam iniret Societatem, adeò modestus erat, ut vulgò eum Apostoluli, diminutivo nomine, vocarent. Quam nomenclaturam illi fecit perpetuam pusilla corporis statura. Conimbricæ tradidit Philosophiam. Cæteros vitæ annos, quòd abundaret dotibus præclaris ad sacra pulpita, consumpsit id exercens ministerium. Ampliùs 30. annis coram Regibus, quorum Concionator fuit, magno plausu habuit conciones. Afferebat omnibus admirationem, quod, cùm foret ob munus suum notissimus, supra modum fugeret externorum commercia. Neminem ipse solitus invisere, & à nemine invisebatur. Nullas dabat ad alios litteras, & nulli ad ipsum dabant. Religiosam magnoperè coluit paupertatem. Præter manuscripta suarum concionum, nihil in ejus invenires cubiculo. Castitatis cultor eximius, cùm tonabat adversus luxuriem, id peregit verbis adeò circumspectis, ut modestiùs hujuscemodi materia tractari non posset. Quidam Episcopus coram Sebastiano Rege concionans, liberiùs quàm par fuit, dixit verba Regem inducentia ad fœminarum amores. Imprudenti homini ansam dederat studium nationis nihil per id tempus ardentiùs expetentis, quàm Sebastiani Regis nuptias. Jusserunt Majores Nicolao, ut in sacello regio prædicaret contra illius Episcopi licentiam, & temeritatem. Dicto suis audiens Majoribus adversus pestilentem doctrinam animosissimè est concionatus. Quamvis erat silentii amicissimus, quotidiè visitabat infirmos, & recreabat sanctis, ac lætis sermonibus. Ex ipsius ore laus propria non est audita, nec detractio de alio. Quod postremâ senectute illi cæcutirent oculi, non ideò permisit ab ullo fieri sui cubiculi ministeria. Diebus paucis ultimo laboravit morbo, verum sævierunt adversus ipsum tot, tamque acuti dolores, ut obiens ediderit animi patientissimi exempla singularia.

P. Franciscus Pinheyro.

EBoræ reliquit mortales an. 1694. Natus in oppido *Gouvea* Diœcesis Conimbricensis. Societati adjectus Conimbricæ 30. Januar. 1653. Ad magisterium, & sacra pulpita splenduit præclaris dotibus. Philophiam, & Quæstiones de moribus tradidit Conimbricæ, rursus Moralem scientiam in scholis Ulyssiponensibus. Rexit Scalabitanum Collegium. Illius mors duxit originem ex actu charitatis. Ulyssipone, Eboram per singulos dies profecturus comitatus est ad patibulum hominem capite damnatum. Ardebat per id tempus canicula immodicis caloribus. Is ca-

calor nimius in Francisci detecto capite tantam fecit impressionem, ut ex illa hora senserit affectam valetudinem. Accessit huic malo iter ad gubernandum Eborense Collegium, æstivo tempore admodùm incomodo vel sanis. Pervenit adeò penetratus morbo, ut vix unâ die in triclinio conspexerimus. Perniciosâ calescens febri, actum de vita minimè dubitavit. Tantâ pietate Viaticum sumpsit, ut circumstantes non temperaverint à lachrymis. Propè mortem rogavit, ut sibi recitarent preces ad supremum agonem institutas. Interim unâ manu candelam, alterâ habens Crucifixum respondebat recitantibus, imbre lachrymarum de ipsius cadente oculis. Illud præsentibus attulit admirationem, quod, legente uno Passionem Domini, cum sunt pronuntiata illa verba: *Consummatum est*: Franciscus sit corpore solutus. Grandis ipsi animus fuit in adversis rebus perferendis, nec defuerunt occasiones, quibus hujusmodi probata virtus. Interfuit illius exequiis Ludovicus Silva Archiepiscopus Eborensis, qui ægrotum quoque inviserat.

DIE VII.

Joannes Castello Scholasticus.

Conimbricæ cælitibus adjunctus est anno 1580. Natione Anglus, natus Bodimimii Diœcesis Oxoniensis. In illa Academia Artium Magistri insignitus gradu. Metuens, ne arderet hæresum incendio, quo flagrabat ejus patria, venit in Lusitaniam. Inivit Eboræ Societatem 26. Febr. 1575. Præditus erat indole ad virtutem maximè idoneâ. Inerat ipsi admirabilis mansuetudo, & humilitas. Vel si alii eum aliquid rogarent, vel imperarent, suum non erat negare. Quotidiè invisebat SS. Sacramentum quinquies. Quo tempore Sacerdos consumebat sacram hostiam, semper ipse desiderio cupiebat eâdem refici, experiens consolationem adeò suavem, ut eam vel ipsi sensus gustarent. Cum Socii accipiebant sacram Synaxim, ubi illam Sacerdos in os uniuscujusque imittebat, Joannes hæc effundebat verba: *Obsecro Domine, sanctifica illum.* Singularibus obsequiis coluit B. Virginis Nativitatem. Ipsâ die sacrabat magnæ Matri cuncta sua opera facienda anno sequenti. Ut majore fervore talia institueret oblata, per dies octo ante prædictam solemnitatem plus indulgebat orationi. Hunc sanctissimum morem renovabat singulis B. Virginis festis. Profuerunt illi multum sanctæ monitiones, quas in familiari sermone audierat à cæteris Religiosis, ut ipse dixit suo Confessario. Motus Divino quodam impetu, votum vovit serviendi Deo meliori, quo posset, modo. Votum in charta scriptum tradidit Sacerdoti, cui sacrificanti ministrabat, rogans, ut post consecratam Hostiam illud Deo offerret. Sic oblatum, ut promissi viveret memor, gestabat de collo su-

ſuſpenſum in theca reliquiarum incluſum. Quotidie dabat Superiori ſuo conſcientiæ rationem. Peſte Conimbricam infeſtante multi de noſtris migrarunt ad ſuburbanam Collegii villam Mondæ flumini contiguam. Illic Joannes eſt mortuus pervigilio naſcentis B. Virginis, cui myſterio fuerat addictiſſimus, volente nimirum Dei Matre, ut cælo naſceretur cliens ſuus, quo tempore ipſius in terris celebratur natalis dies.

DIE VIII.

P. Didacus Vieira.

IN Domo Profeſsâ Ulyſſiponenſi mortem occubuit an. 1599. Natus in Inſula Madeyra. Conimbricæ dedit Societati nomen 9. April. 1544. Initio præbuit magnæ virtutis ſpecimen egregium. Dixit illi Rector, ut orando ſe Deo commendaret, oblitusque eſt temporis ſpatium præſcribere. Adivit Dominicam præſentiam, flexis genibus oravit reliquam illius diei partem, noctem totam, perſiſtebatque die veniente, cùm Rector animadvertit, modum ſuum jubendi, & viri cæcam obedientiam, quam valdè, ut res poſtulabat, admirans, & venerans ab eo exercitio imperavit abſiſtere. Nec dubium fuit illum eventum recenſeri debere inter cæcæ, ut vocant, obedientiæ miracula. Fuit in hac Provincia unus ex optimis operariis. Nunquam vel in factis, vel in ejus dictis notatum eſt aliquid reprehenſione dignum.

DIE IX.

Emmanuel Pires Coadjutor.

IN Domo Profeſsâ Villæviſſoſæ anno 1658. diem obivit factus incenſæ charitatis victima. Solutâ Pacis-Auguſtæ obſidione, Luſitanus miles contractam contagionem ſecum detulit in patriam. Completa ſunt ægrotis Noſocomia præſertim oppidorum, quæ Caſtellæ erant magis finitima. His miſeris curandis, & ſublevandis impendit ſuas curas Emmanuel primùm Helviæ, deinde Villæviſſoſæ, ubi conſuluit mille infirmis incredibili charitate, & labore, donec peſtilenti malo implicitus animam profudit virtutibus ornatiſſimam.

DIE X.

Emmanuel Sarzedas Scholaſticus.

EBoræ migravit ad cœlum a. 1680. Natus in oppido *Caſtello de Vide*, Diœceſis Portalegrenſis. A primis annis deditus eſt virtuti. Ad Sacramenta accedebat frequenter. Diligebat pauperes. Delectabatur piorum Librorum lectione. Semel coram ſuo parente legit vitam D. Martini, & in ea, quod pauperi tegendo diviſiſſet pallium. Hic Pater, cujus mens aliquantulum vacillabat; Etiam tu, inquit, in domum te recipies ſine pallio. Ad hæc Emmanuel: Mi Domine, ſi tale quid egero, te felicem arbitrare. Inobſequentis filii id reſponſum Pater exiſtimans, furiis percitus in eum convolat ſupplicio affecturus. Nihil turba-

batur Emmanuel, ſed furori daturus locum, ſumpto libro in aliud tranſiit domûs conclave. Illius Mater, quòd ſibi contigiſſet res parùm grata, fœmineo furore decrevit ſibi mortem afferre, diriſſima inedia. Duos dies omninò jejuna tranſegerat, nec adduci poterat ad fatuam exuendam mentem. Hic filius magis, ac magis illius vicem miſerans tantum contendit, ponens ante oculos æternos cruciatus, quibus erat damnanda, ut fœmina reſipuerit, inſaniâ ſuâ relictâ. Sentiebat intus flammata deſideria complectendi Religioſum ſtatum. Vincendæ erant non parvæ difficultates, quòd erat filius unicus Parentum valdè locupletium, aliique divites conſanguinei in eum decreverant ſua cumulare bona, quia domi ſuæ carebant prole; Dæmon ipſe illum procuravit à Divinis arcere: Nam Eboræ templum noſtrum inrroeunti, ut totius vitæ confeſſione purgaret animam, ſe Dæmon obtulit conſpiciendum, removebatq; à ſacro Tribunali. Non ille territus eſt minis; tantum obnixus contra, ut inimicus aufugerit. Ne à ſuis inquietaretur, petivit tranſigere Ulyſſipone Tyrocinium. Illic mancipatus Societati 23. Decemb. 1642. ætatis 21. Biennio vixit inſtar Angeli. Remiſſus Eboram ſtudiorum causâ. Convivebat ipſi Junior parùm Religioſus, & nimium facetus, qui poſteà de Societate pulſus eſt, hic verſipellis ſuum eſſe duxit Emmanuelis patientiam mille ridiculis dicteriis inceſſere. Ferebat patientiſſimè, ne uno quidem dolentis aut iracundi animi dato ſigno: imò has injurias benevolentiis compenſabat. Quo vacationum tempore ruſticabantur Juniores in villâ Suburbanâ, Præfectus à Spiritu tribuit ferculum Emmanueli ſervienti ad menſam dicens: Id munuſculum largire tuo majori amico. Intentis ad eum omnium oculis appoſuit ferculum illi Juniori, cujus importunitas adverſus Emmanuelem erat ſatis nota. In morbo ſupremo, poſtquam eſt inunctus Oleo ſacro, P. Franciſcus Gama, qui ægrotabat, non tamen periculosè, ad eum miſit, qui ſuo nomine ipſum rogaret, ut impetraret ſibi à Deo, cùm in ejus eſſet conſpectu, quamprimùm abire de vita. Facturum promiſit Emmanuel. Ubi mortuus eſt. Senſit Gama magnum deſiderium, Viaticum, & Unctionem ſumendi, petivitque admodùm inſtanter applicari hæc poſtrema ſubſidia. Difficultas fuit, quòd non appareret competens periculum. Tandem votis acriùs urgentis eſt ſatisfactum. Res ipſa probavit non vanam fuiſſe ægroti petitionem; ſequenti enim die animam Deo reſtituit.

Franciſcus Vellozo Coadjutor.

IN eodem Collegio vivendi ſatisfecit legibus anno 1674. Domo Bracharenſis. Ulyſſipone ingreſſus Societatem 24. Jun. 1635. Semper ſtuduit animæ profectui. Erat in Algarbiis anno 1650. cùm dira peſtilentia Farum urbem diriſſimè vexavit. Multa charitatis officia infectis præſtitit.

Noctu capiebat ſomnos prope januæ tintinnabulum, ut pulſantibus ad vocandos Sacerdotes præſto accurreret. Plurimis annis æditum obivit noſtri Eborenſis templi, diligenter proſpiciebat munditiis Divini cultûs, & quod nihil indecens in tam ſancto loco fieret à ſæcularibus. Semel conſpiciens adoleſcentem nobilem cum fæmina impudenter loquentem in templo non ſine offenſione intuentium, acceſſit propè, & modeſtis verbis ſui eum admonuit officii, & majeſtatis loci, in quo erat. Id ferens ægerrimè, decrevit æditum occidere. Moratus eſt, quousque populus omnis exivit. Cum Franciſcus ibat clauſum templi fores, in eum exploſit manualem ſclopum, cujus glandes, ictu caſſo impactæ ſunt templi parietibus propè æditum. Cæteros annos tranſegit Deo, & hominibus charus.

DIE XI.

P. Doctor. Franciſcus Leytam.

ROmæ deſiit vivere anno 1705. Natus in oppido *Caſtello de vide* Diœceſis Portalegrenſis. Eboræ ſe conjunxit Societati 20. Nov. 1647. In ea Academia docuit Rhetoricam, Philoſophiam, ſcientiam Moralem, & Theologiam, donatusque eſt Doctoris gradu. Poſteà vocatus Romam egit Cenſorem Librorum Societatis. Typis vulgavit libros aliquot, alia reliquit manuſcripta. Jam viri mores præ ſe ferebant antiquam probitatem. Videbatur totius fraudis, ac doli neſcius. Rebus piis magnoperè fuit addictus. Frequenter inviſebat Sacroſancta Divorum monumenta, & imagines venerabiles, quas ſi reperit tectas, valdè contriſtabatur, quod eas videndi careret ſolatio. Donum habuit afflictos conſolandi, & turbatas pacandi conſcientias. Propterea ipſum de noſtris quamplurimi conveniebant, remedium habituri anxietatibus ſuis. Deiparenti vixit magnoperè addictus, ipſi conſecrarat cor ſuum: ad hanc ſui cordis teſtandam oblationem, geſtabat cordis ligneam effigiem intra ſinum de collo ſuſpenſam.

DIE XII.

P. Antonius Luis.

BRigantii mortalitatem exuit. Natus Vianæ Diœceſis Bracharenſis. Conimbricæ additus eſt Societati 7. Septemb. 1588. Illius charitas apud Brigantinos cæteras ejusdem virtutes illuſtravit. Diriſſima fames eam urbem oppreſſit, hanc ſecuti ſunt morbi perniciabiles. Studuerunt noſtri & fami, & mortiferis mederi morbis late vagantibus. Ex noſtris, qui obviam peſtilentiæ ſunt progreſſi, Antonius ingentem laudem promeritus. Dum ſe periculis miſcet, vitæ ſuæ incurioſus, ut conſulat alienæ, infectus eſt morbo, qui cæteros proſternebat, ac piâ in obſequio charitatis defunctus morte.

DIE XIII.

P. Petrus Dias, & aliquot ejus socii Martyres.

IN Oceano prope Fortunatas Insulas anno 1571. Martyrio cum aliis de Societate coronatus est. Lucem hausit primam in Oppido *Arruda* Dioecesis Ulyssiponensis. Conimbricæ adjunctus Societati 29. Martii 1548. Magna ipsi fuit ad res administrandas prudentia, quam comitabantur egregiæ virtutes. Egit Procuratorem Collegii Conimbricensis. Non hoc solum, quamvis magno, contentus labore, alios complectebatur lætus semper, tanquam nihil faciendum sibi esset. Nunquam illum viderunt animo commoto, & re ulla perturbato. Multa ipsi cum Deo per orationem familiaritas: Divinum, ut vocant, officium recitabat flexis genibus. Micuit in eo singulare donum ad animos dissentientes componendos mutuis amicitiis. Cum manifestaret Ignatio Azebedio suum ingens desiderium eundi ad Brasiliam, eum Ignatius numeravit inter illius vineæ operarios. Unà cum cæteris se ad martyrii gloriam comparavit in secessu Vallis Rosalis, ut dictum est, cum meminimus de Ignatio. Anno 1570. conscendit navem prætoriam Ludovici Vasconcellii. Remanens in Insula *Madeyra*, ibi cognovit de obitu felicissimo Ignatii, & Sociorum, qui paucis ante diebus erant profecti ad Palmam Insulam. Sublatis anchoris è *Madeyra* in altum versus Brasiliam provehitur. Sed tam contrarii flarunt venti, tantusque fuit aquarum impetus, ut naves delatæ sint ad Occidentales Indias. Post infinitos rerum casus Petrus cum Sociis, & Præfectus Vasconcellius tenuerunt Angram in Insula Tertia. Ibi, ut in Lusitana ditione, Vasconcellius utcumque se reficiens, è reliquiis præteritæ jacturæ vix unam adornavit navem. In ea Petrus cum sociis proram direxit rursus in Brasiliam. Navigabant jam non longè ab Canariis, sive Fortunatis Insulis; Cum Joannes Cadavilius Calvinista archipirata Gallus cum aliis navibus Lusitanam adortus. Post longum certamen, & cæsum Præfectum Vasconcellium, qui pro dignitate, & nobilitate suâ occubuerat septus hostium cadaveribus à se factis, navis tandem expugnata est. Ut erat adversus Jesuitas insaturabile hæreticorum odium, auxerunt furorem ad nostrorum aspectum. Omnes trucidarentur sine mora, nisi unus ex ducibus homo naturâ mitiori, cohiberet aliquantulum insanientes. Dedere tamen neci hac die quinque, reliqui occisi fuerunt sequenti. Primus cecidit confossus gladiis *Pater Franciscus Castrius*, dum audit confessionem pœnitentis. Natus fuerat in oppido *Montemolim* in Prioratu sancti Marci de Leone agri Chariensis. Conimbricæ adjunctus Societatis 9. Augusti 1560. *Pater Petrus Diasius* omnium Superior, & *Gaspar Goesius* Scholasticus

profudere animas gladiis transfixi. Gaſpar natus in Oppido *Portel* Diœceſis Eborenſis. Conjunctus Eboræ Societati 19. Julii 1562. *Michael Aragonius*, cum gemitum ederet ortum ex nimia violentia, quâ nectebant illi brachia, à milite ob id ipſum furente projectus eſt in mare. Natus Guiſſonæ in Catalaunia. Navans operam Theologiæ iniit Societatem Valentiæ Octobris menſe anno 1567. Adeo jam virtutem amabat, ut alteri Scholaſtico alapam infligenti, maxillam aliam flexis genibus obtulerit. Cum devolutus fuit in mare, excitatus eſt ab hæreticis ingens plauſus; eum alter augere volens, apprehendit *Franſcum Paulum* Tyronem, ac per auras in fluctus conjecit. Ejus patria neſcitur, Luſitanum fuiſſe non dubitatur. Omnes in odium Fidei ſunt occiſi.

DIE XIV.

Alphonſus Fernandes, & ſex alii Martyres.

AD hanc diem reſervarunt hæretici novem, quibus per noctem poſt captam navem, & ſequentem diem intulerunt injurias propemodum infinitas. Alphonſus præerat cæteris, ibat Philoſophiam docturus. Habuit plurimas cum hæreticis altercationes de rebus Fidei. Totâ die nihil aliud egerunt Calviniſtæ, quam irridere & illudere Dei ſervis. Nihil cibi dederunt, niſi aliquid reſiduum de cæna Sebaſtiano Lopio, & Didaco Fernandio. Eventus oſtendit, cur Deus permiſerit his ſolum præberi eſcas. Ubi cænarunt, irruunt lupi famelici adverſus Chriſti agnos, ac vivos in mare dejiciunt. Alii, quod neſcierint artem natandi, ſtatim in fundum usque ſunt merſi, at illi, qui natare noverant vagati ad multam noctem ſuper undas hymnos, & Pſalmos repetendo. Duo, qui cibo vires refecerunt, potuerunt diutius natare, & tandem diverſo modo in naves ſunt recepti; Ut ex ipſis conſtaret tragædiæ iſta. Nomina eorum, qui ſanctiſſimè perierunt, jam ſubjicio. *Alphonſus Fernandius* natus Vianæ Diœceſis Eborenſis, ingreſſus Eboræ Societatem 22. Jan. 1567. ibi in libro, quo tyrones ſcribunt vota poſt biennium, legi ipſius manu votorum formam ſcriptam; hæc nuncupavit 23. Jan. 1569. in ſacello tyronum, Patre Mauritio faciente ſactum. Agebat munus ſubminiſtri, propterea cæteri eum tanquam Superiorem colebant. *Andreas Paes* domo Portuenſis. Incumbens litteris in patria ſua, Bracharam adivit, poſtulavitque Societatem à Patre Ignatio Azebedio. *Didacus Carvalius* natus eſt Tondelæ Diœceſis Viſenſis. *Fernandus Alvarus* Coadjutor patriam habuit Viſenſem urbem. Conimbricæ addictus Societati 28. Maii 1560. ætatis 26. *Joanes Alvarus* natus eſt in pago *Eſtreyto* in agro Oppidi *Oleyros* in Diœceſi Cratenſi cis Tagum. Conimbricæ aggregatus Societati 1. Nov. 1564. Sæcularis adhuc cum ſtudebat litteris, ſentiebat intus ardentia marty-

tyrii desideria: hæc eum adjecere Societati. *Petrus Fernandius* Coadjutor faber lignarius fuit. Nihil de ipso comperi, nisi quod sit natione Lusitanus. *Petrus Dias* Scholasticus, natus in Oppido *Souto* Diœcesis Visensis. Eboræ adjunctus Societati 30. Nov. 1560. His septem Martyribus JESU Societas Crucis triumphum concelebravit.

Didacus de Albuquerque Scholasticus.

CONimbricæ mortuus est anno 1568. Natus in urbe Visensi. Conimbricæ adjectus Societati 7. Febr. 1565. Ejus mores fuerunt semper apud nos inculpati. Non auditum est ex ipsius ore verbum, quod posset ullum mortalem offendere. Valdè propensus erat exercitiis orandi. Intelligebaturq; multis à Deo inter orandum recreari animæ solatiis. Vehementibus inardebat desideriis vitam pro Deo effundendi. Postremus illius morbus visus est persimilis igni lustrali. In doloribus admirationi cunctis erat ejus tolerantia. Plenus ulceribus ex diuturnitate lecti, ne unum quidem edebat sui doloris signum. Nolebat regi suo judicio, sed Medicorum, Superioris, & infirmarii. Angores, & dolor ipsum reddebant magis devotum. Rogavit, ut sibi poscerent aliquam à Patribus, & Fratribus orationum eleemosynam. Cum vidisset, quantum sibi donassent, mirificè lætatus est. Die Exaltationis sanctæ Crucis intelligens mortis propinquitatem, petivit, ad se vocarent Patrem Petrum Fonsecam Collegii Rectorem. Protinus factum est signum, ut convenirent Socii. Dum hi recitabant solitas preces, Rector pia verba dicebat morienti. Quod vocis amisisset usum, inclinationibus capitis annuebat actibus Fidei, Spei, & Charitatis, quos Rector instillabat ejus auribus. Impetitus vi majore creditum est expirasse. Verum paulo post sibi restitutus, *sum*, inquit, *multum consolatus*. His dictis animam efflavit die Exaltationis sanctæ crucis, de cujus officio rogaverat quemdam Socium, ut sibi in cubiculo recitaret quotidie horam unam.

DIE XV.

Petrus Nunes Coadjutor.

CONimbricæ anno 1664. recessit à vivis. Natus in oppido *Alvayazere* Diœcesis Conimbricensis. Conjunctus Societati Conimbricæ 30. Octobris 1613. ætatis 27. Illius vita plenissima fuit sanctis exemplis. Plurimis annis curæ habuit Collegii vestiarium. Tempus supervacaneum, postquam satisfecerat suis obligationibus, consumebat, vel mente, vel orando voce. Duabus horis ante ortum solis consuevit de lecto surgere, quas impendebat Divinarum rerum meditationi. Continenter Deum precabatur, ut postremus ejus morbus contingeret sine ullius molestiâ. His votis consensit Deus Optimus Maximus,

mus, etenim post Cæleſtem Panem acceptum colligens ſe ad cubiculum ſuper ſcabellum ſedit, ibique ſuaviſſimè expiravit, eſtque repertus inſtar dormientis.

DIE XVI.

Petrus Henriques Scholaſticus.

EBoræ vitam clauſit anno 1565. Natus eſt in Inſula *Madeyra* Sanguinis gradu proximo contingebat P.Leonem Henricium Confeſſarium Regis Henrici. Propterea ortus ex familia illuſtri. Adſcriptus Eboræ Societati 10. Januar. 1562. Spectabilis erat morum ſanctimoniâ. Idcircò juvabat Rectorem Collegii Portioniſtarum, ut vocabant, quod poſt erectam Academiam condidit Henricus, & ipſo moriente extinctum eſt. Illius morbus ultimus majorem annis virtutem præclarè oſtendit. Originem traxit morbus ex humore frigido ſupra modum horrido. Eruperunt ulcera metuenda, & peſtilentia; ex quibus auferebantur caro, & oſſa corrupta. Illum patientia munierat invicta. Admodum lætabatur, quod moreretur in Societate. Dum per morbum licuit, inceſſit pedibus. Solum addixit ſe lecto ante obitum die tertio. Rogavit Deum, ut ſibi dolores mitigaret, tum ut eſſet anima ad profectionem expeditior, tum ut poſſet liberius in cælum tollere cogitationes. Obtinuit petitionem; nam poſtremo biduo dolores ſedati ſunt. Excepit Divina ſacramenta admirabili pietate, eâdemque ſpiritum exhalavit.

Antonius Gonſalves Coadjutor.

BRigantii ad Superos conſcendit anno 1621. Natus Guimaranii, Diœceſis Bracharenſis. Se adjunxit Societati Conimbricæ 17. Julii 1572. ætatis 18. Habitus eſt vir conſummatæ perfectionis. Cum ſciret latinitatem, adeò cupidus fuit Deo ſerviendi in humilitate, ut potius voluerit ingredi, ad famulandum Religioni in Coadjutoris gradu, quam in alio graviori. Eo gradu tantum gloriabatur, ut ſæpè dixerit à ſe pluris fieri, quam cæteros. Confeſſus eſt morti vicinus, ſibi donatam à Deo longam vitam, quod elegerit potius humilitatem ſui gradus, quam initiari ſacris, ut voluerat ejus patruus. Quotidie recitabat Virginis Roſarium, officium, & ſeptem Pſalmos pœnitentiales. Nunquam his ſuperſedit precationibus: ſi tempus peragendis aliud non erat; tempore ad loquendum conſtituto ſecedebat ad ea penſa explenda. Semper, tanquam virtutis tineam, iners otium fugit. Hyemis noctibus ante cœnam ſeligebat triticum in horreo. Victu utebatur moderato, veſtitu corroſo, & vetuſto, centonibusque munito. Indumentum novum noluit unquam ſumere. Caſtitate Angelus magis, quam homo eſt viſus. Cum eſſet octogenarius eum interrogavit confeſſarius, an aliquod peccatum adver-

versus castitatem commiserit? Respondit: sibi tale quid nunquam in mentem venisse. Subjicienti confessario, forte occasionem non habuisti, respondit: Imo plures habui, sed semper cum Dei gratia pugnavi pro honore Societatis. Præscivit mortis suæ tempus. Multo ante dixit: Ego vivam tota hyeme, non tota æstate. Cum jam decumbebat ægrotus, affirmavit, se moriturum die Jovis. Cum magnis angustiis urgeretur, dixit infirmario: Non obiturum nisi sequenti nocte. Cuncta, ut prædixerat, acciderunt. Nuntianti actum esse de ipsius vita, respondit: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* Tertiâ post mediam noctem horâ Cælitibus adjunctus.

P. Franciscus Freyre.

ULyssipone in Collegio Divi Antonii migravit ad immortales anno 1644. Natus Estremotii Diœcesis Eborensis. Societatem complexus Eboræ 25. Januar. 1611. Habitus est sui temporis sapientissimus in Moralibus disciplinis. Eboræ tradidit Philosophiam, & Moralem scientiam, hanc etiam docuit in scholis Ulyssiponensibus. Æquo tulit animo adversitates. Tempore seditionis Eborensis, cum sub præcepto obedientiæ nostris imperasset Provincialis, ne quis auderet in suis concionibus de tali seditione aliquid loqui. Pater Freirius habens concionem in templo maximo nonnulla dixit, quæ sunt interpetrata tanquam dicta de seditione. Idcirco Provincialis eum jussit conjici in carcerem. Id ægrè ferentes dynastæ (multi enim per id tempus habitabant Eboræ) scripsere Matritum, Patremque excusarunt apud Regem, qui decreto suo jussit abire liberum vinculis. Ulyssipone consulebatur ab omnibus viris doctissimis, quibus erat admirationi illius in Jure Canonico, & Civili peritia. Sic enim se penetraverat ad recondita harum facultatum, ut videretur singulas tota vita professus. Ad sacra pulpita habuit, quæ ornamenta præclaros constituunt concionatores. Jure merito existimatus est vir omnibus numeris absolutus. In codice obeuntium in eo Collegio hæc de Freirio. „ Pater Franciscus „ Freirius quatuor votorum Professus, Lector casuum conscientiæ aliquantulum festinè obivit ex apoplexia. Planè erat vir insigniter „ litteratus, cubiculi, & virtutis „ amantissimus. Hæc ille codex. Composuit plurimos libros, de quibus agit Bibliotheca Societatis, quæ variat mortis diem, & ex ipsâ ego transcripsi in Imagine Virtutis Tyrocinii Eborensis, cum revera in hanc diem inciderit ejus mors.

DIE XVII.

P. Franciscus Rodrigues.

GOæ apud Indos naturæ concessit ann. 1573. Natus Odemiræ Diœcesis Eborensis. Claudus erat utroq; pede. Ægrè se movebat innixus baculis.

lis. Rarum ad ſcientias ingenium excoluit Salmanticæ, & Conimbricæ. Ob inſignem hanc præſtantiam Magiſter Simon Rodericius Provincialis eum adoptavit in Societatem Conimbricæ 8. Apr. 1548. Facto initio ſcholis Ulyſſiponenſibus anno 1553. Primus illic docuit Moralem ſcientiam auditores non minùs 400. & prætereà tradebat lectionem Matheſis. Singulare poſteris reliquit exemplum in petendis Indiæ Miſſionibus. Cùm facultatem poſtularet illò tranſeundi, reſpondit Provincialis: mirari ſe valdè, quòd talis res in ejus venerit menté, cùm vix greſſum poſſit movere fultus baculis. Ad hæc Franciſcus: ſe non ad ambulandum, ſed ad navigandum petere facultatem, id fieri velis, non pedibus. Cùm Provincialis nollet ejus votis ſatisfacere, ſcripſit ad S. Ignatium, à quo factus eſt voti ſui compos. His nuntiis tam lætus fuit, ut ſit faſſus non potuiſſe ſibi fieri majus beneficium. Nave conſcenſâ inter aliena brachia dixit, ſe vehementer cupere, ut ſuum exemplum tranſmitteretur poſteris, non quo ſua apud eos viveret memoria, at ne quis poſſet ullo tempore prætendere excuſationem non petendi miſſiones. Profectus eſt 1556. in eâdem navi, quâ ferebatur Patriarcha Æthiopiæ. In navigatione profuit multum proximis, quà confeſſiones audiendo, quà peragendo conciones, nam ad has eminebat ſpiritu, & eloquentiâ. In Moſſambiquio diſputavit cum Maurorum Caſſizio, ſive Magiſtro, eumque apertè convicit, quamvis non dimovit à peſtifera ſententia adhærendi ritibus Mahumeti. Cæteros annos traduxit Goæ noſtra exercendo miniſteria, ac docendo ſcientias. Prodibat foras, ut conſuevit in Luſitania, impoſitus aſello, ad prædicationes agendas. Alienas inter manus aſcendebat, ac deſcendebat è ſacro ſuggeſto. Ajebat in India plus fieri cum duobus virtutum gradibus, quam cum omnibus mundi ſcientiis. Sæpe diſputatione Brachmanes convicit. Ex ipſis plurimos convertit. Decretum à Prorege obtinuit, ne in regione Salſetanâ ethnici de novo ædificarent ſuis Idolis templa, aut collabentia reficerent, & nè in terris Luſitanæ ditionis ethnici ritus ſuos exercerent, & ut pueri orbi patre, quamquam haberent matrem, ab illa avellerentur, ac fierent Chriſtiani. Tamen hoc poſtremum, annis labentibus, rediit ad morem primum; Conſultè, an inconſultè hujus loci judicare non eſt. Semel convertit ad fidem ducentas Piſcatorum familias. Scivit patresfamilias deliteſcere in ſuis domibus, nec ire piſcatum, ne comprehenderentur ad miniſteria nautarum claſſis, quæ parabatur. Conveniens Franciſcus Proregem, flagitavit, ut juberet in eos injici manus; ſibi dubium non eſſe electuros potius fidem complecti, quàm applicari nauticis in claſſe miniſteriis. Perbellè accidit conſilium: nam capti, metu utili eos compellente, piſcati ſunt in fonte luſtrali ſuam felici-

citatem. Dum Goæ vixit, nihil magni momenti est actum, in quo ipse non haberet magnam partem. Nostros gubernavit multâ prudentia, & exemplo. Iturum ad Indiam cum sanctus Ignatius nominaret Goani Collegii Rectorem, & aliqui non probarent, quod hominem nequeuntem pedibus incedere, præficeret Rectorem, *Superiores*, respondit, *non regere pedibus, sed capite.* Agebat Provincialem, cum de medio viventium est ereptus.

P. Doctor Stephanus de Couto.

MOrtuus est Eboræ anno 1638. Natus Olivensæ Diœcesis Helviensis. Societati conjunctus Eboræ sexta Junii 1569. In Eborensi Academia scientiarum fuit illustris Professor. Docuit Theologiam: gradu Doctoris est insignitus, & primam Theologiæ moderatus cathedram. Egit etiam Academiæ Cancellarium. Quamvis esset valdè deditus studiis, plus amavit libros asceticos ac de rebus piis tractantes, quos volutabat, ex ipsis nectar colligens, quò condiebat familiares cùm nostris, & externis sermones. Illius conversatio erat aspersa multa suavitate. In litteris annuis habetur eum jure merito numerari posse inter viros illustres Societatis.

DIE XVIII.

P. Antonius de Sousa.

IN Oceano prope Insulam Fayalensem anno 1625. vitam explevit. Natus in Oppipo *Amarante* Interamnensis Provinciæ. Conimbricæ amplexus Societatem 1. Junii 1606. ætatis 15, docuit humaniorem litteraturam, & Rhetoricam magnâ cum laude. Anno 1619. induxit theatro in scholis Ulyssiponensibus præclarissimam tragædiam, spectante Philippo Tertio tunc Lusitaniæ Rege. Anno 1624. navigante ad Brasiliam potentissima classe ad recuperandam Bahiam ab Hollandis, & Anglis captam, unus fuit è nostris, qui, ut classiarios in spiritu juvarent, conscenderunt naves. Magno utique zelo vices suas explevit. Dum victrix ad Hispaniam revertitur classis. Morbi crudeles in navi, quâ vehebatur, exarserunt. Curandis ægrotorum animis, & corporibus diligenter incubuit, eâdemque contactus pernicie felici morte vitam absolvit. Missus in mare, adnexo singulis pedibus prægrandi globo ferreo, erecto corpore collo tenus merso, & manibus in cælum levatis secutus est classem multis leucis tanquam à Deo illi precans iter felix, ac faustum. Id spectaculum, utpote piissimum, & rarum magnas apud omnes, qui viderunt, excitavit admirationes.

DIE XIX.

Gaspar de Fonseca Scholasticus.

ULyssipone in Domo Professa, non dum tyrocinium egressus, vitæ attigit finem anno 1560. Natus Estremotii Diœcesis Eborensis. Societati ad-

adſcriptus in eadem domo 19. Junii 1560. Tribus menſibus, quibus tantum apud nos fuit, multum eſt perſpecta illius virtus, præſertim in ægritudine, quâ fuit conſumptus. Latens abſceſſus erupit in latere. Sæpe ſcalpello ſciderunt carnem, ut pus foras exprimeretur. Penetratus acutiſſimis doloribus, ſuſtinebat incredibili patientiâ, nihil aliud habens in ore, quam patientis Domini plagas. Ejus æquanimitas erat intuentibus admirationi. Interrogatus, quomodo haberet? ſolum reſpondebat: *Bene habeo, laudes, & gratiæ habeantur Deo.* Si nominabant obedientiam, ſtatim adnitebatur vincere naturam medicamentis ſumendis repugnantem. Cum illi nuntiatum eſt citra dubium extingui vitam, inexplicabili perfuſus gaudio eſt, quod ad poſtremum usque anhelitum conſervavit.

P. Joannes Gomes.

Conimbricæ ſupremum emiſit ſpiritum anno 1662. Plurimis annis vixit, & laboravit in Reſidentia Promontorii Viridis. Multa illic perpeſſus tolerantiſſimè. Egit Miniſtrum Collegii Conimbricenſis, & Præpoſitum Domus Profeſſæ Villæviſloſæ. Præibat ſubditis in miniſterio excipiendi confeſſiones, & concionandi. Idem erat omnibus. Agens Miniſtrum ſyderatus eſt totâ corporis parte dextera. Ex eo tempore cæteris inutilis miniſteriis audiebat noſtratium confeſſiones. Sentiebant enim ſpeciale ſolatium in exponendis illi conſcientiis ob viri gratum modum, & ſingularem virtutem. Moriturus legavit Tyronibus depictam in linteo rubicundis coloribus imaginem Chriſti patientis, ex iis, quæ ſolent populo monſtrari in concionibus ſanctioris hebdomadæ. Hujusmodi donum illis reliquit in ſignificationem grati animi, quod ipſi, dum ægrotavit, ſerviiſſent.

DIE XX.

P. Petrus Maſcarenhas.

Ulyſſipone invidendâ morte occubuit anno 1579. Natus Montemajore novo Diœceſis Eborenſis parentibus illuſtriſſimis Vaſco Maſcarenio, & Maria Mendoza. Tres alios habuit germanos fratres in noſtra Societate, de quibus in hoc opere fit mentio. His prior ad nos venit, ejusque alii ſunt imitati exemplum. Conimbricæ ſtudebat; in Collegio Portioniſtarum erat convictor. Hujusmodi collegium traditum fuit adminiſtratioui noſtræ Societatis unà cum Artium Collegio: decurſu temporis variis de cauſis eſt extinctum. Permotus noſtrorum exemplis, Conimbricæ adhæſit Societati 6. Septemb. 1559. ætatis 14. Noſtris miniſteriis diligentem navavit operam tum Eboræ, tum in Madeyra Inſula, quò miſſus eſt ad tradendam ſcientiam Moralem, deinde Bracharæ ubi egit Præfectum ſcholarum. Ulyſſipone habitans in Domo Profeſſa frequens inviſebat carceres, noſocomia, & trire-

remibus addictos. Datâ opportunitate habendi missionem apud Christianos captivos Argirii, & Marrochii, impensè rogavit illò mitti. Hæc meditanti fæcunda est domi seges oblata. Etenim Ulyssipone exorta pestilentia, ipse magno animi fervore caput suum periculis objecit, petivitque infectis succurrere in æde salutis. Spectabile erat tanti viri exemplum in adjuvandis miseris die, ac nocte. Tandem illi horribilis carbunculus erupit in facie. Tulit curationes atrocissimas inenarrabili patientia. Sciens in eâdem jacere domo Xarifii, sive Regis Marrochiensis consanguineum, qui volebat mori Christianus, surrexit Petrus, & prope accedens instruxit fidei mysteriis, ac tinxit baptismo, quo ablutus paulo post emoritur, incredibili Petri consolatione; qui non diu supervixit. Audita Sanctissimi Viri morte, cunctam Ulyssiponem incessit mœror insolitus. Rex Henricus apertè dixit, cum eo periisse remedium Ulyssiponis. Cum in nostro Conimbricensi triclinio de more nuntiatus est ejus obitus, non fuit, qui temperaret à lachrymis.

P. Franciscus Cardozo.

IN Domo Professa Ulyssiponensi anno 1604. sanctissimam effudit vitam. Natus in oppido *Fornos* Diœcesis Visensis. Conimbricæ conjunctus Societati 15. Martii 1562. ætatis 18. Præclaro nituit ingenio ad magisteria. Docuit Philosophiam, Moralem scientiam, & Theologiam nomine ejus Sapientiæ digno. Verum se latè vicit in dotibus ad sacras habendas conciones. Concessit illi Deus ad id ministerium tantam facilitatem, ut horis singulis invenirent promptum ad quascunque conciones peragendas. Quod magis mirandum erat, eâ gravitate, & pondere concionabatur ex tempore, ut videretur afferre ad suggestum prædicationem diu meditatam. Propterea fuit unus ex hominibus sui temporis, qui majus nomen in concionando adepti sunt. Non curabat auditoribus placere, sed eos vel stimulare ad virtutem, vel ad peccatorum dolorem. Excurrit plurimas obeundo missiones. Multis annis ante suum obitum conjunxit muneri concionatoris onus explicandi pueris, & rudibus in plateis, & foris Christianam Doctrinam. Hoc ministerio, ad quod videbatur factus, multum profuit omnibus. Adversus seipsum magnâ usus severitate. Illius victus erat comunior, & crassior. Recentem piscem non attingebat. Jam in suis morbis, sive ordinariis corporis affectionibus sprevit medicamenta, dicens ea tres, vel quatuor ad summum annos addere vitæ spatiis eos libenter nolle, ne curationibus suis afferret aliis molestiam. Diebus singulis post cæteros in lectum collectos orabat in choro templi usque ad noctem mediam. Tunc verberato corpore, se recipiebat dormitũ. In magisterio catechesis in hæsit vestigiis Ignatii Martinii.

Vir magnæ dignitatis, & authoritatis illi obtulit locum valde honoratum in tribunali ſanctæ Inquiſitionis ea lege, ut deſereret magiſterium puerorum, & Æthiopum. Cui Franciſcus: „ Majores ego dignitates „ contemnam, ne è manibus dimit„ tam arundinem, quâ rego pueros „ Catecheſim docendos. Singularis viri affabilitas omnium ſibi devinciebat corda. Decima nona Septembris concionatus eſt de morte horis matutinis, & pomeridianis in urbe doctrinam ſacram exponens, inculcavit modum, quo ſe unusquisque deberet ad mortem comparare. Solebat quotidie facere poſtremum Sacrum, cùm non accederet hora conſtituta; ejus adivit cubiculum æditius, admoniturus, horam eſſe operandi ſacris. Ingrediens reperit mortuum. Adhuc aliquantulum erat calens, incumbebat ſiniſtro lateri, vultu tam hilari, ut vix crederetur mortuus. Habebat coram ſe aperta ſacra Biblia, ac digitum ſuper illa Apocalypſis verba: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Vulgatâ illius morte, incredibilis mœror omnem Ulyſſiponem occupavit. Opifices clauſerunt officinas ſuas, & propolæ tabernas. Infinitus hominum ad noſtram domum factus concurſus. Cum viſum eſt in templo cadaver, tanta fuit comploratio, totque gemitus, ut videretur tectum ipſum ruere. Certatim omnes curabant applicare defuncto globulos precatorios, ſudaria, galeros, & lipſanothecas: dum funebria concelebrabantur, erat res pietatis pleniſſima cernere pueros, nunc hos, nunc illos irruere in feretrum, ut Magiſtrum ſuum dilectiſſimum contingerent. Cum ſepulchro illatus eſt, petiverunt, ut cum Magiſtro contumularent diſcipulos. Tandem humatus eſt non ſine magno labore propter denſiſſimum populum. Ubi ſepultus fuit, omnes externi, qui aderant, avulſerunt à collo quoddam ornamenti genus, quod fieri ſolebat charorum in morte. Diebus ſequentibus domum redibant admiratione pleni Socii Coadjutores, quibus eſt curæ eleemoſynas colligere, dicentes ſingulis domibus complorationem eſſe, tanquam ſingulorum obiiſſet parens. Concionatores de illo vulgarunt plurimas laudes è ſacro ſuggeſto. Inſtituerat ſodalitatem Cantorum, qui ſolemniſſimâ pompâ Franciſco juſta perſolverunt.

P. Emmanuel Rodrigues.

Conimbricæ mortalitatem exuit anno 1612. Natus in oppido *Covilham* Diœceſis Guardienſis. Conimbricæ adjunctus Societati 27. Dec. 1561. ut eſſet Coadjutor ſpiritualis. Nondum Sacerdos magno fervore Ulyſſipone ſerviit contactis peſtilentiâ. Bracharæ pari animi ardore juvit miſeros, quos vexabat peſtis. Tandem Conimbricæ furente eodem malo 1599. tanquam miles veteranus prodivit in aciem. Migravit ad ſuburbanam Collegii villam, ex eo lo-

loco, dum pestis grassata est, exiit, quocunque vocabat necessitas vel corporalis, vel spiritualis infectorum, nocte, die, cælo, pluvio, sereno, aut æstuante. A fine Januarii usque ad tempus æstatis infatigabili spiritu piis laboribus incubuit. Nonnunquam eundo, ac redeundo emetiebatur pedibus leucas quinque. Hæc habet in quadam narratione manuscripta: „ Cum essem tam debilis, ut „ vix possem me ad Collegium con- „ ferre ex Monasterio sanctæ Crucis, „ aut ponte fluminis, vincebam hu- „ jusmodi itinera fervente æstatis so- „ le plenus vigore. Etiam est perculsus pestilentiâ: verum Deus servavit à morte liberum, ut omnibus esset solatio. Vidit socios suos charissimos Georgium Tavoram, & Ludovicum Antunium sub ipso onere profudisse animas. Per id tempus audivit supra tria millia confessionum tum in æde salutis, tum per vias, tum ad olivarum truncos. Ejus verba ad animos permovendos habuerunt vim admodum efficacem. Cum porrigebat infectis peste sacram synaxim, pronuntiabat verba tam fortia, & fervida, ut animos ad pietatem, ac peccatorum dolorem liquefaceret. Has exhortationes antiquâ quadam simplicitate, sed rem ipsam exprimente, vocabat harpagones spirituales, quibus animæ trahebantur è profundo cæno in cælum. Cum est pestilentiâ contactus, superiori motus instinctu attigit perniciosos tumores Venerabili Eucharistia, & subitò evanuerunt. Erumpente peste se obtulit Rectori his verbis: „ Advenit „ tempus vel pereundi morte hono- „ ratâ, vel saltem explendi, quam „ in me sentio patiendi aviditatem. Ulyssipone, quo tempore (ut est dictum) serviit peste infestis, id peregit tantâ charitate, ut antonomasticè eum omnes vocarent *Patrem charitatem*. Postremis annis oculorum contraxit cæcitatem, quo factum est, ut esset expeditior ad res Divinas contemplandas, & fundendas vocales precationes, hujusmodi exercitiis nutrivit indies spiritum, quem virtibus excultissimum Deo reddidit.

Andreas de Sä Scholasticus.

IN eodem Conimbricensi Collegio, eâdem die, & eodem anno 1612. suavissimâ defunctus morte. Natus in oppido *Cascais* Diœcesis Ulyssiponensis. Complexus Eboræ Societatem 2. Julii 1605. Illius vita ornata est moribus sanctissimis, cujus index fuit ipsa mors planè cunctis invidenda. Vicinus erat morti Emanuel Rodericius, de quo proximè meminimus, tunc Andreas ægrotans facultatem petivit à Rectore proficiscendi cum ipso ad cælos. Ubi Pater expiravit, dixit Andreas infirmario; Pararet, quæ forent opus in suum funus, atque vocaret Rectorem, ut sibi benedictionem impertiret, & moriendi facultatem. Accedente Rectore, verbis supplicibus enixè petivit, ut sibi concederet abire de vita, velle se ex obedientia mori. Sub hæc postula-

lavit accensam candelam, quâ sumptâ, & manu alterâ tenens crucifixum, cui suavissima impegit oscula, anhelitu velut expirandi anxio exhalavit animam; stupentibus ad tam admirandum spectaculum, qui aderant. Tandem animadverto diem obitûs ab aliis scribi mense Majo: ex ipsis ego eundem typis vulgavi in Imagine virtutis Eborensis Tyrocinii. Posteà consului Conimbricæ obituum codicem, qui hunc diem habet.

Gonsalus Fernandes Coadjutor.

IN Domo Professa Ulyssiponensi vitam absolvit anno 1623. Natus in oppido *Avintes* Diœcesis Portuensis. Majorem annorum partem in illa domo traduxit. Ultra annos quadraginta obivit Janitorem ostii, ad quod dividitur mendicis eleemosyna. Præbuit illic multarum virtutum exempla Humilitas, sinceritas, mansuetudo, obedientia, & charitas in eo ad certamen usque eminebant. Ergà pauperes illius charitas tanta fuit, ut quosq; eâ virtute insignes aut æquaverit, aut vicerit. Illius erant curæ habere, quod egenis tribueret. Quanquam mendici supra modum sint importuni; nunquam Gonsalus adversus ullum protulit verbum minus suave, aut ex parte molestum. Omnes consolabatur saltem verbo, si non potuit opere. Idcirco ejus mors copiosas in oculis pauperum excivit lachrymas, & in ore suspiria.

DIE XXI.

P. Vascus Pires.

ULyssipone in Domo Professorum vir sanctissimus obivit an. 1590. Natus Helviæ in Transtagana Provincia. Conimbricæ Societatem ingressus 15. Augusti 1560. A primis in Religione annis habitus homo Angelicus. Docuit linguas Græcam, & Hebræam, tantaque jam per id tempus de illo erat opinio, ut omnes scholastici externi, quos instituebat, apud ipsius pedes per confessionem eluerent animas. Antequam sacris initiaretur, nuncupavit tria vota solemnia, ut moris fuit, dum vixit Sanctus Pontifex Pius V. Quæ prohibitio sublata est illo moriente. Professionem solemnem votorum quatuor emisit 17. Mart. 1577. Ob singularem virtutem adjunxerunt Socium Magistro Tyronum Conimbricæ. Paulò post ibidem est constitutus eorundem Magister, quod munus egit annis duodecim, tot ornamentis virtutum ad id munus requisitis illustratus, ut procul dubio fuerit ex insignioribus nostræ Societatis, qui Tyrones educaverunt. Ejus erat intensior cura, ut, qui jungebantur Societati, niterent dotibus ad tantum institutum necessariis, quò, Societatis accedente disciplinâ, formarentur apta ad Gloriam Divinam instrumenta. Ajebat, prudentem pomarii cultorem diligentissimè conquirere selectiores surculos, quoniam, qui venturo tempore illis vescuntur pomis, ha-

habent gratias cultori primo tam grati pomi. Secus vero, si pomi succus est acidus, & injucundus, ubi degustant, foras expuunt loquendo malè de homine, qui tam insuavium pomorum surculos suis adoptavit arboribus. Nolebat cæremonias in Tyronibus, sed candorem, & sinceritatem. Eum reverebantur Tyrones ut suavissimum parentem. Quidquid ipsis doctrinæ instillabat, tanquam in blanda cera solebat imprimi. Quos inveniebat parum utiles, statim dimittebat è Societate, ut magis utiles vacuum locum implerent. Documenta proposita in tempus venturum altè retinebant. Habuit magnam spirituum discretionem, & multam solertiam in dignoscendis cujusq; genio, & naturâ. Propterea unicus erat in odorandis, & frangendis Tyronum sinistris propensionibus. Vel ipsam corrigebat naturam. Si quis hanc, vel illam escam non vescebatur, curabat, ut talis esca dissimulanter aliis cibis permixta illi apponeretur. Tunc si stomachus retinebat, cogebat Tyronem suam aversantem naturam vincere. Si vero stomachus dissimulatum cibum respueret, non amplius insistebat, urgebatvè, ut illum tolleret horrorem. Volebat enim homines de Societate omnibus eduliis assuescere; propterea quod turi essent ad missiones, & usuri alienis hospitiis, & oporteret attemperari hospitibus. Donum illi fuit speciale in tranquillandis animis scrupulorum anxietate vexatis. Idcircò non solùm à nostris, sed etiam ab externis consulebatur: aperiebant illi animas suas, ut mederetur prædictis molestiis. Res occultas sæpissimè manifestavit. Hinc est ortum, ut sibi haberent persuasum Tyrones, à Deo Magistro suo patefieri eorum corda, propterea nihil audebant occultare. Ajebat, Novitiatum sibi esse lipsanothecam, quam gestaret applicatam pectori. Ingredientes Societatem vocabat suæ lipsanothecæ gemmas. Frequenter, postquam se in lectos receperant, adibat exploratum uniuscujusq; vestem interiorem, si reperiebat parum commodam; sequenti die meliorem jubebat tribui. Admonebat, ut sæcularibus percontantibus, cur hunc, vel illum Societas expulisset, solum responderent, quod ita sit visum Societati; aliud responsum conveniens non esse. Considerari non potest benevolentior filiolis suis mater, quam Vascus suis fuit Tyronibus. Cum unus de Tyronibus è lapsu remanserit valde contusus, id tam intimè sensit Magister, ut jacentem in valetudinario, non sit ausus invisere, nisi postquam illi dictum est, habere jam melius. Quotidie fundebat ad cælum preces pro dimissis è Societate, ne inquinarentur peccatis. Quando flectebat genua, orabat pro mundo dicens: Mi domine, miserere hujus mundi. Plurimum cupivit Indiam adire. Confessus est, Deum sibi tribuisse desiderium omnibus benefaciendi, & malefaciendi nemini. Castitate æmula-

mulatus eſt Angelos. Ubi Superioris innotuit illi voluntatis ſignificatio, protinus obedivit. Semel accurrit ad Superioris mandatum mediâ barbâ ſolum raſâ. Cum Rector improbaſſet id factum, reſpondit, ſibi non fuiſſe notam ipſius voluntatem. Dictitabat obedientem futurum perſimilem innocenti puero, qui nihil amplius ſcit, agitve, quam quod illi jubetur. In rebus à ſancta obedientia injunctis futurum intrepidum, at in eis, quibus ipſe ſe immergeret, futurum timidum. Majorem in modum averſabatur excuſationes. Ex eo non eſt auditum verbum difficultatem ad obediendum oſtendens. Ejus nimia paupertas munda fuit, talem volebat in ſuis Tyronibus. Idcirco ante feſta ſolemniora jubebat reſarciri tunicam ſuam, & Tyronum, ut mundiores tali die prodirent. Dum inſtaurabantur, & ipſe, & Tyrones aſſumebant tunicas talares vetuſtas, ac decurtatas, hujusmodi mortificatione ſe comparantes ad ſolemnitatem venturam. In obſequium hujus virtutis ſemper ivit pedes ad Congregationes Provinciæ. Ex Portuenſi urbe perrexit Ulyſſiponem pedibus, quò pervenit calceis tam laceris, ut faſciis obvii panni eos convolverit, & ligaverit, ne de pedibus exciderent. Causâ peſtilentiæ ſævientis Conimbricæ ſeceſſit cum ſuis Tyronibus ad Reſidentiam Carquerenſem, illic ſemper dormiit ſuper culcitram plenam agreſti, & valde aſpero frutice. Audiens aliquod virtutis ſingulare exemplum vel domeſticum, vel externum, ſcribebat in charta, & imitabatur. Ipſamet Tyronum ſpecialia exempla ſolitus adnotare, ut paria exequeretur. His, aliisq; virtutibus conjunxit profundiſſimam humilitatem. Pater Sebaſtianus Moralius electus Japonenſis Epiſcopus voluit eum Vice-Provincialem conſtituere, dum expectabatur à Roma novus Provincialis. Vix explicari poteſt, quantum ingemuerit, quantumque ſit adnixus, ut humeros huic ſubtraheret honori. Tandem has anguſtias egreſſus eſt, quod Sebaſtianus noluerit illi negotium faceſſere admodum moleſtum ejus humilitati. Eluctatus è tanto periculo: Gratias, dixit, habeo quam maximas Deo, qui me liberavit ab arctiſſimis anguſtiis, in quas vidi me hodie conjectum. Non minori ſe conſideravit preſſum pondere, cum Ulyſſipone ſunt illi traditæ patentes litteræ, quibus præficiebatur Collegio Ulyſſiponenſi Rector. Prætendit excuſationem, dum expectatur reſponſio, intervenit mors. Conjectum eſt ſuis precibus obtinuiſſe potius mori, quam gubernare. Nihil habuit minoris ſe ipſo, rebusque ſuis. Oratio, & mortificatio erant ipſi quotidianus panis. Hærebat ejus memoriæ dictum venerabilis viri Gonſali Silveiræ: *Fieri non poſſe, ut viveret ſine Oratione.* Ad imitandum ſanctum Parentem Ignatium ſingulis horis diſcutiebat conſcientiam. Virginem Matrem, quam dilexit ex intimo corde, vo-

vocabat suum unicum adminiculum. Die Natalis Magnæ Matris semper aliquo donabatur speciali favore. Anno, quo mortuus est, is favor, ut ipse dixit, fuerunt acuti dolores, unde mors traxit originem. Sacrosancta Virgo divinis fulgens splendoribus illi se obtulit spectandã. Ob eam causam cubiculũ est versum in sacellum, quod posteà ad explicandum locum ædificio Collegii, dirutum est. Celebrabat multâ pietate dies nostrorum Martyrum. Die martyrii nostrorum Edmundi Campiani & Sociorum ejus, sensit quandam interiorem suæ salutis æternæ certitudinem velut in præmium obsequii martyribus à se præstiti. Quanquam in rebus sanctis erat piissimus, ergà Nascentem in præsepio Dominum citrà dubium vicit seipsum. Inexplicabilis erat suavitas, quâ solitus affici vel id mysterium considerando, vel de ipso loquendo. Composuit discursum, qui postea typis mandatus, de Nascente Domino. Tantæ devotionis est plenus, ut in rem nihil possit suavius scribi. Quot annis apud nos legitur quadrante ante mediam noctem Natalis Domini. Nunquam dixit verbum facetum, aut alienos mores rodens, nec novitates ullas narravit; has dicebat esse inimicas animæ quieti. De illius singulari virtute constans apud omnes viguit excellens opinio. Aliqui ex composito advigilarunt ejus actionibus, repereruntque illum vel repentè, vel consultò nihil egisse, quod non congrueret legibus virtutis. Verum nullo experimento clarius est perspecta ingens illius virtus, quam cum amotus est à magisterio, & publicâ inustus pœnitentiâ eodem in Collegio, ubi tanquam sanctum venerabantur. Crimina (si dici possunt hoc nomine) duo illi sunt objecta. Primum, quod celebrans nostrorum martyria, spargeret floribus aulam, in quam Tyrones conveniebant ad habendas coram picturis Martyrum collationes, & colloquia. Arguebant, id esse Tyrones inter delicias educare. Secundum, & capitalius crimen fuit, quod cum Princeps Brigantinus Alexander expiasset animam per confessionem apud ipsius pedes, pædagogusque dixisset Vasco Principem esse teneræ ætatis, permansurumque ad concionem audiendam, propterea juberet offulam ad ipsum perduci ex culina; Vascum, non obtentâ à Superioribus facultate, afferri tale edulium præcepisse, ac dari Principi. Criminabantur, id esse disponere de bonis domus contra paupertatem. Igitur hujuscemodi grandibus delictis in charta scriptis longo carmine, & verbis severis; pro mensa lecta est talis charta, & ipse ob tanta crimina remotus à Tyronum magisterio, & relegatus ad urbem Portum. Magna omnium suspensione, & cadentibus lachrymis hæc sunt audita. Cum profecturus, ad januam Collegii valedixit omnibus, comploratio talis fuit, ut Rector admiratione defixus dixerit: Ego bene opinabar de virtute Patris Vasci Pi-

rii, ſed tantum non cogitavi: Viam fecit in mulo clitellario portaturo piſces ex oppido *Eſgueyra*, cujus ſtragula ex aſſuetudine talium onerum adeo gravem odorem effundebant, ut Pater nauseâ ſit perturbatus. Erat in urbe Portuenſi, cum eſt indictus Provincialis Conventus Ulyſſipone. Illò vocatus, iter omne emenſus pedibus. Conimbriam non ingreſſus, quamvis ſit in eo itinere. Id peregit, ut faſſus eſt, ad frangendum deſiderium, quo tenebatur eos alloquendi, quos Chriſto peperit. Sciens Rector illum eſſe Gaſconiæ, quæ à Conimbrica verſus Ulyſſiponem unâ diſtat leucâ, ad eum ſcripſit, veniret ad Collegium, id omnes valde cupere, ut deſideria de ipſo ſatiarent. Modeſtis verbis ſatisfecit Rectori, & iter continuavit. Soluto Provinciæ Conventu, ſubſtitit in Collegio Divi Antonii agens Præfectum à ſpiritu. A multo tempore ſentiebat moriendi ardentiſſima deſideria, quæ morte vicinâ exarſerunt acrius. Ubi primum diffidebant Medici de ipſius vita, deſideravit tanquam Societatis Profeſſus in Domo Profeſſorum mori, ad eam vectus eſt decumbens hexaphoro. Suſceptis Sacramentis, illum rogavit Socius, quem in tyrocinio erudierat, præberet ſibi aliquod ſalubre monitum: cui ægrotus: *Fili mi, hoc tibi unicè dico, ne ſerves aliquid in hanc horam.* Illius mortem doluerunt plurimum omnes, magnam enim Provinciæ partem inſtituerat documentis ſanctiſſimis in tyrocinio. Sexto poſt ejus mortem anno repertum eſt cadaver integrum veſtibus incorruptis.

P. Vaſcus Baptiſta.

CONimbricæ ceſſit è vita an. 1596. Natus Moymentæ, Diœceſis Lamecenſis. Societati adſcriptus Conimbricæ 28. April. 1563. Adeò modeſtus fuit, ut vulgò diceretur ſatis eſſe ad cognoſcendam virtutem Societatis intueri modeſtiam Patris Vaſci. Nec otioſum verbum, nec obtrectationem protulit ejus lingua. Cùm ſemper de Deo, ac rebus ſanctis loqueretur, neminem afficiebat tædio. Frequenter inviſebat Sanctiſſimum. Obtinuerat facultatem recipiendi ſe in lectum ſeriùs aliis, id tempus conſumebat in choro templi Divina contemplans. Ajebat Deum magnâ providentiâ in omnibus regnis habere aliquod monumentum inſigne de venerabiliori Sacramento, in Luſitania Scalabitanum, in Caſtella Daroucenſe, & aliis in locis alia, nimirùm ut tanti myſterii vivam ſemper conſervaret memoriam. Ardentiſſimo affectu colebat B. Virginem Matrem. Sæpè clauſis templi foribus ad ejus aram flexis genibus recitabat Roſarium tali voce, ut audiretur in choro, tam devotâ, ut audientes redderet pii ſenſus teneritate delibutos. In concionibus extra urbem populum edocebat faciles & breves precationes, quibus conſalutaret B. Virginem. Quamplurimos Veneris dies per annum tranſigebat ſolùm pane & aquâ contentus. Singulari chari-

ri-

ritate præditus fuit. Vocatus in carcerem, ut confessionem audiret, invenit mancipium corruptum pernicioso morbo. Post obitam confessionem Sacrum fecit, ut moriturum Viatico muniret. Quòd esset ob nuditatem parùm decens, jussit operiri suo pallio, quòd innumeris est tectum pediculis: Illo mundato, & humeris sumpto rediens ad Collegium paulò pòst sensit valetudinē graviter tentatam. Compertum est pestilentem mancipii morbum in eum se diffudisse. Protinùs se ad extremum agonem expedivit. Roganti Socio, ut sui & Collegii apud Deum recordaretur, respondit: memorem fore suorum fratrum, & Conimbricensis Collegii, in quo natus esset Religioni, si Deus dignaretur beare suo conspectu: sperare de ipso dicendum: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta Civitate* Per id tempus componebat Summam Theologiæ Moralis accommodatam Ecclesiæ Japonensi. Paulò antè redierat à patria sua, quò contenderat ad concionandum in erectione Monasterii anctimonialium ædificati in domo atris sui.

DIE XXII.

Bartholomæus Rodrigues Novitius Scholasticus.

IN oppido *Abrantes*, Diœcesis Guardiensis, ubi natus fuerat, immaturâ morte sublatus anno 1568. Societati adjunctus Conimbricæ 17. Novemb. 1566. Propter ægritudines censuerunt Medici spem non esse valetudinis recuperandæ, nisi rediret ad patrium cœlum. Ob parentum nobilitatem, & illius mores innocentes ex re visum est mitti ad paternam domum, ut convalescens reverteretur in Collegium. Magni fecerunt parentes hoc Societatis beneficium, & honorem, quòd sibi filium non dimiserit expulsum. Mirum in modum consuluit modestiæ sui statûs. Urgebatur maximis desideriis moriendi Conimbricæ inter suos Contyrones. Postremâ vitæ suæ die ad matrem suam dixit: Quænam fuisset fœmina valdè pulchra, quæ illi adstiterat, ac sibi dixerat: *Fili, hinc ito hodiè, nam horâ nonâ te exspecto.* Respondit mater, nullam ibi fuisse mulierem. Cùm horâ nonâ animam efflaverit, creditum est illam fœminam non aliam fuisse, quàm B. Virginem Deiparam.

Simon de Almeyda Scholasticus.

IN Collegio Brigantino anno 1617. ad immortales abivit. Domo Conimbricensis. Vixit addictissimus obsequiis SS. Deiparæ; dum Tyronem egit, gravissimis & molestissimis diuturnitate morbis ita est vexatus, ut cogitatum sit de ipso è Societate dimittendo. Quanquam id consilii odoratus est, nihil fuit turbatus, firmissimè sibi habens persuasum moriturum se in Societate ob Virginis singulare patrocinium. In illius honorem semper jejunio transegit Sabbata. Obedientissimus habebatur. Ad nu-

nutum Superiorum vel quæque ardua non formidabat aggredi. Honestabat faciem, & oculos Angelica modestia & genius suavissimus reddebat omnibus amabilem. Postremo in morbo nihil vilius illi fuit, quam vitæ amor, nihil morte charius, ut posset exutus corpore, Deo frui. Obivit instar juvenis Angelici; talem ipsum reputaverat, qui audiebat noxas vel potius noxarum umbras per confessionem expiantem.

DIE XXIII.

Antonius Moniz Scholasticus.

ANno 1546. Romæ obivit die mihi non comperta. Natus Ulyssipone parentibus illustrissimis Joanne Monisio, & Violantia de Sylva. Conimbricæ additus Societati 27. Januarii 1544. Eodem profectus ad Regnum Valentiæ cum Patre Didaco Mirone, ut jacerentur initia nostro Collegio. Sequenti anno Phæbus Monisius unus ex intimis Regis Sebastiani Valentiam contendens, fortiter Antonium oppugnavit, ut desereret Societatem. Permotus illius rationibus aliquantulum est emollitus, & illi tribuit aliqua ex bonis suis, quæ destinarat Collegio Conimbricensi. Videns Miro, quod vacillaret in suo proposito, remisit Conimbricam. Ejus spiritus anhelabat ad austerius vitæ genus, & longas peregrinationes. Multum sudavit Pater Simon Rodericius Provincialis, ut stultam adolescentis cogitationem extingueret, laboravit tamen incassum. Urgebat importunè, ut se dimitterent è Societate. Comperendinabat Simon, sperans ipsa die sanandum. Verum Antonius moræ impatiens profugit è Collegio, suasque peregrinationes incepit adeundo Compostellam. Nuditas, fames, & frigora aperuerunt ipsi oculos. Quamvis suam viderit amentiam, erubuit Conimbricam regredi. E Compostella contendit Monserratum. Illîc decrevit secum Romam pergere, ac se devolvere ad pedes S. Ignatii facti pœnitens. Avenione in Gallia ægrotavit. Tandem pervenit Romam seminudus, & præ macie luridus, ac consumptus. Hospitatus est in nosocomio Divi Antonii. Scripsit inde ad S. Ignatium, statum suum, ac dolorem referens, multis precibus flagitans, excipere vellet filium suum verè prodigum, qui domum patris reliquerit ad inanes siliquas conquirendum. Jussit Ignatius, ut extra domum uteretur assignato hospitio. Noluit in suam admittere præsentiam, licet imperaverit, ut præberetur illi victus quotidianus, veste tamen lacera non mutata. His diebus nudans corpus totum supra umbilicum discurrit, inscio S. Ignatio, per Stationes Urbis flagello tergum cruentans. Alias meditabatur sui corporis castigationes, & exequeretur, nisi impediret S. Ignatius, qui post dies duodecim ad suum conspectum venire jussit. Procubuit ad sancti pedes, effusis lachrymis, & precibus postulans commissorum veniam.

niam. Eum sanctus Parens est consolatus, & complexus, curavitque, ut sordes deponeret, & illius prospiceretur valetudini. Verum durissimis laboribus hecticâ febri accrescente, brevi contabuit. Divus Ignatius illum tumulari jussit prope sepulchrum Patris Joannis Codurii, qui fuit unus de primis ejus Sociis. Devolutis aliquot annis, apertâ sepulturâ, inventus est incorruptus. Fuit consanguineus Eleonoræ Castriæ Conjugis S. Francisci Borgiæ.

DIE XXIV.

P. Gomius de Amaral Martyr.

IN Java Majori apud Orientis populos freto Sundano vicinos martyrio exornatus anno 1580. Natus in urbe Visensi. Conimbricæ adhæsit Societati 20. Junij anno 1560. Nihil magis cupiit, & expetivit, quam ad Indiam proficisci, ut animas Deo lucraretur. Negatâ facultate, B. Virginem rogavit, ut sibi hunc favorem à Filio suo adipisceretur. Ad promerendum ejus patrocinium, peregrinationem instituit ad ædem sacram Virginis à Rupe Gallica in confiniis Castellæ, & Lusitaniæ. Voti compos ad Indiam navigavit 1574. Laboravit in regione Capitis Comorrini. Deinde missus in Amboinum, quæ una est ex Insulis Molucensibus. Unà cum Patre Georgio Fernandio, cum in Java audirent pænitentes, à Mauris in odium fidei sunt trucidati.

P. Georgius Fernandes Martyr.

EAdem in Java, eodem anno 1580, & eâdem die pro fide occubuit, Natus Lacobrigæ in Algarbiis. Iniit Societatem in Domo Professa Ulyssiponensi 1561. Docuit Rhetoricam Eboræ, & Conimbricæ. Profectus ad Indiam 1578. Migrans ad Moluccas cum Gomio Amaralio à Mauris prædicto modo, & ob fidei causam occisus est. Qui dicunt esse domo Ulyssiponensem, delusi sunt alio ejusdem nominis, ut alibi fusius ostendo.

DIE XXV.

P. Doctor Franciscus Suarius Granatensis.

ULyssipone in Domo Professa ad immortalem patriam translatus anno 1617. Natus Granatæ ex parentibus illustribus Gaspare Suario de Toledo, & Antonia Vasquia Utielia. Studuit Granatæ Latinis litteris, & Salmanticæ annis tribus Juri Pontificio sine profectu; quod nec diligenter studiis incumbebat, nec sentiebat litterarum suavitatem, solum indulgebat oblectamentis honestis, ad hæc enim ipsius naturæ ferebatur propensione. Per id tempus in Academia Salmanticensi magnas fecit morum conversiones suis concionibus Pater Joannes Ramirius de nostra Societate. Inter plurimos, quos ejus perculerunt ignita verba, unus fuit Franciscus Suarius. Petivit adoptari in

So-

Societatem; repellebatur, quod eſſet tenuis viribus, & ingenio, ut prodebant anni ſtudiorum ſine ullo, aut certè parvo profectu. Incitante Divini Spiritus interiore ſtimulo, convenit Joannem Suarium Provincialem noſtrum, qui permotus inſtinctu ordinis altioris contra pene omnium ſententiam voluit Suarium nobis adjici. Re ipſa Societati adſcriptus 16. Junii 1564. ætatis 16. quod multum dubitaretur de ipſius ad litterarũ ſtudia capacitate, coegit eum Rector ſcribere manu ſua, ipſum indifferenter admitti: Nimirum Coadjutorem, ſive Laicum futurum, aut ſcholaſticum, prout dies ipſa ingenium aperiret. Nondum abſolverat tyrocinium, cum cæpit operam navare Philoſophiæ tot indiciis ruditatis, ut ipſemet rogaverit ſuperiores, ſinerent potius diſtineri in domeſticis officiis, & vitam tranſigere in gradu Laici, quando nihil faveret ad ſcientias capiendas ingenium; cum auditus non eſſet & continuaret, brevi, diſcuſſis nubibus, & nebulis, inſtar ſolis illud portentoſum ingenium cœpit explicare ubertatem ſuam. Certe Martinus Gutterrius vir à Deo illuſtratus, quem martyrium exornavit, cum Suarius ſibi magis diffidebat, ſæpè dixit; Suarium Eccleſiam Dei plurimum adjuturum, & condecoraturum Societatem. Docuit Segoviæ Philoſophiam. Per id tempus diebus feſtis excurrebat per oppida vicina, inſtituens populum doctrinâ. Ibat, ac redibat pedes, nolens prandium acceptare in locis, ubi concionabatur. Semel finitâ concione, cum ſtatim itineri ſe daret, ita ejus pectus eſt contractum & affectum, ut præter acutos dolores, qui ſupervenere, amplius non potuerit concionari. Illud plane mirandum eſt, quod, cum laboraret ex infirmo pectore, ſcripſerit manu ſua, quæcumque typis commiſit. Tradidit aliquot annis Theologiam Valliſoleti, poſtea Romæ annis quinque plauſu maximo: deindè valetudinis causâ rediens ad Hiſpaniam, eandem ſcientiam annis octo docuit Compluti, & uno Salmanticæ. Vacante primaria Theologiæ Cathedra Academiæ Conimbricenſis, eadem Academia poſtulavit à Rege Philippo in ejus Cathedræ Magiſtrum, vel Ludovicum Molinam, vel Franciſcum Suarium. Quod jam eſſet factum initium controverſiæ de Auxiliis ortæ ex Concordia Molinæ, ut Academiæ conſuleretur publicæ quieti, conſultiùs eſt viſum, ſuffici Suarium in eum locum. Iniit poſſeſſionem cathedræ anno 1597. ſolum inſignitus Doctoris gradu à noſtro Provinciali juxta noſtra privilegia. Verum Academiæ Doctoribus obicem tali gradui ponentibus, Eboram profectus illic menſe Junio prædicti anni donatus eſt Laureâ Doctoris. Magnam illi movit is honor invidiam. Nam qui à multis annis ſerviendo Academiæ canis ſua capita videbant albentia, magnopere talem promotionem indignabantur. Nemo ægrius

grius id tulit Ægidio à Præsentatione Eremita Augustiniano, inter Doctores jure merito præclarissimo. Suam sapientiam jactaturus,& ostensurus, quam fuisset otiosus novi Magistri adventus, in lucem edidit conclusiones, quas defendendas jussit distribui Doctoribus. Nominatim invitatus Suarius, resque erat in maxima expectatione, confluente ob id ipsum universâ Academiâ. Attentis omnibus Suarius argumentum suum objecit, eâ, quâ solebat modestiâ; Majorem propositionem negavit Ægidius. Hic Suarius ne uno quidem addito verbo, conticuit. Nostri, qui aderant, pudore suffusi sunt: in Academicorum vultibus eminebat quædam velut exultatio, aut irrisio de Castellano, quem ad se tanquam monstrum sapientiæ misissent, qui negatâ propositione primâ, ultrà non posset gradum facere, sed hæserit muto similis. Nostri homines domo redditi, conqueruntur apud Suarium, quod tanto Societatis dedecore fefellerit amicorum expectationem: Cur non institerit, nec ipsi erat difficile, ut saltem quâdam argumeni inani pompâ Academicos relinqueret in dubio. Hic vir sanctissimus, ut eos consoletur, extrahit è femoralium crumena Librum, in quo Conciliorum continentur canones, ostenditque propositionem negatam, fuisse per verba, ut ajunt, formalia, Concilii Canonem. His adjecit: *Mei Patres, Ægidius magni nominis Doctor est in hac Academia, si ego proferrem Concilium, planissimum est tanti viri famam habendam pro nihilo, deturbandamque ex honore, in quo apud omnes est. Id minimè decens erat, nec patiebatur. Religiosa charitas.* Stupuerunt omnes responso tali audito, quod nullis verbis pro merito laudari potest. Innotuit Ægidio heroicus charitatis actus; Ut erat vir mentis celsæ, rei magnitudinem vix admiratione complectens, Franciscum ex eo tempore ut Angelum est veneratus. Opinionem, quam de ipso conceperat, manifestavit significatione insolita. Singulis diebus in Missæ sacro Orationibus consuetis addebat Doctoris anonymi Commemorationem cùm eam numquam omitteret, interrogavit, qui ministrabat; Quisnam esset ille Doctor? Cui Ægidius: *Hic Doctor est Franciscus Suarius Granatensis, quem ego inter mortales ut magnum sanctum suspicio.* Hoc aliisque eximiæ sapientiæ, & virtutum argumentis non solum æmulorum fregit, sed superavit invidiam. Omnes eum, ut scholarum novum solem intuebantur. Ejus Libri plenissimi profundâ sapientiâ reddidere toto in orbe Christiano celeberrimum. Egregiè confutavit errores Anglicanos, hic liber publicâ sententiâ, ab hæreticis igni damnatus non sine sua authoris invidia, qui cuperet eamdem sortem; ut ipsi significavit noster Sebastianus Barradius in rem pronuntians illud Ovidii.

Parve (sed invideo) sine me Liberibis in ignē,
Hei mihi, quo Domino non licet ire tuo!

Illius ſapientiam multi crediderunt à Deo infuſam, quamvis adjecit infatigabile ſtudium. Virtutes non fuerunt minores ſapientiâ. Dum vacat orationi, viſus eſt in aere ſublimis à terra. Semel inventus hoc modo coram Crucifixo, ex quo prodibant micantes radii, in Franciſci directi vultum. Hujuſcemodi ſimulacrum uſque in hodiernam diem conſervamus Conimbricæ in ſacello Dominæ à Divo Luca. Ad nodos difficultatum in ſtudiis ſolvendos Chriſtus Crucifixus illius erat Bibliotheca. Sumoperè colebat Virginem Sanctiſſimam. Ejus diebus feſtis duabus horis ante Miſſæ ſacrum orabat. Ipſe fuit primus, qui publicè defendit, & typis mandavit, gratiam, & gloriam ſolius Virginis excedere gratiam, & gloriam totius Eccleſiæ triumphantis, & militantis. Eadem Virgo apparens Patri Martino Guterrio, eſt illi gratificata, quod firmiter reſtiterit impedientibus, ne talis Virginis prærogativa publicis theſibus defenderetur, quod eſſet res nova. Numquam, etiam in longis itineribus, abſtinuit à ſacro faciendo. Injurias patientiſſimè ſuſtinebat. Commercia cum noſtris, & externis ſemper vitavit, quod tempus omne illi neceſſarium eſſet ad res gerendas, & onera ſuæ compoſitionis. Quotidiè ante Orationem matutinam flagellabat corpus. Ejus victus ſimilis erat jejunio. Admirabili ſapientiæ conjunxit raram animi demiſſionem. Occaſione Comitiorum Societatis Romæ mens fuit aliquibus eum eligi in Provincia, ut aſſiſteret convenui Univerſæ Societatis. Non defuit, qui ſignificaret ipſimet, id agitari eâ ſpe, quod aſſumeretur in Generalem. Ad tale verbum humi defixit oculos facie rubore ſuffusâ dicens: inutilis ſum ad obeundum coqui munus, quanto magis ero ad Generalis. Alphonſus Caſtelbrancus Epiſcopus Conimbricenſis in approbatione Libri contra erorres Anglicanos eum vocat Magiſtrum Communem, & alterum Divum Auguſtinum. Erubuit Suarius lectis hujusmodi titulis, & per ſe, ac per alios adhibuit diligentem curam, ut Epiſcopus deleret ea verba. Noluit reſpondens in hoc ſe velle ſimilem videri Pontio Pilato, cujus ad Judæos fuit reſponſum: *Quod ſcripſi, ſcripſi*: Illum interrogavit Profeſſor ex inſignioribus Academiæ: quisnam deberet magis Deo, in Rex cui dediſſet coronam, an ipſe, cui tradidiſſet claves ſapientiæ? Cui Franciſcus, demiſſis præ verecundia oculis: *Mi Domine, plus Deo debet ille cui præbuit magnam humilitatem, & propriam cognitionem.* Numquam volui imunitates, & Privilegia, ſolum admiſit ea, quibus illi plus dabatur temporis ad ſua ſtudia. Erat omnibus non ſolum affabilis, ſed etiam ipſamet affabilitas. Nec ipſe dixit verbum, quod alienos carperet mores nec ſe præſente dici conſenſit. Prar

deba

debat apud unum ex illustrioribus Regni Præsulibus, qui eum invitaverat. Cœpit Præsul cuidam nobili viro detrahere, statim Franciscus cœpit eandem personam defendere. Non cessante Præsule, inquis tuarius Illi: *Domine, vir ipse mihi amicus est, propterea non sinam ejus lædi famam.* Magni Præsul habuit hanc libertatem, & subridens ait: Hinc ego ero vestræ Reverentiæ amicior, quando tam insignem defensorem agit amicorum. Quamquam erat adeo temporis avarus, nullum insumi melius existimabat, quam quod conteritur audiendo confessiones. Reditus, & lucra suorum librorum largiebatur pauperibus. Quod juxta institutum nostrum nequiret accipere minerval solitum dari scientiarum Professoribus, sæpe petentes à se stipem mittebat, ad Rectorem Academiæ, Episcopum, aut alias notæ charitatis personas, eas rogans, ut illi faverent pauperi. Plurimis è nostris tribuit bonas pecuniæ summas, ut suorum egestatem sublevarent. Uni, qui sub obtentu Sororum, volebat deserere Societatem, promisit mille aureos, ut eas honestè accommodaret. Verum ille, ut fermè sunt omnes, qui tales quærunt prætextus, acquiescere noluit tam pio consilio. Virtutes omnes in eo admirabiliter colluxerunt: Tempore vacationum Missiones faciebat per pagos vicinos Conimbricensi Collegio, ubi asservamus Biblia, quæ secum portabat in istis sanctis excursionibus, tanquam pretiosum tanti Doctoris monumentum. Essem infinitus, si ad res singulas descenderem. Ulyssipone plurimum laboraverat in componenda controversia inter Pontificis Collectorem, & Regis Ministros sine fusi sudoris, & operæ suæ pretio. Is nimius labor tempore æstuoso maximè incommodus sic debilitavit ejus vires alioquin tenues, & seniles, ut sit febri correptus. Editis actibus piissimis, qui ex tanto homine sperabantur, cessit è vita ætatis anno septuagesimo, Societatis quinquagesimo quarto. Collector Pontificis interdicti suspendit fulmen, ut viro præclarissimo, ac de Ecclesia Dei immortaliter merito debitâ cæremoniâ persolverentur postremi honores. Illius ossa conservantur sarcophago locato intra sacellum Virginis ab Ægypto in templo Domus Professæ; quis ibi quiescat, indicante lemmate.

P. Antonius Bandeyra.

Conimbricæ attigit vitæ limitem anno 1664. Natus in oppido *Besteyros* Diœcesis Visensis. Dedit nomen Societati Ulyssipone 10. Febr. 1622. Obtinuerat Conimbricæ Doctoris gradum in Jure civili, & cathedram regebat in absentia Professoris. Ingentes fovebat spes tam præstanti fundatas ingenio, quàm sui patris merito; litteris enim suis adeptus fuerat Senatoris dignitatem. Secum Antonius humanæ vitæ, & gloriæ perpendens vanitatem, decrevit, relictis omnibus, mundum deserere. In-

tyrocinio plurimum ſtuduit humilitati. Ad ripam fluminis cum aliis Novitiis contendens domum ferebat humeris ſportam plenam emptis piſcibus. Nundinarum die tranſiit ſolito onere per maximam urbis aream. Spectaculum admirati Scholaſtici, qui Conimbricæ ipſius fuerant auditores, dixerunt circumſtantibus, quid hominis foret ille Novitius. Omnes collaudarunt tam inſigne humilitatis exemplum, Antonio, quanquam invito, ſuas audiente laudes. Domi Rector ab illo percontatus: an fuerit pudore ſuffuſus, quod ſit viſus à ſuis diſcipulis ſub onere viliſſimo? Reſpondit, ſe potius tantâ perfuſum lætitiâ, ut timuerit, ne ſe merito fraudaverit. Adjecit, nunquam ſe diſcipulis ſuis propoſuiſſe tam præclaram lectionem ex cathedra, atque fuiſſet illud exemplum. In noſtris obeundis miniſteriis totâ vitâ laboravit indefeſſè. Magnus illi ſpiritus ad ſacras peragendas miſſiones. In Oppido *Caſtellobranco* Diœceſis Guardienſis miſſionem habuit pleniſſimam rebus grandibus. Etenim Oppidum valde frequens, ac locuples, multâ nobilitate habitabatur. Scelera numero carebant, homicidia fiebant paſſim. Dabat anſam licentiæ vicinitas Caſtellæ, quo fugientes criminoſi, vivebant impunè. Exardebant omnium pectora odiis infenſiſſimis. Concionibus ſuis ſic perculſit cunctorum animos, ut magnum oppidum videretur in ſacram familiam mutatum. Prædicante illo Conimbricæ, diverſi ſcholaſtici noctu voces audierunt, dum quieſcunt in lecto, quibus admonebantur periculi ſalutis æternæ ob enormia ſcelera. Territi, non expectato die, Collegium noſtrum adeuntes apud Antonii pedes vomuerunt crimina ſua, lachrymis detergentes animi veteres maculas. Podagrâ illaqueatus alienas inter manus conſcendebat ſacrum ſuggeſtum ad prædicandum. Ubi calebat dicendi fervore, non videbatur affectus valetudine. Eliciebat facilè ab auditoribus lachrymas, ſed ipſe præibat ſuis, quas apparebat habere in poteſtate. Illius vultum, & corporis habitum reliquum ornabat ſingularis modeſtia. Vixit, ac mortuus, ut verus Societatis filius.

DIE XXVI.

P. *Antonius de Amaral.*

Conimbricæ efflavit animam anno 1660. Natus in oppido *Curvaceyra* Diœceſis Viſenſis. Conimbricæ amplexus Societatem 23. Januarii 1604. Videbatur ad virtutem factus: nam adhuc ſæcularis non ſinebat coram ſe proferri verbum minus honeſtum. In Societate fuerunt illius præcipuæ curæ perfectionis ſtudium. Orandi tempus tranſigebat in templo flexis genibus coram SS. Sacramento lachrymis ex oculis ſenſim manantibus. Nonnunquam id agebat in ſacello domeſtico, ubi examen ante prandium, & nocturnum obire ſolitus: poſt hujuſmodi examina punie-

niebat delicta commiſſa voluntariis caſtigationibus. Cum mane de lecto ſurgebat, protinus adibat Virginis Sacellum, ut ex illius benedictione ſumerent initium diei præſentis opera. Sabbatis anni totius, & pervigiliis ſolemnitatum Virginis victitabat ſolum pane, & aqua. Amorem Religioſæ paupertatis clarè oſtenderunt ejus indumenta. Thorax, quo utebatur, cum eſt mortuus, coopertus erat centonibus, quos funiculo ipſe ſua manu conſuerat: ab annis quatuordecim illi cæperat eſſe uſui talis thorax: aliquandiu ſuſpenſus fuit in veſtiario, ut eſſet exemplo, & ſpectaculo. Nunquam prætendit imperiis Majorum excuſationem ullam: idem facere ſuadebat aliis. Defendebat ſemper ſuos Moderatores. Zelum ſalvandi animas probaverunt ſacræ excurſiones per oppida: vel in ſenectute his piis, & quæſtuoſis laboribus dedit operam. Sedebat audiendo pœnitentes, dum aderant, qui vellent animas purgare. Licet in eâdem die centies eum vocaret æditiuus ad confeſſiones excipiendas, ibat alacer. Eodem mane ſexies ab æditiuo eſt vocatus ad ſingulas perſonas diversâ horâ venientes. Cum ſextò ad ejus acceſſit oſtium contractis humeris fecit ſignum ſuæ erubeſcentiæ. Intelligens Antonius ex illo motu pudorem, reſpondit: Mi chariſſime, ſi millies neceſſum fuerit, me vocet, & ſentio plurimum, quod pudorem habeat me ad confeſſiones acciendo. Regebat Angrenſe Collegium, quo tempore aperiebantur templi fundamenta. Motus altiori inſtinctu, relictâ oratione, prodiens è cubiculo, juſſit operas à labore deſiſtere, & ſe foras proripere. Vix erant egreſſæ, cum ſoluta de lateribus terra foſſam complevit, operas obrutura, niſi receſſiſſent. Minorem non attulit admirationem ſequens eventus. Navibus in Angræ portu causâ procellæ periclitantibus, quod vis undarum eas ad ſcopulos ferret; ut iretur obviam tantæ jacturæ, lembus onuſtus anchoris, quo naves firmarentur, è terra provectus ad fluctus. Nequiens redire ad littus, exivit è ſinu ad altum mare: nemo fuit, qui non crederet perditum. Per id tempus erat Antonius ad portus crepidinem, videns omnium triſtitiam, ſuaſit, ut recitarent Virginis Litanias, ac pollicitus eſt lembum intra tres dies incolumem reverſurum. Ita contigit, nam die tertiâ præter omnium ſpem portui eſt reſtitutus. Omnibus illius mores erant exemplo. Igitur moriens eam reliquit de ſe virtutis opinionem, quâ vitam duxit.

P. Doctor Ludovicus Rodrigues.

IN Domo Profeſſa Ulyſſipone, ubi natus eſt, ſenio extinctus anno 1662. Ibidem ſe adjunxerat Societati tertia Februarii 1602. ætatis 15. Præter alias facultates, docuit Eboræ Theologiam, ibique Doctoris gradu honeſtatus. Poſteà Cenſor fuit Romæ librorum Societatis. Luſita-

niæ redditus gubernavit Collegium Bracharense, & Ulyssiponense. Micuit insigni charitate præsertim adversus infirmos, quibus erat assiduus. Cuique opem à se petenti rebus in angustis libens favebat. Non fatigabatur in audiendis pœnitentibus. Ab ordine domestico, & communi, dum licuit per valetudinem, non recessit. Lapsu fortuito malè mulctatus, biennio ante mortem sanitate caruit dum pedibus incessit, & fecit sacrum, & pœnitentibus aurem commodavit. Per id biennium graves admodùm passus est molestias, quibus merito cumulato cælorum auxit incolas.

DIE XXVII.

P. Sebastianus Dias.

ANno 1616. Conimbricæ vitam clausit. Natus Ulyssipone Conimbricæ amplexus Societatem 21. Aprilis 1598. ætatis 17. Solidis animam exornavit virtutibus. Donum illi fuit speciale in discernendis morbo comitiali laborantibus ab energumenis. Contra dæmones efficax habuit imperium. Personas amplius triginta, abacto malo spiritu reddidit liberas.

Emmanuel Fernandes Scholasticus.

COnimbricæ transivit ad immortales anno 1628. Natus est Nizæ Diœcesis Portalegrensis. Ulyssipone, ubi per id tempus solum habitabant tyrones, Societatem est ingressus. Ob singulare ingenium eminebant in eo spei non vulgaris initia. Motus desiderio salutem ethnicorum lucrandi profectus ad Indiam. In navigatione multus incubuit ægrotantium servitio, & componendis animis discordibus. Vi tempestatis adversæ coacta est navis portum Tagi, unde exierat, repetere. Redivit Conimbricam, ubi studuerat litteris, illic decubuit in lectum, ægritudine contractâ, sive ejus origine, à nimio labore serviendi infirmis in nave. Unicè desiderabat vitam ad navigandum in Japoniam, dicens, imbecillium esse labores fugere venturos propter labores jam præteritos. Cum deliraret, non pronunciabat aliud verbum præter hoc, *Japonia, Japonia.* Addictissimus erat Virginis devotioni. Illius sanctum exemplum permovit Petrum Alencastrium filium Ducis Averii, condiscipulum in Philosophia, Japoniam adeundam cogitare. In litteris, quas dedit ad Patrem Generalem petendo admitti in Societatem, ut iret in Japoniam, hæc habet verba. „ Confidens in confessione meæ petitionis, scribo Patri Sebastiano Vieiræ, permittat Goæ subsistere per totum sequentem ann. 1629. Patrem Emmanuelem Fernandium meum condiscipulum à quinque, vel sex annis, cui solum communicavi meam mentem, ut eum animarem, quoniam hoc anno proficiscitur in Japoniam. Scribo ad illum, mi magne amice, ut me committ-

„ mitetur, & ſimus comites anno ve-
„ nienti usque ad Macaum. Hactenus Alencaſtrius, qui poſteà fuit Averii Dux.

DIE XXVIII.

P. Franciſcus Machado Martyr.

IN *Auza Gurrele* ad oſtium maris Rubri martyrio eſt laureatus anno 1625. Natus in oppido *Villa Real*, Diœceſis Bracharenſis. Parentes adeò pii fuerunt, ut tres filias, & quatuor filios à ſe genitos diverſis omnes dicaverint ſacris familiis. Societati duos tradiderunt. Franciſcus iniit Societatem Conimbricæ ſexta Februarii anno 1605. Ad Indiam profectus anno 1611. Docebat Goæ Theologiam, cum eſt illi oblata opportunitas migrandi ad Æthiopiam, ubi per id tempus acceſſiones maximæ fiebant Eccleſiæ Dei, ipſomet Seltamo Rege erores ſuos priſtinos repudiante, & veræ fidei adhærente. Difficultas illam ingrediendi regionem in eo erat, quod Turcæ feciſſent ditionis ſuæ maritimos portus Æthiopiæ. Ex Æthiopia ſcriptum fuerat poſſe noſtros per Dancalium ad illas penetrare regiones. Scriptor epiſtolæ per errorem loco Dancalii poſuit Zeilam in Regno Adelis. Die Virginis à Purificatione anno 1625. navem conſcendit Franciſcus unà cum noſtro Patre Bernardo Pereyra, qui Goæ fuerat adſcriptus Societati: Appulerunt Caxemio Arabiæ regno, cujus Rex erat amicus Luſitanorum. Aprilis die 3. Caxemio ſolventes viderunt Lunæ eclipſim, & in ipſa Luna pulcherrimam Crucem, tamquam ſui martyrii præſagium. Habitu mercatorum tenuerunt Zeilæ portum, animo pervadendi ad Æthiopiam cum aliqua turma negotiantium, Cafilas vocant. E Zeila terreſtri itinere contenderunt ad Auzam Gurrelem metropolim Regni Adelenſis. Jam Regi nuntiatum fuerat illos homines vacuos ſuſpectione non eſſe. Propterà ſunt ambo conjecti in carcerem, & onerati catenis. Id ſciens Rex Æthiopiæ multum deſudavit, ſed incaſſum, in eis liberandis. Perſuaſit impius, ut amplecterentur Mahumeti ſectam, quam cum eſſent abominati, eos necari juſſit in carcere. Eodem loco, ubi ſunt occiſi, ebuliit perenis fons, quem fruſtrà Turcæ conati exſiccare, ne tam evidens veræ fidei teſtimonium omnes convinceret. Non defuerunt à cælo ſupplicia pro tanto ſcelere. In Auzam triduo pluit ignis de cælo, qui totam urbem redegit in favillam In Domo, quâ cæſi fuerunt, vorago profunda eſt aperta, quæ nullo ceſpite conjecto potuit obturari. Luſitani navibus ſuis ingreſſi mare Rubrum Zeilam ferro, ignique vaſtarunt.

Antonius de Chaves Novitius Scholaſticus.

EBoræ vitam explevit anno 1577. Natus Alcobaſſæ Diœceſis Ulyſſiponenſis. Eboræ conjunctus So-

Societati 16. Januarii anno 1576. Antequam ad nos veniret, ſtudebat multum virtuti: nam flagellis puniebat artus ſuos. Pernoctabat ſtratus ſuper nudam tabulam, ſigno cervicalis loco capiti ſubjecto. Menſibus tyrocinii aquirendis virtutibus naviter incubuit, præſertim obedientiæ; Quantum in ea profecerit, vel oſtenderunt ægrotantis deliria, nam ubi nominabant illi obedientiam, ſine mora, quidquid volebant, exequebatur. Die morti prævio, quod gravi ſomno premeretur, illi dixerunt: Flagella tuum corpus, quoniam ſomnos non diſcutit. Protinus cæpit conſurgere ad caſtigandum corpus; & feciſſet, niſi cohiberent.

P. Fernandus Guerreyro.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi anno 1617. ſenio extinctus. Natus eſt in oppido *Almondovax* Diœceſis Eborenſis. Societati adſcriptus 22. Januarii anno 1567. ætatis 17. Plurimas obivit ſacras miſſiones copioſo ſui ſudoris lucro. Quantum illius preces valuerint apud Deum, perſpectum eſt eo regente Maderenſe Collegium. Etenim menſe Auguſto juſſerat purgari Collegii puteum per mancipium noſtrum, & alterum alienum. Dum incumbunt operi imo fundo, corruit quidquid lapidis formabat putei rotundum parietem. Rectori nuntiatur caſus; protinùs cum cæteris adit oratum coram SS. Sacramento pro incolumitate mancipiorum. Infortunio latius vulgato, confluxit populus, & centum homines in orbem diviſi non ceſſante labore ſtrenuam die, nocteque dederunt operam evacuando puteo. Ruina contigerat die Veneris. Hora prima poſt meridiem inceptus eſt labor, duravit per reliquum diem, noctem totam, integrum ſabbatum ad noctem mediam: tunc eſt perventum ad obruta mancipia, quæ non ſine operarum ſtupore reperta ſunt illæſa, illa nimirum tuente B. Virgine, cujus Rector tenebantur ſingulari devotione. In actionem gratiarum indicta eſt proceſſio, euntibus mancipiis capite ſericis floribus coronato, & facibus manu accenſis. Propter monitiones hujus Patris Laurentius Lombardus mercator dives Ulyſſipone, ſe addixit Societati, ac legavit ſua bona Domui Tyronum. Eodem ſuadente Societatem eſt ingreſſus Didacus Brandamus ſacerdos, & nobilis, & locuples, qui bona ſua largitus eſt, ut Societati fundaretur Collegium in Japonia. Deſiderio honorandi Societatem compoſuit, ac typis commiſit narrationes de rebus geſtis noſtrorum per id tempus in Miſſionibus ultramarinis. Aſſiſtebat cum Laurentio Lombardo domus Tyronum ædificio ſurgenti cum pleuritide corripitur. Deductus eſt ad Profeſſam Domum, ibique vitâ defunctus.

DIE

DIE XXIX.

Antonius Rebello Scholasticus.

EBoræ vitam absolvit anno 1576. Natus Resendii Lamecensis Diœcesis. Conimbricæ adjunctus Societati 25. Maii 1565. Diligenter procurabat animarum salutem. Habitis S. Ignatii Exercitiis tempore vacationum ab studiis, discurrit per pagos concionando, & catechesim docendo. Ex itinere facto pedibus, quæsito victu ostiatim, temporibus ob nimios calores incommodis, ubi receptus est in Collegium, lethali morbo decubuit. Totum se accommodabat Divinæ voluntati. Ritè munitus Ecclesiæ postremis auxiliis effudit ultimum anhelitum.

Sebastianus de Gouvea Scholasticus.

IN urbe Visensi anno 1640. feliciter obivit. Natus erat ex nobilioribus ejus urbis civibus. Non excedebat octavum ætatis annum, cum in re spirituali eà discurrebat maturitate, ut Episcopus urbis coram illius parente Sebastianum vocaret Theologum. Scientes aliqui Monachi conari ipsum adscribi nostræ Societati, dederunt litteras ad ejus parentes, quibus Sebastianum acceptabant in cœtum suum. Nihil adolescens curavit talem oblationem. Quæcunque parentibus tribuebantur eleemosynæ, per ipsius manus erant pauperibus tradendæ. Componebat discordias inter adolescentes suæ ætatis. Conimbricæ Societati nomen dedit quinta Aprilis 1636. Enixè curas adhibuit adquirendis, & augendis virtutibus. Si reperiebat tale, vel tale exercitium spirituale minus accuratè factum, rursus peragebat, emendaturus negligentiam. In bivio positus, acturus ne hanc, vel rem illam, hoc, vel illo modo, faciebat, quod ipsi dicebant esse perfectius. Nemini mortalium detraxit. Quidquid dixit, aut fecit præ se tulit pondus annis majus. Post biennium cæpit phthisi laborare. Ad vires restituendas missus est in cælum patrium cum uno Coadjutore, ipsius prospecturo commodis. Respondit Superioribus, se nolle uti hoc favore, si periculum erat extra Collegium moriendi. Jusserunt, iret bonis avibus, si melius non haberet, posse reverti quamprimum. Ex quo pervenit, sic est brevi debilitatus, ut in Collegium redire nequiverit. Rogavit Socium, ut citatissimas litteras mitteret Conimbricam, petens, festinaret in auxilium morientis aliquis sacerdos è nostris. Quamvis properavit, invenit mortuum. Videns instare mortem, dimisit amicos, & parentes, dicens tempus esse solum cum Deo loquendi. Postulavit accersiri Capuccinum, cui conscientiam exposuit, & aliis Sacramentis est corroboratus. Vir ille Religiosus ingenuè fassus est, quamvis esset ætatis provectioris, se non vidisse mortem æquè sanctam. Morti proximus obsecravit, ut imponerent ipsius capiti Societatis pileum, ut eo consolaretur dolorem moriendi extra Col-

legium. Parentem suum rogavit, ut ejus ossa transferret Conimbricam. Cum responderet ità faciendum, novam lætitiam vultus induit. Tandem inter dulcissima verba, JESUM nominans efflavit animam. Monachi Divi Bernardi suum esse duxerunt defuncti exequias celebrare. Venerunt è Monasterio suo à Visonio leucâ unâ distante, quod genus officii, quod sciretur, in neminem exercuerant. Illud evenit non silendum, quod, cum lugubres sacerdotum parassent vestes, ut secum ferrent, invenerunt albas adduxisse, his sunt usi. Tanquam funus illud non deberet ullis tristitiæ signis concelebrari.

DIE XXX.

P. Doctor Joannes Correa.

CONimbricæ vivendi, & moriendi explevit leges anno 1616. Natus in oppido *Villa Real* Diœcesis Bracharensis. Adjunxit se nostræ Societati Conimbricæ 15. Febr. 1562. Initiis contigit illi felix infortunium. Pergebat ad ArtiumCollegium, cum tegula de tecto decidens, percussit illius caput gravi vulnere. Curatione sic temperata sunt organa, quibus admittuntur species, & animæ potentiæ redduntur habiliores, ut deinceps & magnum ingenium, & magnum mentis pondus ostenderit. Docentem Conimbricæ Philosophiam vocabant Magistrum sanctum. Tradidit Eboræ Theologiam, ibique Doctoris est insignitus gradu. Functus præclaris Provinciæ honoribus. Nam rexit Eborense Collegium, & Academiam temporibus admodum calamitosis ob litigia Archiepiscopi adversus Collegium. Quod appellavit ad Judicem causarum coronæ Regiæ, ut nostrum Jus tutaretur, à Pontifice privatus est dignitate. Abiens magistratu, his verbis valedixit suis subditis: *Ego Rector non ero, sed erit Collegio suus panis.* Propter hoc insigne factum numeratur in catalogo benefactorum Collegii. Bis egit Conimbricensem Rectorem, bis Provincialem. Dignissimus erat omnibus amplis honoribus tum ob litteras, & prudentiam, cum ob egregias virtutes. Ajebat, potius se mansurum in cubicolo suo cum uno dæmone, quam cum uno leviculo peccato. Quod noverat, quam noxiæ forent Religiosis familiaritates cum externis, nullas habuit. Neminem invisebat, nec invisebatur. Nullus in eo fuit consanguineorum amor. Quamvis illius patriâ esset in itinere ad Brigantium, visitaturus Collegium hujus urbis, eam non intrabat sed facta ambage, procul ipsa transibat. Semel tantum rectam institit viam per medium suæ patriæ, sed hori ante auroram, propterea neminem suorum allocutus, quanquam erant è nobilioribus. Ad sororem suam scripsit, ex ipso non speraret aliqui præter fusas ad Deum preces, Religiosi non esse, negotiis se permisce re. A Sene jam, postulaverunt, u pa

patriam suam adiret compositurus graves inter suos dissensiones. Respondit: Nunquam Deus sinat me dedecorare canitiem meam agendo in senectute, quod non egi adolescens. E remoto loco, quantum penes me fuerit, consulam meorum quieti, ne meam destruam. Non permittebat admitti Sæculares intra pergulas, dicens, id esse magno detrimento Religiosæ observantiæ. Nec ipse externos alloquebatur nisi ad januam. Si dicebant illi, viros nobiles id notaturos, & censuros. Respondebat: Deo confidamus, non observando propter ipsius amorem hos honoris apices, conservabimus Religionem nostram, & multo melius externorum amicitiam, quibus non poterit non placere, quicquid factum à nobis fuerit comiter, & modestè causâ tuendæ observantiæ. Quod hominum secernebatur commerciis, Deo magis conjungebatur per exercitia orandi. Hæc non omisit vel in longis itineribus. Primus erat, qui mane adibat templi chorum ad salutandum Venerabile. Idem per diem sæpe repetebat, & magnam temporis partem insumere est solitus visitando Sacella. Codiculum privati examinis vocabat Libellum animæ. Quotidie in eo suas labeculas adnotabat. Verbum non pronuntiaret, ex quo posset aliquis offendi. Semel apud se existimans verbo uno læsisse molestum alteri, sine mora illum convenit, & modestissimè veniam rogavit, dicens, se noluisse eum lædere. Nec subditus, nec Superior, nec senex consensit apponi sibi pro mensa aliquid privatum, quod non daretur cæteris. Subministro, quod propter ejus parum firmam valetudinem dissimulavit in portione capitali frustum gallinæ, minatus est publicam pænitentiam, nisi caveret in posterum. Ajebat, libentius in suo futurum cubiculo cum dæmone, quam cum acicula habita sine facultate; quoniam dæmon nequiret nocere, nisi Deus sineret, verum aciculam voces ad Deum tollere rogando supplicium adversus paupertatis transgressorem. Habitans Ulyssipone plurimum cupiit mori Conimbricæ. Scripsit ad Rectorem, sibi concederet cubiculum, in quo vixit, & obiit venerabilis P. Sebastianus Barradius, dicens, se nihil vehementius optare, quam mori complexum monumenta excellentium illius virtutum. Postquam ingressus Collegium, nihil magis illi ante oculos obversabatur, quam mors, & æternitas. Ubi cæpit ægrotare, de morte non dubitavit, quamvis Medici abesse periculum affirmarent. Nolebat sibi dici, se victurum. Applicantibus medicamenta dicebat: *Sepultura, sepultura, hæc solum affert morbis finem.* Septem, vel octo diebus ante mortem rogavit, ut esset semper in cubiculo lucerna accensa, ad excitandam recordationem candelæ, quâ tandem erat moriturus. Ferventissimos faciebat virtutum actus. Qui visitabant, inter se dicebant, illò convenire, ut per-

perdiſcerent lectionem bene moriendi. Accepturus viaticum habuit grates Deo, quod ad id tempus conſervaſſet in Societate, adjiciens hæc verba; *Magnum beneficium, Magnum beneficium.* Poſtquam eſt inunctus Sacro oleo, allocutus eſt circumſtantes magno ſpiritu illis commendans plurimum puritatem corporis, & animæ, & ut fugerent detractionem, quæ magnum erat malum, Deum ſibi non parva beneficia indulſiſſe ob timorem, quod habuerat, aliis obtrectandi. Cupere ſe præſentes adeſſe omnes, qui ſui fuiſſent ſubditi, ut ad eorum pedes procumbens veniam poſceret, quamvis neminem unquam offendiſſet, & propterea ſe à Deo affici non vulgari conſolatione. Per id ægritudinis tempus rara fuit illius obedientia. Dum multiplicat colloquia, & verba pia, ſuaviſſimè emoritur. Ejus oſſa venerationis causâ depoſita ſunt in Sacello Divi Antonii inter alia Virorum memorabilium.

P. Joannes Eſtremos.

EBoræ ceſſit è vita anno 1600. centenario major, ut habent Annuæ litteræ hujus Provinciæ. Non reperi patriam, nec ubi, & quando ſit ingreſſus Societatem. Propter morum ſanctitatem & ab externis, & à noſtris plurimum colebatur. Corpus ſuum voluntariis caſtigationibus ſemper afflixit. Etiam in ultima ſenectute quotidie verberabat artus ſuos tanto impetu, ut videretur annis robuſtis vigere. De illo ſcribit Nadaſus noſter.

P. Gaſpar Alvres.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi volavit ad Cælites anno 1604. Natus Reſendii Diœceſis Lamecenſis. Conimbricæ addictus Societati 29. Septembris anno 1566. ætatis 33. ut eſſet ſpiritualis Coadjutor. Ab annis triginta, cum eſt mortuus, totum ſe dicaverat bono vinctorum in Carceribus, & triremibus, illorum audiens confeſſiones & ſubſidiis levans miſerias. Ipſe pro quatuor Confeſſariis laborabat. Ordinariè comitabatur patibulo ſuſpendendos. Sæpe deſerebat tribunal Confeſſionũ ſeptum fæminis illuſtribus, ut ad januam audiret bajulos confitentes: illic eos, & mancipia edocebat ſaluti neceſſaria. Locavit in matrimonio puellas multas orbas parentibus, alias accommodavit in aſceteriis fæminarum. Graſſante peſte, cum ipſe diſcurreret obeundo ſacram miſſionem, hoſpitatus eſt in Cœnobio Monachorum Divi Hieronymi. Magno erat Moderatori Domus, & aliis exemplo. Numquam foras prodibat non petitâ à Priori facultate Cum media nocte ad recitandas preces in chorum Monachi conveniebant, ibi jam aderat flexis genibus ante Sanctiſſimum Sacramentum quod ſpeciatim colebat multis obſequiis, & Virginem, Divum Joſephum ac Divum Antonium. Initium po ſtremæ ægritudinis cæpit, Domum re

redeunti ab audiendis confeſſionibus in publico carcere.

Emanuel Martins Scholaſticus.

MOrtuus Eboræ anno 1659. Natus in pago *Pedrogam* Diœceſis Eborenſis, & Bejenſis agri. Eboræ Societati conjunctus 19. Januarii anno 1649. Ante ingreſſum habebatur ſanctus inter alios Scholaſticos. Vitabat aliorum Comercia, & Confabulationes, vacans orationi, & lectioni librorum piorum. Frequenter & expiabat per confeſſionem conſcientiam, & reficiebat ſe Angelorum pane. Intererat concionibus. In Societate tam exactè obſervavit Inſtitutum, ut Regulam non violaverit. Uſus eſt modeſtiâ planè ſuſpicienda: ejus charitas erat notiſſima præſertim ergà infirmos, quos videbat magis derelictos. Magnopere alios collaudabat: Illius ſermones eò tendebant, ut in aliis accenderet deſideria bonorum non pereuntium. Se ipſum aſſiduè perſequebatur, & contemnebat, magis, ac magis contemni cupiens. Sæpe tranſigebat noctes jacens ſuper nudam tabulam: & humi capiebat cibos. Sæpe aquâ tantum, & pane ſedabat famem. Cum tergum verberabat in triclino, ſemper eſt ſolitus oſculari pedes Sociorum accumbentium menſæ. Orationis tempus tranſigebat flexis genibus coram ſanctiſſimo Sacramento. Reſiduum à ſtudiis tempus impendebat orationi, & precationibus. Illius vitam abſumpſit phthiſis.

P. Franciſcus Nogueyra.

ANno 1660. vitâ defunctus in urbe *Miranda.* Natus Conimbricæ. Diligentiſſimus fuit in noſtris exercendis miniſteriis. Præſertim ſuccurrit miſſis in carcerem. Omnes eum colebant. Ob opinionem de ipſo conceptam multa victu difficilia in utilitatem animarum feliciter confecit: Anno, quo de vivis abiit, ſævierant Brigantii peſtilentes morbi. P. Nogueyra ſe totum dicavit ægrotis ſublevandis. Emergens ſuperſtes, dum Mirandam adit concionaturus, erupit acutus morbus; & non ſine fundamento creditum eſt orginem duxiſſe à peſtilentia Brigantina. Senſim enim mali, à quo alios liberaverat, infelix radix eas acquiſivit vires, quibus eſt oppreſſus, magno omnium dolore. Conſepùltus in maximo ejus urbis templo, facto ad exequias innumero concurſu. Vir fuit obedientiſſimus. Numerabat Societatis unum ſupra viginti annos.

Alphonſus Rodrigues Coadjutor.

ULyſſipone in Domo Profeſſa efflavit animam anno 1660. Natus Vianæ Diœceſis Bracharenſis. Conimbricæ complexus Societatem 26. Februarii anno 1603. ætatis 21. Quæcumque ipſi injuncta ſunt, executus accuratè. Poſtquam ſervierat diverſis Collegiis, curæ habuit annis ultra viginti colligere eleemoſynas Domui Profeſſæ. Erat rarum illius exemplum. Virtuti conjunxit ſanctam gravitatem cum pro-

funda mistam humilitate. Ob has virtutes eum nostri, & externi magnopere amabant, & reverebantur. Nulli rei magis studuit, quam Religiosæ observantiæ. Semel sermones inserens de præparatione ad mortem, confessus est, se, ex quo in tyrocinio purgasset animam Confessione generali, nullam amplius rem fecisse, de quâ vel esset scrupulus, quod secum involveret culpam mortiferam. Adèo tranquillè est mortuus, ut vix mori sentiretur à circumstantibus.

P. Ignatius Xavier.

IN Missione Madurensis Regni apud Orientis Indos anno 1680. diem obivit. Natione Anglus. Ortus parentibus hæreticis. Ubi per ætatem licuit mercaturæ addictus est: Dum tractat hujusmodi negotia, & lucra, cognovit errores, quibus vivebat illaqueatus, & eos fuit abominatus. Tanto adversus illum odio exarserunt hæretici, ut semel ad ipsum occidendum disploserint fistulam ferream, verum ignem non concepit; propterea evasit sospes. Ne alia subiret pericula, nuntium mundo remisit, Societatem amplexus Ulyssipone 1. Octobris anno 1670. Illius mens erat, absolutis scientiarum studiis in Angliam regredi. Tamen studens Conimbricæ mutavit sententiam, ac dicavit vitam suam Missioni Madureusi, ad quam navigavit anno 1673. Morbis in navi diffusis, succurebat omnibus miseris inexplicabili charitate. Multum eum omnes reverebantur; idcircò facilè componebat discordium animos. Extinguebat usum jurandi. Docebat Catechesim. Goæ scientiarum absolvit studia quod esset imbecillis viribus nolebant superiores, ipsum applicare Madurensi Missioni: cum enim sit cunctis asperior, requirit operarios viribus robustis. Victis non paucis difficultatibus, ad optatam Missionem profectus, illam est ingressus anno 1680. Vias, & labores suis viribus majores suscipiens, & adiens regiones cæli noxii ad invisendos neophytos, Diuturnum contraxit morbum, quo tandem de medio sublatus est. Vir fuit conscientiæ adeò puræ, ut etiam ante sacros ordines susceptos quotidiè sit provolutus ad Confessarii pedes.



OCTOBER.

DIE I.

P. Joannes de Fonseca.



V Lyssipone in Collegio Divi Antonij vitam explevit anno 1701. Natus Vianæ Diœcesis Eborensis. Parentes, ut erant virtutis amantes natum sanctissimis instituerunt moribus, pueri natura ad virtutem eum incitabat. In lucem editus,

ctus, cum in templo paræciæ fiebat signum elevandi sacram Hostiam. Id inter alia Joanni fuit incitamentum, ut esset venerabili Sacramento addictissimus. Dum manè se confert in Gymnasium, illum rogat sacerdos, ut sibi intersit sacris operanti. Promittente sacerdote se ejus moram excusaturum apud Magistrum, paruit obsecranti. Finito sacro, sacerdos promisso non stetit; & puer sibi timens in gymnasium festinat. Dum pergit, transiens prope januam amitæ suæ, invitatur, ut accipiat jentaculum. Non respuit, quanquam crescebat timor, & periculum à Magistro. Intrantem Gymnasium severa fronte, & voce præ se minas ferente percontatur: cur tam tardè accesserit? Cui Joannes tremens, ac timens: Petivit à me sacerdos, ut facturo sacrum ministrarem. Hic præceptor, atroci vultu deposito, induens hilarem faciem, Egisti, ait, ut de meis spero discipulis. Adidit verba plurima in laudem Joannis, quibus eum, & cæteros stimulavit ad prosequendum singulari cultu Divinam Eucharistiam, & audienda, quotquot possent, sacra. Quod Consilium, Joanni dum vixit, mente non excidit. Missus Eboram studiorum causâ, fortè, die quadam conspexit duos è nostris viros gravissimos introeuntes lupanar, ut perditissimas fæminarum de volutabro extraherent. Hujusmodi charitas tam altè Joannis insedit animo, ut secum decreverit eam inire Religionem, quæ viros haberet charitatis adeò præstantis. Petita Societate, in eam adscriptus est Eboræ 19. Januarij anno 1649. Viam Evangelicæ perfectionis arriquit totius animi conatu, nec unquam à primo cessavit fervore. Tradidit Eboræ Philosophiam. Deinde instituit tyrones Conimbricæ, lustravit Madeyrense Collegium. Egit Eboræ Præfectum Juniorum, posteà Rectorem tyronum Ulyssipone, inde profectus Conimbricam Tertiarios instruxit. Rediit Ulyssiponem ut esset junioribus humanæ litteraturæ vacantibus in domo tyronum Præfectus à spiritu; quod munus obivit postremis annis in Collegio Divi Antonij, ubi est mortuus. Illius virtutes tantæ, & tam illustres fuerunt, ut etiam summatim dictæ facturæ sint narrationem longuisculam. Nullis verbis exprimi potest affectus, quo venerabatur Christi mysteria, præsertim Sacrosanctam Eucharistiam. Primum de libris ascetícis à se compositis voluit esse Instructionem pro accepturis sacram Synaxim. Per diem creberrimè invisebat Sanctissimum. Cum erat expositum, vix ab ejus discedebat præsentia. Morbo postremo rogavit, ut se humarent coram sacro Tabernaculo. Frequentissimus erat in audiendis Missæ sacris. Habitans Ulyssipone in Domo Tyronum, quæ extra urbem est, petiverat ab æditui templi, ut quoties esset faciendum sacrum, signum daret campanâ, nè ullum fieret, quin interesset. Sæpè vel in ultim a se-

ſenectute, ſumpto, ut vocant, ſuperpelliceo miniſtrabat Clericis Sæcularibus ad aram facientibus. Cum ægrotabat, ſemperDivinum panem accepturus, de lecto exibat, & humi flectebat genua. Si non licebat per vires, rogabat alios, inter quorum manus ſuſtentatus, flexis humi genibus reficiebatur. Affectu non minore proſecutus Naſcentem Dominum. Singulis annis tempore natalitiorum conſtruebat in cubiculo præſepe parvulum ornatū agreſti fronde, & cum regebat Juniores; ſe convenientibus ſolitus injungere, ut piè loquerentur coram Domino. Ipsâ nocte naſcentis Domini vigilabat orans ad noctem mediam, protinus celebrabat tria ſacra, deinde audiebat alia, noctem pene totam inſomnem traducens. Huic erga Chriſtum amori conjunxit devotionem ſingularem adverſus illius Matrem. Ipſe auxit cultum ſimulacri Virginis à Gratia in templo Tyronum, duobus cereis accenſis, dum templi janua eſt aperta diebus feſtis. Paravit ſumptum perpetuum in id pium opusfaciendum. Ipſius causâ Emanuel Lopius de Lavra vir multæ virtutis, & opulentiæ juſſit fabricari, & inaurari ligneum pegma, quo ejusdem Virginis veſtitur, & adornatur ſacellum. In Collegio Divi Antonii pervigiliis feſtorum Chriſti, & Virginis ad januam humi ſedens inter mendicos capiebat cibos, poſtquam ipſos edocuerat catecheſim. Erga Divos obſequioſus multum fidebat illorum patrociniis, quæ ſæpiſſimè eſt ipſe expertus, & alii, pro quibus fundebat preces. Egrediens domo, vel in urbem, vel ſpatiatum, ſemper inviſebat aliquod templum, vel ſacram ædiculam. E virtutibus in eo micuit inſtar ſolis, quæ cæteras antecellit, Charitas in Deum, ac proximum. Frequenter adibat noſocomia, ægros conſolans, ac lectos ſternens, pari charitate recreabat vinctos in carceribus, quos juvit quæſitis eleemoſynis, quas ipſe ſingulis inpertiebat manu ſuâ. Profecturus ex unâ in urbem aliam, ſcivit quendam è mancipatis carceri nimiâ urgeri victûs penuriâ. Protinus tradidit fœminæ panis venditrici, quos poſſidebat, numulos, ut quotidie tribueret illi vincto panem unum, donec expleretur tradita ſumma. Ex hoc hominum genere nulli ſunt magis ejus devincti charitati, quam habitatores ſive hoſpites carceris Conimbricenſis, quibus legavit bonam pecuniæ ſummam, ut in fœnere poſita, quotannis aliquo reditu juvaret eorum miſerias. Si aliquid ex ipſo poſtulabant propter amorem Dei, ipſius non fuit petita negare. Ad manum ſi non erat quod impertiret, ſaltem præbebat æream imagunculam. In Domo Tyronum Rectorem agens eleemoſynam auxit, quæ diebus ſingulis ad januam dividitur mendicis. Rependit multis beneficiis Deus hanc ſervi ſui liberalitatem, nam habuit domus legatum pingue, unde non ſperabatur præter alia magni momenti ſubſidia. In eâdem

dem domo cum erat Juniorum Præfectus unà cum aliquo tyrone deferebat offam mendicorum ad januam, dividebatque egenis: sæpè in domestico septo colligebat ficus, detergens vermes, quibus operiuntur ob soli ariditatem, sic mundatas largiebatur pauperibus. Visitans nosocomia si non erat esca, vel poma, quibus ægros solaretur, portabat virides ramos, aut vitis pampinos. Interrogatus à socio, cur tam inutilia ferret munera? Respondit, id se facere, ut virore recrearent oculos, & frondibus abigerent muscas. Habuit in codice notata remedia paratu facilia, quæ datâ occasione docebat pauperes, quibus pecunia emendis ex officina non erat. Jacebat in Ulyssiponensi nosocomio ægrotus præter solitum horridus ob saniem & gravem odorem, hujus lectum componere sibi tantum reservabat. Semel inveniens stramineam culcitram inutilem usui, & commodo, sumit involucrum sordidum suis humeris, & par aream latam populo plenam tetulit in domum opificis, qui novo refecit stramine, Joannesque rursus imponens humero restituit ægro suo Cupedia, quæ mensæ inferebantur, vel ipsi afferebant simul accumbentes, habita Majorum facultate, servabat largienda mendicis ad januam, præsertim pueris lactentibus dicens hujusmodi alimento suppleri lactis defectum, quod strigosæ matres instillare non poterant. Essem infinitus, si vellem res singulas exprimere. Ad conjungendas Deo animas habuit in sermone familiari dulcedinem amabilis plenam veneficii. Citrà fastidium ullius per multas horas audiebatur de rebus divinis sermo. Ut modis omnibus homines excitaret in amorem virtutis, composuit, ac typis dedit plurimos libellos de rebus asceticis plenissimos pietatis, & curiosis, utilissimisque narratiunculis, quibus suavem in modum lectionem condit, ac reddit gratam legenti. Quantum consuluerit bonæ aliorum existimationi, nequit explicari paucis. Semel ex ipso audivi coram aliis hujusmodi verba: „ Gratias quam maximas habeo Deo, „ quod ad tempus præsens, nec dixerim verbum unum, nec unam „ scripserim litteram, quæ dedecoraret mortalem ullum. Nescivit detrahere alienæ famæ, nec permisit coram se obtrectandi libertatem. Siquis, eo præsente, adversus aliquem sermonem inseruit, protinus Joannes absentem defendebat, multis in mediú adductis rationibns, quibus eam personam exornabat. Solitus est dicere, neminem tam improbum esse, ut non haberet aliquid laudandum, adjiciens eas res laude dignas à nobis proferendas cum de ipso homine injiciatur sermo. Si ullus tam audax fuit, ut obtrectaret superioribus, tanquam pungeret oculorum suorum pupillas ignescens sancto plenus furore: Mi Pater, aut Frater, ajebat, nè loquaris eâ libertate de tuo superiore, si tibi esset comperta,

ratio, cur hæc aut illa fecerit, prorſus obmuteſceres. Singularis illi modus ad animos triſtitiæ nubibus liberandos. Uno verbo diſſipabat nebulas denſiſſimas. Religioſæ virtutes ad certamen usque in ipſo micuerunt. Nemo paupertatis amantior. Hoſpitio utenti alieno ſi ſternebatur lectus plagulis, & ſtragulis ſericis, quæ dedecent religioſam paupertatem, horrebat tali culcitræ acclinare corpus; tunc vel humi, vel in ſtabula capiebat ſomnos. Cum diu erat moraturus, ut in miſſione ſtabili, monebat hoſpitem, modeſtum lectum ſibi pararet, amotis ornamentis, & molliſſimis culcitris, aliter toto eo tempore dormiturum humi. Ejus indumenta præ ſe ferebant paupertatem. Utebatur veſtibus attritis, ſed mundis, calceis centonibus refectis. Nec erubeſcebat his indutus vetuſtatibus inviſere Angliæ Reginam, quæ plurimi illius fecit virtutem, & magni habuit, quod fuerit conſanguineus noſtro Andreæ Fernandio Regum confeſſario, cujus doctrinâ ipſa quondam fuerat inſtituta. Non dabat ſimul ambos calceos, ut reficerentur, ſed uno inſtaurato, præbebat alium, ne propter inutilitatem eos rejicerent & meliores ad ſe ferrent. Dum veſtitus tulit uſum modeſtum, alium non curavit, ſed iterum, atque iterum reficiendo coegerat diutius perdurare. Multus eſſem ſi numerarem ſingula. Fæminas rarò, & non niſi ex neceſſitate alloquebatur. Externos ſalutans non apprehendebat manum, nec patiebatur ſuam tangi, quod crederet id noſtræ Regulæ contrarium. Obedientiſſimus fuit. Agentem Conimbricæ Tyronum Magiſtrum deſtinarunt Majores Collegii Madeyrenſis Viſitatorem, quo tempore crus illi ſupra modum tumebat, quod infirmitatis genus Inſularum cælo magis, ac magis ſolet ingraveſcere. Suadentibus, ut cauſando morbum ſuum ab eo itinere ſe liberaret, reſpondit Quid mei Tyrones dicerent, quo doceo non arcendas excuſationibus obedientias? Hactenus eos verbo nunc inſtituam exemplo. Inſulanorum animos ſic devinxit ſibi, & Societati, ut conati ſint eius in Luſitaniam reditum impedire. Obſtiti hæc meditantibus Joannes, ne mandata ſuperiorum illuderentur: Semper enim obedientiæ poſtpoſui quoscunq; humanos reſpectus. Eboræ vocatus ad carceres Inquiſitionis ut fæminam pænitentem inſtrueret dixit, ſocium ſuum in conſpectu futurum quoniam ita jubebat regula Reſponderunt Domini Inquiſitores eum illic teneri morem, nolle tamen ipſi creare moleſtiam: propter eà mandarunt reſerari feneſtram ca dentem in amplam domum prop ſacellum. Sic potuit Socius Patrem conſpicere, & non audire. Non minu ſtuduit humilitati. Regebat Domum Tyronum Ulyſſipone cum latrinæ fe cerunt ruinam. Ipſe inter viliſſima operas corbe evacuavit locum rude ribus. Acerbè reprehendit tyronem quo

quod in bibliotheca posuisset libellos suos in speciali loculamento, cum inscriptione litteris majusculis nomen authoris exprimentibus. Ægrè tulit libellos suos, & suum nomen locari, ubi erant Alphonsus, & Pontanus nostri, & Ludovicus Granatensis præclari rei asceticæ scriptores. Sæpe ferebat humeris tritici saccos ad pistrinum usque, ut molerentur. Nihil aliud magis exhorruit, quam honores. Voluit Serenissima Maria Sophia Lusitaniæ Regina uxor Petri Secundi, ut Joannes sibi esset à Confessionibus; verum ipsius humilitas modestis, sed efficacibus excusationibus tantum honorem à se depulit. Solum acceptavit magistratum Domus Tyronum, quod instinctu divino sensisset intus, rem Deo gratissimam per ipsum in ea domo faciendam: hanc dicebat fuisse Bejensis Collegii fundationem. Etenim primus ille fuit, qui Patrem Leopoldum Reginæ confessarium inclinarit, ut suaderet Reginæ, vellet esse prædicti Collegii fundatrix. Deditissimus erat orationi. Nonnunquam ajebat, nihil sibi molestiæ afferre orationem. Ipsius precibus plurimi singulares à Deo favores obtinuerunt. Corpus suum flagellabat acerrimè. Quascunque injurias sibi illatas sustinuit patientissimè. Absoluta lustratione Madeyrensis Collegii, Vice-Rector, cui parum gratus fuerat, quod in multis eum correxisset, satisfacturus bili suæ, quo die Joannes primi capiebat cibos, conscendit triclinii suggestum, extrahit chartam scriptam intus, & foris, ac voce, quæ domum implebat, legit reprehensionem adversus Joannem per otium à se compositam plenam verbis pungentibus, & quæ omnes præter Joanem exacerbarunt; Nullus enim tam modestus fuit, qui ad tantam hominis imprudentiam, & audaciam non sanctè fureret. Redditum Lusitaniæ Pater Generalis propter res contra Joannem ad se scriptas, misit in Helviense Collegium. Nihil eo supplicio turbatus, ne verbum quidem unum vir Dei loquutus est. Fuerunt tamen, qui tuerentur ejus apud Generalem innocentiam. Miratus est Joannis silentium, & gavisus tanto exemplo, Provinciali nostro Româ venienti injunxit, ut suo nomine Joannem amplecteretur, collaudaretque in ea molestia Religiosam patientiam, ac liberaret exilio. Majorem in modum exosus est otium inutile, & vitiosum, dicebat hominem Relligiosum, ut hujusmodi fugaret vitium habiturum semper inter manus aliquod opus, quod urgeret liber à solitis oneribus; his ubi satis fecisset, recursurum, ut vitaret otium, ad opus subcesivum. Adjiciebat propterea libellos suos à se compositos, quod paulatim his scribendis incubuisset ad occupandum tempus superfluum. Interrogantibus, quomodo tot libros potuisset componere, respondit: *Id agimus parum loquendo, parum dormiendo parum scribendo* Hoc postremo verbo allusit ad litteras, quib⁹

ſcribendis abſtinebat, niſi repoſcente,& urgente negotio. Tyrones ſuos, & Juniores plus docebat exemplo, quam verbo. Contigerunt illi plurimæ res admirabiles. Conimbricæ adivit noctu ejus cubiculum novitius dicens peregiſſe, quæ imperaſſet; Cum nihil magiſter injunxiſſet, ut ſciret, quid rei foret, percontatus eſt, quomodo feciſſet imperata? Reſpondit: Oravi coram Sanctiſſimo unius horæ ſpatio pro tali Patre, ut veſtra Reverentia mihi commendarat. Dimiſit tyronem ſecum reputans quorſum illud tenderet. Die ſequenti eâdem hora redivit tyro eadem dicens. Tunc Joannes intellexit cuſtodem Angelum illius ſacerdotis, Magiſtri novitiorum ſumptâ perſonâ ſolicitaſſe juvenis innocentis preces pro ſuo cliente fundendas, qui forte aliqua laborabat tentatione, aut animæ periculo. Alius tyro ipſi narravit, ſe petiviſſe, habitâ facultate, ſex linea fila, at ſubminiſtrum ſibi duodecim tribuiſſe, omniaque è clavo ſuſpendiſſe in foribus cubiculi; dum cereolo accenſo prope fila accedit, concepto igne arſiſse è filis ſex tantum, aliis intactis, cum tamen eſſent permixta. Non dubium magiſtro fuit eventu illo â Deo ſignificatum, quantum ipſi diſplicerent, vel in re tenui defectus contra paupertatem. Conimbricæ ingens cum tenuit deſiderium alloquendi Relligioſum ſibi amicum jam vita defunctum, cum minûs id expectabat, videt introeuntem cubiculum, loquuntur familiariter. In diſceſſu tam arctè Joannem eſt complexus ut ipſe præ dolore clamorem ediderit, & alius eva-nuerit. Eboræ Philoſophiam docen-ti ſe obtulit conſpiciendum unus e noſtris, qui ipsâ hora naturæ con-ceſſerat Ulyſſipone, ipſique dixit æ-terna ſe frui, & gaudere felicitate In Collegio Divi Antonii propè no-ctem volens locare recentes flore in ampullis vitreis, ut ornaret Vir-ginis altare fortè unam ex ampulli alliſit ad lapidem feneſtræ, ac fregit Tunc ait cum ipſa loquens ampullâ Tu frangeris? Virgo ſanctiſſima t reſtituet integritati; Obſervaba hæc ſocius, quin à Joanne videretu Paulo poſt accedens ad altare inte-gram reperit ampullam fragrantibu plenam floribus, ſibique habuit per-ſuaſum Joannis precibus fragmin inter ſe coaluiſſe. Horis anteluca-nis, dum matutinus excitator intra ſacellum domeſticum in domo tyro-num, cernit ſtratum tapetum, du-plici cereorum ordine, qui erant i candelabris accenſi, vidit prætere Joannem ad angulum flexis genibu orantem, qui ſocio ſignificavit manu ut recederet. Paruit non ſine ſtupo-re, quod ſciret in ſacello non eſſe ta-petem ullum, nec tantum numerum candelabrorum, ac cereorum. Exi-ſtimavit tot inter lumina Deum ſin-gulari aliquo favore ſervum ſuum re-creare. Claruit ocultarum rerum notitiâ, inter multa, quæ de re hujus-modi in ipſius ſcribo vita; admiran-dum eſt, quod contigit viro aſſiden-ti

ti inter ſodales, quibus præſidebat. Cum videret ex eis unum ſubtriſtem, facie indicante magnum aliquid animo condi. Accedit ad hujus aurem taliaque effatus : Mi domine, noli triſtitiæ indulgere, audi narrationem, quæ te hoc mærore levet. In Italia vir nobilis ſicariis commendaverat ut hominem ſibi infenſum occiderent, cum quo litigabat propter agri limites, verum cum ipſo tempore, quo ſcelus erat patrandum, accumberet ad menſam ſodalitii una cum viro Religioſo, & aliis ſodalibus; vir ille ipſi aperuit, quidquid animo agitabat. Palluit ſodalis audito Joanne, cui patere cor ſuum non dubitavit: Surrexit, & abiit attonito ſimilis, motusque Divino inſtinctu protinus dedit litteras ad ſicarios, ut abſtinerent à cæde. Prætereà diebus aliquot elapſis ejus inimicus ipſum convenit, ac veniam deprecatus ſervavitque fidam in poſterum amicitiam. Nam Joannes id quoque futurum in ſua narratione prædixerat. Tanta cæpit virum admiratio, ut quoties de Joanne mentio fieret non alio, quam Patris ſancti nomine dignaretur. Omnes qui noverunt, credidere virum admirabilis ſanctimoniæ. Non contemnendæ fuerunt conjecturæ manifeſtatum ipſi à Deo mortis ſuæ tempus. Ingreſſus exercitia ſpiritualia ſancti Patris Ignatii, ubi abſolvit, prodivit in triclinium ſe flagellaturus. Supervenit huic rigori acuta punctio. Creſcente indies dolore non mitigando ſine Medico generali confeſſione expiavit animam, dicens Confeſſario, adeſſe poſtremum morbum, in hac vita ad ſummum, uſque in diem Dominicam ſe futurum. Non aliter contigit. Maximâ pietate Sacramentis corroboratus. Sumpturus Viaticum alienas inter manus de lecto ſurgens humi flexit genua ſociis incumbens, Dominum ſuaviſſimis allocutus verbis, antequam acciperet. Semper conſervavit mentem integram, nihil aliud cogitans, niſi Deum, repetens hymnos, & pſalmos. Prope mortem videtur mihi, inquit unus de ſacerdotibus, adhuc pronuntiaturus pſalmum, ſiquis voce præeat. Ad hæc alius : Miraculum erit, ſi fecerit. Tunc ad moribundam accedens hæc protulit : Pater Magiſter, *Benedictus Dominus.* Cui Joannes. *Deus Israël, quia viſitavit nos.* Hoc fuit illus ſupremum verbum. Paulò poſt ſuſtulit oculos, ac fixit in imagine Virginis, quam ſemper habuit præ oculis, junxit manus ante pectus, & obivit tranquilliſſimè. De illius ſupellectile ſumptæ reliquiæ, & miſſæ in Collegia, ut ſatisfieret ſociorum pietati. Nec id mirum eſt, cum multi ad viventem darent litteras, eâ ſolum mente, ut in reſponſione de ipſo haberent reliquias. Plurimos libros de rebus aſceticis in lucem dedit, non ſine miraculo ſuæ paupertatis ; nunquam enim defuerunt typographi, qui ſuis expenſis prælo ſubjicerent, cum id in Luſitania non ſit parum difficile ob nimios typographiæ ſumptus.

P. Emmanuel Pimenta.

EBoræ vitam clausit año 1603. Natus in oppido Scalabitanò Diœcesis Ulyssiponensis. Iniit Eboræ Societatem 17. Augusti anno 1560. Cum esset in exercitiis sancti Patris Ignatii nuncupaturus vota biennii, dictum est illi; adoptari in gradum Coadjuctoris temporalis. Respondit, nihil aliud sibi in votis esse. Posteà Majoribus placuit, litteris studeret. Emisit tandem tria vota solemnia. Humanam litteraturam docuit cum plausu, numeratusque est inter Poëtas sui temporis insigniores, ut probant in lucem edita Carmina. Annis quatuordecim egit Conimbricæ Præfectum studiorum, & sexdecim Eboræ. Plurimum incubuit tum perfectionis studio, tum nostris exercendis ministeriis. Exactissimè observabat imperata. In suo munere nihil eo integrius. Promovebat Scholasticos ex cujusque merito non curando patrocinia, quibus fidunt negligentes. Continuus erat tribunali Confessionum, & patientissimus in audiendis pœnitentibus: propterea tot ad ipsum concurrebant; ut necessum fuerit dies hebdomadæ dividere, ac singulis designare, ut posset votis omnium satisfacere. Magna illi prudentia in dirigendis ad Deum, quos confidentes audiebat, qui ipso Præfecto, vel Societatem, vel alias sacras familias auxerunt penè omnes Emmanuelis consilio id genus vitæ sunt amplexi. Nunquam, vel in ultima senectute repertus es in matutina oratione nisi flexus geni bus. Cum manè exiturus erat spatia tum causâ valetudinis conservandæ de lecto surgebat duabus, vel tribu horis ante alios, ut consueta oratio nis, & precationum obiret exercitia antequam domum egrederetur. Ne scivit quid esset de aliis male loqui Nolebat generales facultates a hoc, vel illud petendum, aut agen dum, ne diminueret meritorum ma teriam. In ejus carminibus tam cau ta fulget viri modestia, ut verbum non sit, quod excitare possit cogita tionem minus puram. Denique san ctissimè vixit, & obivit sanctissimè.

P. Simon de Aguiar.

IN Collegio Portuensi vitam exple vit anno 1655. Natus in oppido *Pinhel* Diœcesis Visensis. Bis Societa tem est ingressus. Postquam in ea vi xerat annos vigintl vel abiit, vel di missus est. Posteà instar Prodigi in se reversus, atque in matris domum iterum Societatem amplectens, in qua vitam duxit annos quinque supra triginta. Profectus in Angolam, ub annis quatuordecim magno anima rum bono naviter laboravit. Per gens in Dongum, ubi crudescebat bellum inter Lusitanos, & Gingam Æthiopum Reginam, inultum in eo componendo negotio insudavit, & quidem felici exitu. Suasit Regi Don gano, sibi matrimonio conjungeret fœminam præclarissimæ nobilitatis. Idem suasit Congano Regi, magni uti que

que earum gentium bonò. Tanti habitus ab Æthiopum dynastis, ut sæpe fuerit, ab ipsis invitatus ad res magni momenti componendas. Redditus Lusitaniæ exegit reliquam vitam in Collegio Portuensi magno exemplo tum nostratium, tum externorum. Singularis eum exornabat charitas, & bonitas. Assiduus fuit Confessionibus audiendis. Religiosam paupertatem pluris habuit regum thesauris. Post ipsius mortem inventa supellex constitit ex Breviario, & aliquot imaginibus sanctorum in chartâ depictis. Diuturno morbo illius est virtus probata, coluxitque tum mortificationis, tum patientiæ exemplis.

DIE II

P. Joannes de Lucena.

IN Domo Professa Ulyssiponensi vitæ finem attigit anno 1600. Natus in oppido *Trancozo* Diœcesis Visensis. Conimbricæ adjunctus Societati 14. Martii anno 1565. Fulsit præclarissimo ingenio, ad magisteria, dotibus præcellentibus ad sacra pulpita. Solùm tradidet Eboræ Philosophiam, quod Societati placuit eum potius concionatorum muneri addicere. Ubicunque prædicavit, auditus est magno plausu, & animorum magna commotione. Nihil enim præter auditorum utilitatem curavit unicam, spernens humanos plausus, & inanis gloriolæ stultitiam. Sæpe contigit, ut dicenti verba, quibus significabat velle se concioni finem imponere responderent unâ voce auditores pergeret ulterius: tanta fuit eum audiendi aviditas ob suavissimam doctrinam modo suavissimo explicatam. Adversus odia fulminabat ardentior non vano tonitru, nam discordes animi ipso auditó, Dei verbo resistere non poterant. Unam ex ipsis concionibus forte legit miles coram duobus viris primæ nobilitatis invicem infensis, ubi audiverunt legentem, positis odiis, ruêre in mutuos amplexus. Vocatus est ad absolvendum hominem cæcum, & surdum, mortis articulo laborantem. Difficultas erat, quomodo vir cæcus, & surdus esset excitandus ad peccatorum dolorèm, & petendam confessionem, animamque explicandam. Nodum solvit ingeniosa charitas: apprehendit ægroti manus, applicat coronæ capitis, deinde rasæ barbæ, qua per id tempus solum Clerici, & monachi utebantur. His indiciis cognovit ægrotus sacerdotem esse, & per confessionem detersit animam. Quæ res in populum vulgata diu cum plausu mixta est hominum sermonibus. Cum ad aram faciebat, suaves, & copiosas profundebat lachrymas, præmissâ, ante sacrum quotidianâ confessione. Nunquam auditus est obtrectationis verba proferre. Plurimas obivit sacras missiones præsertim Villævissosæ rogatu principum Brigantinorum. Vir fuit admirabilis tolerantiæ in adversis, nec defuerunt graves occasiones.

-Ma

Maximè perosus est otium iners, & inutile. Postquam est afflatus initiis morbi, quo tandem sublatus est, non ideò abstinuit à concionibus, & confessionibus audiendis. Illius morbus molestissimus fuit subitis mali incursionibus, quas acutissimi dolores comitabantur. Agebat inter has angustias Deo quammaximas gratias; quod sic ejus patientiam probaret, daretque merendi amplam materiam. Perpendebat multum apud se, quod hominum redemptionem in doloribus sustinendis posuisset Deus. Id enim evidens erat argumentum, quanti deberent æstimari. Lecto hærens singulis diebus, & per confessionem eluebat animam, & sacro reficiebatur pane. Cum nunciatum est illi nullam esse de ipsius vita spem, plenus novâ lætitia, sublatis in cælum manibus Deo habuit gratias. Sæpe repetebat illud Davidicum: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Amisso vocis usu fixit oculos in Crucifixum; sic permansit, donec emisit Spiritum. Scripsit (& quidem stylo cultissimo) & in lucem vulgavit sancti Xaverii vitam.

P. Benedictus Fernandes Martyr.

Nangasachii apud Japones martyrio est illustratus anno 1633. Natus Borbæ in Eborensi Diœcesi. Societati conjunctus Eboræ 22. Martii anno 1596. Antequam ad nos veniret, Venerabilis vir Vascus Pirius tangens manu illius humerum, *Hic puer, ait, erit martyr.* Jam alter illiu germanus frater ejusdem nominis, d quo mentio 7. Decembris; apud no vivebat. In studiis scientiarum excellens ostendit ingenium. Cum alius Religiosus adolescens, ut apparet exiguæ virtutis, conspexit præclaras dotes, quibus splendebat Benedictus, illi persuadet, ut posito nomine, & cognomine, quæ stultus reputabat humilia, sibi nomen grand sumeret, & cognomen sesquipedale. Risit ad tantam ineptiam matura Benedicti prudentia. Hoc, respondit nomine mihi donata est baptismi gratia in templo Virginis de Soveralio quod primarium est Borbæ, ubi sum natus; Cum hoc spero me facturum res adeò magnas in obsequium De ut nomen meum reddam illustre Ardentibus desideriis petivit ad missiones eundi facultatem. Quod esse tenuis viribus timuit, ne Medicus interrogatus obstaret: propterea eum ad januam Collegii præstolans, rogavit, ut suo conatui faveret, id suasit multis rationibus. Intelligens medicus adolescentem in res magnas à Deo vocari, illius subscripsit votis. Ad Indiam profectus anno 1602. aliquot annis moratus est Goæ, ut absolveret scientiarum studia. Anno 1606: navigavit in Japoniam, ubi vixit annis septem supra viginti inter magnam temporum varietatem, multis tempestatibus adversus Ecclesiam furentibus. Memorare famem, sitim, timores, pericula quibus laboravit, & artificia planè ingeni-

geni-

geniosa, quibus se investigantibus furatus est, ut se servaret Christianis; parvæ narrationis non est. Nihil apud Japones illius erat nomine celebrius. Idcirco diligentissimè conquirebatur ab Ethnicis, à quibus tandem Nangachi comprehensus est. Vix exprimi potest lætitia ab Ethnicis concepta. Præfecti summopere eum intueri cupiebant propter insignem viri famam. Cum portaretur equo impositus Nangasachium, concurrit urbs tota, ut eum videret; ceu Japoniæ Imperator iniret urbem. Eminebat in ejus vultu gravitas, & majestas planè regia. Mirabantur omnes lætam viri faciem inter tot, ut arbitrabantur, calamitates. Cum ingressus domum, ubi erant Præfecti, eos consalutavit verbis dignitate, & authoritate plenissimis. Admirantes personæ gravitatem dixerunt eum majorem esse famâ de ipso vulgatâ. Facilè perspici ortum ex aliquo Europæ principe, quoniam in tanto malo præ se ferret animum generosum, & majorem cunctis infortuniis. Subrisit hæc audiens Benedictus, ac respondit: verũ videri, quod ipsi dicerent, id intelligi ex magno equitum comitatu, quo veniebat stipatus, ut eorum Dominationes inviseret. Protinus injecerunt illi sermonem de fide deserenda, magnos montes ipsi pollicentes nomine sui Imperatoris, cui non dubitaret facturum rem gratissimam, & multis dignam honoribus. Hic Benedictus faciem induens severitate gravem; Non esse, ait, se hominem, cui talia dicantur. Potius, ut ipsi lentius intuerentur Christianæ doctrinæ capita, offerre se libellum, in quo erant scripta. Sub hæc libellum porrigit, adjiciens se millies mori paratum pro defensione veritatis in libello contentæ. Commiserantes hominis vicem, jusserunt ferri in carcerem non sine spe ab eo obtinendi defectionem à fide. Verum cum perspicerent se oleum, & operam perdere, damnaverunt ad supplicium foveæ. Id genus tormenti acerbissimum fuit. E trabe martyrem suspendebant succinctum funibus capite deorsum versu, umbilico tenus mergebant in foveam corpus. Accidebat inde, ut omnia intestina lentè suas mutarent sedes incredibili, & diuturno patientis dolore. Hujusmodi patibulo addictus est unà cum Paulo Saito Japonensi de nostra Societate. Sex, & viginti horis tormentum sustinuerat. Cum Præfecti impiâ permoti pietate jusserunt extrahi de patibulo, ac in domo custodum illius curari valetudinem. Deductus inde semivivus, dixerat enim se non moriturum, nisi cum Paulus expirasset. Diebus septem non sine miraculo vixit in tormento Paulus: ubi primùm felicem exhalavit animam, narratum est Benedicto. Audito nuntio, sublevans in cælum oculos, & manus inter hæc verba, *Paulum expectabam*, fortunatissimum effudit spiritum. Succensus permagnus rogus, inquem sunt conjecta amborum cadavera. Ubi se tetigerunt, tanquam

alter alterius foret anima, consalutarunt se invicem verbis Japonicis, & Lusitanicis. Alii scribunt conjectos surrexisse, ac stantes pedibus fortunam suam invicem gratulatos, ac posteà incubuisse flammis. Ætatis numerabat quartum supra quinquagesimum annum, Societatis trigesimum octavum. Ut testaretur amorem, quo prosequebatur Japonensem missionem, voluit nominari Benedictus Fernandius Japon. In Domo tyronum Eboræ conservatur ejus Breviarium, tamquam pretiosum tanti Alumni monumentum.

DIE III.

P. Mathias de Sà.

BRacharæ mortuus anno 1636. ibidemque natus fuerat. Splenduit magnis virtutibus, ferventi animarum zelo, magno erga nostrum institutum amore, & studio abjectionis propriæ, & mortificationis. Alienissimus fuit ab omni ambitionis specie. Explevit optimi concionatoris partes. Rexit aliquot Collegia, & postremò Conimbricense, à cujus magistratu se excusavit. Plurimum dilectus à subditis, quod erga omnes præ se ferret viscera paterna. Humilitas præ omnibus virtutibus illi arrisit, nec inficiabatur vile sui patris opificium, quanquam eum religio honestaverat multis honoribus.

P. Baptista Fragoso.

ANno 1639. Bracharæ cessit è vita. Natus est in oppido *Alagoa* regni Algarbiensis. Eboræ dedit nomen Societati 9. Januarii an. 1577. ætatis 18. docuit magnâ fama Theologiam moralem Eboræ, Ulyssipone & plurimis annis Bracharæ. In hujusmodi scientia æquavit excellentes sui temporis, ut testantur ejus libri typis vulgati. Semper studuit virtutibus diligentiùs, quam litteris. Sapientia quamvis inflet, non efferebat illius animum. Micabat in verbis, & factis humilitas religiosa. Mentem sui compotem conservavit anhelitum usque ad extremum.

P. Thomas Cabral.

COnimbricæ vitam explevit anno 1674. Natus in oppido Cerolico Diœcesis Guardiensis. Ulyssipone se conjunxit Societati decima Februarii 1694. Quamvis erat nobili ad litteras ingenio, nihil potius habuit quam humanos plausus contemnere, unicè deditus religiosæ virtutis studio. Prorsus abstinuit à commercio cum externis, quos tantum alloquebatur, cum audiebat confitentes. Ad urbem non prodibat, domi se continens, semper læto vultu accedebat vocatus ad confessionum tribunal. Quanquam centies eâdem die ab æditu moneretur adesse, qui vellet confiteri, protinus hilari vultu accurrebat. Postremis annis hæsit affixus lecto ob morbos suos, quos tulit animis patientissimis. Ibi consulebatur à nostris de re, ac dubiis conscientiæ, quod emineret in Theologia Morali, & quod ejus respons-

tran

tranquillarent interrogantium anxietates. Nunquam ulli mortalium detraxit; nec consensit coram se corrodi alienam famam. In cubiculo vix erat aliud præter lectum in quo jacebat. Nullus in eo viderat factum, aut verbum audierat, quod oleret culpam levem. Summopere cavit Angelicæ castitati, ne vel umbrâ, aut tenuissimâ nebulâ afflaretur. Tribus ante mortem annis visum omnino amisit. Ajebat, id sibi contigisse gratissimum, quod sic esset minus obnoxius scrupulis. De ipsius virtute constans apud omnes erat opinio. Mortuus est quarta hora matutina, quod factum, ut protinus frueretur Missæ sacris pro ipso concelebrandis.

DIE IV.

P. Antonius Veras.

IN Angola posuit animam anno 1660. Natione Lusitanus. Natalem urbem, aut oppidum non inveni. Ejus mors traxit originem ab exercitio salvandi animas in locis mediterraneis, quæ pernicioso cælo noxia sunt alienigenis. Mense Augusto proximo Loandâ egrediens discurrit per Angolam catechesi instruens Æthiopes, & frangens idola, quibus gens miserrima vivit prorsa. Aderat prope Guissamam, cum Præfectus Lusitani præsidii jussit, ut illi denuntiaretur, ne pergeret ulterius, earum gentium conversionem pertinere ad curionem suæ arcis. Prætereà scripsit Loandam ad summnm rei Lusitanicæ Præfectum epistolam plenissimam mendaciis. Dicebat vir impudentissimus, Patrem Antonium, ubi pedem fixisset in eis terris, vetuisse edicto publico, ne quis auderet negotiari, vendere, vel emere sine ipsius facultate. Has litteras ubi summus Præfectus percurrit oculis; miratus tam insignem impudentiam, responsum dedit acerbitate plenum, quale perfrictæ frontis vir merebatur. Adjecit minas, si Patrem impediret. Inde profectus est ad arcem Muchimensem, quo præiverat ejus fama. Cum ea late scripsisset per eam regionem, à multis invitabatur. Ejus pium laborem intercepit perniciosus morbus: propterea coactus est in Collegium redire. Nec multò post Factori suo restituit animam.

DIE V.

P. Joannes de Madureyra.

IN Oceano ad oram Cantabrici maris diem obivit anno 1601. Natus in urbe Portuensi. Patrem habuit Henricum Nunium virum præclarissimæ virtutis, de quo mentionem facio in hoc opere 21. Martii, quod mortuus sit votis Societatis nostræ nuncupatis. Conimbricæ accessit ad Societatem 25. Octobr. 1561. ætatis 13. Magnis virtutibus, & magnis claruit ingenii, & naturæ dotibus. Locum habuit inter primarios sui temporis concionatores. Non

ſuæ gloriæ, ſed tantum Divinæ ſtuduit. Addictiſſimus erat exercitiis orandi. Nec dum ſenex orabat niſi flexis genibus, quamvis affectâ laboraret valetudine. Propterèa quod Dei commercium ipſius erant deliciæ, fugiebat ſæcularium confabulationes, & negotia. Idcircò agens Moderatorem, valde procurabat obſervantiam regulæ vetantis noſtros negotiis immiſceri ſæcularibus. Rexit Collegium Divi Antonii, ac Domum Profeſſam Ulyſſiponenſem. Per id tempus avertit magnum malum è Societate, ortum ex improbis ejuſdem filiis. Aliqui enim nullius virtutis homines criminati ſunt Superiores ſuos, & modum gubernandi Societatis apud Cardinalem Albertum Inquiſitorem Generalem; qui ſub magnis ſecreti juramentis nemini revelandi quæſita noſtros religioſos de rei veritate examinavit. Negotium erat plenum turbis, & maximis incommodis. Quodque pejus non affulgebat remedium, cum non poſſet conſilium cum aliis communicari, ut vulnus intentatum declinaretur. Divinitùs occurrit Joanni, ad Summum Pontificem ſcribere, ut pro paterna in Societatem curâ tantam turbationem averteret, & rem participaret cum Patre Generali, in cujus epiſtola deferebantur clauſæ ad Pontificem litteræ, quas ipſe Generalis tradidit, protinuſque juſſu Pontificis illa Cardinalis diligentia ſuffocata eſt, & liberata Societas ab eminenti vulnere. Cum rexit Ulyſſiponenſe Collegium, defendit à maxi
mis adverſariis reditum, quem habe
Collegium in Apotheca Indiæ. Peti
vit facultatem adeundi miſſiones O
rientis, cum jam eſſet adeptus, pro
hibitus eſt ſententiâ medicorum
quod affectio, & tenuitas valetudi
nis non eſſent ferendo labori tant
itineris. Ulyſſipone voluit ſibi eſſ
curæ inſtitutionem puerorum, & ru
dium, poſtquam Domus Profeſſæ egi
Præpoſitum. Succeſſit in eo docenc
catecheſim munere venerabili vir
Ignatio Martinio: quod munus ſi
explevit ad omnium vota, ut nihi
Ulyſſipo ſenſerit Ignatii abſentiam
Quanquam per id temporis non era
Ulyſſipone concionator magis inſig
nis, propter humilitatem fugieba
conciones majorum concurſuum, &
plauſuum. Singulares in ipſo fuerun
charitas, atque in perferendis dolc
ribus patientia, graviſſimos perpe
ſus eſt à ſtomacho. Plurimum auxi
Divinum cultum in domibus, qu
gubernavit. Magna de ipſius virtut
circumferebatur opinio. Duces A
verienſes cum ſibi à confeſſionibu
degerunt. Potuit horum Princi
pum, ſi vellet uti patrociniis, conſan
guineos ſuos locupletare; verum
minimè procuravit. Cum adibat A
zeitamum, ubi Dux habitabat, con
tus eſt, ut ſuus confeſſarius intra pa
latium hoſpitaretur, ibique ſplendi
da reficeretur menſâ. Utrunque de
clinavit Joannis humilitas, & parſi
monia, perſuadens Duci, ut ſibi da
retur extra palatium domus, & vi

ctu

ctus communis, qualem domi no-
stræ habebat. Quotidiè verberabat
corpus, eratque exactissimus in ob-
eundis spiritualibus exercitiis. Cum
minus sperabat, venerunt, à Pa-
tre Generali patentes litteræ, qui-
bus præponebatur Visitator Brasilicæ
Provinciæ. Quamvis abundarent il-
li excusationes, eas contempsit ob-
sequens obedientiæ. Cum id vulga-
tum est Ulyssipone, vix dici potest,
quod murmur fuerit adversus Supe-
riores societatis, quod tanto homi-
ne privarent Ulyssiponem. Dynasta-
rum tota incubuit potentia, ut iter
impediret. Præsertim adnixus est
Averiensis Dux: cui Joannes diser-
tissimis dixit verbis, amplius ipsius
domum non intraturum, si moras,
ac nodos injiceret, impediretq; obe-
dientiam. Cæteris operariis jam in
navem profecturam receptis, Pro-
vincialis communicato consilio cum
Provinciæ Consultoribus denuntia-
vit Joanni, ne conscenderet navem,
donec Pater Generalis certior fieret
de incommodis itineris. Verum cum
se ob potestatem sibi factam non
esset subditus Provincialis, noluit
posteris relinquere exemplum, quo
detrectarent arduas obedientias. I-
gitur dissimulato consilio sub prætex-
tu dicendi postrema verba profectu-
ris in Brasiliam, navem ascendit, ibi-
que subsistens litteras dedit ad Pro-
vincialem, quibus inter alia hæc ha-
bet verba: „ Ego me multum Deo
„ commendavi, ac diversis sanctis,
„ quotidie pro hac re ad aram fa-
„ ciens, & decrevi unà cum aliis
„ navem conscendere, quanquam
„ proficiscar cum omnibus mundi
„ incommodis: non enim facio ani-
„ mam meam pretiosiorem, quam
„ me. Mihi est aperta obedientia
„ Reverendi Patris Generalis à tanto
„ tempore acceptata, & non con-
„ spicio vim aliam, quæ me cogat
„ manere. Consultatio medicorum
„ extra tempus, & oportunitatem,
„ me non audito, nihil refert. Et
„ ego libentissimè offero hanc ta-
„ lem, qualem vitam, ut obeam
„ in manibus Divinæ providentiæ
„ in hujus obedientiæ exercitio:
„ quamlibet id contingat, uti egres-
„ sus fuero Tagi ostium: nec mihi
„ apud mortales aliud felicius po-
„ test accidere. Hactenus ipsius ver-
ba. Dux Averiensis maximè excan-
duit adversus Patres Domus Profes-
sæ, noluitque amplius illis largiri so-
lita tritici subsidia, quæ multum sub-
levabant Domus paupertatem, ele-
gitque confessarium non de Societa-
te. Porro Joannis exemplum apud
nostros illustre fuit, & quod proba-
vit non esse vanam de illius virtu-
te opinionem. Vigesima quarta Sep-
tembris vela solvit, ac provecturus
in altum, non amplius tribus, aut
quator leucis navis à terra discesse-
rat, cum adversus eam involant
duæ piraticæ naves plenæ milite An-
glo. Quamvis pugnatum est, non
potuit navis hostili resistere poten-
tiæ, quapropter deditionem fecit.
Initio Patres indulgenter habiti sunt

ab hæreticis. Nulli ſurripuerunt veſtem, globulos precarios, aut breviaria. P. Viſitator, & Pater Fernandus Cardinius accumbebant menſæ navarchi. Statuerunt hæretici cæteros in terram exponere, id egerunt prope oppidum *Sines* dictum. Tulerunt ſecum Patres Joannem, & Fernandum; protinus Pater Madureyra cæpit acutiſſimis pungi doloribus, qui ſunt aucti præbita potione medicinali facta ex cerviſia, quam illi propinavit navis Chirurgus. Nequibat dormire, nec cibum capere. Accrevit his malis formidanda tempeſtas. Delatus eſt ad loculamentum oeconomi ſub ultima contignatione navis. Putatum eſt illic futurum commodius. Ubi eſt ingreſſus lugubrem domunculam, ſive cryptam, ſuam fore ſepulturam non dubitavit affirmare. Cum illic eſſet incommodiſſimè, vectus eſt ad conclave navarchi. Videns vicinam eſſe mortem dixit ſociis verba noviſſima dolens, quod ipſos usque ad Angliam comitari non poſſet. Hæc inter vehementi navis jactatione extincta eſt lucerna: dum properant accendere, redeuntes inveniunt expiraſſe. Illius mors contigit ad oram Cantabriæ. Poſt biduum retulit noſtris vir ille, cujus linguâ utebantur, ut Anglos alloquerentur; eos Anglos, qui ferebantur in navi captiva, dixiſſe vectoribus prætoriæ navis, ipſos ea nocte vidiſſe Patrem Madureyram in ſua navi albis veſtitum indumentis. Nihil æquè ſenſit Ulyſſipo per id
tempus, atque Joannis captivitatem
ſummaque diligentia agitabatur d
illo redimendo. Verum Deus opti
mus maximus voluit potius libera
ri corporeis vinculis eumq; locari in
ter cælites.

P. Antonius Delgado.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi d
vivis exceſſit anno 1586. Natu
in urbe Portuenſi. Naturâ ipsâ bene
ficus fuit tum noſtris tum externi
Nihil æque fugit, ac deviare à comu
vivendi more. Propterea odio ha
buit, quidquid peculiare fuit. Ne
dum infirmus permiſit ſingularitate
Cum vellet cuſtos valetudinarii le
ctum ejus ſternere duabus culcitri
nullo modo conſenſit, quod illud ca
teris commune non eſſet. Propte
nimiam debilitatem redditus facien
do ſacro inutilis, ægre potuit de cu
biculo exire. Idcirco Præpoſitus il
li conceſit, quotidiè excipere in cu
biculo Panem ſacrum. Noluit ut
hac facultate, dicens tale quid, no
facturum dum moveri quocunqu
modo poſſet uſq; in ſacellum. Simili
ter non permittebat ad ipſius cubicu
lum venire confeſſarium ſuum, quo
ipſi videbat opus non eſſe, dum ve
trahendo pedes illum poſſet conve
nire. Poſtremo die quo mortuus, ma
nè ſuſtulit è lecto corpus, cum reli
qui ſunt excitati. Habita oration
adivit Confeſſarium, expoſuit con
ſcientiam, eum rogans, ut ſe DEO
commendaret, quoniam morere
tur. Collectum in cubiculum inva
ſi

it subita vis mali sive deliquium, quod nonnunquam patiebatur. Signum fecit Patri Ludovico Alvaro vicino suo, cui, accurrenti dixit, se extremo laborare articulo. Statim cæteris convocatis, inunctus est sacro oleo; & paulo post solutus corpore.

P. Lactantius Leonardi.

In regnò Congi prope Angolanas regiones anno 1636. vivis ereptus, alus natione, natus in oppido *Città Castello* Umbriæ. Antequam adscriberetur Societati, plurimum studeit virtuti. Quamvis potuit frui rebus Ecclesiasticis, quod esset sacerdos pius, ac doctus, semper illos git, ne conscientiam gravaret eom oneribus. Diebus Jubilei accebat Romæ ad nostram Domum ofessam, ac simul inter nostros exibat per confessionem pænitentes. stidio humanarum rerum valedimundo, deditque nomen Societain domo tyronum Romæ; anteam absolveret biennium eum ad ssiones Angolæ invitavit Nonius ascarenius Lusitaniæ Assistens. Cum rem gereret invitanti, missus in sitaniam Ulyssipone biennium abvit. Priusquam navem conscenet, perrexit Conimbricam ad inendam Divam Elisabetham, cujus ea urbe conservatur incorruptum rpus. Ad Angolam profectus an. 29. Nihil eum commovebant itiris pericula. Sæpe illius animum tandi gratiâ comites fingebant formidanda navis pericula: quibus auditis, nihil turbatus ajebat: *Pereamus si Deo placet: absorbeatur navis, si Deo placet.* Si arguebant eum animi crudelis, & parum commiserantis cæterorum vicem, respondebat: *Nihil omnino curandum est, nisi quod fiat voluntas Dei.* Ubi primum attigit Angolam, statim cogitavit de missione Congensi, voluntatem suam subjiciens Moderatorum placitis. Consultius visú est Angolano cælo assuescere, priusquam ad mediterranea contenderet. Ante ipsum ad Congum profectus est Pater Nicolaus Fenalius, qui cum Lactantio Româ venerat. Paucos intra dies, ex quo intraverat Congum, perniciosâ febre de medio sublatus. Nihil tristi nuntio conterritus, sed ardenter postulavit illò mitti. Verum dilata est profectio. Interim docuit secundum grammaticæ gymnasium, & primum aliquo tempore. Quamvis studuisset Juri Pontificio, & sacræ Theologiæ; accuratissime incubuit docendis Æthiopum filiis Grammaticam, tanta animi contentione, & gaudio, quanto in Academiis moderaretur splendidiores Cathedras. Peculiares adhibebat curas in promovenda discipulorum virtute. Præter exhortationes, collationes spirituales instituit: ex his descendebat ad mores politicos, eos docens urbanitatem, comitatem, modum in factis, ac verbis, parsimoniam in mensa, & mores cæteros, qui decent optimam educationem. Ad has collationes

In-

invitabat scholasticos alterius gymnasij. Plurimi octavo quoque die eluebant per confessionem animas & recreabantur Divino Pane. Præter Magisterii pensum concionabatur, & confessiones pænitentium audiebat. Tempore magni jejunii illius mos erat, sacrum facere, deinde sedere in tribunali confessionum usque ad signum adeundi gymnasium. Idem agebat post prandium; idem finitis ludi vespertinis horis. Tot cumulatis laboribus adjiciebat laborem legendi pro mensa. Erga omnes usus est ingenti charitate. His ornatus virtutibus profectus est ad gubernandum Congense Collegiolum. Prima Septembris Loandâ egressus, ad suum Collegium pervenit 13. mensis ejusdem. Intra tertiam, & quartam diem implicitus est febre perniciabili, quæ nostros, & externos, & Regem magno affecit mærore. Factæ sunt pro ejus salute obtinenda multæ preces, & visitatæ sacræ ædiculæ, quo devotionis causâ frequens confluebat populus. Videbatur tempus illud, quale est sanctioris hebdomadæ. Tantus populi concursus vias urbis complebat. Nihil tamen valuerunt preces, nec peregrinationes ad loca pia. Morienti inter alios assedit Rex ipse: qui ut vidit mortuum, consolatus est Patrem Michaelem Alphonsum, & Sebastianum Gonsalvium Coadjutorem, ex quibus unicè constabat totum Collegium plurimis verbis, & lachrymis per faciem defluentibus, exaggeravit mærorem suum, & communem jactu-ram. Deinde versus ad cadaver, fe-licem, ait, illius animam jam esse in tuto locatam, quoniam venisset Ro-mâ ad longinquas adeò regiones, u[t] animas conjungeret creatori suò. Il-lius funus concelebratum, quant[o] potuit apparatu, & funebri pompa Rex ipse consolatorias dedit littera[s] ad Rectorem Collegii Angolani.

DIE VI.

P. Melchior Gonsalves Martyr.

BAssaimi apud Indos anno 155[1] gloriosâ morte defunctus. Co-nimbricæ se Societati conjunxit 2[5] Aprilis anno 1546. Ad Indiam mi[s]-sus est anno 1548. In navigation[e] plurimum vectoribus, & nautis pr[o]-fuit. Obedientiam magnopere dile-xit: hanc vocabat: *Meam chariss[i]-mam Obedientiam.* Appellens Indi[a] mirum in modum recreatus est co[n]-spectu, & alloquio Divi Francisci Xa-verii. Initio statuerat Divus Mel-chiorem secum ferre ad caput Co-morinum, idcirco singularem co[n]-cepit lætitiam. Cum paulo post Di-vus eam mutaret sententiam Mel-chioris animo gravis incubuit tristi-tiæ nubes, quam his verbis signifi-cat in epistola: *Mansi cum cæteris, q[ui] veneramus, redditusque sum ejus perfectio-ne talis, ut mihi videretur me non es[se] de Societate JESU.* Cum Xaverius ire[t] Bassaimum inter alia obtinuit, ut no-bis daretur domus, & reditus pr[o] catechumenis. Revertens Goam Mel-

Melchiorem misit Bassaimum ad ineundam possessionem reditûs & ponenda domui Societatis initia. Tantum fidebat ejus prudentiæ, ut ipsi potestatem daret ad expellendum de Societate, quos videret inutiles nostro instituto. Bassaimi maximis in rebus illius virtus perspecta. In oppido Tanâ quatuor leucis à Bassaimo distante ædificavit templum Matri Dei. Ordinavit Seminarium, in quo educarentur Christianorum filii. Evertit unum templum sacratum idolis, quod multæ celebritatis erat apud eas gentes. Singulis noctibus imitans Divum Xaverium ad tintinnabuli signum in compitis, & plateis urbis commendabat animas piaculari addictas igni. Dum impendit illustrem operam nostris ministeriis, ethnici, quod sua destruxisset idola, & adversus errores inanium Deorum crudele indixisset bellum, propinato veneno, de medio sustulerunt. Illius patria mihi non est comperta.

P. Andreas Pauer.

VIrum prorsus eximium, dignumque, qui ob copiosissimam in aula exactam vitam, & singularem Principum informandorum gratiam posterorum commendetur memoriæ, mundo dedit Ducumburgum inferioris Austriæ oppidum año 1649. In Societate Philosophiæ Doctor creatus, & quatuor vota professus, inter alia munia rexit Collegium Neostadiense. Anno 1704. in Provincia Austriensi sanctissimè obiit, quo scilicet anno in Lusitaniam venerat Confessarius Serenissimi Caroli Archiducis Austriæ & Hispaniarum Regis, hodie, atque utinam in annos Nestoreos Augustissimi Romanorum Imperatoris hoc nomine sexti. Etenim vir fuit præclaræ virtutis, dignus tanto Principe & Magister, & Confessarius, sibi semper præsens, constanter hilaris, voce, oculis, vultu, totoque homine ad modestiam compositus, ut morum candor, qui foris apparuit, innocentissimæ mentis facilè proderet constitutionem. Accuratissimam habuit rerum spiritualium curam in aula non minùs, quam domi optimus Religiosus magnæ mortificationis, & multæ orationis, rectus, ac timens Deum, propagandæ gloriæ divinæ studiosissimus, acerrimus hostis otii, constans cubiculi custos, paupertatis & Angelicæ virtutis cultor singularis, erga Superiores reverens, humilis, affabilis, & humanus erga omnes. Denique talis fuit P. Andreas, qui, quod Gentium Apostolus de mundo, mutato nomine de aulica vita dicere poterat, eam sibi fuisse Crucem, quam nullo, nisi solius obedientiæ divinæque dispositionis ductu complexus, vel ideo beatam expertus est, quia mortuus in ea, & per eam transivit ad gloriam veram, quam gloriæ mundanæ, vanæque constans contemptor unicè semper spectavit. Instructionem tanti Monarchæ, aliarumque Serenissimarum Archiducum commendabant plurimùm

mùm Auguſtiſſimæ Majeſtates, atque ideò magno habuêre in pretio : animadverſus nullum negotium cum Auguſtiſſimis tractandum, aut per Sereniſſimos ſuos illis commendandum ſuſcepiſſe, ut propterea intèr ipſos aulæ Cæſareæ familiares non aliud, quàm veri duntaxat Jeſuitæ glorioſiſſimum nomen adeptus ſit. Illud omnes ſocii Luſitani prædicant, quòd apud Luſitanos videbatur enatus : totus enim ſe Luſitanæ Societatis modis & moribus attemperabat. Malignis ardoribus conſumptus die infirmitatis decimâ placidiſſimè obdormivit. Infirmum Rex Catholicus inviſit, & clementiſſimè eſt conſolatus. Crucifixum Patris demortui Rex ſibi dari juſſit, ut haberet, quo admoneretur, quoties aſpiceret, Patris & Inſtructoris ſui amantiſſimi.

P. Petrus Soares.

BRacharæ de vivis abiit año 1657. Eminuit Moralis Theologiæ ſcientiâ, quam ſexdecim annis eſt profeſſus. Coſulebatur in ea Diœceſi tanquam ſapientiæ oraculum. Compoſuit volumen unum de caſibus apud Bracharenſes identidem recurrentibus pleniſſimum doctrinâ. Illius mores antequam præ ſe ferebant bonitatem. Nullus in eo apparuit dolus. Quotidie apud confeſſarii pedes purgabat animam. Si forte illi verbum excidit, quo ſentiret lædi de noſtris aliquem, cum ſine morâ conveniens, rogabat delicti ſui veniam magni animi humilitate. In ſtudio habitus eſt vir indefeſſus. Hujusmodi aſſiduitas eum ſic extenuavit, ut vitam extinxerit.

Joannes Pacheco Scholaſticus Novitius.

ULyſſipone in Domo Tyronum anno 1632. imâturâ ſublatus morte. Patriam habuit Scalabitanum oppidum. Uliſſipone dedit Societati nomen 22. Auguſti 1631. Antequam ingrederetur, quamvis color vultus nõ promitteret vires omnino integras, admiſſus tamen eſt ob morum ſanctimoniam. Venerabilis vir Simon Alvarus ejus in tyrocinio Magiſter Angelicum reputabat adoleſcentem. Ipſe ad Provincialem ſcripſit illius mortem vitæ iñocentis præclarum indicem. Ægritudo vix tres dies eum tenuit apud mortales. Ex abſceſſu puris latentis amiſit ſomnum, traduxerat jam tertiam noctem, non parente medicinis malo, cum mane vocari jubens Rectorem, ſe mori, inquit, velle, expiare conſcientiam, & muniri Viatico. Adjecit ſe in Domino ſperare, ac Virginis patrocinio, ſequenti nocte quiete recreandum in cælo, ſubjecitque illud Davidicum : *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus.* Hæc pronunciabat permiſtis aliis verbis æque piis, ac ſuavibus. Tunc ad Rectorem : Tria commendet impensè veſtra Reverentia fratribus, nempè habeant maximi beneficium vocationis, diligenter curent virtutem, magnoperè diligant Virginem Sanctiſſimam. Cum Rector angi videret, inun-

inunxit oleo sacro. Secundùm unctionem illi dixit commendaret suis. met verbis fratribus illa tria. Id peregit animi singulari solatio, repetens identidem, sibi aliam à Virgine matrem non esse. Subjecit: Sicut ipsa me in Societatem perduxit, sic me in cælum feret. Aliquoties edebat gemitus indices afflicti corporis. Tactus scrupulo, interrogavit Magistrum, an illud posset facere? nolle se quemquam tali exemplo offendere. Paulò ante mortem obsecravit Rectorem, sibi impertiret benedictionem pro discessu supremo. Semper est usus mente sanâ. Sub ultimum anhelitum erupit per os, & nares humoris purulenti ingens copia, quæ vitam interclusit, & extinxit.

P. Gaspar Pires.

Boræ naturæ concessit an. 1649. Natus Brigantii. Societatem complexus Conimbricæ 18. Augusti anno 1585. Vitam consumpsit obeundo nostra ministeria, unusque fuit ex melioribus sui temporis concionatoribus. Senectute cæpit caligare visus; non ideo tamen omisit recitationem Officii Divini. Quærebat aliquem, qui eum sociaret legendo, quæ memoria non teneret. Cum jam visum omnem amisisset, adibat monialium asceteria, easque exhortationibus ad virtutem incendebat. Multum dilexit sanctam Paupertatem, & nostræ Societatis Institutum. Quamvis eum liberarent à penso concionandi, rogabat Superiorem, sibi concederet aliquem de nostris Scholasticis, qui perlegeret ipsi, quas olim dixerat conciones, ut concipiens memoria, eas iterum recitaret è sacro suggesto. Vivebat multum memor monitionum, quibus in Tyrocinio eum instituerat venerabilis vir Novitiorum insignis Magister Vascus Pirius. In sui solatium eos monitus sæpe usurpabat, & repetebat. Confessione totius anteactæ vitæ suâ scriptâ manu, paravit se ad agonem extremum. Cum diceret confessarius, opus non esse illa scriptura, & ipsum liberari tum propter scrupulos, tum ob defectum visus: Respondit se parvi pendere talia incommoda, dummodò obiret ritè confessionem suam. Igitur annis, & meritis cumulatus migravit ad non perituram felicitatem.

P. Franciscus Cabral.

IN Domo Professa Ulyssiponensi vitam explevit anno 1659. Natus in oppido *Fornos de Algodres* Diœcesis Visensis. Conimbricæ aggregatus Societati 8. Decembris 1604. ætatis 16. resplenduit magnis virtutibus, & laborandi studio in nostris ministeriis habitus est infatigabilis: Dum vixit, nullus eum audivit male de cæteris loquentem. Bracharæ docens latinitatem, nocte nascentis Domini post sacrum Panem susceptum sic mente in Deum raptâ substitit, ut flexis genibus oraverit duodecim continuatas horas. Illustres

peregit missiones, ad quas, & spiritu & sacra abundabat eloquentiâ. Habitans Villævissosæ prodibat in oppida vicina ad concionandum, & excipiendas confessiones. Quanquam bis eadem die concionaretur, & tempus aliud pænitentes expiando tereret, semper transigebat jejunio dies ab Ecclesia præscriptos, nihil edens, nisi noctu cum restituebatur domi nostræ. Commiserans ejus vicem socius, rogabat, ut famem leniret sumendo prandii tempore jejunii cænulam, saltem ut gratum faceret hospitibus, quibus contrarium erat tristitiæ. Quamvis instaret Socius, non reliquit austeritatem solitam, sed flagitabat ipsum socium, prandium apud hospitem sumeret. Magna illi, & optima facilitas, & promptitudo fuit, ad quaslibet conciones brevi peragendas. Interrogatus, quomodo acquisivisset eam facilitatem, respondit, se, ex quo dedisset operam Philosophiæ, adnotasse in charta, quæcunque sibi esse possent utilitati ad proximos juvandos. Cum discurrebat obeundo missiones, nunquam omisit celebrationem sacri. Lucro apponebat omnem se frangendi occasionem. In mensa, lecto, & itineribus semper eligebat sibi pejus. In domibus, quibus excipiebatur hospitio, aut extra illas, si cum fæminis allocuturus fuit, habuit semper socium in conspectu. Æditvus templi Domus Professæ animadvertit, nunquam ipsum cum fæmina ulla in templo sermonem miscuisse, nisi audiendo pænitentem. Quod sibi curæ esset sodalitas à Doctrina, cum aliqua fæmina ad idem sodalitium pertinens cum ipso loqui voluit, differebat in tempus, quo sodales conveniebant ad res suas agendas. Inerat illi talis modestia, silentium, & circumspectio cunctis in actionibus, & tanta in loquendo maturitas, ut omnibus esset exemplo. Nunquam visus est impatientiâ rapi. Ajebat Præsulem, qui se impatientem ostendit subditos alloquens, esse ad eos dirigendos incapacem. Propterea cum egit Superiorem, semper mansuetè audvit subditos, ac dedit responsa. Regens Eborense Collegium plurimum apud eos Socios exemplo suo promovit amorem erga sacrosanctam Virginem. Quotidie post meditationem propositam in sacello, cui ipse semper assistebat, adibat Veritatum Virginem, sequentibus, qui cum ipso interfuerant punctis meditationum. Ad majus Virginis obsequium instituit in Collegio Eborensi domesticum Conceptionis festum, quod celebratur à nostis Scholasticis Orationibus è suggesto recitatis, affixis poematis, proposito ænigmate, ac datis præmiis victoribus in certamine litterario, quæ consuetudo ad præsentem usque diem conservatur. Ad augendam hanc solennitatem, & cæteros incitandos ipse, quamvis Rector, pangebat epigrammata, & poemata, quæ legenda suspendebantur inter alia. Etenim calluit apprimè humaniorem litteraturam. Per id tempus quo-

quotidie magno temporis ſpatio orabat coram Sanctiſſimo. Apud neminem conqueſtus eſt de aliqua ſubditorum adverſus ipſum inobſervantia. Supra modum odio habuit nationum ſtudia. Omnibus idem erat. Propterea unusquisque illi fidenter aperiebat cor ſuum. Illius charitas erga pauperes ſingularis habita eſt, ſine ſtipe non conſenſit mendicum ullum è noſtra janua faceſſere: potius Eboræ juſſit augeri eleemoſynam quotidie ad oſtium dividi ſolitam. Idcirco abundavit Collegium meſſibus, & copioſis fructibus magis quam aliis temporibus, potuitque Rector Collegium operibus augere. Poſtremo in morbo ſic Deum eſt alloquutus: *Tu Domine ſcis, me nunquam egiſſe, niſi quod intellexi ad tuum eſſe majorem honorem, & gloriam.* Inter pia cum Deo colloquia animam effudit.

DIE VIII.

Emmanuel Ferreyra Scholaſticus, vel Coadjutor.

ANno 1585. die mihi incognitâ piiſſimè obivit in Cafraria ultra caput Bonæ ſpei. Natus eſt in urbe Portuenſi. Navigabat ad Indiam unà cum Petro Martinio, qui fuit poſtea Japonenſis Epiſcopus, cum navis brevibus eſt impacta, quibus nomen factum à fæmina Judaica: ad littus Cafrariæ cum aliis emerſit. Innumeræ ſunt, quas perpeſſus ærumnas. De ipſo ſic reliquit ſcriptum Emanuel Dias ejus comes: „ Ægrotavit in pervigilio ſancti Michaelis à febri continua, & multum accensâ; Protinus ipſi ſucurrimus inciſione venæ, quod unicũ remedium erat in ea regione, & quo ægroti alii convaluerunt, verum Emmanuel nihil habuit melius: die ſeptima, vel octava infirmitatis, cæpit morbus ingraveſcere. Per id tempus mihi deſideria fuerunt de ipſo Collegio, videns ſolitudinem ægroti, & revocans in memoriam charitatem, quâ in iſto valetudinario curabantur infirmi. Etenim eum videbam ardentem febri: lectus alius, in quam reclinarem, non erat præter ſtoream ex palma ſuper fænum extentam. Pro cervicali herbæ faſcem ſubjeci capiti. Diæta conſtabat ex pulte milii, vel oryzæ. Loco ſacchari, vel mellis deficiebat ſæpe ſal quo temperarem fruſtum gallinæ, quod poſt multum laborem obtinebat ab Æthiopibus P. Petrus, aliud condimentum non habuit præter aquam puram: veſcebatur non alio pane, quam cum libo milii, ad quod ego parabam in mortario farinam, poſteà ſubigebam mea manu, & coquebam impoſitum decuſſatis lignis ſuper prunas. Quod calebam febre, bisque inciſa vena miſeram ſanguinem, vires mihi non erant ad conterendum milium: propterea libum ferebat integra multa grana. Verum quod afficiebat majori faſtidio, erant catini, quibus apponebam victum, nec enim ha-

 „ be-

„ bebamus catinos alios præter cortices quarundam arborum, qui vel sanis fame enectis extinguebant edendi voluntatem. Hujusmodi curatione perduravit ægritudo diebus tredecim, quibus & exposuit apud confessarium conscientiam, & in voluntate Divina se resignatum ostendit, & consolatum inter tot labores. Nocte diei quartæ decimæ existimans morbum habiturum mutationem, jacui ad ejus latus, ut, si opus foret, noctu subvenirem. Verum cum esset tam extenuatus, ut nec loqui posset ob nimiam debilitatem, & mihi lucerna non esset, nec ex quo eam facerem, nec ligna ad ignem accendendum, illic inter manus meas mortuus est tam pacatè, ut non senserim, nisi postquam inducto mane exanimem vidi. Id mane procul dubio mihi accidit ex tristioribus, quod mihi affulsit, dum vixi propter extremam penuriam rerum, in qua eum vidi perire, quin haberem candelam manui inserendam, nec esset, qui mihi ob amorem DEI tribueret fragmentum panni, quo illum involverem. Hactenus Diasii verba. Inde delatum est cadaver ad Sabuletum distans media leuca, ibique obrutum est arenâ.

P. Vincentius Zapata.

ANno 1585. causâ ejusdem naufragii periit in Cafraria die mihi non cognitâ. Natione Castellanus. Agebat Ministrum Domus Professæ Matritensis, cum petivit numerari inter Indiæ operarios. Magno erat omnibus exemplo. Facto naufragio ejectus cum cæteris ad illam infelicem regionem sustinuit labores innumeros: succumbens morbo habuit curationem similem illi, quæ Emmanueli Ferreyræ est applicita. Quod erat homo majoris ætatis duplici venæ incisione sic est debilitatus, ut, quamvis sit existimatum habere meliusculè, octavo die in summa rerum penuria, & solitudine profuderit animam, & ipse in sabulo arentis Africæ tumulatus est.

DIE IX.

P. Cosmus Magalhaens.

COnimbricæ vita defunctus anno 1624. Natus Bracharæ; conjunctus Societati Conimbricæ 27. Junii 1567. ætatis 16. Magnâ laude docuit Rhetoricam. Tradidit Moralem scientiam annis decem. Deinde plurimis annis moderatus est cathedram Divinæ Scripturæ in Collegio Conimbricensi. Composuit in eam multa volumina, quæ typis mandata sunt. Vixit moribus inculpatis, nihil aliud in suis meditans laboribus, quàm Dei gloriam, & proximi utilitatem. Postremis annis cupiens nosci virtutes hominum hujus Provinciæ, quarum lectione incenderentur omnes, animum adjecit ad eas scribendas de cujus labore, si forte extat, nihil omnino, vidi, nec scio quod supersit, nec si egit aliquid, an constiterit in nu-

nuda rei meditatione. Citra dubium multas majorum in se virtutes expresserat, quas explicatius ad nos antiqui non transmisere.

P. Emmanuel Nogueyra.

Conimbricæ de vita excessit anno 1692. Ipsius non inveni patriam. Emiserat quatuor votorum professionem. Inter ejus virtutes habuit primas Zelus animarum. Obivit plurimas missiones sacras. Vitæ majorem partem consumpsit in hujusmodi charitatibus: ex his traxit originem illius mors; dum enim infirmum confitentem audit, qui perniciosâ febre correptus erat, eandem Emmanuel contraxit, & cum medicamenta non possent mali frangere pertinaciam, profudit animam.

P. Rodericus de Figueyredo.

Apud Sinas in ultima Asia vitam clausit anno 1642. Natus in oppido *Coruche*, Diœcesis Eborensis. Complexus Eboræ Societatem 17. Februarii anno 1608. Absoluto Tyrocinio cæpit magnâ contentione flagitare mitti ad Indiam. Præclaro fulgebat ingenio, magnæ spei pleno: proptereà Superiores petenti non assentiebant. Non ideo refrixit in desideriis suis. Post Philosophiæ studia docuit aliquot annis Latinas litteras, deinde missus Romam, ut ibi operam navaret Theologiæ. Iter amplexus magno animi gaudio non tam incensus studio videndi Majestatem Romanæ Urbis, & Venerabilia antiquitatis monumenta, quam quod cerneret se præsentem facilè obtenturum à Patre Generali Indicam missionem. Accedens urbi nihil ferventius curavit, quam rumpere nodos omnes, ac difficultates, quibus hactenus eum impediverant Provinciæ Superiores. Post importunas preces factus voti sui compos, festinus redivit in Lusitaniam, & anno 1618. profectus in Indiam. Studuit Goæ sacræ Theologiæ; inde migravit ad Sinense Imperium, ubi suis laboribus magnopere auxit Christi gregem. Perpessus est graves labores, & pericula pro Dei gloria. Ad missiones iverat multis ornatus virtutibus: nam matutinam orationam transigebat in medio cubiculi flexis humi genibus. Cum sacra exponebatur Eucharastia, vix recedebat ab ejus præsentiâ. Omnibus serviebat, tanquam omnium mediastinus. Libenter distinebatur in culina fricando ollas, & catinos, cæteraque humilia obeundo ministeria. Habitabat in ipsius vultu, & corpore modestia. Animam efflavit inter suos neophitos.

P. Ignatius Magalhaens.

In Collegio Portuensi diem obivit an. 1678. Natus est in oppido *Meam* Diœcesis Portuensis. Conimbricæ adjunctus Societati 1. Februarii 1643. ætatis 14. Illius vita adornata fuit multis exemplis: verum magis perspecta virtus & probata diuturno martyrio dolorum calculi, & podagræ. Ferebat acer-

acerbitatem dolorum tanta ſerenitate, ut ab ipſis liber videretur. Contractus nervis plus annis ſex non ideo deſiſtebat à labore, excipiens domeſticorum confeſſiones. Hoc labore non contentus petebat inter manus ferri ad audiendas loco deſtinato confeſſiones externorum pænitentiū. Omnes in ſpiritu dirigebat ſingulari prudentiâ, nam habuit hujusmodi virtutem, ad hoc miniſterium maximè idoneam. Purgatus duriſſimis probationibus feſtinavit ad cæleſtem patriam.

Leo Ribeyro Scholaſticus.

CОnimbricæ ceſſit è vita an. 1674. Natus in oppido *Gouvea* Diœceſis Conimbricenſis. Societati adſcriptus Conimbricæ 27. Junii 1665. ætatis 17. Robuſtus viribus ad labores, & ad capeſſendas ſcientias felix ingenio. Abſolutis Philoſophicis ſtudiis miſſus eſt Latinitatem docturus ad Inſulam Madeyram. In itinere captus à Mauris cum alio magiſtro. Delati ſunt ad oppidum *Sale* in ora Mauritaniæ, ibi decem menſibus ſuam ſeniit ſervitutem; per id temporis Leonis labor erat domini ſui vineas excavare. Duras perpeſſus neceſſitates defectu victûs neceſſarii ad trahendam vitam. Dies abiit, in quo ille, & ejus ſocius centum, & viginti plantaverunt vites, eas propagando ſub terra, quin ad noctem usque aliquid ciborum trajicerent. Hic erat diurnus labor, pernoctabat incluſus metuendâ ſpeluncâ inter alios captivos, pedibus dura vinctis compede. Sæpe à Mauris tentatus eſt, ut à fide deficiens, adhæreſceret Mahometi inſaniis. Redemptus appulit Ulyſſipone ſanus, & incolumis, nec toto captivitatis tempore vel minimam ſenſit valetudinis affectionem. Docuit Ulyſſipone humaniores litteras; deinde rediit Conimbricam ad perdiſcendam Theologiam. Conimbricam accedens ſtatim ægrotavit febre pernicioſâ, inter ſupremas vitæ anguſtias dicebat, ſe non pænitere mortis, quod exhalaret inter Chriſtianos. Petiverat mitti ad Indiam, jamque erat ſcriptus in albo eorum, qui profecturi erant. Hæc deſideria voluit Deus ſervo ſuo compenſare obitu felici.

DIE X.

Sanctus Franciſcus de Boria.

PRæſenti die ſolemni colit ritu mater Eccleſia Divum Franciſcum Borgiam, qui prima hujus menſis feliciter in cælos avolavit. Noſtrum quodammodo eſt de tanto Parente recordari, quod plurimum hanc noſtram dilexerit, & auxerit Provinciam. Quater venit ad Luſitaniam, cujus fuit etiam Romæ Aſſiſtens. Antequam adjungeretur Societati, Gandiæ Dux inter præclariſſimos Hiſpaniæ titulos colluxit. Uxorem duxit Eleonoram Caſtriam Luſitanam de primaria regni nobilitate. Dum Eliſabethæ Imperatricis cadaver Granatam usque comitatur illic ſepelien-

liendum, apertâ capsâ, quâ vehebatur, ut traderet mandaturis sepulturæ, fœdo cadaveris vultu sic est immutatus, ut secum proposuerit, non amplius servire dominis morituris, & si Eleonora prius obiret, alicui se mancipaturum sacræ familiæ. Ubi mortua est Eleonora, nihil habuit antiquius quam, quæ decreverat, executioni mandare. Propterea se nostræ Societati aggregavit, quod singulari ad id permotus sit instinctu. Constitutus est pro nostris in Hispania Generalis Commissarius. Quater in hanc venit Provinciam. Primo anno 1553. rogante Ludovico Principe Regis fratre, quem in virtute adeò promovit, ut adscribi Societati in animum induxerit, Divum Borgiam imitaturus, fecissetque, nisi sanctus Ignatius esset contrariæ sententiæ ob justissimas, & prudentissimas rationes, quibus se Princeps accommodavit. Recedens in Hispaniam 1554. transiit Eborâ, ubi jam Collegium habebamus. In templo maximo illius urbis est concionatus. Ulyssipone posuit initia Domui Professæ. quo die adivimus possessionem illius domus, habuit coram Rege, & Principibus concionem. Etiam ingressus hanc Lusitaniam, invisit Collegium Conimbricense. Secundo año 1557. jubente Carolo quinto, ut consolaretur Principes in obitu Joannis Regis. Quod suscepisset iter æstivo tempore, accessit Eboram graviter affectus valetudine, brevi tamen Divinitus restitutus est pristinæ sanitati, potuitque contra omnium spem, iter Ulyssiponem usque continuare. Tertiò venit año 1560. flagitante Cardinali Henricio, ut Eborensem Academiam à se recens fundatam inviseret. Sequenti anno Dominicis Quadragesimæ concionatus est urbis in templo maximo. Posteà ivit Conimbricam. In memoriam tanti hospitis nostris diebus erectum est illi intra Collegium nobilissimum sacellum. E Conimbrica petivit urbem Portum, ubi jecit fundamenta Collegii, quod illic inhabitat Societas, ibi vixit penè integrum annum; etenim illi supramodum placuit hujusmodi statio, & jure merito ob urbis pulchritudinem, & frequentiam. Per id tempus magnâ ex parte juvit Bracharensis Collegii fundationem. Plurimum quoque illi debet Collegium Brigantinum. Ex urbe Portuensi vocatus est Romam, quo perveniens obivit munus Assistentis Lusitaniæ. Quarto ad nos venit, cum erat Universæ Societatis Generalis, eo tempore, quo Summi Pontificis Legatus Cardinalis Alexandrinus convenit Christianos Reges, ut fœdus inirent adversus Turcam. Voluit Summus Pontifex, ut Franciscus Cardinalem comitaretur. Eborâ transiens Academiam lustravit, & hospitatus est in domicilio Tyronum, ubi hodie cernitur tanti hospitis cubiculum. Ex tam longo itinere pervenit Romam valetudine majorem in modum afflictâ. Idcirco brevi deseruit mortales. Sexta die Septembris 1624. Beati honoribus

aris est additus ab Urbano octavo. Posteà verò solennissima apotheosi Divos auxit 1671. Aprili mense.

P. Doctor Benedictus Rodrigues.

IN Scalabitano Collegio vitam explevit anno 1685. Natus in oppido *Olivensa* Diœcesis Helviensis. Docuit Ulyssipone Philosophiam; Quæstiones de conscientia, & Theologiam Eboræ, ubi Doctoris gradu est insignitus. Eandem scientiam deinde professus est in scholis Ulyssiponensibus. Ex hoc magisterio redivit Eboram acturus Academiæ Cancellarium. Inde missus ad gubernandum Collegium Scalabitanum: illîc vitam finiit, nondum absoluto magistratu. Splenduit moribus Sanctissimis, qui erant omnibus exemplo. Eboræ dum agit Cancellarium, deficiente magistro ludi alphabetarii substituit se in ejus locũ, quod exemplum his vidi oculis. Concionabatur magno Zelo. In oppido Scalabitano tum concionibus, tum explicationibus sacræ Catechesis multam apud omnes excitavit pietatem. Fuit illi piarum lachrymarum singulare donum, quas ipse oblatis occasionibus continere non poterat. Sæpe postquam refecerat Pane cælesti populum, dum habet gratias Deo in majori sacello templi, internâ motus pietate edebat sub alta voce adeò pia colloquia, Deum rogans impertiret peccatorum veniam, ut, qui aderant, à fletu non temperarent. Eboræ preces fundens coram Domino crucem bajulante, repente, ardorem suum nequiens continere, tam piè Dominum est alloquutus, ut populus, qui aderat, iverit in pereñem fletum. Tenebatur adversus sacrosanctá Virginem mirificâ devotione. A viro gravissimo de nostris audivi famâ vulgatum, Virginem Matrem Benedicto se conspiciendam obtulisse. Ubicunque habitavit, magnopere promovit sodalitatem Virginis, quam dicunt à Succurrendo; similiter & sodalitia Divi Francisci Xaverii. Docens Ulyssipone, frequenter locis publicis exponebat pueris, & populò sacram doctrinam. Si per id tempus succensa est rixa, immemor sui periculi se in medios enses districtos conjiciebat, ut congredientes pacaret. Modestia singularis tum oculos, tum cunctas actiones gravissimum in modum componebat. Affabilitate sibi devinxit omnium corda. Diuturnis affectionibus valetudinis multum ille probatus est. Tandem perniciabilis herpes pedis corrupit digitum. Cum malum vitiaret partes contiguas, seque paulatim diffunderet, dixerunt chirurgi, amputandum pedem, si vellet retinere vitam. Conspiciens se fore inutilem, & onus cæteris pede abscisso, elegit potius mori. Munitus Sacramentis complexu tenens Crucifixum, animam Deo reddidit. Magna apud Scalabitanos fuit de illius virtute existimatio.

Fran

Franciſcus Nunes Coadjutor.

EBoræ reliquit mortales an. 1682. Natus in oppido *Monſaraz* Diœceſis Eborenſis: ſerviit in gradu ſuo magno omnium exemplo. Charitas illi ſingularis adverſus omnes ſine perſonarum acceptione. Id perſpexit Collegium Eborenſe annis quatuordecim, quibus habuit curæ Collegii valetudinarium. Vivebat ita ſui obitus,ut totus recordaretur ægrotantium. Feſſus nimio labore tot annis continuato rogavit Majores, ut ſe levarent illo onere. Cum id notum eſſet gravioribus Collegii Patribus, adiverunt Rectorem flagitantes, ne Franciſci votis annueret. Illius commodo privato anteponi debere commune bonum. Placuit eorum ſententia. Quamvis infirmi eſſent plurimi, non omittebat ſolitas precationes, & ſpiritualia exercitia, ut omnia expleret ſine detrimento languentium, ſurgebat ante auroram ad obeunda talia exercitia. Neſciebat obtrectare alienis moribus nec permittebat, ſe præſente, detractiones. Quotidie ſæviebat in corpus ſuum flagello. Adoleſcentibus noſtris, qui noctu advigilabant periculosè ægrotantibus, impertiebat ſemper aliqua ſubſidia, quibus depellerent laboris fastidia, & nocturna tædia. Summi, & infimi omnes eum æque diligebant ob ſingularem charitatem, ac reverebantur. Cum prædicto anno decumberent nonnulli correpti pernicioſâ febre ex aſſiduo labore, quo illorum ſtuduit comodis, eâdem contactus febri magno ominum dolore effudit animam.

DIE XI.

P. Nicolaus Gonſalves.

EXpiravit Ulyſſipone anno 1617. Natus eſt in pago *Aldea nova* Diœceſis Guardienſis. Conimbricæ ingreſſus Societatem 29. Julii anno 1601. ætatis 28. Ejus mores probatiſſimi. Erga pauperes ſolicita in eo micuit charitas. Aſſiduè diſcurrebat per domûs officinas, ut ſibi daretur, quod mendicis tribueret. Cum Luſitani regiam claſſem ad Mauros è noſtro mari fugandos conſcenderent, eos comitatus eſt in nave prætoria, unà cum Alphonſo Vaſæo de noſtra Societate. Contagioſus morbus dirum in morem per navem vulgatus eſt, magnam claſſiariorum partem infecit, ac rapuit. In tanto omnium periculo curas applicuerunt duo ſacerdotes adjuvandis laborantibus. Interdiu, ac noctu aſſidebant egentibus illorum auxilio. Succubuit labori, & morbo Nicolaus: nam ex eo commercio hæſit illi febris mortifera. Appulſis portui navibus jam Nicolaus erat ſacro inunctus oleo, de navi extractus, intra paucos dies ad cælos evolavit.

P. Doctor Gaſpar de Macedo.

DE vivis exceſſit Eboræ an. 1649. Natus in oppido *Alcobaſſa* Diœceſis Ulyſſiponenſis. Societati conjunctus

ctus 6. Januarii anno 1615. Emicuit dotibus ad magisteria, & sacrum suggestum. Rhetoricam, & Philosophiam tradidit Conimbricæ. Sacram Scripturam exposuit Eboræ, ibique laureatus doctorali gradu. Postea in eâdem Academia docuit Scholasticam Theologiam. Magnum illi ingenium ad penetrandas difficiliores quæstiones, & mira felicitas in ejsdem explicandis. Magna majestas in præsidendo actibus litterariis. Expetebantur aviditate multâ illius dictata ob profundam doctrinam, & stylum excellentem. His dotibus accedebat virium firmitas, quam consumpsit Deo, ac religioni serviendo. Nulli se furabatur labori. Habens sacram missionem Cetobricæ, antequam illic nobis esset Collegium, instituit sodalitatem sancti Francisci Xaverii, cui nobile oppidum singulari devotione est addictissimum, eumque nostris diebus elegit sibi tutelarem Patronum. Valde acceptus erat sæcularibus ob miram affabilitatem, quâ sibi omnes devinciebat. Rediens ex aquis salutaribus, ad quas iverat causâ recuperandæ valetudinis affectæ, correptus est febre perniciabili, quâ summo omnium dolore de medio est sublatus.

P. Doctor Josephus de Britto.

CONimbricæ cessit è vita an. 1690. Natus in oppido *Taveyro* Diœcesis Conimbricensis. Docuit scientias magno plausu, & nomine; Theologiam Eboræ, ibidemque Doctoris est insignitus gradu. Deinde tradidit eandem scientiam in Collegio Conimbricensi, estque moderatus primam cathedram. Cum prodiret ad concionandum extra urbem, solicitatus est per fœminam ad turpia. Horruit ad tales, & tam impudicas voces, & verso tergo gradu festino indè se proripuit. Nunquam se subtraxit laboribus. Nec longam senectutem causatus, quominus haberet ad socios domesticas exhortationes. Audiebatur cum aviditate, tum propter solidam doctrinam, tum propter gra[...] ta illius condimenta. Nunquam mo[...] mordit alienos mores, aut famam[...] Serius in loquendo, & in præbend[...] consilia habitus est valde securus[...] Tam amans paupertatis, ut mani[...] bus suis indumenta resarciret. No[...] lineum filum, aut chartæ folium po[...] stularet sine majorum facultate. An[...] tequam in lectum se colligeret, sem[...] per corpus scuticâ feriebat. Si fort[...] oblitus est artus flagellare solito tem[...] pore, quacumque noctis hora obl[...] vionis recordabatur, proripiebat [...] statim de lecto, & castigabat verb[...] re. Pervigilio Divi Laurentii pern[...] ctabat super nudas tabulas, quod [...] lo die sit ingressus Societatem. [...] bivit sacras missiones non paucas m[...] gno animarum lucro. Deum pre[...] bus rogabat, assiduis, nè se de med[...] tolleret morbo diuturno, sed mor[...] festinâ, ne sociis exhiberet nego[...] um. Obtinuit petitionem & octo[...] genario major Cælitibus additus.

D[...]

DIE XII.

P. Doctor Ludovicus Molina.

MAdriti diem obivit anno 1600. Natus ex nobilibus parentibus in urbe *Cuenca*. Studiorum causâ missus Complutum, permotus est ad Societatem ineundam, nostrorum hominum incitatus exemplis. Migravit ad transigendum tyrocinium Conimbricam, quo pervenit 29. Augusti anno 1553. Unus fuit è primis Tyronibus, quibus cæpit nova tyronum institutio Conimbricæ post Constitutiones promulgatas, quibus decernebatur biennium probationis, nam ante id tempus Novitiatus annum non excedebat. Adeò se persequutus est, ut sit reputatus inter eos, qui phthisi videbantur obnoxii. Necessum fuit coercere hujusmodi rigores; quo factum est, ut convalesceret. Philosophiæ nactus est Magistrum Sebastianum Moralium, qui posteà Japonensibus insulis est illustratus. Inter cæteros condiscipulos eminebat tanquam sol inter stellas, fulgebat enim ingenio ad omnia summa raro. His absolutis Philosophiæ studiis, antequam perdisceret Theologiam, Philosophiam docuit Conimbricæ merito nomine, & plausu. Deinde navavit operam Theologiæ, tum Conimbricæ, tum Eboræ. Ubi sacris est inititatus, cæpit in Eborensi Academia profiteri Sacram Theologiam, ibique Doctoris laureâ 22. Aprilis anno 1571. donatus, nondum completis annis octodecim Societatis solemnem professionem emiserat 3. Septembris anno 1570. Ejus fama, & magni Magistri nomen verbis æquari non potest. Quidquid excellens in optimo expetitur Magistro, abunde habuit Ludovicus; Ingenium fuit præstantissimum. Nullus in disputando, arguendo, explicando, aut præsidendo mirabilior. Ingens illius fama complevit Hispaniam universam; è cujus regnis multi Eboram veniebant, ut præclarissimi Magistri fruerentur doctrinâ. Non ille ingenii capacitatem adstrinxit unicè Theologiis Scholasticis, & Moralibus, sed excurrit in Jus Civile, & Canonicum, easque facultates sic comprehendit, ac tenuit, ut videretur eas tantum esse professus. Quod testantur ejus libri typis excusi, ab omnibus Academiis, & sapientibus magno in pretio habiti. Primus ille fuit de nostra Societate, qui typis vulgavit Scholasticam in libro, quem nominat *Concordiam*. In ea acutissimè tractat de scientia, quam vocant *Mediam*. Eam doctrinam tam firmis corroboravit fundamentis, ut multis adversus illam tempestatibus excitatis nihil omnino cesserit. Potius egit altiores radices, & Societas nostra multis litterariis certaminibus discussit, ac difflavit impetus contradicentium, voluitque Molinæ doctrinam teneri ab omnibus nostræ Societatis Professoribus. Non sine ingenti Lusitanæ Societatis gloriâ: nam talem doctrinam didicerat à Petro de Fonseca, qui primus parens, & pater habe-

habetur fœtus nobilissimi: quamquam *Concordia* Molinæ causa fuit celebritatis, in quam devenit. Nihil ad hæreses illius temporis debilitandas potuit excogitari præsentius, & fortius. Quamvis indulsit plurimum Scientiarum studiis, non minus adjecit animum virtutum exercitiis. Cum finem fecit Philosophiæ magisterio, refrigerium à tanto labore fuit sacram obire missionem. Eboræ nonnunquam simlies peregit missiones, pluris faciens animarum salutem, quam cathedrarum splendorem, & pompam Academicam. Quanquam micaret tot splendoribus, nunquam intumuit superbiâ, sed præ se tulit semper religiosam humilitatem. Verrebat pergulas, & in culina mundabat supellectilem. De omnibus magistris loquebatur cum existimatione, & honore illorum. Odio habebat proprias laudes. Si interrogabatur de dubio, de quo aliquantulum ambigebat, ejus erat responsum: *Mihi permitte consulere scripta mea.* Cum dictata ipsius permagni æstimarentur, ipse tam parvi faciebat, ut ea dictanda scriberet in chartis vilissimis. Labores suos nonnisi coactus obedientiâ vulgavit in lucem. Superiorum voluntati se semper ostendit obsequentissimum. Cum Pontifex Clemens vocavit Romam disputationes de *Concordia* Molinæ, petivit ipse à Superioribus facultatem eundi, ac defendendi doctrinam suam. Cum justis de causis aliud videretur Superioribus, nihil est commotus, sed libentissimè eorum se accomodavit imperiis, tanquam de re ad ipsum pertinente non tractaretur. Maximopere dilexit Religiosam paupertatem. Sacra ipsius præcipua supellex constabat è Crucifixo in charta depicto, & hic erat illius princeps Bibliotheca. De libris solum habuit necessarios. Non possedit arcam, aut canistrum obseratum. Cum ivit Madritum traditurus Theologiam, convolvit scripta sua in modum fascis fune obligata, quod non haberet arcam, aut canistrum, in quo illa portaret; Quo facto etiam significavit, quam parvi ea faceret. Nunquam permisit ullam singularitatem in victu, vestitu, aut habitatione, licet id vituperandum non erat ob affectiones valetudinis, & fessam senectutem. Plurimum incubuit orationi. Quotidie legebat caput aurei libelli de *Contemptu mundi*, secum perpendens, quæ legisset. Illius modestia alios eam intuentes componebat. Perrarò de cubiculo exibat, & extra domum non nisi ob urgentes causas ad obsequium Divinum spectantes. Animi propensiones mirum in modum subegit, ac fregit. Nihil eum moverunt jactata adversus ipsius doctrinam oppobria, nec injuriosa nomina hæretici, & Pelagiani, quibus eum vulnerabant. In responsis ad hujusmodi vituperia nunquam dixit verbum extra modestiæ leges. Madriti aderat in domo Dinastæ ipsum allocuturus, quo tempore debacchabatur furiosè adversus ipsius con-

concordiam procella, cum vir religiosus, ac doctus accessit ad Molinam, quid hominis esset ignorans. Protinus injecit sermonem de *Concordia* furens contra talem doctrinam, illiusque authorem, dicens & scripta, & authorem hæreticum brevi tradendos igni. Blandis rationibus Molina curabat homini satisfacere, ac detergere mentis nebulas, & ostendere doctrinam illam solidis niti fundamentis. Dum modestissimè id exequitur prodiens è conclavi Dynasta, apertis ulnis, & lætissimâ fronte involat ad Molinam dicens: Oh quantum gestio, quod videam domi meæ Patrem Molinam nostri temporis Magistrum insignem, his adjecit verba multa benevolentiæ plenissima. Stupuit ad conspectum rei inperatæ religiosus ille. Ut erat vir bonæ mentis, quamvis eâ nebulâ vitiatæ, secum maturè perpendens suam in loquendo imprudentiam, & furorem, & Molinæ præclaram modestiam eum in posterum multò magis dilexit, quam anteà illius oderat doctrinam. Egregia sunt elogia de Patre Molina apud diversos magni nominis scriptores. Conimbricensis Academia eum vel Franciscum Suarium Granatensem à Rege Philippo postulavit ad moderandam primariam illius Academiæ cathedram. Verum ne acerbarentur plus nimio sectatores scholæ Thomisticæ, electus est Franciscus Suarius. Complu- convenere jussu nostri Generalis Franciscus Suarius Granatensis, Gabriel Vasquius viri laude omni majores, & simul Molina, ut secum doctrinam de *Concordia* conferrent. Confessus est alter è nobis doctissimus, qui munus à secretis habebat in eo conventu, Molinam coram præclarissimis Doctoribus tantâ plenitudine scientiæ, majestate, & securitate, ac pondere loquutum, ut ipsi audirent instar discipulorum, & majorem in modum Molinæ præstantiam venerarentur. Vel ipsi æmuli mirabantur rarum illius ingenium; vocabant Doctorem profundissimum, qui viris doctissimis multum peperisset sudorem ad indagandas rationes, & argumenta, quibus oppugnarent ejus doctrinam. Vivebat in patria sua vacans librorum editionibus, cum ejus frater, nescio, ob quod crimen delatus est coram judicibus Madriti, eratque capitis damnandus. Protinus Molina Madritum adivit agens sui fratris patronum, rogavit judices, ut se audirent, priusquam ferrent sententiam. Ægrè id obtinuit, de facie enim non cognoscebatur, quanquam illius fama orbem complebat. Protinus disseruit in causa fratris tanto rationum pondere, legibus, & Jure Civili dicta sua confirmans, & tot legum placita in rem citans, ut sapientissimi senatores stupuerint, ac valde sint mirati viri sapientiam, illique concesserint fratrem omni culpâ liberum. Posteà interrogantes, quisnam esset, & scientes non alium, quam Molinam, eum miris laudibus extulerunt, &

præ-

prædicaverunt famâ suâ majorem. Anno 1589. Toletanæ Provinciæ Visitator jussit Molinæ, ut relicta *Cuenca* migraret Madritum ad regendam Theologiæ moralis Cathedram, quam Joanna Princeps in nostro erexerat Collegio. Ubi vulgatum est, Molinam Madriti esse, omnes sapientes, & tribunalia eum de rebus summis consulebant. Nec ætas, nec vires erant jam pares tanto labori, cui brevi magno omnium dolore succubuit. Confluxit concursus innumerus ad illius sepulchrales honores. Cadaver loco speciali conditum est. Illius cranium postea delatum est Complutum, ibique locatum inter alia capita sive crania virorum insignium virtute, & litteris, quæ eo in Collegio suspiciuntur. Quod fuerit nostræ Provinciæ grande lumen, pro eo sacerdotes sacrum fecêre, & nonnulli recitarunt Coronam. Vir fuit citra omne dubium è præstantissimis Academiarum Magistris, quo plurimum Eborensis claruit magnorum Virorum altrix Academia, Magistrorum insignium laude nulli secunda.

DIE XIII.

P. Nonius de Cunha.

IN Domo Professa Ulyssiponensi deseruit mortales anno 1674. Natus in eâdem Urbe ex illustrissimis Parentibus Simone de Cunea, & Loysia de Almeyda. Conimbricæ addictus Societati 13. Novembris anno 1610. Unus fuit è gravioribus hujus Provinciæ Patribus, ejusque velut clypeus rebus in adversis. Rexit Collegium Divi Antonii & Conimbricense, egit Assistentem Romæ; iterum gubernavit Collegium Conimbricense. In his magistratibus magnum ostendit observantiæ zelum, multam integritatem, & generosum animum ad superandas difficultates, quæ Societati essent incommodo: hanc enim dilexit, ut Matrem charissimam. Secum usus est austeritate, & rigore. Noctu redituro è palatio Regis ad nostram domum Dynastæ obtulerunt currus, & lecticas, verum ille hanc benvolentiam rejecit, dicens eum incedendi modum hominum Societatis non esse. Magnis obsequiis veneratus est Sacrosanctam Eucharistiam. Romam contendens, quoad ejus fieri potuit, celebravit Missæ sacrum. Gravi morbo Genuæ decumbens, accepturus Viaticum, quamvis erat supramodum debilis, se de lecto inter alienas manus extrahens humi flexit genua, & sacrum excepit Panem, magno circumstantium exemplo. Cum mortuus est, quod præ senectute non posset sacrum facere, obtinuerat facultatem à Patre Generali ad recipiendam sacram synaxim quotidie, si lecto esset affixus. Quantum dilexerit Virginem Matrem, sunt argumento, quæ in illius obsequium erexit monumenta. Conimbricæ erexit intra Collegium pulcherrimum sacellum Virgini à Divo Luca consecratum. Di-

Ditavit plurimis reliquiis, quas curavit iucludi pretioſis thecis. Nihil eſt in eo magnifico Collegio vel pulchrius, vel locupletius. Ibidem ædificavit ſacellum Divo Antonio in pergula viciniori januæ communi. Illò tranſtulit oſſa hominum de noſtrâ Societate virtute inſignium, qui mortui ſunt Conimbricæ. Diſtinxit ſarcophagis ſpecialibus, & inſcriptionibus. Ipſius operâ in eodem Collegio mutatum eſt in ſacellum illud cubiculum, in quo habitaverat P. Joſephus Anchieta novi mundi Thaumaturgus, juſſitque exornari tabellis Anchietæ rebus depictis. Romæ ad augendum cultum Sanctiſſimi Parentis Ignatii emit reditum, quo lychnus penſilis perpetuò arderet in cubiculo, ſive Sacello, ubi ſanctus Parens habitaverat. Ejus charitas erga infirmos præſertim effulſit. Sæpe illos inviſebat, & ſolabatur. Ægrè ferens aliquid ipſis deeſſe. Singulis noctibus poſt cænam orabat in templo Domus Profeſſæ. Poſtremâ nocte vitæ ſuæ aderat in ſacello valetudinarii recitans B. Virginis coronam, cum repentina ſyderatione impetitus ad humum corruit. Protinus ad cubiculum deductus ſacro oleo inungitur. Eodem die ſe pane ſacro munierat. Quod eſſet inſignis benefactor Conimbricenſis Collegii, bis pro ipſo unusquisque ſacerdos celebravit. Eo Profeſſæ Domus Præpoſito, inducta eſt ſcena de Paſſione Domini poſt conciones pomeridianas Dominicis Quadrageſimæ. Quem morem ſunt imitata noſtra Collegia, & alii.

Antonius Pinto Coadjutor.

ULyſſipone in Collegio Divi Antonii emiſit animam, ſalutis anno 1648. Plurimum micuit in hoc ſocio charitas adverſus ægrotos. Agebat pharmacopæum ejusdem Collegii; propterea plures habuit illius virtutis exercendæ occaſiones. Ejus mores erant omnibus exemplo; Magni fecit gradum ſuum Coadjutoris, quod poſſet omnibus ſervire propter Deum. Pernicioſâ febre jacebat unus è noſtris ſacerdotibus, illi continuus adſuit Antonius; ex hac aſſiduitate hæſit illi morbus idem, quo intra dies ſeptem de vivis eſt ſublatus.

DIE XIV.

Hieronymus de Sylva Coadjutor.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi translatus ad immortales anno 1639. Natus in Paræcia S. Eulaliæ ab Oliva prope amnem Durium in agro Feriæ Diœceſis Portuenſis. Editus in lucem octavo Septembris non paucis futuræ ſanctitatis indiciis. In ejus corpuſculo videbantur tres cruces, altera in fronte, alterâ in pectore, tertiâ in ſcapulis. Prodiit manu dextrâ in pugnum clausâ ſuper pectus. Id ſciens Canonicus Regularis S. Auguſtini ipſius patruus commendavit, ut illi inderetur Hieronymi nomen, quoniam inſtar illius Divi ſe multum

erat percussurus. Cognomen, annis labentibus, sumptum est à Virgine de Sylva, quæ magnæ venerationis est in templo maximo urbis Portuensis. Sanctissimis moribus à suis est institutus parentibus. Ab annis pueritiæ cœpit confiteri, & refici Angelorum Pane. Gaudebat lectione spiritualium librorum, indulgebatque plurimum sacrosanctæ Virginis obsequiis. Fugiebat aliorum adolescentum familiaritates, & comercia. Ejus levamenta erant sancti libri, quibus volutandis mirum in modum recreabatur. Post annum ætatis vigesimum tertium adjecit animum ineundæ Societati, cui est conjunctus Conimbricæ 8.Septembris anno 1605. In tyrocinio cæteris prælucebat sanctitate, & exemplis omnium virtutum. Post biennium missus est, ut janitorem ageret in Domo Professa Ulyssiponensi. Veruntamen, cum sanguinem ore rejiceret, rediit Conimbricam, ut mutatione cæli convalesceret; illic decem, & novem annis obiit janitoris officium. Conimbricâ Portum migrans substitit ibi annis duodecim janitoris distentus munere, & æditui. Tandem reversus est Ulyssiponem, ac in Domo Professa sex vitæ postremis annis januæ præfectus est custos. Quot, & quantæ virtutes Hieronymum exornarunt, cursim præstringam. Coquum agens in tyrocinio, vitam instituit perfectissimam, & orationi maximè deditam instructus à venerabili Viro Hieronymo Carvallio, de quo suo loco illustris fit mentio. Cum videret in coquo naturam sanctimoniæ aptissimam, adibat culinam, eumque edocebat orandi modum; sic capessivit magistri doctrinam, ut interdiu, noctuque, non minus septem horis impenderit orationi. Illum monuit, ut ante matutinam orationem recitaret semper coronam Virginis, disceretq; non orare frigidè, nec animo vaganti. Paruit monito, cui eventus ipse respondit. In ea officina nimius erat labor. Igitur ut esset tempus tot horis precandi solvendis, secum decrevit noctibus singulis duabus tantum horis dormire. Initio cœpit hujusmodi somnum ante mediam noctem: fundebat primum aliquas precationes, mox flagellabat corpus, deinde duabus horis indulgebat somno. A media nocte incipiebat orationem ad quartam horam ante solis ortum: tunc peractis aliquot precibus, & Virginis recitatâ coronâ, per sesquihoram orationi dabat operam. Alteram sesquihoram habebat per diem usque ad octavam horam noctis. Posteà consuevit dormire prædictas horas post noctem mediam. Has septem horas in tyrocinio terebat contemplando. Sæpe interdiu orabat in secessu prope culinam, ibi non semel à cacodæmone fuste percussus, tanto fragore excitato, ut famuli, & religiosi accurrerent permoti strepitu insolito. Januæ addictus, auxit orandi tempora. Communicato spiritu cum Patre Hieronymo, & Francisco Sua-

Suario Granatensi, hic illi suasit, ut abstineret à cœna, quo plus haberet temporis ad orandum. Amplexus consilium, prandium unicè capiebat. Videbatur unicâ victitare oratione, ac Dei præsentiâ. Sic sæpe mens in Deum rapiebatur, ut decem, ac duodecim horas continuatas adesset flexis genibus coram Deo. Identidem ecstasi solitus corripi: cum id coram aliis eveniret, Deum rogavit copiosis lachrymis, ne impertiret illi similes favores. Sanctissimum magnopere coluit tota mente, & animo. Plerumque ante ipsum orandi consumebat tempora. In Collegio Portuensi flagitavit Rectorem, ut Jovis diebus socium alium præficeret januæ, eamque diem sibi concederet immunem ab omni onere. Tunc à quarta hora matutina ad quartam pomeridianam perstabat flexis genibus coram Sanctissimo. Hujusmodi res, quæ videtur incredibilis, habebat tot oculatos testes, quot erant Collegii habitatores. Ex odore cognoscebat, ut narratur de S. Francisco Borgia, si remanserat in ara aliqua particula venerabilis Sacramenti. Procul dubio è maximis favoribus à Deo sibi collatis ille fuit, quo die Præsentatæ Virginis est recreatus. Veniebat unà cum Antonio de Leiva Collegii Rectore à prædio Vacariæ, cum opportunitas non esset faciendi sacri, & accipiendi Angelicũ Panem, profundâ est affectus tristitiâ. Præeuntem Rectorem lentius sequebatur, cum sacram videns ædiculam dicatam Virgini sensit compelli desideriis eã intrandi. His obediens descensu facto, ingreditur ædiculam: Ecce tibi conspicit prope aram Virginem Matrem, & nostrum Franciscum Suarium Granatensem, qui de vivis jam abierat, flexis genibus. Aderant præterea sex Angeli vultibus incensis, alati, & vestiti Dalmaticis. Tunc Hieronymus insolitâ perfusus reverentiâ flectit genua, & unus ex Angelis ipsi porrexit sacrum Panem, aliis interim suavissimè concinnentibus: *O sacrum Convivium.* Ubi sumpsit corpus Domini, repente evanuit, & Virgo, & ejus comitatus, & Hieronymus inventus est extra ædiculam, illô divinitûs translatus. Mulo conscenso, pervenit ad locum, in quo Rector destinaverat paulisper quiescere. Conspecta ibi sacra ædicula illam adiens, procumbit in genua gratias Deo agens pro singulari beneficio. Rector incedens eadem via, cum Hieronymum non conspiceret, pergebat expectando, & retrospiciendo, an accederet. Vicinus loco adspiciens mulum prope januam ædiculæ, rem supramodum admiratur, introiens videt Hieronymum lætissimum genibus ante aram flexis. Percontatur, quâ viâ fecisset iter? Respondit, fecisse solitâ, nec enim erat alia compendiosior; adjecitque, à multo jam tempore illic esse. Conjiciens Rector latere mysterium. Quid rei contigisset, sciscitatur, cum tergiversando celaret, coegit obedientiæ imperio. Tunc Hieronymus aperit, quidquid evenerat.

Sequenti die adventanti ad Collegium Rectori tradita est epistola cujusdam Monialis è Cœnobio Divæ Claræ, in qua referebat Hieronymum die proximâ Angelorum manu suscepisse sacrum Panem, debere Rectorem gratias habere Deo, quod talis incola ejus habitaret Collegium. In memoriam grati animi quotannis Hieronymus ante festum Virginis à Præsentatione, diebus decem se colligebat ad sancti Patris Ignatii peragenda exercitia. Duæ matronæ nobiles Portuenses testatæ sunt se primo mane templum nostrum ingredientes, vidisse non semel septum splendoribus locum, ubi Hieronymus solebat orare. Ejus mortificatio, & castigatio corporis, dum vixit, & continuatæ, & magni fuêre rigoris. Singulis noctibus ter verbere cruciabat corpus. Primûm ante mediam noctem, secundò postquam dormierat duabus horis, tertiò antequam socii de lectis surgerent. Quotidie admovebat corpori cilicium. Cilicio triplici invenerunt succinctum, cum deliquio cælesti sensibus alienatum exutis vestibus induxerunt lecto existimantes morbi esse incursionem. Semel tantum depellebat in die famem. Adeò cibos minuit, ut neque carnem, neque pisces ederet, victitans solum offa triticea, & pomis. Animi appetentias sic fregit, ut nullas habuisse videretur. Sermonibus suis de re Divina multos sæculares ad januam promovit spiritu. Conimbricæ sibi curæ fuit sacellum sodalitatis Virginis à Nivibus. Discordes sodalium animos verbis suis facilè componebat. Etenim ad pacandos animos infensos habuit à Deo speciale donum. Etiam Doctores, & Professores, & nobilissimi Academiæ illum quærebant consulturi de rebus ad spiritum pertinentibus. Erubescebat Hieronymus dicens se idiotam esse, & omni contemptu dignum. Hujusmodi honorem, quantum potuit, accuratè refugit. Ut aliquis reputaretur vir honestis moribus, satis erat de ipso dici familiariter colloqui cum Hieronymo. In Collegio Portuensi illi res contigit valde mirabilis. Orabat coram Sanctissimo Sacramento inter quartam, & quintam horam vespertinam, cum hujusmodi vocem percepit auribus: *Huc veni.* Respondit: *Quo?* Redditum est: *Quo te portaverint.* Ad hæc ille: *Ibo petitum facultatem, & socium.* Tunc insonuit vox: *Festina, tempus non est.* Statim motus superno instinctu accedit ad januam Collegii; reperit ibi adolescentem facie ingenuâ. Cum fores essent clausæ & prope ipsas janitor, ex parte sunt reclusæ, janitore nihil advertente. Hic adolescens manu apprehendens Hieronymum momento temporis eum tulit per auras ad locum dictum *Campanham*, mediâ leucâ distantem ab urbe. Positus est juxta ædem sacram; inde eum deduxit adolescens ad castanetum, digitoque illi ostendens hominem, hæc ait: *Loquere ad hominem illum, qui se vult suspendio interficere, dimove à tali proposito, daque illi hujusmo-*

modi pecuniæ crumenam. Sumpſit pecuniam, hominique accedens vidit funem ex arbore pendentem, & inſerendo collo laqueum paratum. Miſcuit cum ipſo ſermonem, perſuaſitque fatuum deponere conſilium: largitur ſacculum pecuniæ, quo continebatur aureæ monetæ bona ſumma: *Accipe*, inquit, *hujusmodi nummos, Deus enim te ſervat, ut te ſalvet.* Sub hæc dicta eum ex oculis ſuſtulit Angelus, & Collegio reſtituit, unde nec viſus egredi, nec ingredi. Sequenti die erat in templo reficiendus Pane Divino, cum hæc audivit verba: *Ito ad tuum Confeſſarium, & refer heſternum eventum.* Paruit, & ex confeſſario innotuit mirabilis ſucceſſus. Mane, eodem die, veniens homo ille ad templum noſtrum, ſe provolvit ad pedes Hieronymi, egitque ampliſſimas gratias, quod ſe eripuerit è tanto animæ, & corporis periculo. Dixit, ſe eſſe domo Cetobricenſem ob plurima in mari detrimenta, & fidei juſſiones decoxiſſe creditoribus, nunquam tamen fuiſſe oblitum Virginis devotionem, veniſſe in eam urbem onuſtum ſchedis ad colligendas pecunias, verum ne unam quidem fuiſſe acceptatam. Cum vidiſſet ſe carceribus mancipandum, & inter catenas, & compedes abſumpturum vitam miſeram, decreviſſe antevertere ſuſpendio mortem. Dignum eſt admiratione non vulgari, & quod maximopere commendat illius inſignem virtutem; Quod mendici diſcurrentes per urbem Portuenſem, cum pulſabant oſtia ad rogandam ſtipem ſolebant dicere: *Largire mihi eleemoſynam propter Patrem Hieronymum à Silva.* Tanta fuit de ejus virtute exiſtimatio. Frequenter comitabatur ſacerdotes miſſionem ſacram per oppida vicina obeuntes: tunc ipſius erant curæ diſſentientes redigere in amicitiam, & rudes docere catecheſim. Plurimum ſtuduit religoſæ paupertati. Cognovit, ac prædixit res futuras, & abſentes. Obſervantes aliqui de noſtris illius vivendi morem planè mirabilem, timuerunt, ne Dæmon ſuis præſtigiis ſimplicem Laicum deluderet. Scripſere ad Reverendum Patrem Generalem, convenire, Hieronymi probare ſpiritum, ne dolis ſubeſſet. Idcirco injunxit ejus moderatoribus, illum creberrimis periclitarentur vexationibus. Ita mandatum executioni. Suſtinuit vir Dei eam tempeſtatem animis æquiſſimis, nec dedit ullam ſignificationem doloris ſui, ne dum confeſſario, quid experiretur, communicavit. Solum confeſſus poſteà eſt, per id tempus maximis à Deo ſe recreatum conſolationibus. Patientiſſimus fuit injuriarum. Unus è mendicis, cui diebus ſingulis præbebat eleemoſynam, illi eſt furatus pallium, quod licet vetuſtum, & attritum, habebat magni, quod fuiſſet venerabilis viri Ignatii Martinii. Flagitavit quendam, ut à paupere quæſitum ſibi pallium obtineret, ut re ipſâ factum eſt. Deinde mendicus ille inverecundus, tanquam non ſuſtuliſſet pallium, accedebat de more ſolito ro-

gatum eleemosynam, quam Hieronymus libenter porrigebat, ne significatione quidem facta abrepti pallii. Præscivit diem sui obitus, quem manifestè declaravit. Per dies octo ante mortem penè semper Divinũ accepit Panem. DieMartis correptus apoplexiâ, inunctus est sacro oleo, amisitque integræ mentis usum. Tandem die Veneris hora secunda post noctem mediam corpore solutus est spiritus ætatis anno 61. Societatis 38. Ejus vultus permansit Divinâ quâdam lætitiâ afflatus. Tum apud nostros, tum apud externos magna fuit de ipsius virtutibus opinio. Res, quibus est usus, sublatæ sunt venerationis causâ, adhibitæ nonnullis morbum patientibus subitò depulere valetudinis affectionem.

P. Christophorus de Castro.

GOæ apud Indos Orientis anno 1609. de vita migravit. Natus est in oppido *Castello de vide* Diœcesis Portalegrensis. Conimbricæ amplexus Societatem 9. Octobris an. 1560. ætatis 21. Videbatur cum ipso enata commiseratio erga pauperes. Noctu è venatu rediens audiit in loco deserto aliquos gemitus, eos sequens reperit pauperem mersum in volutabro, è cujus luto nequibat emergere. Extractus est ope Christophori, verum adeò debilitatus, ut non posset movere gressum; Eum Christophorus imposuit suis humeris, tulitque in domum agricolæ, suisque expensis curatus est. Id operis persolvit illi Deus in India, nam dum navis Lusitana cum alia inimica miscet certamen, casu decidit in mare Christophorus, procul dubio periret, nisi robustus miles à periculo liberaret, ac reciperet in navim. Ad Indiam profectus anno 1577. Primus fuit, qui posuit initia Chaulensi Collegio, & qui adivit Goæ possessionem Domus Professæ, quam habuimus in area de Gallis dicta. Venit in Europam de negotiis missionum acturus. Redditus Indiæ, egit Præpositum Domus Professæ. Post expletum id munus quotidie Deum rogabat quatuor vitæ annos, ut ageret pænitentiam de peccatis suis. Subscripsit illius voto Deus. Quotidie vel domi esset, vel foris, verberabat artus flagello. Plurimum tempus insumebat orando. Utebatur multâ ciborum parsimoniâ. Labori nulli subtrahebat corpus. Vir fuit notæ humilitatis. In Lusitania, antequam esset sacerdos, miserunt comitatum Patrem, qui valetudinis affectæ causâ eques incedebat: eum est comitatus instar servi à pedibus. Quamvis esset naturâ in bilem propensus, sic eum fervorem domuit, ut phlegmaticus videretur. Regens Coccinense Collegium jubebat mancipio, ut se verberaret, flagris, quod exequebatur mirabili Rectoris tolerantiâ. Interdiu frequenter invisebat Venerabile. Tria quotidie Deum rogabat speciatim; nempe dolorem de peccatis, humilitatem, & spiritum principalem, quo David studebat confirmari. Eandem peti-

petitionem per noctem ſæpè repetebat ſubalta voce. Priusquam ad Indiam navigaret ob notam charitatem, conſtitutus eſt ægrotantium in Eborenſi Collegio Præfectus. Nocte de lecto ſurgebat ad interficiendos culices, ne languentes inquietarent. Obſequentiſſimus fuit Majorum imperiis. Illius paupertas cæteras æquavit virtutes. Præter Breviarium, & manuſcripta concionum nihil habuit; Egit Goæ Inquiſitionis Deputatum, & Chriſtianorum Patrem, quod munus ſolet committi viris præclaræ charitatis. Tantem Salſetana in regione contraxit febrim, & receptus in Collegium ſanctiſſimè obivit.

DIE XV.

P. Hieronymus Vogado.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi ceſſit è vitâ anno 1652. Natus in oppido *Alconchel* Diœceſis Pacis-Augustæ, ſive Badajocii in Hiſpania. Societatem amplexus Conimbricæ 10. Martii 1598. ætatis 19. Semper ab omnibus eſt habitus vir magnæ perfectionis. Multum ſtuduit humilitati. Quo tempore dabat operam Theologiæ, præſidebat noſtris Philoſophis in diſputationibus. Nunquam ob humilitatem voluit in ſella, ut munus poſtulabat, conſidere. Propter eandem cauſam rejecit oblatum Philoſophiæ Magiſterium. Docuit Moralem ſcientiam in Inſulis Flandricis. Poſteà in Angolam miſſus, vixit illic annis viginti quatuor magno virtutis nomine. Graſſante victus penuriâ, effusè diſperſit frumentum in pauperes, quod in horreo nihil eſt diminutum, imo crevit. Veniebat è Bengo flumine, cum momordit equus frænum, ac citatiſſimo curſu Collegium petivit. Cum accederet ad januam, quâ ſolebat introire, non erant fores apertæ, ſed tantum in ipſis foribus portula erat reſerata. Irruit equus, ac ventre terram ipſam pertingens, ſic ſe demiſit, ut illæſo Patre, ſit ingreſſus. Citra dubium lacerandus fuit, niſi divinitus ſeſe equus demitteret ad ſolum usque. Cum nollet morem gerere iniquæ Præfecti Luſitanicæ ditionis voluntati, juſſu illius eſt comprehenſus, & in Luſitaniam per ſummam injuriam miſſus. Non impunè id Præfecto fuit, nam propter ſua crimina à Rege conjectus in carcerem Ulyſſipone, onuſtus catenis, & calamitatibus conſumptus periit. Rurſus Hieronymus imperio majorum adivit Angolam, quod ità conveniret honori Societatis. Redditus poſteà Luſitaniæ, gubernavit Provinciam. Per id tempus erat Conimbricæ, cum Joannes Mattius Viſitator Ulyſſipone dedit Conimbricam litteras ad ſacerdotem Theologum, ut quamprimum feſtinaret Ulyſſiponem iturus ad Angolam. Per errorem epiſtolæ ſuperſcriptum tulit nomen Hieronymi Provincialis. Ubi vir obedientiſſimus legit epiſtolam, ſtatim ſe ad iter comparavit, &

& proficifceretur, nifi ejus focius, cui rem manifeftavit, fufpicans errorem effe, cum ipfius facultate aperuiffet litteras ad Theologum, ex quo fuperfcripti patuit error. Multæ eum exornarunt virtutes. Nec in extrema fenectute abftinuit à quotidiana corporis fui flagellatione. Speciatim veneratus eft Virginem facrofanctam iteratis obfequiis. Vel haberet domefticam ad focios exhortationem, vel concionem in templo, femper aliquid mifcuit de Virginis laudibus, ut omnes pari affectu Virginem Matrem profequerentur. Cum vitâ defunctus eft, exercebat munus Vice-Provincialis.

Joannes de Oliveyra Scholafticus.

Conimbricæ attigit vitæ limites anno 1568. Natus in oppido fanctæ Crucis de *Bayram* Diœcefis Lamecenfis. Addictus Societati Conimbricæ anno 1557. 15. Februarii. Illius mores magno erant omnibus exemplo. Diuturnus & valde laboriofus illius morbus fupremus, virtutum thefauros manifeftius expofuit omnium oculis. Variolis oppreffus vivo ulcere jacuit cruciatus. Narrabatur illius tolerantia, tanquam admirabilis. Quidquid Medici vel infirmarii, imperabant, exequebatur fine mora. Quo magis vicina fiebat mors, eò ferventius mentem in Deum erigebat, eum alloquens verbis latinis, initium faciens à pfalmo *Miferere*. Poftea Virginem compellavit latinis fermonibus, quos claufit fuaviffimum canticum *Magnificat*. Tollens in cælum oculos vocavit in auxilium Francifcum Xaverium, Gonzalum Mederium, Antonium Criminalem, & Martinum Alphonfum, dicens, Mei Patres, & Fratres chariffimi, rogate Deum pro hoc veftro egentiffimo fratre his laborante anguftiis. Cum morientem juvabat Rector piis alloquiis, eum Joannes intuitus percontatus eft, quid effet illa hora acturus, ut haberet plus meriti. Refponfum eft, fe totum Deo, & fimul laborem fuum offerret, confidens in Dominica Paffione, & fanguine. Hic infirmus: fatis eft mi Pater, ne procedat ulterius. His dictis fixit oculos in Crucifixo, nec ab eo dimovit, dum non exhalavit animum.

DIE XVI.

P. Joannes Pinto.

In Collegio Portuenfi confcendit ad fuperos anno 1613. Natus in Oppido *Carquere* Diœcefis Lamecenfis. Addictus Societati Conimbricæ 13. Maji 1575. Quamplurimæ virtutes totam ipfius ornarunt vitam. Præcipuum ejus ftudium fuit animam fuam excolere. Sæpiffimè fe expiavit per confeffionem generalem. Concepit mente fua fcalam Jacobi fimilem, ut femper cum Deo ageret. Duo fcalæ latera erant amor Dei, & proximi, extremitates fuperiores erant Fides & Spes, duæ inferiores Cognitio propria, & fui ipfius Demiffio. Gradus ipfos in tres veluti

veluti partes dividebat. Prima constabat ex humilitate, ad libertatem spiritus assequendam. Secunda fiebat ex patientia, & mortificatione ad obtinendam cordis munditiem. Tertia formabatur ex oratione, ad perfectam obedientiam adipiscendam. Diebus singulis examinabat, quantum subiisset. Accepit à Deo maxima beneficia, quæ illius confessarius jussit ab eo notari in charta, ut hac lectione magis incenderetur. Semel Christus Dominus per octo, vel decem dies adeò se illi infudit, ut anima videretur devotione liquefieri. Aliquando ipsi visum est se alloqui Puerum JESUM, quem rogavit, ut sibi obtineret ab Æterno Patre castitatem, & charitatem. Cui Dominus respondit instar reprehendentis, & admirantis: *Et non à me petis obedientiam?* Videns errorem suum, se provolvit ad pedes Domini, agitavitq; obedientiam: tunc Dominus ex oculis evanuit. Assiduis cum Deo commerciis conjunxit multam corporis afflictationem. Animi propensiones egregiè vicit. Postremo in morbo, quidquid fecit, & quidquid dixit, plenissimum fuit exemplis. Propè mortem contigit, ut matutinus excitator horâ ante statutum tempus campanâ daret signum sociis, ut è lectis surgerent. Excitatorem adeuntem cubiculum interrogat: an Patres, & Fratres sustulissent jam de lectis corpora; Cum respondisset, jam factum; similis nihil aliud speranti monet, ut pulset campanam eo modo, quo fit, cum aliquis agit animam. omnibus ad signum confluentibus, suavissimo cæpit agone laborare, & inter pias lachrymas, ac Sociorum preces emisit spiritum. Doluerunt ejus mortem tum nostri, tum externi, quod omnium benevolentiam illius virtus sibi devinxisset.

DIE XVII.

P. Emmanuel de Almeyda.

IN Insula à S. Jacobo, quæ præcipua est Hesperidum è regione Promontorii Viridis anno 1607. de vivis transiit ad immortales. Natus in oppido *Trancozo* Diœcesis Visensis. Conimbricæ complexus Societatem 20. Januarii 1582. Micuit ad nostra ministeria dotibus splendidissimis; Præclarus Rhetor, & Orator, quas facultates docuitConimbricæ, ibidemque Philosophiam. Erat Præfectus in scholis Ulyssiponensibus, cum & magno fervore, & secreto magno Guineæ petivit arduam missionem, quod plus omnibus jaceret in solitudine. Deliberaturus negotium, in oratione id cum Deo communicavit, re tantum suo Superiori participatâ, nam impediendum non dubitabat, si ejus conatus vulgaretur. Nemo scivit de illius profectione, nisi cum navem conscenderat: ex qua breves litteras dedit ad Patrem Doctorem Georgium Cabralem, quarum exemplum huc libet appendere: „ Vale „ mi Pater amantissime, contendo

„ ad Caput Viride: jam in hac vita
„ nos non videbimus; Me impensè Deo commenda; non, quo mihi tribuat vitam, sed horam salutis, nihil aliud præter hanc rem illuc proficiscor quæsitum. Non suppetit tempus ad longiorem epistolam. Me plurimum amicis commendet. 1. Februarii 1607. Emmanuel Almeyda. Scribens ex Insula ad Patrem Provincialem, hæc habet: „ Nostræ occupationes ordinariæ sunt concionari omnibus diebus festis, singulis horis excipere confessiones, catechesim explicare, docere latinitatem pueros, & exponere quæstiones de Moribus eas audire volentibus; denique accurrere ad omnia, in quibus occupamur ad præstandum Deo servitium. Quamvis obsecrantur, ne tantum laboremus ob metum, quem habent nos amittendi, cum cælum sit admodum calidum, nec ferat tantum laborem, quanto oneramur. Tamen censemus nostra magis interesse Domino servire, vitam periculis objiciendo, quam illam servando, hujusmodi deesse exercitiis. Meditabatur ad alteram ex iis transire Insulis, quod à biennio gens illa conscientias non exponebat ad confessarii pedes. Id cognoscens Præfectus, abitum impedivit. Verum causa fuit, ut miseris ferret suppetias unus è Canonicis. Quod Domini servorum ethnicorum negligentes erant in ipsorum procuranda conversione, magnam in hanc rem curam adhibuit magno animarum bono. Moriente mense Augusto Patre Petro Neto, qui cum Emmanuele iverat è Lusitania, Octobri sequenti mors Emmanuelem sustulit incredibili Insulanorum dolore.

P. Antonius de Almeyda.

Apud Sinas in extremo orbe de vita migravit anno 1591. Natus in Oppido *Trancozo* Diœcesis Visensis. Germanus fuit Frater Emmanuelis Almeydæ, de quo proximè dictum est. Quorum morte eodem die, licet annis diversis, nobis Deus significavit, quam similes forent virtutibus. Conimbricæ addictus Societati 4. Januarii 1576. Cupiit vitam consumere animas convertendo. Propterea navigavit ad Indiam, anno 1584. Volens Alexander Valignanus illius salvandi animas desideriis satisfacere, unà cum Eduardo Sandio eum misit ad Fidem in Sina propagandam. Per id tempus difficillimus erat ingressus ad Sinense Regnum. Consultantibus nostris hominibus, quem modum reperirent ingrediendi eam regionem, Antonius obtulit se Lusitanis Macaensibus, ut se tanquam mancipium dono mitterent cuidam Præfecto Sinico: quo mirabili charitatis artificio magnoperè est prodita illius animas lucrandi aviditas, quanquam huic voto non est satisfactum. Non defuit opportunitas tam sancta complendi desideria. Adiverat Cantoniam, quo tempore accesserat eodem

dem noster Michael Rogerius, qui vivebat in Oppidis Mediterraneis: Hic modum habuit ferendi secum Antonium inexplicabili ipsius gaudio. Posteà in Europam veniente Rogerio, comitatus est nostrum Mattheum Riccium in urbe Xauceo, ubi tandem est mortuus. Vir fuit multæ orationis, & pœnitentiæ, vel à primis in religione annis. Necessum erat Superioribus illius fervori adhibere modum. Vicinus morti enixè precatus est, ut corpus suum projicerent super nudam humum; ibi tenens amplexu crucifixum, piissimè expiravit.

DIE XVIII.

P. Emmanuel de Nobrega.

IN urbe sancti Sebastiani ad Flumen Januarii apud Brasilos obivit anno 1570. Natione Lusitanus, cujus patriam ignoro, quamvis adhibuerim ad eam cognoscendam accuratam diligentiam. Juremerito antiquorum reprehendenda incuria, quod tanto honore privaverint illud oppidum, quodcunque sit. Ejus Pater unus fuit e Senatoribus Regni. Illiusque patruus, Lusitaniæ Archigrammateus. Navavit operam Juri Pontificio Salmanticæ. Erectâ Conimbricensi Academiâ, illò contendit, & scientiarum continuavit studia magno nobilis ingenii nomine. De ipso ajebat Doctor Navarrus; inter suos discipulos Nobregam optimum esse. Ob impedimentum linguæ animus ipsi non erat ambiendi Academiæ cathedras. Cum videret Navarrus Emmanuelis præstantissimum ingenium, illi suasit, ut sequeretur Academiam. Placuit morem gerere tanto Doctori. Cum more Academico certandum esset ad obtinendum locum honorum, Emmanuel unius horæ spatio habuit lectionem doctrinæ plenam. Erat ipsi adversus Academiæ Rector, propterea finitâ horâ, quod Candidatus tardioris, & minus expeditæ foret linguæ, dixit coram Doctoribus, illam horam propter linguæ tarditatem horam non reputandam; idcircò jussit progredi. Nihil est moratus. Continuavit magnâ Doctorum satisfactione, & solùm facto signo imposuit lectioni finem. Omnium calculis meritus est primum locum, veruntamen prævaluit Rectoris sententia, & animus parum benevolus Emmanueli. Per id tempus sacris initiatus ursit studiorum pensa. In Monasterio sanctæ Crucis conferebantur aliquæ; ut vocabant, Collegiaturæ, facto prius de Candidatorum scientia periculo. Discrimen adivit Emanuel, favit scientia, sed ob prædictũ linguæ impedimentũ valde ingratus accidit apud eos Religiosos, qui & honorem, & emolumentum aliis tribuere. Hac secunda repulsa, mundum, ejusque honores cæpit fastidire: elevansque ad sublimiora animum, se nobis addixit Conimbricæ 21. Novembris 1544. Magnopere studuit excolendæ animæ suæ, & proximorum spirituali bono. Singulari charitate suc-

ſuccurrit detentorum in carcere neceſſitatibus. Obivit plurimas miſſiones ſacras, & peregrinationes ad pia loca, in quibus defectum linguæ ſupplebat ſpiritus; nam ejus concionem ſequebantur admirabiles morum mutationes. Per BeirenſemProvinciam excurrit inſtar Apoſtoli. Accedens Covilanium pervigilio Divi Joannis, ibi eſt concionatus ſucceſſu parum felici, quod antecedenti die illi ſint furati galerum, perrexeritque leucis tribus detecto capite, urente deſuper ſole, & propterea cæperat tentari valetudo, unde nec ſibi, nec populo grata contigit illa concio. Monuit Parochum, ut faceret certiorem populum, ſe Dominica ſequenti in tali templo concionaturum. Petenti obſequens, ait ad populum in templo conjunctum: tali die, & loco tali concionaturus eſt ille clericus blæſus, verum res otioſa videtur talem concionarorem audire; quia profecto ille nihil dicit. Tamen aliter evenit, nam ſupra modum in lachrymas commotus eſt populus. Contendens ad urbem Portuenſem, in medio itineris reperit fæminam nigram morbo correptam deſertam ab omnibus, ut vidit miſerandum ſpectaculum, deſcendit ex mulo in terram, curavitque ſuper eum fæminam imponi, & ipſe leucas duodecim pedibus emenſus ad urbem usque; ibique fæminam reliquit in noſocomio. Statuente Joanne Rege, ut aliqui de noſtris adirent Braſiliam, eò miſſus eſt Nobrega cum aliis anno 1549. in claſſe Thomæ de Souza ditionis Luſitanæ Præfecti apud eam Americam. Nautas, & vectores exhortationibus ſuis & exemplis Deo conjunxit. Appulit Bahiæ die 29. Martii. Tunc cæpit ibi fundari urbs, quæ nomen ſumpſit ab illo maris ſinu, qui Luſitanè *Bahia* dicitur. Pauci Luſitani, qui in ea morabantur ſtatione, moribus erant ſimiliores ethnicis, quam Chriſtianis. In eorum corrigendis delictis magna eſt opera impenſa non ſine lucro. Ipſi Patres ad arcendas temporis injurias erexere domum ex luto; Magnam ſimul experti penuriam rei temporalis. Ferventi zelo incubuerunt mancipiis Luſitanorum inſtituendis catecheſi, deinde convertendis ethnicis, quorum erat infinita multitudo in locis finitimis Bahiæ. Vix explicari poſſunt labores, quos ipſi perpeſſi ſunt in abolendis ethnicorum inveteratis moribus. Præibat cæteris operariis exemplo, ut etiam dignitate, Emmanuel. Nulli parcebat labori, huc, & illuc diſcurrens, ut omnibus opitularetur. Noſtros ut in ſpiritu conſervaret, magnis exercebat mortificationibus. Ædificavit Seminarium Braſilorum filiis educandis. Videns Patrem Vincentium Rodericium urgeri morbo ultra annuum ſpatium, illi hæc dixit verba: Pater Vincenti, te indiget bonum animarum: idcircò tibi jubeo in virtute ſanctæ Obedientiæ, ut protinus mittas foras hunc tuum morbum, & properes ad peragenda noſtra mini-

nisteria. Non defuit Deus servi sui imperio; nam eodem momento temporis Vincentius depulso morbo vires habuit integras & laborare cæpit. Sciens magnam morum stragem, quæ Pernambucum corrumpebat, illò navigavit ad ferendum remedium tot miseriis, de quibus hæc habet in epistola: „ Clerici hujus terræ magis dæmonum exercent officium, „ quam clericorum, nam præter exemplum, & mores pessimos, volunt contradicere doctrinæ Christi. Publicè dicunt, hominibus, licitum ipsis esse uti suis ancillis, „ tanquam uxoribus, quoniam ipsorum erant servæ. Ipsos posse habere servituti addictos, quos cæpissent Brasilos, quoniam canes „ erant: hæc & alia vulgabant in „ populum, ut excusarent turpitudines suas. Certe nullum dæmonium modo est, quod nos persequatur, nisi isti. Odio nos habent, „ quod ipsis contrarii sumus, & pessimis eorum moribus. Nequeunt „ ferre nos Missas celebrare gratis „ cum detrimento lucri sui. Hactenus ejus verba, è quibus conjicitur, quantus esset illi futurus labor adversus hanc morum stragem. Clerici terribilem in modum eum sunt persecuti, & tantum non occiderunt, In reditu ad Brahiam fecit naufragium, cui divinitus est ereptus. Invenit tamen in terra majorem procellam illo naufragio: nam quidam vir nobilis vulgaverat de nostris hominibus ingentia crimina, occasione sumpta ab aliquot famulis domesticis Lusitanorum, & Brasilorum filiis, ex quibus nonnulli prodibant foras ad committenda turpia. Ut veritas indagaretur, subjecit Nobrega quæstionem Vicario Episcopi, eum rogans, ut exactissimè & severissimè in eam rem inquireret. Si de Societate forent criminosi, eos velle protinus ex ipsa depellere: si non essent, iniquum videri falsis criminibus premi innocentiam, quod contingere non poterat sine magno animarum detrimento. Cum deprehensus esset in eo crimine unicus ex illis domesticis; denuntiavit ipsi Emmanuel, ut se ad moriendum compararet, quoniam vivus erat humandus: reipsa habuit sibi persuasum actum esse de vita. Locatus est sindone involutus in feretro, ediderunt æra campana signa funebria, ut fit, cum aliquis moritur. Recitatum est Officium Defunctorum. Post hujusmodi precationes positus est in sepulchro, cæpitque à pedibus obrui terrâ, existimantibus, qui aderant, rem ex vano non esse. Cum jam super pectus terram conjicerent; Unus è sociis, cui unicè aperuerat suum animum Emmanuel, & cui injunxerat, quid tali tempore erat facturus, procumbit ad illius genua, multis lachrymis, & precibus rogans vitam misero adolescenti. Difficilem se præbuit Emmanuel, sed tandem fingens se invitum flecti ad tales preces, concessit vitam, at ex ipso loco verbis gravibus eum dimisit, ac separavit à no-

 stra

ſtra domo, & commercio. Sæpe adivit Braſiliæ mediterranea ad manſuefaciendos Barbaros & cogendos ad vitam civilem, ut eos Chriſtianis legibus inſtitueret. Conditdit novos pagos, ut creſceret fidelium multitudo. Plurima Deus per ipſum fecit miracula ad favendum Luſitanorum armis. Illius precibus erupit in Reſidentia Portus ſecuri perennis æquæ fons, quo maximè indigebant eæ gentes. Bello ſæviente inter Tamoyos, nos non ſine evidenti propriæ vitæ periculo Tamoyos convenit, ac Luſitanis pacavit. Plurimum juvit Luſitanum militem in expellendis Gallis à flumine Januarii, qui favore Braſilorum illic arces, & munimenta erexerant. Luxit omnium virtutum præſtantiâ. Exardebat amore Dei, ac proximi. Ut animas, Deo lucraretur, nullum vitabat periculum. Habitus eſt tanquam communis miſerorum Pater. Plurimos filios, ac filias Luſitanorum, qui vivebant inter Barbaros ritu ferarum, abſtraxit è medio Barbarorum, ac reſtituit oppidis Luſitanis, & Chriſtianorum moribus. Ergà infirmos nituit admirabiliter ejus charitas. Excogitavit artificia multa, & valde efficacia ad arcendos è corruptis moribus peccatores, & reperit; & felici ſucceſſu executioni mandavit. Acerrimè tutatus eſt Braſilorum libertatem, quos Luſitani per ſummam injuriam aſſerebant in ſervitutem. Obtinuit à Præfectis firmas adverſus illorum audaciam immunitates. Ubi primùm pro ſe ipſo ſtaret veritas, nec injurias, nec timores, aut humanos reſpectus habuit ullo in pretio. Luſitani Reges tantam de ipſo conceperant opinionem, ut pluris facerent unam illius epiſtolam, quam aliarum litterarum cumulos. Propter hunc intrepidum animum defendendi veritatem, illi detraxerunt viri perverſi. Etiam à vili plebe ob eandem rationem injuriis affectus. Cuncta tamen improperia æſtimabat, tanquam lapides pretioſos. Amor, & Charitas adverſus noſtros, vix exprimi verbis poteſt. Nulli parcebat diligentiæ, ut conſervaret in Societate qui vacillabant in vocatione. Magnopere curabat, ne labaſceret religioſa obſervantia. Volebat inter noſtros vigere orationis, quæ mente fit, plurimum exercitium, & par precationis vocalis, ac mortificationis, ut fierent inſtrumenta Divinæ gloriæ digna. Magnæ illi providentiæ fuerunt circa fundationes Collegiorum, quæ poſteà videbat ædificanda. Cum nonnullis de noſtra Societate hæ curæ apparerent nimiæ, maximè cum per id tempus noſtrates eſſent pauci, reſpondit vir prudentiſſimus. Neſcitis, mei fratres, quid dicitis; ego id facio venturis, nam futura eſt magna multitudo noſtrorum in Braſilia, qui juvent animas: Proptereà neceſſum eſt paulatim ipſis providere, ne rerum penuriâ, minus, quam par eſt, laborent. Exactiſſimè conſuluit perfectioni cultûs Divini. Faciebat ſacra ſolemnia magno plauſu, organis, & ti-

tibiis à filiis Brasilorum inflatis, qua jucunditate & Ecclesiasticâ augebat celebritatem, & reddebat neophytos magnopere affectos rei Divinæ. Singulis annis die Jovis majoris hebdomadæ publice in templo abluebat pedes nostrorum fratrum. Multa invenit ad exterminandos abusus, & profanas comœdias. In concionibus, quamvis erat linguæ impeditæ, habuit modum suavem, & auditorum corda penetrantem; maximè afficiebatur ad res omnes quæ solent pietatem excitare. Noctu plurimas horas impendebat orationi. In observantia suorum votorum nemo exactior. Castitate videbatur Angelus. Non recedebat à majorum voluntate. Facilè sequebatur alterius sententiam, quando dabatur conveniens ratio. Sui corporis fuit negligentissimus. Necessum erat aliis, ipsi consulere. Adhærebat semper communi modo vivendi nolens aliquid singulare, nisi in proprio augendo rigore. Usus est victu parcissimo. Nullus labor illi metuendus fuit. Emetiebatur pedibus longa, & aspera itinera per sylvas, & saltus magnis frigoribus, & pluviis. Nullius vestitus æquè fuit vilis, atque ille, quo utebatur. Vestes non admittebat nisi attritas, & refectas centone. In morbis extitit patientissimus. Postremis vitæ temporibus à valetudinis affectione dura multa perpessus. Præscivit suæ mortis diem. Biduò, et triduò ante ipsam per urbem discurrit valedicens amicis, & personis nostræ Societati benevolis. Percontantibus, quo vellet ire, quando non videbant in portu navem ullam, quæ profectionem adornaret. Respondebat se velle pergere ad cælestem patriam. Decidens in lectum petivit Sacramenta, cumq; evomuisset copiam sanguinis corrupti, cessit è vitâ. Plurimùm ejus mortem omnes doluerunt, quod Christianorum Brasilensium haberetur primus parens.

P. Gaspar Barzeo.

GOæ apud Indos Orientis vitam explevit anno 1553. Natus est in Oppido *Gocra* Insulæ. Zelandiæ inter Flandros. Lovanii dedit operam Philosophiæ, ac Theologiæ, & insignitus est gradu Magistri. Variis successibus venit in Lusitaniam, serviitque Regis Thesaurario, à quo dura pertulit. quod esset vir genio intolerando. Semel in eum supramodum excanduit, ac fuste percussit. Post sedatam iram, eum Gaspar alloquutus verbis mitissimis, dicens. Mi Domine, cum aliquid adversus famulos tuos habueris, audi prius eorum rationes, si non satisfecerint: tunc adhibe virgam. Audiens ille nostrorum hominum exempla, se addixit Societati Conimbricæ anno 1546. Ex animo cupiit vivere in sancta humilitate occultans litteras suas, & gradum. Habebatur supramodum rudis, & rusticus. Distinebatur in ministeriis culinæ, aliquando obivit custodem vestiarii. Semel junctis om-

omnibus religiosis, cum humilitatis gratiâ coram Simone Rodericio Provinciali unusquisque detegeret tentationes suas, & propensiones, confessus est Gaspar se importuna inquietari tentatione, quâ stimulabatur à dæmone, ut appeteret concionator esse. Propter existimatam hominis rusticitatem vix circumstantes continuerunt cachinos. Tunc Simon, ut abigeret tentationem, & ipse inutilitatem suam cognosceret, conscende, inquit, scamnum illud, & concionare. Sine mora conscendit, loquutus est tam rusticè, ut tantum non corruerit tectum præ omnium risu. Hic Simon hominem interrogat, quid sentiret de tentatione sua? Respondit, adhuc extinctam non esse. Jubetur iterum habere concionem de loco edito. Pari, aut majori exceptus est plausu. Rursus percontatur Simon: quo foret animo? Respondit, se non amissurum spem, quam habebat de agendo munere concionatoris, quanquam centies illud egisset pessimè, & cum risu auditorum. Considerata hominis virtute visum est Simoni non contemnendam illam propensionem, ibi posse Deum latere, ut olim contigit in D. Antonio. Igitur inquirit, quid litterarum sciret? Ingenue fassus est, quibus studiis navasset operam. Protinus Simon eum abegit à domesticis ministeriis, jussitque fricare memoriam in studiis, initiatusque est sacris. Missus est per oppida, & pagos Conimbricæ finitimos, ubi illius subrustica verba, & vix habentia Lusitanum sonum fecerunt tantos animorum motus, ut innumeri hominum confluerent ad expiandas conscientias. Porro ipse tam indefessus fuit in audiendis pænitentibus, ut semel perseveraverit in tribunali confessionum integrum diem, integram noctem usque ad horam decimam diei sequentis. Anno 1548. ad Indiam missus est cum aliis nostræ Societatis. In itinere totus incubuit saluti animarum, & in sublevandis labore nostris. Sibi curæ habuit culinam. Ibat ad focum navis; ibi cæteris parabat cibos. Quid in eo munere sit perpessus, explicat ipse hujusmodi verbis. „ In hoc munere
„ continuavi diebus aliquot tam
„ parvo proventu, ut fratres nequi-
„ rent gustare epulas; Nam pueri
„ nautæ non nunquam mihi fura-
„ bantur ollam, aliquando frange-
„ bant. Sæpe effundebant: planè
„ nesciebam, quid inter illos cape-
„ rem consilii. Id videns Henricus
„ Macedo eques nobilissimus, no-
„ stri miserens jussit cuidam suo
„ mancipio, ut nobis cibos in co-
„ quina pararet, quo facilius pos-
„ semus consulere bono spirituali
„ aliorum. Expeditus cæpit concionari, audire pænitentes & servire infirmis. Idque factum tali morum mutatione, & tantâ assiduitate Gasparis, ut eum omnes, tanquam sanctum, suspicerent. Quarta Septembris tenuit portum Goensem, ubi habuit obvium Divum Franciscum

Xa-

Xaverium, cujus aſpectu majorem
n modum exhilaratus eſt. Juſſit illi
Xaverius, ut ſe compararet ad ha-
endam concionem die Nativitatis
Sacroſanctæ Virginis, illi commen-
dans plurimum, ut altè loqueretur.
Concurſus ad eam concionem fuit
nnumerus propter ingentem fa-
mam, quam de ipſo vulgaverant
autæ. De ſucceſſu habet vir humil-
mus ad ſocios Conimbricenſes hæc
erba. „ Res ſic eſt acta, ut vir u-
nus cuidam è noſtris dixerit: ad
quid ſervit hoc venenum in India?
Etiam Pater Magiſter Franciſcus
non manſit contentus, quoniam
multi non me intellexerunt, quod
me benè non audierint. Tunc pro-
fectus eſt ad caput Comorinum,
mihique reliquit injunctum, ut
noctu in templo exercerem vo-
cem ad altius loquendum. Ita fe-
ci, tali modo, ut jam noſtris ſa-
tisfacerem. Ex eo tempore cæpi
concionari, & gens gaudere con-
cionibus. Hæc illius verba. Facta
it quamplurimæ morum conver-
nes, & ethnicorum. Præcipuum
uit locum Brachmanis converſio,
od inter ſuos eſſet facilè princeps.
m Divus Xaverius illum præfi-
et Goano Collegio, hunc hono-
n enixè rejecit. Tunc Xaverius
eravit, ut iret Ormuſium in ſinu
ſico. In eo celeberrimo Emporio
ravit res adeò magnas, & præcla-
, ut videretur Angelus de cælo
ſus. Innumeræ fuerunt conver-
es peccatorum, qui in culpis ob-
calluerant. Plurimi ethnici, & Mau-
ri ſe conjunxerunt Chriſto. Morum
ſtrages erat miſeranda. Chriſtiani vi-
vebant permiſti cum Mauris, Turcis,
& Judæis. Potuerunt tantum illius
conciones, ut metu compleverint
non ſolum Chriſtianos, ſed ethnicos
& Mauros, qui ſe continuerunt à
quamplurimis ſceleribus. Uſuræ, &
lucra illicita latè dominabantur, pro-
pterea decrevit ſingulis diebus Sab-
bati concionem inſtituere de pecca-
tis avaritiæ. Multum hujusmodi vi-
tium eſt emendatum. Magnæ ſum-
mæ pecuniarum reſtitutæ ſunt per
Chriſtianos Mauris, & ethnicis,
quod illis fuit admirationi non vul-
gari; cum res apud ipſos non ſit in
uſu. Adeo magnum deſiderium tene-
bat omnes expiandi animas apud il-
lius pedes, ut aliqui ſe finxerint ægro-
tos, & vocaverint in ſuas domos,
quod in templo propter multitudi-
nem confitendi non fuerit opportu-
nitas. Eleemoſynis, ac reſtitutioni-
bus matrimonio conjunxit puellas
quamplurimas orbitatis causâ labo-
rantes amittendæ pudicitiæ pericu-
lo. Obſtruxit lapide, & calce oſtium
templi celeberrimi à Mauris ſuo fal-
ſo prophetæ dicati. Cogitantibus
Luſitanis de bellica expeditione, &
negligentibus animarum curam, &
confeſſionem, contemptâ Gaſparis
ſuaſione, concionatus eſt adverſus
hujusmodi ſtultitiam multis voci-
bus Deum rogans expeditioni, & mi-
litibus ſucceſſum infelicem. Admi-
rantibus talem petitionem, cum ex-

pectarent contrariam, reſpondit verbis Scripturæ: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Auditæ ſunt illius preces, nam de Luſitanis redierunt multi vulnerati, & infirmi multi, perierunt quinque ſupra quadraginta inſtar brutorum animantium. Qui ſuperſtites fuerunt tantæ calamitati, lacrhymantes peccata ſua acciderunt ad Gaſparis pedes expiantes conſcientiam. Condoluit eorum lacrymis, eosque complexus eſt, & conſolatus. Cum gens omnis ſummopere curaret conſcientias explicare ad illius pedes, de ipſo conqueſti ſunt externi ſacerdotes, quod ſuos ſpirituales filios ab illis removeret, & quod non uteretur eorum operâ. Multâ ratione excuſavit factum ſuum, quoniam eos deſerebat populos propter deterrimam vitæ famam. Conſuluit ſervo ſuo Deus, nam ipſimet clerici inter ſe inquirentes cauſam, cur pænitentes omnes ad Patrem concurrerent, cenſuerunt eſſe gratiam ſpecialem Divini ſpiritus in hominibus Societatis. Idcircò magis eum in poſterum reverebantur. Adeò incendit omnes in amorem virtutis, ut vel Mauri per urbem canerent ſacroſanctam noſtræ legis doctrinam. Sic eum venerabantur, ut nocte, ac die cum illi fiebant obvii, à recto deviarent itinere cauſâ reverentiæ, quâ ipſum intuebantur. Convertit virum ethnicum celeberrimâ apud eas gentes ſanctitate, credebant enim majorem ſanctum ſub Sole non eſſe. Aggregatus fidei, multum veris colluxit virtutibus. Gaſparis fama tantum excrevit, ut late diffuſa ſit per Perſidem, Babylonem, Carmaneam, ad usque Conſtantinopolim. Quicunque negotiabantur Ormuſii, redibant in patrias ſuas pleniſſimi famâ tanti viri. Dum navat operam ſtrenuiſſimam his laboribus, accipit litteras à ſancto Xaverio, qui tunc erat in Japonia, quibus illi jubebat in virtute ſanctæ Obedientiæ ad majus ejus meritum, ut ipſe cum aliis, quos nominabat, ad Japoniam proficiſceretur. Ubi id vulgatum eſt Ormuſii, voluerunt impedire profectionem, eumque tradere cuſtodiæ, ne poſſet evadere. Verum ille uſus artificio, conſcendit navem, quâ vehebantur animæ ſexcentæ. In ea navigatione tam illuſtria confecit, ut parva non poſſint comprehendi charta. Pervenit Goam, ubi continuavit pios labores, conciones tredecim, aut quatuordecim peragendo ſingulis hebdomadis. Erat enim vir infatigabilis. Labori reſpondebat fructus. Per id tempus Divus Xaverius venit à Japonia, adornansque iter ad Sinam conſtituit Gaſparem noſtrorum Provincialem; ipſeque ſanctus humi ſe proſternens ſuperiorem ſuum Gaſparem veneratus eſt. Lætis omnibus, ſolus Gaſpar videbatur confici mœrore, dixitque; ſibi injunctum cæteris imperare, quod neſciret obedire. Protinus ſe collegit ad habenda ſancti Ignatii exercitia, ut ſe diſponeret obligationibus ſuis complendis. Novus

vus honor nullam ipſi peperit imu-
nitatem à labore. Illius concionibus
tantum erat populus ad virtutem
commotus, ut ad ipſum ferrent ca-
talogos perſonarum, quæ vitiis erant
famoſæ, ut illis mederetur. Non exi-
guus ex hac induſtria collectus eſt
fructus, nam ſex menſibus odiorum
ultra duo millia ſunt extincta, &
plurimæ lites abolitæ. Semel jocan-
di gratiâ dixit illi generalis Auditor
Regius Miniſter Scribas, cum forent
antea locupletes, enecari fame, ali-
quos voluiſſe ſuſpendio vitam finire,
non nullos reliquiſſe officia, alios ea
vendere meditatos, non inveniſſe
emptorem; brevi neceſſum futu-
rum, ut Rex de ſuo daret pecunias,
ut haberet Scribas. Ad hæc Barzeus:
se non pænitere, quod eſſent tam
immunes à labore, & ſe valde cupe-
re, ut opus non eſſet Auditoris ge-
neralis officio, & cuncta tribunalia
eſſe plena telis arachneorum. Exem-
plo Provincialis accenſus eſt admi-
rabile deſiderium lucrandi animas
inter noſtros. Abſtraxit à proſtibu-
lo ſive lupanari innumeras fæminas,
quæ ſuis vitiis alebant miſeram vi-
tam. Dubitavit ille, an tot concio-
nes eſſent faſtidio auditoribus, idque
significavit pro concione, dicens, ſe
omiſſurum bonam concionum par-
tem, præſertim diebus pluviis. Pro-
tinus ſonuit murmur dicentium, ne-
quid tale ageret, niſi foret ipſi mole-
ſtum, potius conciones augeret, ven-
turos ad ipſas, etiamſi totum cælum
in pluviam ſolveretur. Induxit in fæ-
minas modeſtum veſtiendi morem,
etenim plurimæ illi dabant pretioſas
veſtes, ut applicaret uſibus templi,
aliæ mundum omnem muliebrem, ut
pretioſa cimelia, coralia, monilia &
lineas unionum in eosdem uſus Divi-
ni cultus. Quædam ex nobilioribus
domum rediens contrivit in morta-
rio gemmas omnes, & alia exquiſi-
tiora, quibus ſe exornabat. Omnes
honeſtiſſimè in poſterum veſtierunt.
Fortè dum concionatur, accedit ad
templi limen legatus Regis Ceilani,
quo tempore pronuntiabat illa Exodi
verba: *Solve calceamenta de pedibus tuis,
locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Hæc
verba protulit tanta majeſtate, ut
Legatus exiſtimans in ſe dirigi, cæ-
perit excalceari, feciſſetque, niſi im-
pedirent Luſitani: Verum concione
ſic eſt permotus, ut relictis idolis,
fidem ſit amplexus. Voluit Deus ſer-
vo ſuo remunerare merita in eodem
campo certaminis: Nam prædicans
coram valde numeroſa concione,
ſenſit magnam debilitatem, & in ip-
ſo pulpito deliquio cecidit alienatus
ſenſibus. Domum comportatus, non
conſenſit inviſi, ut expeditius Deo
ſuo vacaret. Solum permittebatur
ſummo præfecto, & aliquibus Dyna-
ſtis cubiculi limen accedere ob con-
ſolationem, quam in eo videndo ex-
periebantur. Cum ſe ad ſupremum
iter accuratè præparaſſet, expiravit
die Veneris illa hora, quâ tali die ſo-
lebat prædicare. Vulgatâ illius mor-
te, tantus ad noſtram domum con-
fluxit concurſus, ut gens circumvol-

vi non poſſet. Tot ſonabant gemitus, & lachrymæ, ut religioſus de familia ſanĉti Dominici, qui volebat de ipſius virtutibus habere concionem, non potuerit vocem explicare præ lachrymis. Citra dubium poſt Xaverium ſanĉtiſſimum fuit è præclariſſimis, qui grandibus virtutibus hanc minimam Societatem exornarunt.

P. Doctor Sebaſtianus de Abreu.

EBoræ contigit vivendi terminos anno 1674. Natus in Oppido *Crato* nullius Diœceſis. Complexus Eboræ Societatem 2. Januarii 1610. ætatis 15. In Eborenſi Academia docuit omnes ſcientias præclaro nomine. Ornatus eſt Doĉtoris gradu 25. Julii 1633. unà cum Patre Franciſco Pinerio Viro Sapientiſſimo. Poſteà moderatus eſt primam Theologiæ Cathedram. Compoſuit, & typis vulgavit *Parochum perfectum* Etiam dedit in lucem vitam Patris Joannis Cardini. Aliquot annis Romæ eſt moratus agens Cenſorem librorum Societatis. Unus fuit ex inſignibus Eborenſis Collegii benefaĉtoribus; ipſe ſumptibus ſuis ædificavit in Suburbana Collegii villa ſacellum admodum pulchrum, & majeſtate plenum. Cum haberet conſanguineos pauperes, uni ſolum tribuit quadraginta millia regalia ærea titulo eleemoſynæ, dicens ſe plus non elargiri, quod lucra, quæ ex impreſſione ſui libri collegiſſet, erant omnia Societatis, quæ multas fecerat expenſas, ut ſe aleret, ac redderet virum litteratum. Secum nihil inſumebat. Addiĉtus erat multum ſuo cubiculo; extra illud non facilè videbatur, niſi res, vel obedientia urgeret. Vir fuit animo planè magno, & ad quæque contraria animosè ſuſtinenda. Graves perpeſſus adverſitates, ſed omnibus altior fuit. Refugiebat commercia cum externis, quamvis ab eis conquirebatur conſilii petendi causâ. Viĉtu admodum parco ſolitus veſci. Circumſpeĉtus erat in verbis, ne quemquam offenderet. Severiſſimè puniebat corpus ſuum flagellis, & ciliciis. Somnos, præſertim diebus Veneris, capiebat ſuper aſperum corticem. Poſtremis annis majorem temporis partem conſumebat coram Sanĉtiſſimo in ſacello conceptæ Virginis. Agebat à multis annis Academiæ Cancellarium, cum dies ultima eum de medio ſuſtulit.

Emmanuel de Crux Coadjutor.

ANno 1670. vitæ impoſuit finem in Eborenſi Collegio. Natus eſ in Oppido *Cabeſſo de vide* Diœceſis Hel vienſis. Sequutus militiam, adeptu eſt nomen militis generoſi, quod e ſet tum viribus, tum præſtanti ani mo. Noĉte ſuis onuſtus armis, dum facit iter, ſe merſit equo in voluta brum, ubi totâ noĉte luĉtatus eſt ut egrederetur. Verum neque potu equus emergere, neque ſeſſor ex phippio potuit deſilire. Credidit il lud volutabrum ſibi futurum ſepu turam. Ità contingeret, niſi orient

ſol

ſole maximum inter luctamen foras prodiret. Protinus ſecum decrevit, mundo contempto, alicui ſacræ familiæ ſe conjungere. Egregiæ charitatis erga patrem ſuum præclarum extitit argumentum, quod illi contigit Portalegrenſem urbem introeunti. Ducebat nonnullas cohortes equitum ad eam urbem, cum ad ipſius oſtium ſuus parens illi fit obvius veſte lacera, & oſtiatim rogans eleemoſynas. Ut eum conſpexit deſcendens ex equo, & flexo genu illius manum eſt exoſculatus. Protinus exuens ſagum militare, nuditatē parentis illo induit, & in urbe quæſivit locum honeſtum, in quo viveret extra mendicitatem, tributâ pecuniâ ad egeſtatem ſublevandam. Cum eſt ingreſſus Societatem eidem dono dedit ſua bona caſtrenſia. Memor propoſiti ſui complexus eſt Societatem Eboræ 4. Martii 1646. ætatis 30. Apud nos nihil magis curavit, quam virtutis ſtudium, & religioſam obſervantiam. Permagni æſtimavit gradum ſuum Coadjutoris; cum ſatisfactione obivit domeſtica officia ipſius curæ injuncta. Vitæ finis cætero illius decurſui aptè reſpondit.

DIE XIX.

P. Doctor Emmanuel Vidigal.

DE vivis exceſſit Eboræ an. 1714. Natus in agro Eborenſi eo loco, qui dicitur *Odivar*. Adſcriptus eſt Societati Eboræ 8. Februarii 1670. ætatis 15. Docuit humaniorē litteraturam Ulyſſipone, & Portalegriæ; Moralem ſcientiam in Inſula à ſancto Michaele, in urbe Portuenſi, & Bracharæ. Quando redivit ex Inſulis, illi juſſit Provincialis, ut Ulyſſipone in Collegio Divi Xaverii regeret ludum Alphabetariorum; reſpondit, ſibi tantùm occurrere, quod non bene ſciret formare characteres, ut pueros edoceret graphicè ſcribere, ſi tamen id nullum eſſet incommodum, ſe præſto eſſe. Propterea liberatus eſt ab eo penſo. Ajebat poſteà nunquam ſe magis doluiſſe, quod liberas parum venuſtè formaret, quam cum eſt illi hujusmodi occaſio docendi pueros oblata. Vir fuit ingenio ad ſcientias præſtantiſſimo. Videbatur natus ad magiſteria. Deſignarunt, ut Conimbricæ traderet Philoſophiam, quo ſuperſedit labore ob cauſas huic narrationi nihil congruentes. Poſt aliquot annos profectus eſt ad Indiam unus è Magiſtris Philoſophiæ, qui jam ab anno tertio Conimbricæ illam ſcientiam profitebatur. Ad illius vices ſupplendas Pater Doctor Emmanuel Correa Collegii Rector propoſuit Provinciali Patrem Emanuelem. Objecit Provincialis inſtare menſas Philoſophicas in ſequentem annum, munus illud expoſcere Magiſtrum, qui jam tradidiſſet illam ſcientiam, Emmanuelem ab octo, vel ſeptem annis reliquiſſe aulas Academicas, & quocunque foret ingenio non reſponſurum tam brevi tempore penſo impoſito. Ad hæc Rector

penes se fore hujusmodi curam, interponere se fidejussorem, Emanuelis præclarissimum ingenium non emetiendum, neque æstimandum ex aliis hominibus; se scire, quid diceret. Assensit Provincialis; & Emmanuel nequaquam fefellit Rectoris expectationem, nam unico illius magisterii Philosophici anno quater sustinuit actus, quos vocant *Mensas Philosophicas*, tantâ ubertate doctrinæ, tantâ respondendi firmitate, ut insigniores Academiæ magistri sibi vix persuaserint, quod tam parvo temporis spatio potuerit tanto splendore illos obire actus, maximè cum à multis annis reliquisset Academicam frequentiam. Deindè migravit Eboram, ubi docuit Theologiam Moralem, & Scholasticam usq; ad primariam Academiæ cathedram, ornatusque est Doctoris gradu. Porrò quanta fuerit ejus fama, vix potest explicari paucis. Illius dictata avidè excipiebantur non solum ab Academicis, sed etiam à Professoribus religionum, qui pretio sibi curabant transcribi, non tantùm Eboræ, sed etiam Conimbricæ. Etenim, quidquid in hujusmodi scriptis cupiunt sapientes, præ se ferunt Emmanuelis dictata. Multa perpessus est ex morbo chiragræ, & podagræ. Illi fuit instar martyrii. Ferebat patientissimè sæpe adibat cathedram innixus baculo, quod ægrè sustineretur pedibus. Cum pertransibat, dicebant Academici, Emmanuelem videri Nabuchi statuam, cujus erant ex luto pedes, at ex auro probatissimo caput. In actibus litterariis erat ipsa modestia, compositio, & tranquillitas. Nihil tamen pluris habuit, quam religiosas virtutes, eas enim adeptus est magno in gradu. Sæpè vidimus cùm non exigua imperfectorũ confusione in pervigiliis solemnitatum ingredi triclinium in veste lugubri, & tergum flagellare, cum vix posset pedes humo tollere, ut se in genua flecteret, incumbebat marmoreæ columnæ, & post castigationem ope ejusdem columnæ ex humo surgebat, ut recederet. Quamvis scientia plerumque soleat inflare, in Emmanuele amicitias conjunxit cum humilitate. In doloribus, quos toleravit per annos plurimos, admirati sunt omnes, quod ne unus quidem gemitus ex eo sit auditus. Nos cum considerabamus similem alicui animæ flammis addictæ lustralibus, quæ sustinens intolerabilia, tota se ad voluntatem Divinam conformat. Quod majorem solito excitabat admirationem, erat cernere hilarem vultum, quem conservabat inter urentes dolores. Sæpe cum ipsi magis sæviebant, cantabat tanquam ad sonũ alicujus citharæ suavissimæ. Ajebat suas infirmitates maximi facere, quod se liberarent à magistratibus obeundis. Firmiter sibi persuaserat velle Deum eâ via illi tribuere salutem æternam. Cum per morbum licebat, incumbens duobus baculis subalaribus conscendebat ad templum, ut exciperet confessiones. Nonnunquam sedebat in scamno pro-

propè sacrum vestiarium decurrens precarios globulos, donec accederet aliquis pænitens. Tempore vesperti-no se conferebat ad Collegii Vestia-rium ubi juvabat sartorem, lintea centonibus reficiendo, & compo-nendo, ut suis reponerentur locula-mentis. Idem faciebat in cubiculo, cum ad vestiarium gradi non pote-rat. Ad unguem exequebatur, quid-quid Medici circa ejus victum præ-scribebant. Habebat plurimi sanctam paupertatem, & usum rerum vetu-starum. Quod uteretur galero supra modum vetusto, illum ab eo abstulit vestiarius tribuens novum. Paratis adolescentibus Philosophis ad eun-dum in villam suburbanam, accepit u-num ex ipsis, rogavitque, ut sibi man-suefaceret illum galerum novum, si-bique vetustum suum commodaret. Post aliquot tempus adolescens gale-rum ad Emmanuelem tulit: cui ille: Vade ad Rectorem, pete facultatem, ut istum novum galerum habeas, mihi enim sufficit tuus bonæ jam ætatis. Neque dictata sua voluit largiri sine expressa Rectoris facultate, quan-quam probè sciret, quid libri dicant circa potestatem donandi manuscri-pta sine paupertatis offensione. Illius obedientia, & singularis modestia comprobata est multis exemplis. Cum cibos caperet in cubiculo ob multa incommoda, & incedendi dif-ficultatem, jussit illi Rector ob non-nullorum importunitatem id non probantium, ut adiret valetudinarii triclinium. Nihil est moratus, con-temnens omnia sua incommoda. Se-mel cum docebat Theologiam, con-scensurus erat unà cum socio Colle-gii mulas, quas Procurator commo-daverat, ut contenderet ad peragen-dam concionem in parœcia extra ur-bem, quam postulaverat Collegii vil-licus, & simul commodari mulas. Accedens Rector, percontatus est, cujus facultate fuerint commodatæ mulæ. Respondit Emmanuel: id se nescire. Ad hæc Rector. Itote in ve-stra cubicula, qui velit conciones, mittat jumenta. Sine mora, ne uno quidem addito verbo, se collegit in cubiculũ. Paulò postrematurius per-pensâ, misit, qui diceret Emmanueli, fieri potestatem pergendi in mulis. Eâdem modestiâ, quâ recesserat, ite-rum reversus est ad capessendum iter. Non ita comes, qui rem arbi-tratus indignam, recusavit, ut con-stituerat, Patrem sociare plus apud ipsum potente indignatione, quam Patris exemplo. Magna illi charitas erga omnes præsertim infirmos pro-pterea in diuturna ægritudine sua nunquam defuerunt, qui gauderent ipsi assistere. Illius affabilitas irretie-bat omnium corda. Quamvis tor-pens hærebat lecto ob reverentiã sa-cerdotalis status, nunquam permisit ullum sibi præstari ministerium ab homine sacerdote. Siquis audebat, etiam invito, manus in aliquid fa-ciendum extendere, stomachabatur, nec cessabat, donec sacerdos ab eo opere desisteret. Fratribus salutares vomicas mundantibus solebat dice-

re:

re: mei Fratres, existimate vos tribuere eleemosynam cuidam egeno, quem contractum nervis sub aliqua porticu invenistis, ut ego sum, & Deum gratificaturum, quoniam nec ex me, nec ex ullo hominum potestis aliquid sperare. Cum podagræ majores erant incursiones, nequibat extento corpore jacere in lecto, idcirco sedebat super culcitram, pedibus foras porrectis, diebus, ac noctibus integris, capite acclinato uni baculo, pileo super ipsum posito, quem tegebat sudario. Cum impetus dolorum persisteret ultrà duos menses, illos prædicto modo transegit, incredibili videntium admiratione. Credebant martyrium adeo continuatum, & tam acerbos dolores ferri non posse tantâ patientiâ, nisi Deus interiores potentias Divinitus corroboraret. Sæpè obliviscebatur infirmarius vel cibos ad eum ferre, vel aperire fenestram, aliis eam culpantibus negligentiam, semper excusabat. Divinum Officium, dum potuit, non omisit, Si chiragra manus impediverat, petebat, ut lineolis sibi distinguerent singulas horas inter recitandum apprehendens dentibus lineolam, aperiebat horæ locum & folia mento volutabat. Dicentibus jocandi gratiâ, cur à Deo non peteret, ut sibi auferret eam podagram, & chiragram? Respondebat hilariter: Id nullatenus faciam, nescitis podagricos esse locupletes, ut vulgo dicitur, & cum Deus me fecerit tam divitem, cur ego illum rogabo paupertatem? Sæcularium vitabat familiaritates, quanquam ab ipsis consilii capiendi causâ conquirebatur. Unus è nostris religiosis angebatur multum de salute animæ suæ. Ingressus est Emmanuelis cubiculum, quid intus haberet occultans. Tunc Emmanuel discursu in rem facto afflictum est consolatus, suisque rationibus sic implevit spe, ut tentatio penitus evanuerit, non sine religiosi admiratione, qui non dubitavit cor suum illi à Deo patefactum. Ejus dolores, etiam cum sæviebant acrius, non minuebant affabilitatem, qua excipiebat adeuntes. Nemo ex ipsius ore audivit verbum propriæ laudis. Dicebat benignè secum à Deo factum, quod jaceret membris torpentibus; quoniam si viveret integris viribus, id sine scrupulo non esset, quod erat truncus inutilis. Tandem impetitus est pernicioso erysipelate mortis nuntium excepit vultu imperturbato velut qui totâ vitâ, præsertim postremis octo annis, nihil magis habuerat ante oculos. Munitus sacro Viatico, & postea Unctione, dixit læto vultu, & voce. Nunc veniat mors, illam enim jam non timeo. Flagitavit, ut sibi recitarent postremi agonis officium, & sequentia: *Dies iræ*, ac Dominicam Passionem, quod non semel factum est, ut ipsi solatium præberent. Facto signo ad litanias, dixit circumstantibus, se ad eas conferrent. Cum nollent periclitantis causâ, ipsemet litanias Virginis recitavit, aliis respondentibus. Sub finem adjunxit ora-

rationem pro infirmis, ut semper consuevit. Integritatem mentis conservavit illæsam. Applicavit pro animabus purgatorii omnes indulgentias, quas in ea postrema hora lucrari posset. Hanc charitatem, ut rem insolitam, præsentes sunt venerati. Tandem editis sanctissimi Viri actibus piissimis obdormivit in Domino, magna de se relicta sanctitatis opinione. De illius exemplis habitæ sunt collationes in Eborensi Collegio.

DIE XX.

P. Bartholomæus Ferram.

Cessit è vita Romæ anno 1548. Natus est in Oppido *Castellobranco* Diœcesis Guardiensis. Quantum arbitror Societati adjunctus est Romæ: enim in nostris catalogis non reperitur, quidquid contrarium aliquis ...po mandaverit. Eum tantum dilexit DivusIgnatius ut præfeceritMinisterum Domui Professorum: voluitq; sibi esset à secretis. Cum plurimæ feminæ perditæ Divi Ignatii zelo de ...panaribus emerserint, quas perso... illustres de suo alebant. Commendatum est Bartholomæo, ut hujusmodi eleemosynas colligeret, ...eretque fæminis cibos. In qua...m epistola referens, quomodo ali...amdiu habuerit talem procuratio...m, adjecit hæc verba: *Modo id mi...lerium obit alius frater: nam ego propter ...am negligentiam non merebar gaudium, ...od experiebur serviendo domui illi, ubi video tot imitatrices Magdalenæ.* Quæ verba multum indicant ejus charitatem. Viri obedientia, & animus indifferens ad quæque facienda, vel Divo Ignatio attulit admirationem. Ipsemet Divus hac de causa illum vocabat *Intentabilem.* Propter nimium laborem tum consulendi rebus domesticis, tum scribendi litteras ad regimen societatis hectica febri cæpit laborare. Nolebat morbi sui postremi tempore res novas audire. Unicè desiderabat sermones de æternitate. Frequenter repetebat illud Pauli: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Talis fuit hujus desiderii excessus, ut scrupulus sit ipsi oxortus, existimavitque esse culpam aliquam mortem suam desiderare. Idcirco misit, qui suo nomine peteret facultatem à Divo Ignatio desiderandi mortem, ac Deum rogandi, ut se de vita tolleret. EumDivus visitans, ut abigeret scrupulum: *Pete, inquit, idem à Deo mihi, quod me ad se rapiat, si sit ipsius voluntas.* Inter hæc ardentissima desideria illius anima corpore est soluta. Mirum in modum Bartholomæi virtus placuit Divo protoparenti.

DIE XXI.

P. Doctor Simon Alvares.

IN Domo Professa Ulyssiponensi ad æternam migravit felicitatem anno 1641. Natus Guimaranii Diœcesis Bracharensis. Conimbricæ Societatem ingressus 13. Aprilis an. 1592. ætatis 16. Ab annis teneris præbuit

futuræ ſanctimoniæ indicia. Cum illum confirmavit ſacro Chriſmate Archipræſul Bartholomæus de Martyribus, alapam de more infligens, *JESU, mi puer*, inquit, *tu eris ſanctus.* Illius vita, & morum innocentia præſagii manifeſtavit veritatem. Virtuti conjunxit litteras. Sacram Theologiam edocuit Eboræ, ibique Doctoris gradu eſt laureatus 19. Decembris 1621. Poſteà continuavit idem magiſterium Conimbricæ in noſtro Collegio usque ad cathedram primariam. Poſt magiſteria egit plurimis annis Rectorem Tyronum Ulyſſipone. Rexit etiam Divi Antonii Collegium, ac Domum Profeſſorum. Tandem creatus eſt Provincialis. Notiſſimæ fuerunt apud omnes ejus virtutes: tum oratione matutina, tum veſpertina ſemper eſt comitatus ſuos tyrones. Sub finem adeò erat nonnunquam extra ſe mente in Deum ſuſpensâ, ut neceſſum fuerit eum admonere finitum eſſe jam tempus. Orabat flexis genibus, ſublevatis in cælum manibus, ſic immobilis, ut videretur ſaxeus. Semel vultu flammato tam alienatis erat ſenſibus, ut eum circumſteterint Tyrones ad intuendum ſpectaculum planè admirandum. Dum egit tyronum Magiſtrum majorem diei, ac noctis partem inſumebat orando. In cubiculo erat ſemper aut legendo, aut ſcribendo, aut ſacras preces recitando. Ex continuatione orandi flexis genibus callos habuit adeò craſſos, ut fuerint videntibus admirationi. Aliqui obſervantes, quas impendebat horas contemplationi, ſeptem eſſe repererunt. Addictiſſimus fuit obſequiis Diviniſſimi Sacramenti: propterea ſumm[a] reverentia operabatur Miſſæ ſacris. Die Natalis Domini audiebat ſacr[a] omnia, quæ fiebant in ara majori. Nihil ab eo petitum propter Sanctiſſimum, quod ipſe auderet negare. In Domo Tyronum quoties de cubiculo exibat, ſemper inviſebat Sanctiſſimum ex abſide in aram majorem templi cadente. Tyro duodecies ab eo factam una die hujusmodi viſitationem digitis numeravit. Tum mane cum de lecto ſurgebat, tum nocte dormitum ſe collecturus adibat Domini præſentiam, ut ſibi benedictionem impertiret. Expoſita publicè Euchariſtia, ab illius non recedeba[t] præſentia. Ubi ſermonem inſereba[t] de hoc myſterio, tanta ſolebat affic[i] conſolatione, ut oculi dulciſſima[e] ſolverentur in lachrymas. Non fui[t] minor affectus, quo Virginem Matrem eſt proſequutus. Nec habui[t] exhortationem, nec propoſuit puncta meditationis de illius virtutibus, quin ſuavi lachrymarum imbre rig[a]ret faciem. Conſtans tenuit fama Virginem, ac Divum Joſephum ill[i] ſe præbuiſſe conſpiciendos. Mul[tis] colebat precationibus Virginem Matrem: etiam non negabat, quod ip[ſi] ſum flagitarent illius nomine. Cum reprehendebat publicè tyronem aliquem, lachrymas abundè profundens, ſolebat dicere: *Quis eſſet crediturus unum ex Virginis filiis talem noxam commiſ[iſſe]*

omissurum? His verbis mitissimis, &
nultum consolabatur tyrones, & e-
nendabat multum. In obsequium
ejusdem virginis speciatim venera-
batur Divum Josephum. Illius cha-
ritas æqualis erat omnibus. Nolebat
anctimoniam comitatam cæremo-
iis, & singularitatibus, quæ ple-
umque indicant virtutem specie te-
us, & nullo solidam fundamento;
Volebat Tyrones eas tantum pœni-
entias, ac precationes agere, quas
ssent conservaturi totâ vitâ, in his
urabat haberi firmas radices, &
ntam consuetudinem, ut nec unâ
ie eas auderent omittere. Adver-
s hospites singulari utebatur cha-
tate, ipse culinam adiens suis mani-
us parabat epulas mensæ inferen-
as. Aliqui de nostris bono, ut exi-
imatum est, permoti zelo detule-
nt ad superiores, quod esset infe-
us sanguine. Novit Simon, quinam
issent. Quamvis res foret gravissi-
a & ipsius famam valde laceraret,
nfessus est, adeo à se amari, ut li-
ns, si opus esset, daret pro ipsis bra-
ii sanguinem. In hanc rem accu-
tissimè inquisitum à Societate, &
ndem compertus est omnino im-
unis ab ea labe. Corpus suum tra-
avit tanquam infensum hostem.
aceravit jejuniis, verberationibus,
lecto aspero. Agens Provincia-
n, passus est morbum gravissimum.
ondum firmatâ penitus valetudi-
, dictum illi est, ut Conimbricam
rgeret lecticæ inclusus, ubi per
um & convalesceret, & posteà

initium faceret lustrationi Collegio-
rum: ad hæc respondit: *Nolit Deus
me tam malum posteris exemplum relin-
quere. Si more solito nequivero invisere
Provinciam, statim me ablicabo magistra-
tu.* Eboræ dum assistit tragœdiæ,
prodivit in theatrum adolescens, qui
suas partes sic explevit, ut in se om-
nium & oculos, & admirationes ra-
peret: interim Simon clausit oculos
suos, ne illa jucunditate frueretur.
Nunquam ridebat, illique erant in-
grati homines in risum effusi. Semel
in mensa posita est ipsi nondum plenè
sano portio vervecina, subqua late-
bat fragmentum gallinæ. Ubi fusci-
nula cæpit evolvere, ac vidit occul-
tatam gallinam, intactam portionem
à se rejecit. Indecens enim putabat,
uti hujusmodi strophis in epulis su-
periori appositis. Dederunt illi cal-
ceos, quibus inerat fractus clavi-
culus, usus est illis quinque, vel sex
diebus, postea vocavit Coadjuto-
rem, cui hujusmodi supellex erat cu-
ræ, jussitque, ut intueretur, quid esset
illud tam acerbe mordens? cum vi-
disset cuspidem claviculi, valde mi-
ratus est, quod quinque diebus su-
stinuisset, quod brevi tempore vix
ferri posset. Dolores toleravit sæpe
acutissimos nihil remedii præter uni-
cam patientiam sibi volens. Nun-
quam iracundè loquutus est, nec de
aliquo conquestus. His virtutibus
adjunxit raram humilitatem. De ip-
so vulgo dicebatur nec doctiorem,
nec sanctiorem per id tempus esse in
Societate. Absente socio, forte e-

 men-

mendavit ſcripturas à tyronibus exaratas ad pulchrè formandos characteres. Poſteà ſuſpicatus eſt ipſos hujusmodi conſervare exempla, habenda loco reliquiarum; idcircò abſtinuit à talibus emendationibus. Plurimi ejus epiſtolas ſibi cupiebant, tanquam rem ſanctam. Eo Philoſophiam Conimbricæ docente, vir unus de externis diebus Jovis, & Sabbati veniebat ad aulam majorem, ubi magiſtri illis diebus diſputationes habent, ut cerneret raram Simonis modeſtiam, quâ & reſpondebat, & argumentabatur. Plurimas res ocultas ipſi Deus aperuit, quas prædixit, antequam ſuccederent. Vix conſanguineorum reſpondebat epiſtolis refugiens admodum illorum commercia. Studuit diligenter religioſæ paupertati. Iturus Romam electus à conventu Provinciali, nihil ſecum voluit ferre ex domo tyronum, quam regebat. Dixitque ſe expeditum eſſe, ut ſingulis momentis navem conſcenderet: non eſſe, quod illum moraretur. In navigatione, vel ipſi Angli hæretici, quorum erat navis, eum tanquam Virum ſanctum ſuſpiciebant. Hujusmodi vitam omnigenis excultam virtutibus ſequuta eſt mors plurimis comitata exemplis.

P. Joannes Ozorius.

BRigantii deſivit inter mortales eſſe ſalutis anno 1660. Natus Bracharæ. Obedientia quascunque res difficiles illi reddebat faciles. Superiores magnopere venerabatur, tanquam vivas Numinis imagines. Quà flagellis, quà ciliciis ſeverè in ſuum corpus animadvertebat. Ipſius charitas & noſtris, & externis notiſſima. Vices infirmarii ſupplebat cum aviditate. Sciens P. Nogueyram, de quo 30. Septembris, Mirandæ gravi morbo laborare, ad eum feſtinavit. Poſt tumulatum P. Nogueyram redditus Brigantio, brevi decubuit in lecto. Putatum eſt ex P. Nogueyra in eum migraſſe morbi ſemina. Ritè munitus ſubiit certamen poſtremum. Ætatis illi erant anni 36. Societatis 19.

P. Ambroſius Rodrigues.

EBoræ mortuus eſt anno 1658. Natus in oppido *Caldas* Diœceſis Ulyſſiponenſis. Societatem amplexus Ulyſſipone 5. Junii 1622. ut eſſet Coadjutor Spiritualis. Miſſus ad Inſulam Madeyram, ut melius informaretur literis latinis, & ſtuderet Theologiæ Morali, præbuit tam bonum ſpecimen ingenii, ut ſuperiores eum ſint conati applicare ſtudiis Philoſophicis. Reſpondit: ſe contentum, & conſolatum eſſe illo ſtatu, ad quem fuerat ingreſſus Societatem: proptereà ſe & in eo vivere, & in eo mori ſinerent. Exercitia Spiritualia obibat exactiſſimè, gaudebatq; multum commercio cum Deo. Corpus ſuum affligebat verberationibus, ac diverſimodâ afflictatione. Egit Miniſtrum in Collegiis Bracharenſi, Ulyſſiponenſi, Conimbricenſi, & Ebo-

Eborensi. In hujusmodi munere, quamvis frequentes se offerant impatientiæ occasiones, nunquam iracundi, aut perturbati animi in eo est visa ulla significatio. Vice Rectorem agebat in Collegio Ulyssiponensi, cum duo socii non Sacerdotes ad foras eundum petiverunt facultatem: respondit, se prius consideraturum quid faciendum expediret. Cui unus ex ipsis nimium impudenter, id responsum, inquit, consideratione indigebat. Auditâ hominis impudentiâ, pacatissimis respondit verbis: Plus ego meror mihi dici propter peccata mea. Animosus erat in puniendis delictis, exactè servans integritatem, ne cuiquam daret querelæ ansam. Etiam in injungendis pænitentiis observabat temporis opportunitatem, ne punitus plus solito acerbaretur. Ejus charitas erat notissima. Maximè perspecta est, cum Lusitani milites à parum fausta Pacis Augustæ redierunt obsidione, contagio vulgato. Plurimi, ut curarentur, excepti sunt in nosocomio Eborensis Academiæ, quod erat sub administratione Ambrosii. Obtinuit à nostro Collegio, & à capitulo Diœcesis magnas eleemosynas, quibus succurrit miseris. Videns perire multos ob edendi fastidium, rogavit aliquos è nostris, ut hora prandii ad nosocomium euntes, escas in ora languentium manu suâ ingererent. Cæteris laborem alternantibus, Ambrosius quotidie illo contendebat, rediens in Collegium ad capiendum prandium horâ prima postmeridiem. Quamvis inspiceret morbum esse pestilentem, & non paucos de nostris, qui ægrotis servierant, morte sanctissima occubuisse, ipse nunquam omisit laborem, usus inexplicabili charitate. Tandem percussus est eodem contagio, & editis cunctis viri sanctissimi actibus, post suscepta Sacramenta finem posuit vitæ mortali.

P. Fructuosus Nogueyra.

IN regno, & urbe Congi regia apud Æthiopes Angolanos reliquit vitalem auram anno 1553. Conimbricæ mancipavit se nostræ Societati 21. Martii 1543. Erat natione Lusitanus. Post collocatam diligentem operam in excolendis animis per sacras missiones, imperio Majorum unà cum nostro Cornelio Gomes navigavit in Congum, ut eos Æthiopes, illorumque Regem nomine tenus Christianos fidei erudiret mysteriis. Invenerunt Regem sinistris imbutum opinionibus adversus Patrem Cornelium; qui, antequam esset Societatis, in Congo fuerat: propterea Rex in primâ salutatione quà oculis, quà vultu significavit, eorum adventum illi contigisse parum gratum. Eodem die morbus valde acerbus Fructuosum lecto dedit. Magis ac magis in dies ingravescebat, quod non esset Medicus, aut ulla remedia frangendo morbo. Præ se ferebat ægrotus raram tolerantiam, & exactam obedientiam. Interroganti socio,

cio, quas preces vellet sibi recitari, usu vocis amisso? respondit: videri sibi explicatam habiturum vocem ad postremum usque anhelitum, & se vel moriturum senem, vel ex tali morbo, quem nominavit. Exitus dicti firmavit veritatem. Ad id tempus talis morbi non erant indicia; Cum posteà emersisset, vitam patris extinxit. Sciscitatus deinde Cornelius, quid sibi relicto soli in ea infelici regione agendum esset? respondit: vitam traducturo in Congo aliud non superesse remedium, nisi Silentium, & orationem: quando temporum, & Regis iniquitas sementis Evangelicæ spem non dabat. Retento semper usu linguæ ad promenda verba sanctissima, tranquillissimè in Domino obdormivit, mirè lætus, quod vitam suam holocaustum fecerit religiosæ obedientiæ.

DIE XXII.

P. Joannes Gonsalves.

IN Cafraria post caput Bonæ spei diem obivit anno 1585. Natus in Oppido *Alcacere* Diœcesis Eborensis. Societati conjunctus Eboræ 12. Februarii 1568. ætatis 15. Compulsus desiderio salvandi animas ad Indiam profectus anno 1585. unà cum Petro Martinio, qui posteà fuit Japonensis Episcopus. Facto naufragio, ægerrimè ad littus sunt egressi. Habitant eas regiones barbari, quos Cafros dicunt, apud quos dira sunt perpessi. Decubuit Joannes crudeli prostratus febre. Bis ciderunt illius venam effectu exiguo. Posteà amisso vocis usu, diebus tribus perstitit stupidus in parietem defixis oculis. Post triduum rupto silentio, cæpit edere magnas voces, quæ animum Deo unicè addictum significabant. Nam peragebat plurima colloquia ad Puerum JEsum, & Virginem Matrem. Nonnunquam effusus in lachrymas deflebat Passionem Dominicam. Diebus non minus octo habuit hujusmodi delirium, vix gustato cibo; posteà redivit ad primum illud silentium, donec per noctem anima corpore est soluta. Tumulatus est in arena illius solitudinis, & regionis infelicis.

P. Petrus Alvares.

EOdem anno 1585. periit etiam apud Cafros ex naufragio ad littus ejectus. Conimbricæ venit in Societatem 27. Junii 1567. ætatis 15. fuerat illi Brachara natale solum. De ipsius morte hæc habet in epistola Petrus Martinius nostrorum Superior. „ Per id tempus omne incessit Petrus, viribus tam integris, ut „ eum penè non cognosceremus; „ quando conferebamus valetudinem, qua sustinuit omnes hujusmodi labores cum infirmitatibus, „ quibus in Lusitania afficiebatur; „ etenim ambulando pedibus nudis „ sine alia veste præter frustulum „ panni latitudine semipalmari, thorace ex corio manicis è rustico „ panno cinctus, nunquam illi doluit „ stomachus, aut caput, potius incessit

„ cessit tam fortis, ut ignoraremus,
„ ubi sub tam gracili corpore latebat
„ tanta in laboribus tolerantia. Ve-
„ rum ipsi labores eum sensim pene-
„ trarunt, donec ardentissimâ cor-
„ reptus est febre; intra quartum,
„ aut quintum diem animam effla-
„ vit. Tantâ exurebatur siti, ut aquâ
„ nullâ satiari posset. Hæc Marti-
nius. Humatus est in arenti sabulo. Dies obitus duorum mihi incognitus est, quanquam mensis October fuit.

DIE XXIII.

Franciscus de Costa Coadjutor.

Conimbricæ mortuus est anno 1638. Natus in pago à S. Jacobo de *Mouguem* dicto, Bracharensis Diœcesis. Conimbricæ adjectus Societati 8. Februarii 1586. ætatis 21. Amplius quadraginta annis exercuit opificium sutoris in Collegio Conimbricensi magno vitæ religiosæ exemplo. Vicinum morti interrogavit infirmarius, velletne aliquid? Tunc significavit manu, ut pulsaretur campana. Properat infirmarius, & vocatis Religiosis, ut solitis precibus profecturum adjuvarent, Franciscus piissimè emoritur. Ubi expiravit, à persona magnæ virtutis visus est ad cælum conscendere, circumseptus splendoribus, manu ferens opificii sui, sive calceorum ligneas formas. Quo signo monstratum est, quantos meritorum cumulos sibi adjecisset opificium suum, ut serviret religioni exercendo.

P. Vincentius de Payva Martyr.

In navigatione ad Angolam gloriosâ morte illustratus est. Natus in urbe Portuensi, Societatem amplexus Ulyssipone, ut esset spiritualis Coadjutor, 24. Augusti anno 1638. ætatis 22. A primis annis deditus fuit virtutum exercitio. Erat exemplo adolescentibus sui temporis. Multis auxit incrementis, quas ad nos tulit virtutes. Plurimum dilexit humilitatem, & timorem Dei. Missus in Angolam incidit in manus hæreticorum, qui captâ nave Lusitanâ, eam ingressi cædendo quosque obvios. Collegerant se nostri homines cum aliis vectoribus in receptaculum nitrati pulveris. Ab hæreticis illo accedentibus vectores petierunt incolumitatem, quæ ultrò concessa est. Vincentium foras prodeuntem in habitu Societatis hæreticus lanceâ transfixit. Cecidit prope tormentum nauticum, ubi JEsum nominans profudit spiritum. P. Petrus Coelius ejus Comes de Vincentii loquens morte hæc habet verba: „ Sic occubuit hic
„ sanctus Pater manibus hæretico-
„ rum merens ex omnibus septem
„ hanc bonam sortem amittendi vi-
„ tam, ac fundendi sanguinem pro
„ honore fidei nostræ, in cujus o-
„ dium illum occiderunt: cognitus
„ ex habitu, quod esset Societatis
„ JEsu: In hoc Domino speramus
„ donaturum illi præmium suæ san-
„ ctæ vitæ cum hâc martyrii coro-
„ nâ. Nec est parva consolatio su-
„ per-

„ perstitibus, & non merentibus „ hanc felicem sortem, scire nos habere in cælo fratrem unum, & „ Patrem socium nostræ missionis, „ ornatum laureola sui proprii sanguinis? Hactenus Coelius. Cadaver conjectum in fluctus visum est aliquo tempore super ipsos incedere flexis genibus, manibus junctis, ac levatis in cælum. Quod mirabile spectaculum ingens præbuit de tanto viro argumentum: in eo diceres ferri spiritum Domini super aquas.

P. Georgius Rebello.

IN Collegio Helviensi morte defunctus in ministerio charitatis anno 1658. Natus Ulyssipone, ibiq; in Societatem adoptatus 25. Maji 1631. ætatis 14. Plurimum in eo micuit patientia, nec defuerunt adversa, quibus probaretur. In hujusmodi rerum angustiis ostendit, quantum amaret Societatem. Strenuè incumbebat nostris ministeriis. Amplum nacta est theatrum ejus charitas in curandis militibus contagio infectis, qui se in Lusitaniam receperant ex Pacis Augustæ obsidione parum faustâ. Plurimi substiteruntHelviæ complentes nosocomia. Illis diligentem Georgius impendit operam: donec eâdem tabe contactus morte non pœnitendâ occubuit.

DIE XIV.

Bernardus de Mello, Scholasticus.

ANno 1658. Ulyssipone, ubi natus fuerat, vitam explevit. Parentes, ut nobilitati adjiciebant virtutem, filium suum instituerunt moribus sanctissimis. Deficiente, qui vellet sumptum sustinere ad celebrandum festum Divæ Catharinæ Martyris in templo Virginis à Martyribus. Id Parochus significavit Joanni Cotrimio Bernardi parenti. Libenter se obtulit ad tale Virginis obsequium. Cui Parochus gratias habens spero, inquit, Divam Catharinam tibi à DEO obtenturam filium. Non defuit expectationi Diva; antequam enim effluеret annus, masculâ prole illius domus est hilarata. Ubi primum Bernardus attigit competentem ætatem, cæpit in eo micare indoles virtuti nata. A decennio transegit jejunio in Virginis honorem dies sabbati. Paulò post adjecit dies omnes, quos præcipit Ecclesia jejunio transigendos. Quamvis parentes vellent eum ab austeritate removere, illis non consensit. Quotidie intererat Missæ sacro. Singulis octo diebus expiabat animam per confessionem, & excipiebat Divinum Panem. Conabatur illius parens certum reditum à Rege obtinere filio suo Bernardo. Id cognoscens persuasit, potius, fratri suo minori eam pensionem acquireret, se velle, mundo relicto, addici alicui sacræ familiæ. Thesaurarius major Sedis Ulyssiponensis manifestavit Joanni Cotrimio, se

cupere ſucceſſorem in beneficio
ernardum. Magnoperè hoc nuntio
: gaviſus. Rem filio ſignificavit,
i ille diverſiſſimis verbis: Ne tale
id moliaris, mi Pater, nam mea
ns eſt religionem amplecti, id te-
tus eſt plurimis lachrymis. Idcir-
parentes depoſuere hanc curam.
idebat litteris in Collegio noſtro,
n applicuit animum Societati in-
ndæ. Præviæ diligentiæ factæ ſunt
ciis parentibus. Nec ipſi nati cogi-
iones intellexerunt, niſi poſtquam
greſſus eſt Ulyſſipone Societatem
Maii 1650. E Novitiatu ad ipſos
eras dedit plenas rationibus, qui-
s excuſabat ſuum ingrediendi mo-
n. Porro tyrocinium erat ipſi ſua-
imum. Cum veniſſet ad nos liber
omnibus animi inquinamentis, vi-
r perfectionis arripuit ſine ſcrupu-
Expetebat humiliora domus of-
a. In petendâ facultate ad corpu-
um ſuum vexandum habitus eſt
ortunus. Flagellabat ſe inſtar ho-
is adverſus inimicum ſuum fu-
tis. Oratio, ac familiaritas cum
erat ipſi victus quotidianus.
s verba cæteros inflammabant ad
utis amorem. Abſoluto tyroci-
non eſt oblitus, quos in eo mores
cerat. Quod diligentiſſimè ſtu-
et virtutibus, non ideo remiſſus
in litterarum exercitiis. Erat illi
ciſſimum ingenium, gratus ad
nuntiandum geſtus; Vox cano-
& ſuavis, quæ dotes redde-
t ſpectabilem. E Conimbrica
ravit Eboram, ubi Rhetoricæ,

& Philoſophiæ navavit operam. Inter argumentandum, ac defendendum nihil illo modeſtius. Pepigit fædus cum alio ſuo condiſcipulo, ut alter alterum admoneret defectuum, quos commiſiſſet. Simul erant pacti, ut ambo exercitiâ ſpiritualia obirent in ſacello coram Sanctiſſimo Sacramento. Anno tertio Philoſophici ſtudii comitans ſacerdotem, qui ſtabilem habebat miſſionem in Oppido *Almodovar*, ipſe excurrebat per finitimos pagos docens catecheſim. Hæc itinera faciebat pedibus. Quamvis eſſet tam puræ conſcientiæ, ut conſtiterit conſervaſſe ſemper eam gratiam, quam in Baptiſmi fonte receperat, non ideo deſes fuit aut incurioſus ergà ſui vigilantiam, potius ob eam rationem ſibi invigilabat accuratius, ne è tantâ felicitate decideret. Singulis menſibus, una die depoſito litterarum ſtudio, ſolum incumbebat orationi, lectioni ſanctæ, & ſuis obeundis precationibus. Hæc dies erat quarta menſis Dominica, quod in ea ſemper exponatur Sanctiſſimum in templo Eborenſis Collegii. Propter ſingularem teneritatem, qua diligebat Sacroſanctam Virginem, cæteri eum vocabant mellifluum Bernardum. Teſtati ſunt ejus confeſſarii, nec minimam cogitationem adverſus caſtitatem turbaſſe ipſius animam. Si, illo præſente, alicui excidebat verbum minus decens, protinus facies præ pudore rubeſcebat. Amavit intimis ſenſibus religioſam paupertatem. Nec

res leviſſimas dabat, aut accipiebat, niſi prius obtentâ facultate. Nunquam detraxit factis, aut moribus alienis. Siquis, eo præſente, obtrectationem insereret de aliquo, ſtatim Bernardus referebat ejusdem factum aliud laude dignum. Non minor aliis virtutibus fuit ejus charitas. Exiens peregrinatū cogovit eſſe in quodam loco ægrotum tam tetritu odoris, non eſſet, qui toleraret. Illum inviſit cum ſociis, qui graviſſimo odore perculſi, nauseâ turbati, ſe foras proripuerunt. Manſit ſolus Bernardus, miſerum conſolans & verbo, & cupediis, quæ mendicanti fuerant largiti. Conimbricæ diebus Dominicis ſæpè adibat pagos finitimos ad Chriſtianam Doctrinam edocendam. Abſolutis Philoſophiæ ſtudiis miſſus Ulyſſiponem ad Grammaticæ magiſterium. Eò pervenit ſub finem Auguſti. Octobris die prima inivit poſſeſſionem ſui Gymnaſii. Ejusdem diei pomeridianis horis terribili tertianâ eſt correptus. Nulla medicamenta ſuffecerunt malo frangendo. Cum admonuerunt de mortis vicinitate, mirificè lætatus eſt. Inviſenti magiſtro dixit, volo tibi gratiſſimam referre novitatem. Quænam? Reſpondit: modo mihi nuntiarunt me brevi moriturum, quamvis id contingat in flore ætatis, ſum valde contentus, quoniam hæc eſt voluntas Dei. Suſceptis piiſſimè animæ extremis ſubſidiis, ſummâ in pace felicem exhalavit ſpiritum, magna virtutis opinione de ſe relictâ.

DIE XXV.

P. Hieronymus de Carvalho.

Conimbricæ de vivis abiit an[...] 1604. Natus in oppido *Barcel*[...] Diœceſis Bracharenſis. Cum na[...] garet per Tagum unà cum ſuo p[...] rente, & aliis, motâ tempeſtate, ve[...] ſa eſt ſcapha, & omnes perieru[...] excepto Hieronymo, qui repert[...] eſt incolumis ſuper carinam ver[...] ſcaphæ, quâ in ripam delatâ, exil[...] in terram. Attonitus magnitudi[...] periculi ſui & ſimul Divini benefic[...] ut referret acceptum, ſtatuit Soci[...] tati nomen dare. Id executioni ma[...] davit in Domo Profeſſa Ulyſſipone[...] ſi anno 1565. ætatis 19. Scribitur [...] prædicto periculo auditam ab eo v[...] cem monentis, daret Societati n[...] men, ut gratum, & memorem oſte[...] deret animum. Ex nimia applicati[...] ne ad exercitia ſpiritualia paſſus e[...] graviſſimos capitis dolores. Poſt t[...] rocinium ſtuduit Latinis litteris, qu[...] vix à limine ſalutaverat. Non id[...] abſtinebat ab obſervantia regulæ j[...] bentis noſtris Scholaſticis latinè l[...] qui. Cum Philoſophicis ſtudiis n[...] varet operam, ſenſit intus grand[...] deſideria ſe magis Deo traden[...] propterea rogavit ſuperiores, ut [...] removerent à ſtudio ſcientiar[...] Non gravatim ejus ſunt obſequ[...] voluntati: Videbant enim ingeniu[...] eam tantum habere mediocritate[...] quæ ſatis eſſet, ut fieret ſacerd[...] Annis quatuordecim admirando [...]

xe[...]

emplo impendit operam virtutum
ercitiis. Tam nota fuit viri reli-
osa perfectio, ut, cum esset Coad-
tor spiritualis, eum in Conimbri-
nsi Collegio constituerint Præfe-
um à spiritu, quod munus obivit
ginti quinque annis, magnâ tanti
ollegii utilitate. Surgebat è lecto
râ una ante cæteros, & inci-
ens orationem, illam continuabat
ris quatuor, dempto tantum ho-
quadrante, ad purgandum scopis
biculum diebus, quibus id effici
æcipit regula. Orabat semper fle-
s genibus, manibus junctis, & le-
tis in cælum, tam venerandâ com-
sitione, ut intuentibus multam in-
nderet reverentiam. Reliquum
npus usque ad examen ante pran-
um consumebat faciendo sacrum,
audiendo in templo confessiones.
oris vespertinis per longum tem-
s orabat ante Sanctissimum, & in-
ebat Collegii sacella. Sex ut mi-
mum horas quotidie in hujusmo-
terebat contemplationibus. Di-
num Officium recitabat instar con-
erantis, crebros repetens actus
oris Dei. Cum loquebatur de vir-
tibus Magnæ Matris, totus igne-
bat, ex amore sacrosanctæ Virgi-
. Conjectum est eandem Virgi-
m ipsi se conspiciendam obtulisse,
m inter fervorem sermonis de il-
s prærogativis dixit: ipsam non
um obtinere suis servis, & clien-
us peccatorum veniam in hac vi-
ed etiam remissionem pænarum à
nis lustralibus, adjecitq; non ad-
vertens: *Ipsa mihi dixit.* Multis pre-
cationibus eam colebat. Penè sem-
per incedebat iterans actus amoris
Dei. Ad conspectum cujusdam Pa-
tris, vel socii, quem habebat obvi-
um, mentem in Deum elevans, per-
agebat actus quinque amoris DEI.
Quotidie centies genu flectebat ja-
culans in cælum aliquod pium ver-
bum. Quanquan se Divinis adeò
commentationibus mancipasset, non
propterea oblitus est salutis proximi:
nam ut illi prospiceret, assidebat
multum in sacro confessionum tri-
bunali. Animi sinistras propensiones
sic ille diuturnâ mortificatione fre-
git, ut earum ne vestigia quidem in
ipso viderentur. Non sinebat præ-
terlabi occasiones semet ipsum de-
mittendi. Nescivit carnem, & san-
guinem. Cum veniret Conimbri-
cam ad eum invisendum illius frater,
totum tempus, quo loquendo mo-
ratus est, consumpsit miscendo ser-
mones de rebus divinis, nec unum
quidem verbum inseruit percun-
tantis de rebus domesticis, & con-
sanguineorum. Nihil minus fuit,
quam curiosus; idcirco nesciebat no-
vitates, quamvis forent vulgatissi-
mæ. Quando devoluto multo tem-
pore coram ipso incidebat sermo de
aliquibus eventibus jam vetustis, &
notissimis, ipse valde mirabatur, tan-
quam casus illi essent recentissimi.
Eum nunquam viderunt sedentem
ad cubiculi fenestram, aut ex eà in-
tuentem ad atrium, quod in Collegio
vocant à floribus. Diebus Natalis

Domini, quamlibet inviſeret Præſepium, non advertebat ad texturam operis curioſi, quo ſolet apud nos ſingulis annis Domini Præſepium exornari. Oculos unicè figebat in Puerum ſcirpo jacentem, Virginem Matrem & ejus Sponſum. Sciebat peritiſſimè nablium pulſare: id nunquam in tyrocinio cognitum eſt, quod non protulerit talis peritiæ vel minimum indicium: potius, ſequentibus annis fugiebat harmoniam, & inſtrumenta Muſica, quo fraudaret genium illo oblectamento. Bis quotidiè verberabat corpus, adjiciebatque alias afflictationes. Ab omnibus vehementer cupiebat peſſundari: ut ex parte huic ſatisfaceret deſiderio, abſcondebatur ſub ſcalis, quibus deſcendebant tyrones, conſiderans ſe ab eis conculcari. Qui videbat hominis venerabilem modeſtiam, ſe ipſum componebat. Rogabat ſuperiores, ut diligenter procurarent Regularum de modeſtia obſervantiam; tribuerantq; modeſtioribus præmia, ut largiebantur victoribus in certamine ſcriptionis, & compoſitionis literariæ. Ejus indumenta indicabant paupertatis amorem. Pileus tegens caput præ vetuſtate carebat interiori corio fulcienti pannum, nec alium voluit admittere. Lipſanotheca de collo pendens non alia fuit, quam plumbea imaguncula funiculo ſuſpenſa. Centones veſtium videbantur innumeri: nonaginta ſunt numerati in laneis femoralibus, omnes erant inſuti illius manu, & ex fruſtis rejectaneis. Non diſpar erat facies calceorum ſoleas figebat claviculis, ne exciderent; ex his duodecim habebant calcei, quibus utebatur, cum eſt mortuus. Chartæ quibus ſcribebat precationes ſuas, erant epiſtolarum tegumenta; calamus præ ſe ferebat magnam antiquitatem, tum ex colore, tum quod crena eſſet jam in ipſo caule; quoniam fractus erat, munierat paxillo circumligato ex utroque latere. Nolebat generales facultates, dicens, illis diminui meritum. His aliiſque virtutibus animam excoluerat, cum Deus illi manifeſtavit obitus diem; In ſcheda illius manu erant ſcripta hæc verba: *Solum habes jam quindecim vitæ annos.* In alia erat ſcriptum: *Numeras annos quinquaginta, decem tantum vives.* Ita profecto contigit, nam ſexagenarius reliquit mortales. Ejus poſt mortem vultus præ ſe oſtendebat quandam amænitatem intuentibus gratiſſimam. Omnes doluerunt ejus mortem, quod exiſtimarent, illius vitam Collegii firmiſſimam columnam. Scio nonnullos variare diem mortis, ſed à me ſcriptum habet codex obituum Collegii per me conſultus.

Balthaſar Gonſalves Coadjutor.

IN eodem Conimbricenſi Collegio vitam explevit anno 1601. Natus in urbe Portuenſi. Conimbricæ addictus Societati 26. Novembr. 1566. Nunquam ſuo corpori pepercit, erat enim laborum ſtudioſiſſimus. Angrenſi Collegio ſuis induſtriis adjecit re-

reditus. Cum domos nostri in suos usus accommodarent, ipse ut opus excresceret, suis humeris comportabat lapides, instar vilium operarum. Annis viginti Procuratorem egit, magnis Collegii emolumentis. Plurimis annis curæ habuit prædium Canalense, quod est Conimbricensis Collegii ad ripam fluvii Mondæ. Quo tempore egebat cultura, vel messis illius præsentiâ, manè se conferebat in agrum ubi integras dies jejunus transigebat, cibo solum nocte domi capto. Ex his laboribus morbi eruperunt, à quibus multa perpessus; iisdem curis, quibus invigilabat rei temporariæ, sanctæ paupertatis projiciebat exercitiis, quibus excolebat animam. Si consueto tempore non poterat præscriptæ vacare orationi, ubi primum per occupationes licebat, solitus est Regulæ satisfacere. Diebus festis, quibus liberabatur penso ordinario sui muneris laboriosi, indulgebat commercio cum Deo, & constitutis precationibus. Propter illius modestiam eum omnes reverebantur. Maximâ adversus omnes utebatur charitate. Erat amantissimus religiosæ paupertatis, cujus bona procurabat, tanquam Christi patrimonium. Illius mors inculpatæ respondit vitæ.

Antonius de Mattos.

IN Brasilia ad cælites concessit anno 1645. Natus Scalabe Diœcesis Ulyssiponensis. Societatem ingressus Ulyssipone in Domo Professorum 13. Decembris 1577. Ad Brasiliam profectus est anno 1628. ut obiret munus Provincialis. Aliquot annis vixit captivus apud Hollandos, qui reverebantur illius sanctitatem. Cum fruebatur firmâ valetudine, noctu capiebat quietem, si quies dici poterat, incumbens baculo, ut suo tempore esset expeditus ad orandum. Sæpe fustibus eum percussit cacodæmon: etiam præcipitavit per scalas, quin periclitaretur valetudine. De cubiculo raro egrediebatur. Agens aliorum Moderatorem, non respondebat quæsitis, nisi vel sublatis oculis in Crucifixum, vel eos humi figens coram Deo considerans, quid esset responsurus. Aliquando nonnullis personis eum rogantibus, commendaret tale, vel tale negotium Deo, respondebat: Faciam, sed ut petitio obtineatur, dolorem habe de hoc, vel illo peccato, quod contra Divinam commisisti majestatem. Id valde mirabantur, cum soli ipsi, ac Deus essent conscii talis culpæ. Cuidam profecturo, & timenti, ne incideret in manus piratarum, consilium dedit, ut perageret quædam pia opera, ac per confessionom elueret nonnulla occulta peccata, quæ nominavit: tunc sine ullo metu vela solveret: paruit monenti, & navigavit tutus ab hostium incursione. Per totam vitam, quæ longa fuit, nunquam admisit aliquid singulare, neque quod alii ipsi præstarent servitia. Magna fuit de illius virtutibus existimatio, & in vita, & post mortem.

DIE XXVI.

P. Antonius de Souza Martyr.

NAngasachii apud Japones martyrio illustratus anno 1633. Natus in Oppido *Covilham* Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ ingressus Societatam 19. Januarii 1609. ætatis 15. Ad Orientis missiones transivit anno 1609. Studiis scientiarum finem imposuit in urbe Macai apud Sinas. Japoniam ingressus anno 1616. Obortâ suspicione, ipsum esse de Societate, exterminatus est. Posteà facta oportunitate, mutato habitu, ad Japoniam rediit. Illic raro charitatis exemplo navitam agens, quinque annis in lembo remigavit, gravissima patiens incommoda, Ex eo lembo prodibat ad diversas regiones, ut consolaretur, & roboraret neophytos. Tandem comprehensus ab ethnicis in Ozaca. Aquæ tormento vexatus, cogebant magnam copiam ebibere, deinde violentissimè premebant, ut evomeret. Onustus catenis delatus Nangasachium, ac suspensus in tormento foveæ, de quo jam diximus non semel, ac de illius im̃anitate. Ethnicis stupentibus, novem intergos dies vixit in ea crudelitate, ex quâ gradum fecit ad conscendendum cælum. Quod habet noster Guerrerius, ipsum in India conjunctum Societati, error fuit.

P. Antonius Ferreyra.

OBiit Eboræ anno 1621. Natus in Oppido *Santa-Comba* Diœcesis Conimbricensis. Societati se Conimbricæ adjunxerat 28. Februarii 1603. ætatis 18. Docuit Conimbricæ Philosophiam. Indè migravit Eboram ad tradendam Theologiam. Vixit ornatus plurimis virtutibus. Sui cubiculi adeò fuit amicus, ut dictitaret suas ibi esse delicias, extra illud suum esse tormentum. Cum externis nec habuit negotia, nec conversationes. Sic egit cum suis consanguineis, tanquam si nulli essent: epistolas ab ipsis ad se missas rejiciebat velut pestem. Humanissimus erat & humillimus. Reputavit maximum honorem hominis Religiosi exactissimè parere significationibus obedientiæ. Radices hujus virtutis magis sunt perspectæ, cum postremum ægrotavit. Phrenesi laborans, ubi audiebat, hoc, vel illud à superiore præscriptum, sine mora obediebat. Cum esset injectus sermo, ut eum scarificarent, cæpit cohorrere ad mentonem tam diræ medicinæ, significans non consensurum, tunc illi dixit infirmarius, esse imperium Medici, cui ex regula deberet obtemperare. His auditis sine mora quievit, ac permisit scalpello rescindi corpus. Postquam expiravit, mirâ quâdam lætitiâ effusa est illius facies.

P. Leopoldus Fues.

ULyssipone in Domo Tyronum sanctissimè efflavit animam anno 1697. Natione Germanus. Natus Brunsuici ex nobili familia. Quanquam suorum vixit tam immemor, ut

ut eos non curaret; Societatem ingressus secunda Octobris anno 1657. Nuncupavit vota solemnia 15. Augusti anno 1675. Vixit annis plurimis Neoburgi, ac docuit Electoris Palatini filios. Cum Electoris filia Serenissima Maria Sophia nupsit Petro Secundo Lusitaniæ Regi; Leopoldus, qui illam ab annis teneris instituerat Sanctissimis documentis, eam est comitatus, ipsique fuit à Confessionibus. Plurimum Serenissima nostram Societatem dilexit; propterea eam vocabant *Reginam Apostolorum*. Præter magni pretii dona, quibus ditavit Domos nostras Ulyssiponenses, nobis fundavit Collegium Bejense. Hic omnis affectus, quamvis erat proprius Domui Neoburgensi, oriebatur à reverentia, quâ suum colebat Confessarium, eum tanquam patrem suspiciens. Hanc æstimationem merebantur Leopoldi virtutes, nam fuerunt multæ & præclarissimæ Impendebat orationi plurimas horas: ad eam habendam surgebat antelucano tempore. Post factum sacrum Deo agebat gratias per semihoram. Singulis annis se bis colligebat ad peragenda Sancti Patris Ignatii exercitia. Per eos dies servabat talem silentii, & secessus severitatem, ut Comites, Marchiones, & Duces, qui se conveniebant, non alloqueretur, per socium respondens, se meditationibus S. Ignatii exerceri: constitutis diebus elapsis, se eorum Excellentias aditurum. Meis oculis vidi duo exempla de hac severitate, quæ vix habent paria. Venerat Cardinalis Nuntius Summi Pontificis ad eum per eos dies invisendum. Misit Socium, qui diceret Cardinali, se occupari Sancti Patris Exercitiis; eis finitis, iturum, ut se advolveret pedibus Eminentiæ suæ. Magnum hoc, sed aliud maximum est: Serenissima Regina Tyronum Domum erat ingressa ad audienda per quadragesimam ante patientem Dominum Novitiorum colloquia; monuerunt Leopoldum, adesse Serenissimam. Respondit nuntio: *Mea Domina scit, me per hos dies non admittere sermones externorum, quicunque illi sint.* His dictis mansit in cubiculo suo, nec exivit ad Reginam comitandam, & salutandam. Ægrotantem Leopoldum visitabat ipsa Serenissima. Illius modestia vix potest ullis exprimi verbis. Erat certe exemplo, vel modestissimis Tyronibus. Quotidie noctu audiebat in sacello lectionem spiritualem, & meditationem, quæ proponebatur Tyronibus. Serviebat accumbentibus mensæ. Fricabat, & purgabat culinæ gabatas, & catinos. Pervigiliis majorum solemnitatum tergum flagellabat in triclinio. Sæpe conscendebat Cænaculi pulpitum, ac verbis demississimis in scheda legebat suos defectus; deinde sumebat prandium in parva mensa, quâ cibos capiunt puniendi. Eum nunquam aliquis invenit otiosum. E morbo nondum penitus exierat, cum illum reperi sedentem in sella librum volutantem, & legentem; improbavi factum,

ctum, admonens, ut consuleret valetudini. Respondit: se otiosum esse non posse, minusque malum esse pati qualecunq; valetudinis detrimentum, quam tempus terere immune ab omni opere. Ad consumendum utiliter tempus vacuum post solita exercitia statuit reddere latine mirabiles magni Antonii Vieyræ conciones; ex his aliquot volumina sunt in Germania typis mandata. Studuit se totum attemperare moribus Societatis Lusitaniæ; præsertim in vestitu, & calceis. Fuit naturâ ipsâ pudicus, & honestissimus. Nec lactentem infantem manu tangeret. Morbo postremo, quando erat illi applicanda medicina, monebat semper infirmariũ, ut consuleret honestati in modo applicandi. Si per imprudentiam detegebat illius crura, vel pedem, totus inquietabatur, tanquam morsu viperæ. Visitans quendam Dynastam, cum videret è parietibus parum honestas pendentes picturas, verbis gravibus improbavit talem indecentiam, adjecitque, se amplius non salutaturum ejus limen, nisi illas turpitudines removeret ex oculis. Intimis sensibus dilexit nostram Societatem, ad cujus unicè incrementa magni faciebat potentiam suam, & autho ritatem apud Reges. Nolebat patrocinari negotiis consanguineorum nostratium hominum, nec admittebat hujusmodi petitiones. Pervigiliis magnæ Matris illi victus alius non erat præter panem, & aquam. Sæpè triclinii præfectus oblitus est Oenophorum vino explere: cum inveniebat vacuum, ne minimam quidem significationem præbebat, quæ non est reputanda mediocris mortificatio apud illos, qui non sint à teneris assueti frigidæ bibendæ. Fovebat eleemosynis pauperes, ac domum, in qua vivebat. Illius subsidio inauratum est ligneum pegma Sancti Crucifixi in templo Domus. Comparavit pretiosam bibliothecam, quam moriens legavit Bejensi Collegio, cujus fundatio illi debetur. Persuasit enim Leopoldo Venerabilis Vir Joannes de Fonseca ejus in paucis amicus, ut Serenissimam induceret ad hoc fundandum Collegium. Mirificâ tenebatur veneratione adversus Dominum Cruci affixum. Hujus devotionis præsagium fuit illius pictura. Commendarunt parentes pictori, ut filium suum ad vivum in tabula penicillo exprimeret. Id exequens, depinxit puerum tenentem manu Crucifixum, & familiæ stemmata sub pedibus, quæ posteà conculcavit se Societati addicens in obsequium Domini Crucifixi. Singulari cultu Divam Magdalenam prosequutus. Inarsit animarum zelo: propterea, si pænitentes aderant, protinus descendebat ad illos audiendos, dixeratque janitori, ut se vocaret, cum venissent, qui vellent animas expiare. Ipsius industriâ ad nostram reducti fidem septem hæretici; quos, si ægrotabant, ipse præsens invisebat, & subsidiis ad tolerandam vitam consolabatur. Narravit

illi

lli ſocius, infirmi cujuſdam, nimiam
erum omnium penuriam, ut ei ſuc-
urreret. Statim ſumpto pallio adi-
rit cum ſocio infirmi domum. Repe-
it jacentem in ſtoria: mitibus verbis
ttulit miſero ſolatium, manibus ſuis
ompoſuit attritas lodices, ac diſceſ-
t, relictâ bonâ eleemoſynâ ſub cer-
icali. Sæpe altâ jam nocte inventus
ſt orans coram Sanctiſſimo ulnis
pertis, ac lachrymas ex oculis
rofundens. In palatio tantam ſer-
avit modeſtiam, ut fæmina illuſtriſ-
ma confeſſa fuerit, ſe nunquam po-
uiſſe videre, cujus eſſent coloris o-
uli Patris Leopoldi. In Viſitationi-
us illuſtrium dominarum ſemper
abuit propè ſe, & in conſpectu ſo-
um. Si negotium aliud poſcebat,
nperabat ſocio, ut faceſſeret, quan-
m ſatis eſſet ad non audiendum;
on permittebat tamen abire de
nſpectu. Omnia ſui cubiculi mini-
eria ſuis ipſe manibus peragebat,
lens uti opera ſocii ad rem talem.
nimam ſuam nudabat totam con-
ſſario, inſtar ſinceri tyronis. Ve-
rabilis Vir Joannes de Fonſeca, qui
t ipſi à Confeſſionibus annis pluri-
s, confeſſus eſt ſe multum eſſe ve-
ratum puritatem conſcientiæ Leo-
ldi: ipſum res minimas tam dili-
nter curaſſe, quam graviores. An-
undecim vixit in Luſitania ſem-
r eodem vitæ tenore, & exemplo-
m. Multis illi moleſtiæ fuit non
va fiſtula ſub mento erumpens,
æ nullis remediis ſiccari potuit.
ndem ipſâ die expulit à ſe duo oſſi-
cula, quæ fiſtulæ, ut conjectum eſt,
cauſam dederant; tunc ipſa ſponte
ſua eſt clauſa. Verum cum humor
noxius illac foras prodiret, concluſa
via ſolita, intro ſe collegit, ac fecit
morbo initium, & originem. Quid-
quid medicorum, & medicinarum
fuit, deſudavit reſtituendæ valetu-
dini, ſed incaſſum fuerunt adhibitæ
omnes induſtriæ. Interim Leopoldus
omnes intenderat curas ad ſe com-
parandum in extremum iter. Ferme
nunquam dimittebat è manibus Cru-
cifixum, cui iterabat verba piiſſima,
& ſuaviſſima. Aſſiſtebat ad ejus ca-
put Venerabilis Pater de Fonſeca,
quod Leopoldus inter ſuas referebat
felicitates, ob inſignem opinionem,
quam habuit de illius virtute. Paulo
antequam expiraret, ſuſtulit in cæ-
lum oculos modo quodam admira-
bili. Conjecit Pater Fonſeca, ut ex
ipſo audivi, eo temporis momento
moribundum à Deo ſpecialiter ali-
quo ſingulari favore recreatum. Pro-
tinus demittens oculos, & inter mor-
tuis vocibus JESUM nominans exha-
lavit animam, anno Societatis 40.
Profeſſionis Solemnis 22.

DIE XXVII.

P. Martinus de Sancta Cruce.

ROmæ tranſiit ad immortales an-
no 1548. Natione Caſtellanus.
Anno 1542. miſſus eſt Româ à San-
cto Ignatio in Luſitaniam, ad augen-
dam Collegii Conimbricenſis novam

 fun-

fundationem : 29. Julii Conimbricam ingreſſus cum Junio antecedente factum eſſet initium Collegio noſtro. Vixit ibi magno exemplo. Poſteà fuit ſecundus illius Collegii Rector. Præibat cæteris exemplo magis, quam dignitate. Anno 1547. ſuffectus eſt in ejus locum Pater Ludovicus Gonſalvius. Nobis litem movente de prædiis Sanfinenſibus viro quodam nobili, & locuplete, neceſſum fuit aliquem è noſtris Romam adire ad hoc negotium procurandum. Hujuſmodi provincia mandata eſt Patri Martino. Pedibus iter fecit usque Barcinonem cum aliis duobus Patribus. Inde navigavit in Italiam. Suis exemplis, & verbis in navigatione multos nobiles permovit ad ineundam Societatem, quod illi ſunt exequuti Romæ. Quod iret ad tranſigenda negotia de re temporaria, & prædiis, noluit S. Ignatius eum excipi hoſpitio Domus Profeſſæ. Quod adhuc non haberemus Collegium, hoſpitatus eſt in domo Legati Luſitani. Ex continuato labore conſulendi ſanctæ paupertatis patrimonio ægrotavit punctus doloribus acutiſſimis, quos tulit animo generoſo. Ex his anguſtiis valde debilis eſt egreſſus. Cætera dicam verbis Michaelis Botelii ejus ſocii in epiſtola ad Socios Conimbricenſes. „ A paucis diebus, inquit, è lecto ſurrexerat cum cæpit ire foras, & tractare negotia tali modo, ut ſecundò, & tertiò prodiens ad urbem valetudine adhuc parum firmatâ iterum ceciderit in lectum. Tandem poſt ſeptem dies toleratis multis doloribus die, ac nocte, & neſcio ſi dicam potius martyria, quod eſſent omnium ſententiâ intolerabiles illius dolores, & anguſtiæ, nihil proficientibus exquiſitis medicinis, & nequaquam deficiente omni circa ipſum cura interdiu, noctuque, vitam finiit undecimâ diei horâ. Antequam mortuus eſſet peregit colloquium ad æternum Patrem vires capiens adverſus dolorem ſuum. Simul proteſtatus eſt fidem, ſe offerens ad quidquid pertineret in Dei gloriam, id egit verbis, & modo, quæ multis expreſſerunt lachrymas. Sub finem verborum ulnas aperiens, dixit alta voce: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. „ Retinuit vocis uſum usque ad initium poſtremi vitæ quadrantis. Aliquoties, antequam moreretur, adſtitit noſter Pater Magiſter Ignatius juxta ipſum, qui multum eſt eum conſolatus, ut benè ſignificabat, & usque ad ultimum anhelitum nunquam dimiſit manum P. Ignatii; quanquam coactus doloribus ſingulis momentis ſe volutabat in diverſas partes; quod erat manifeſtum ſignum, quantum ejus reverentia ſe conſolaretur illius præſentiâ. Habente Patre Magiſtro Miona Crucifixum in manu, & ex altera parte eum ſuſtentante in brachiis PatrePontio illum animavit verbis ſuaviſſimis. Repetebat illi

, illi P. Pontius nomen JESUS, & , respondit semper voce jam sub- obscurâ donec finem posuit suis laboribus: mansit oculis in Crucifixo positis, quod certè erat admirationi. Tandem noster charissimus Pater sancta Crux postremo vitæ tempore non est oblitus istius sancti Collegii, & suorum fratrum, ac filiorum, dicens: scribe ad fratres Lusitaniæ, ut mihi condonent illud, quod non feci, cum re ipsa tantum egisset, & tanto labore, & continuo per nimios calores Romæ hac æstate præteritâ, ut sentiatur nimium fuisse, & causam suæ ægritudinis. Omnia peregit tanto amore, ut nobis fuerit admirationi. Illius corpus portavimus ad nostram Dominam sanctamMariam de Strada comitantibus cunctis Patribus, & Fratribus facibus accensis, & ipsomet nostro P. Ignatio. Post justa funebria, ut mos est eum sepelivimus ante aram majorem juxta nostrum charissimum fratrem Antonium Monisium piæ memoriæ. Hæc celius.

P. Doctor Andreas Fernandes.

Lyssipone in Collegio sancti Patritii diem obivit anno 1660. tus Vianæ Diœcesis Eborensis. A ritia apparuit in eo ad virtutem pensio. Nonnunquam inter som n inveniebatur manibus conjun ac levatis in cælum ad instar fun tis preces. Societatem amplexus Ulyssipone 2. Aprilis año 1622. Eminuit in facultatibus quibus, operam damus. Docuit Rhetoricam Eboræ multo plausu. Per id tempus veniente in eam urbem Joanne tunc Brigantii Duce postea Rege Lusitaniæ hujus nominis Quarto, in ejus obsequium induxit theatro elegantissimam Tragædiam historiæ Divi Eustachii, cui dicatum est sacellum valde pulchrum in Sylva domus Brigantinæ. In eadem Academia docuitPhilosophiam, & Theologiam, insignitusq; est Doctoris laurea 26. Aprilis 1654. cum jam esset electus ad Insulas Japonenses per Regem Joannem quartum. Hujus electionis occasione adiitUlyssiponem, gratias habuit Regi propter singularem existimationem de Societate, declarans sine consensu Generalis, & præcepto Summi Pontificis Societatis homines non posse acceptare dignitates. Ut erat Serenissimus Rex altæ mentis homo, concepit, quantus vir esset Andreas, & secum decrevit illius Japoniam futuramRegis aulam. TheodosiusPrinceps regni hæres mirum in modum captus est illius conversatione, & modestia. Rex illum præbuit & Confessarium, & Magistrum Principi. In negotiis sumi momenti habuit illius sententia summum pondus: nulla pluris fiebat à Rege; propterea exarsit in eum invidia, æmulatio, & odium: hæ procellæ, quamvis metuendæ, frangebantur in Patris innocentia, & constantia. Potentiam suam apud Regem noluit nisi ad res Divini servitii. Hos

inter honores non est oblitus Religiosam humilitatem; imo & suorum natalium vilitatem revocabat in memoriam. Cum Rex vellet Episcopos creandos nominare, unà cum ipso collegit se in conclave, ut deliberaret de personis eligendis. Inter consultationem Andreæ dixit: Ex his meliores Infulæ erunt tibi, & ego scio modũ rem ad exitum deducendi. Ad hoc verbum erubuit vir humillimus, salieruntq; ex oculis lachrymæ. Stupente Rege ob novitatem, Pater foras prodivit ad respirandum liberius; paulò post vocatus à Rege vehementer apud ipsum conquestus est, adjiciens, se nescire quomodo ejus Majestas elegisset in Confessarium hominem, quem credebat facturam tam magnam injuriam suæ religioni, & in eam inducturum tale exemplum. Pænituit Regem dicti sui, & asperè reprehendit quendam è Dynastis, qui Andream eligendum suaserat. Morienti Theodosio semper ad ejus adstitit caput; similiter Regi Joanni Quarto animam agenti, cujus erat Confessarius. Rege mortuo, illius inimici putaverunt ipsum conterendum, & conculcandum. Cum non possent mutire adversus ejus mores, suaserunt Reginæ, sub cujus potestate reipublicæ summam Rex moriens constituerat, ut Andream exterminaret ab aula, & curia, hominem infaustum, & planissimè infelicem, in cujus manibus periisset Theodosius optimus Princeps, & modo Rex optimus Monarcha patriæ parens, & assertor; videri ejus lateri adhærere infelicitatem. Irrisum est à prudentibus consilium, quando culpa conjiciebatur tota in Patrem, tanquam primo loco medici non essent, & Regina, qui propius consulebant Regi vitæ. Certe ipsamet Regina ministrum non habuit, cui magis fideret quem etiam elegerat in Confessarium. Nunquam procuravit promovere in gradus honorum suos consanguineos; imo vacantibus in palatio muniis valde honestis, cum significassent Andreæ è suis aliquem accerseret hoc, vel illo munere honorandum: apertè respondit, sibi consanguineos non esse, qui cum decore Principis possent in regia servire, quoniam erant natu humillimi. Theodosius adhuc vivens postulavit à Rege, ut Andream honestaret dignitate Inquisitoris Generalis. Placuit Regi, ac de negotio agitabatur. Id sciens Andreas majorem in modum turbatus est. Ad eam coquendam curam incubuit regiæ fenestræ lachrymis ubertim manantibus. Accessit prope Marchio Arronchiensis ipsius in paucis amicus, ab eo percontatus est, quæ foret tristitiæ, & lachrymarum causa? Respondit justissimam esse, quoniam comperisset Regi venisse in mentem se in dignitatem Generalis Inquisitoris evehere. Sibi permolestum esse considerare, quid gentes dicerent, si vulgaretur Regem eò imprudentiæ devenisse, ut cogitaverit tantâ nobilitandi dignitate hominem natalibus humili-

limis, & abjectissimis: tantum honorem non imponendum nisi humeris hominum primæ nobilitatis. Hunc eventum narravit ipsemet Marchio magna loquens de illius virtute singulari, & humilitate. Quod præsertim post Regis mortem vitare non posset crebritatem eundi ad regiam, & nequiret sustinere tot itinera, usus est unicè duabus mulis, nolens uti lecticâ, aut curru: alio re incedendi genere graviore, nec enim ex necessitate admisit illud subsidium. Semper studuit Principes ad pietatem inclinare. Catharina Angliæ Regina postquam redivit in Lusitaniam, frequenter loquebatur de sanctissimis documentis Episcopi, sic nominabat Andream propter electionem supradictam, eodem nomine eum communiter omnes vocabant. Æstimabat permagno librum manuscriptum meditationum, quas Reginæ, & sibi Andreas proponebat. Ad honestandam illius memoriam invisit cubiculum, in quo vixerat, & fuerat mortuus in Collegio sancti Patritii. Plurimum fovit Missiones Ultramarinas, quibus à Regibus obtinuit magna subsidia, præsertim Missioni Maranonis. In negotiis Societatis ille significabat Procuratoribus opportunitates rebus faventes. Superiores plurimum reverebatur. Non consentiebat, se præsente, illorum carpi mores, vel regimen. Omnes de nostra Societate, quamvis essent ætate minimi, excepit singulari benevolentiâ. Quidquid Principes liberalitatis, ac donorum effudere in Societatem per id tempus, quod multum fuit, debetur magnâ ex parte Patri Andreæ. Ægrotans morbo supremo, protinus se ad inevitabilem agonem comparavit. Non sinebat in suum ingredi cubiculum homines alios, præter nostros, eos rogans, ut loquerentur de re spirituali. Dynastis se invisentibus respondebat per suum confessarium. Omnes Regina adhibuit curas, ut prospiceretur diligentissimè illius valetudini. Misit, qui suo nomine ab eo sciscitaretur, quid vellet ipsam exequi erga illius consanguineos? Respondit, sibi solum venire in memoriam res duas, quas plurimi faceret; nimirum animam suam, pro quâ non dubitabat ejus Majestatem jussuram celebrari multa sacra; alteram esse Societatem, certissimum sibi esse ejus Majestatis patrocinium illi non defuturum: nihil aliud esse, quod sibi curam afferret. Posteà rogavit Patrem Emmanuelem Ludovicum, ut suo nomine peteret à Regina, tueretur Missiones Ultramarinas, præsertim Maranonensem. Tantum enim semper consulerat earum bono, ut ejus consilio sit erectum tribunal, cujus esset cura prospicere bono missionum, hujus tribunalis Præses esse voluit. Tandem misit, qui nomine suo posceret benedictionem ab Hieronymo Claramontio Visitatore, & à Francisco Manso Provinciali, & simul facultatem ad tribuendas res usus sui aliquibus Societatis domibus,

bus, & Religiosis, qui erant in ipsum usi speciali benevolentiâ. Præmia, & imagines largitus est Operariis Missionis Maranonensis. Suos libros donavit Collegio Villænovæ. Etiam impertivit sua munera Superioribus, ut significaret, quantum illos amaverit, & habuerit loco parentum. Res alias divisit incolis ejus Collegii. Supellectilem cubiculi legavit ipsi domui. Veruntamen res omnes, quæ distributæ sunt, erant tam parvi pretii, ut ejus paupertas in tanta fortuna omnibus fuerit admirationi. Solum reliquit sibi parvulam crucem ligneam, quam gestabat suspensam è collo multis indulgentiis insignitam. Rogavit, ut cum illa sepeliretur. Dolores, quos acerbos est passus, toleravit animo patientissimo. Deum verbis piissimis alloquebatur, & inter hæc verba soluta est anima vinculis corporeis. Vectus est in lectica, ut humaretur in templo Domus Professæ, in ipso visum est, quam parum memores accepti sint homines post mortem benefactoris; nam Dynastæ, & externi, quos magis suo patrocinio exornaverat, illius non adfuerunt exequiis. Neminem magis perculit illius mors, quam Reginam Aloysiam, quæ inter dolorem suum hæc effata: „ Post mortem Principis filii mei, & Regis mei conjugis, „ nec mihi, nec regno, nec Societati potuit contingere res ulla dignior lachrymis, quam mors Patris Episcopi. Protinus jussit pro illo multa fieri sacra. In ejus gratiam specialiter favit Missioni Maranonis. Etiam recordata est Scholastici Patris consanguinei. Non quod ipse flagitasset, verum quod P. Emmanuel Ludovicus id Reginæ significavit. Illud plane admirandum, quod expertus est in Maranone Magnus ille Vir concionatorum facile Princeps Antonius Vieyra. Postremis diebus Octobris sensit cor suum gravatum nube immensæ tristitiæ. Rem insolitam aliquid funestum metuens præsagire, obtulit Deo nonnulla Missæ sacra pro illa intentione, quam Deus sciret ipsum in tali casu habiturum: applicavit aliqua pro animabus purgatorii. Hanc suam tristitiam comunicans cum amico, dixit, se valde timere rem esse aliquam, contra Lusitaniam, aut contra Missionem Maranonis, aut personæ suæ adversam. Posteà cum nuntius allatus est de morte Patris Andreæ, quem fidelissimum semper agnovit amicum, & sibi, & suæ Missioni, intellexit eò tetendisse suam illam militiæ nubem.

P. Emmanuel Fernandes.

ULyssipone in Collegio Divi Antonii anno 1607. naturæ concessit. Agebat Procuratorem Brasilicæ Provinciæ. De ipsius virtutibus tanta fuit opinio, ut illum vocarent *Patrem Sanctum*. Vultus, & corporis modestiâ superavit Tyrones modestissimos. Quanto pluris fiebat ab aliis, tanto minoris se ipsum æstimabat. Per totam vitam servavit æqualem morum tenorem. Illius verba

in-

indicabant ejus cor Deo abundare. Aut fuerit mera exiſtimatio, aut veritas, illo moriente creditum eſt campanas templi noſtri occultâ manu pulſatas ad edendos funebres. ſonos. Tanta ipſius erat virtus, ut cenſuerint poſſe rem tantam contingere in argumentum ſanctimoniæ defuncti.

DIE XXVIII.

Emmanuel Lobo Martyr Scholaſticus.

IN mari Indico martyrio coronatus anno 1568. Natus Eboræ, ibique ingreſſus Societatem 27. Decembris 1557. Migravit ad Indiam an. 1562. Navigabat è Coccino Goam, cum Patribus Franciſco Lupio, Antonio Diniſio, & Didaco Carvalio, incidit navis Luſitana in quindecim navigia Maurorum, qui pyraticam exercebant. Navem aggrediuntur, ac torrentis verberant. Reſpondebat illa tormentis ſuis majoris menſuræ magnam edebat ſtragem. Cum ignis incidit in nitratum pulverem, quo protinus cæpit cremari navis. Ne perirent flammis, ſe in undas conjecerunt. Diniſius enatavit ad littus, ac poſteà redemptus eſt auro. Pater Franciſcus Lupius receptus eſt ab uno ex Maurorum navigiis. Cognitum fuit ex corona capitis, quod eſſet ſacerdos. Suaſerunt Mauri, ut fidem deſereret, quod cum noluiſſet, transfoſſus lanceis, & gladiis projectus eſt in fluctus. Idem actum eſt de Patre Carvalio, & Emmanuele Lupio. Advertendum eſt Patrem Franciſcum non adſcriptum eſſe Societati in Luſitania. Quod habet Nadaſius noſter ipſum ad Indiam profectum anno 1556. dictum eſt per errorem nominis alterius Franciſci Lupii, qui tali anno ivit in Indiam, & mortuus eſt in Æthiopia, ut referimus ſuo loco.

P. Salvator Soutomayor.

COnimbricæ vitam finiit an. 1600. Natus Eboræ. Societati conjunctus Ulyſſipone in Domo Profeſſa 25. Februarii 1577. ætatis 18. Conſanguineus fuit Divi Antonii. Illius magna bonitas anſam dedit credendi de ipſo res alienas ab ejus virtute. Coluit amicitiam cum venerabili Patre Didaco Monterio. Conimbricæ ibant ambo contemplatum res divinas in cryptis, quæ ſunt in domeſtico ſepto, ibique caſtigabant corpora. Suſtinuit patientiſſimè graviſſima falſa teſtimonia. Conimbricæ arcuit Scholaſticum minoris ætatis à turpi grandioris amicitiâ, ab eo auferens pretioſam crumenam, quam in argumentum ſui amoris alius ipſi fuerat largitus. Sciens inſanus amator, quid accidiſſet, & quantum puer, & ob quam cauſam eſſet mutatus, convertit rabiem in Salvatorem. Per ſummam impudentiam eum detulit apud Rectorem Collegii inhoneſtæ conſuetudinis cum illo puero, & ne falſum crederet, adjecit ipſum puerum illi dediſſe crumenam boni pretii, tan-

tanquam munus amatorium. Posteà adivit Rector magistri cubiculum, inventâ crumenâ, Salvatorem ad se vocavit, crimenque objecit, & simul ostendit indicium. Respondit vir innocens, rem spectare ad confessionis sigillum, permitteret loqui cum pœnitente. Accersito puero, illi detexit periculum suum, & rei atrocitatem, facultatem petens, ut quid in re sit, aperiat suo superiori; libens concessit, & ipsemet puer alterius manifestavit impudentiam. Sic repulit immanem calumniam & Rector severissimè reprehendit falsum delatorem. Habitabat in Collegio Portuensi tempore pestilentiæ, cum per scalam ex fune jussit egredi per murum septi ad urbem domesticum famulum, nescio quid negotii acturum. Arreptâ inde occasione, vir quidam ex genere Æthiopum affirmavit Salvatorem per murum septi in urbem descendisse. Sine mora Rector eum misit Conimbricam, ibiq; jussu Provincialis conjectus est in carcerem, & tractatus eo rigore, quem res merebatur, si vera fuisset. Senserunt plurimum ejus nobilissimi consanguinei hanc injuriam, specialiter Ludovicus Soutomajor Ordinis Prædicatorum, & in Academia Conimbricensi celeberrimus Professor, qui Romam misit Fratrem Philippum sui ordinis & Salvatoris Germanum fratrem, ut negotiaretur coram Pontifice, & obtineret Salvatori facultatem migrandi ad Ordinem Dominicanum, cum Dei servus nihil minus cogitaret. Post aliquod tempus extractum de carcere miserunt ad Residentiam Canalensem propè Mondam. Hieronymus Almeyda illius frater, qui multis annis in India militaverat, vir multæ fortitudinis, & audaciæ, dissimulans, qui esset, contendit Conimbricam, ubi cognovit Salvatorem in eo esse angulo, igitur comitante uno mancipio, descendit juxta Mondam fluvium in eam Residentiam; verum errore itineris iter fecit per aliam fluvii partem. Accedens ad locum prope flumen, unde videbatur scapha ad ripam ligata catena, & sera, clamavit, ut ad se scapham perducerent: cum non esset responsum, equo, & mancipio relictis, nando trajecit fluvium, & fracta serâ reversus in scapha, sumpsit indumenta & gladium, & solus iterum fluvium transiit, nexuit scapham, & noctu adivit domum nostram, fingens se velle emere frumentum; cum percontati essent, unde venisset, ipseque referret in scapha flumen superasse; socius, qui præerat Residentiæ objurgat famulum, quod non firmaverit serâ scapham; dum is se tuetur, & fit altercatio, audivit, & cognovit vocem fratris Salvator; venit protinus in amplexus, & salutationes, stupentibus, qui aderant, sciebant enim, quantæ foret audaciæ. Consolatus est fratrem, & juberet occidi delatorem, nisi ab ea sententia eum Salvator removeret. Eo facessente quid accidisset, & posset accidere scriptum est ad

d Collegii Rectorem, qui jussit Pa-
rem in Collegium redire. Manifesta-
it illi Deus diem instare, quâ vellet
munerare illius insignem patien-
am. In Collegio nominatim decla-
vit diem, in qua obiturus esset.
um omnes, & præsertim Medicus
i persuaderent, & dicerent id ex
elancholia dictum; respondit: mi
omine, hoc non gubernatur me-
cinæ præceptis, sed imperio altiori:
e sequenti ego in hoc mundo non
o. Nocte veniente, valedixit illis,
i sibi assistebant sine ullo gravis
orbi, & multo minus proximæ
ortis indicio. Manè cum adirent
is cubiculum, invenerunt mortu-
n, sed vultu tam læto, & coloribus
m vegetis, ut potius videretur vi-
re, quam efflasse animam. Tunc
us Confessarius revelavit Patris
nocentiam, & animum Sanctissi-
um, quo pertulisset tantam calum-
am ad imitandum Redemptorem
um, qui innocens fuerat cruci af-
us. Nondum emiserat solemnem
ofessionem, sed tantùm amabat So-
tatem, ut in ea vellet potius vive-
conculcatus, quam extra ipsam in-
itis clarus ornamentis.

. Petrus Joannes de Perpinham.

Utetiæ Parisiorum in Gallia vitam
clausit anno 1566. Natus in Op-
o *Elche* Diœcesis Carthaginis novæ
go *Cartagena*. Conimbricæ adjun-
s Societati 30. Septembris 1551.
tiatus sacris mense Octobri 1555.
ostro Joanne Nunio Æthiopiæ Pa-
triarcha. Vir fuit naturâ ipsâ elo-
quentissimus. Illustravit celeberri-
mas Academias. Cum nobis Eboræ
tradidit (ante Academiam conditam)
Cardinalis Henricus latinitatis scho-
las, ille coram Principe Cardinali ce-
lebritatem auxit oratione cultissimâ.
Deditis Societati Scholis Conimbri-
censibus docuit Rhetoricam maximo
totius Academiæ plausu. Præclaris-
simæ dotes, quæ formant excellentis-
simum Oratorem, in Perpiniano cer-
tatim eminebant. Pronuntiatio gra-
ta, gestus gravissimus, verborum
cultura elegantissima, & rationum
pondus solidissimum erant audienti-
bus admirationi. Cum aliquot annis
esset moderatus primum Rhetoricæ
Gymnasium, postulavit à Provincia-
li descensum ad Gymnasium secun-
dum, ut secundi Magister ad primum
conscenderet. Collaudans Provin-
cialis optimum exemplum, fecit satis
petenti. Propter ingentem famam
vocatus est Romam: ibi tanquam in
orbis theatro, non semel habuit lati-
nas orationes coram Pontifice, &
Romanâ curia. Videbatur ad vitam
suscitatos eloquentiæ latinæ primos
parentes, Hortensium, & Cicero-
nem. Anno 1565. Pater Edmundus
Augerius Galliæ Provincialis obti-
nuit à Patre Generali Perpinianum,
ut ejus rarâ eloquentiâ Societas
contereret hæreticam insolentiam
per id tempus inficientem totam Gal-
liam. Lugduni cœpit diebus tribus
in hebdomada exponere caput sex-
tum Divi Joannis maximis concursi-
bus,

bus, & plauſibus. Cum Pariſiis adverſus Societatem fremerent hæretici, eò miſſus eſt, ut illorum peſſundaret licentiam, ſuis orationibus defendendo rem Catholicam. Magna de ipſo fama vulgaverat, propterea ad primam, quam habuit orationem, innumeri confluxerunt mortales tum Catholici, tum Hugonoti, cum inter fervorem dicendi inveheretur adverſus Hugonotorum ſectam, tanquam in commune orbis incendium, & peſtilentiam, cœperunt turbari hæretici: tunc Catholici miſſis manibus ad gladios hæreticis mortem ſunt minitati, niſi quieſcerent. In his populorum plauſibus omnes illius magnopere venerebantur modeſtiam, & ante annos ſenilem gravitatem. Etenim annos triginta quinque non excedebat, verum jam canities & barbam, & caput exornabat. In laboribus ſuis nihil aliud quæſivit, præter majorem Dei gloriam. Ajebat, ſibi bonam eſſe voluntatẽ docendi paucos potiùs diſcipulos, quam multos. Confeſſus eſt lucro ſibi ſore maximo, ſudores ſuos, & iter ad Galliam, ſi unum tantum converteret hæreticum. Habitâ oratione ſolito plauſu, ſenſit corpus crudeli punctione penetratum, quæ brevi tempore illum de medio ſuſtulit. Vicinus morti rogavit omnes veniam offenſionum, ſi quem læſiſſet. Suaviſſimè Deum alloquens, illi commiſit ſpiritum anno Societatis 15. Ab omnibus hujuſmodi jactura exiſtimata eſt inexplicabilis, quod obiret in flore ætatis, quod eſſet eloquentiæ fulmen hæreticis formidandum. Ca-
tholici mæſti carminibus teſtati ſur
dolorem ſuum. Carminibus etia
editis hæretici manifeſtarunt conc
ptam ob illius mortem lætitiam. H
mines per id tempus eloquentiâ c
lebres præclariſſima de Perpinian
vulgarunt elogia. Licet non fuer
natione Luſitanus, tamen Luſitan
noſtra formavit Oratorem, nam
pud nos didicit, quidquid habuit ſp
ctabile.

Ignatius de Sande.

PAce Julia naturæ conceſſit ann
1696. Natus Villænovæ in A
garbiis. Societatem amplexus 18. J
lii 1684. ætatis 16. Magnam de ip
ſpem conceperat Provincia propt
excellens ingenium ad ſcientias,
ſingularem in rebus agendis matu
tatem. Exactiſſimus erat in conſe
vanda conſcientiæ puritate. Quoti
illi dolebat caput, protinus ſe ad e
tremum comparabat agonem, adie
Confeſſarium, & animam explica
tanquam moriturus. Specialiſſim
colebat obſequiis Sanctiſſimam Vi
ginem Divum Ignatium, & Angelu
Cuſtodem. Gravi morbi oppreſſ
ejus fratre in Collegio Bejenſi, pe
vit facultatem à ſuperioribus, ut i
lò feſtinans aſſiſteret fratri ſuo. S
cundâ die, poſtquam advenerat, h
ſit illi pernicioſus fratris morbu
Venientes Medici dixerunt rem e
parvi momenti; verum ille ſuperi
ri motus inſtinctu, non curatâ Med
corum ſententia, nihil aliud curavi
qua

quam iter extremum. Eodem die, quo cœpit ægrotare, litteras dedit ad quemquam è nostris Eboram, in quibus erant hujusmodi verba: „ Sofum vivam quatuor dies, & moriar vigesima octava Octobris, die Sanctorum Apostolorum Simonis, & Judæ. Ex quibus verbis plane constitit fuisse præscium extremi vitæ momenti.

P. Joannes de Souza.

In Collegio Portuensi anno 1714. exuit mortalitatem. Natus in Oppido *Gogim* Diœcesis Lamecensis. Emisit Professionem solemnem trium votorum. Ab omnibus est habitus justus in opere, & verbo. Id in eo mirabilie, quod nunquam ulli morum detraxerit. Fugiebat multum sæcularium commercia; nec ipsos conveniebat, nisi superiorum jussu. Quamvis laboraret crure læso, comitabatur damnatos ad supplicium, ægrè trahens femur ipsum morbo ... ium, & anteponens bonum pro... i suæ valetudini. Illi peculiare ... ium fuit, non exhibendi nego... , vel minimum, aliis sociis. Magnopere dilexit Religiosam paupertatem. Ejus supellex videbatur esse hominis pauperrimi, & qui nihil minus curaret, quam res caducas, ac ...es. Conscientiæ puritatem in ... admirabatur Confessarius, Angelum apud se reputans, non hominem. ... lius virtute apud eos, qui noverant, constans viguit opinio. Concessit illi Deus Opt. Max. ne cuiquam esset molestus in morte, nam caruit morbo diuturno. Nocte ante diem obitûs graviter decumbuit, albescente die sacro munitus Viatico, deinde supremâ unctione, & horâ decima terras deseruit, ac cælitibus adscriptus est.

DIE XXIX.

P. Matthæus Courus Martyr.

Fuximi apud Japones anno 1633. Martyrio decoratus. Inivit Societatem Conimbricæ 28. Decembris 1583. ætatis 16. Natus Ulyssipone. Magistrum habuit in Tyrocinio Venerabilem heroem Vascum Pirium, qui in Matthæo dignum magistro tyronem instituit. Illius vixit adeo memor, ut annis sequentibus rogaverit contyrones, scriberent ad Matthæum, illumq; speciatim Deo commendarent, propter labores, quos subibat ad gloriam Divinam augendam. Anno 1586. navigavit ad Indiam, & absolvit scientiarum studia in urbe Macaensi. Anno 1602. nuncupavit quatuor vota solemnia. Ingressus Japoniam bis rexit operarios ejus vineæ, & egit Diœcesis Gubernatorem. Anno 1614. pulsis in exilium præconibus Evangelicis tenuit Macaum: paulò post, mutatâ veste, redivit in Japoniam, ubi transegit reliquam vitam inter assiduos timores, & persecutiones; etenim diligentissimè conquirebatur ab Ethnicis, quorum manus miris artificiis effugit. Sæpè latuit in cryptis subterraneis

diebus plurimis. Creverunt deſide-
ria eum comprehendendi año 1625.
poſtquam datus eſt vinculis P. Fran-
ciſcus Paciecus. Per id tempus cum
non eſſet locus, aut latibulum ſecu-
rum, coactus eſt vitam in ſylvis de-
gere ſe defendens à temporis inju-
riis, aut in paſtorum mapalibus, aut
in ſtabulis armentorum. Anno 1626.
eò neceſſitatis devenit, ut ſe vivum
contumulaverit ad conſervandam
Catholicis vitam ſuam. De hujus-
modi latibulo ſcribit verbis ſequen-
tibus; „ Illi, quibus eram curæ, co-
„ gebant me, ut protinus naviculam
„ conſcenderem, & citatiſſimo greſ-
„ ſu meæ ſecuritati conſulerem.
„ Ego, ut illos redderem mitiores,
„ promiſi, me præſenti nocte profe-
„ cturum. Meus hoſpes, nemine
„ conſcio. Mihi paraverat cryptam
„ ſub terrâ longam pedes duode-
„ cim, latam quatuor, illam neque
„ ſol, neq; lux intrabat. Noctes, &
„ dies illic tranſigebam in tenebris.
„ Solum ad comedendum, recitan-
„ dum horas, & ſcribendum aliquas
„ litteras ad meum munus pertinen-
„ tes accendebatur lux parca. Vi-
„ ctus immittebatur per occultum
„ foramen ſolùm ea latitudine, qua
„ poſſet gabata introduci; quod ape-
„ riebatur amotâ paleâ tugurii vi-
„ cini, ubi quidem vetulus labora-
„ bat. Apertum erat ſolùm, dum
„ victus per ipſum inferebatur. Ter-
„ tio quoque die reſerebatur foveæ
„ porta ad purgamenta foras mit-
„ tenda. Victus erat admodum
„ comunis, & qualis eſt pauperun
„ namque hoſpes, ne præberet a
„ ſam ſuſpicioni, nihil audebat em
„ re: triginta, & quinque diebus
„ ea delitui obſcuritate. Solùm for
„ prodivi ſabbato ſancto, die Paſcl
„ tis, & octavis ad faciendum
„ crum. Poſt hujusmodi dies mig
„ vi ad aliam foveam parem hu
„ magnitudine, quam mihi ador
„ verat hoſpitis mei charitas, in
„ ſum ad hoc tempus, quod eſt
„ ptembris finis; mecum habe
„ quæ ſunt opus ad operandum
„ cris. Super foveam domunc
„ eſt, ubi meus hoſpes habet a
„ ſuæ inſtrumenta. In ea portu
„ ſuper quam tum paleæ, tum ſto
„ temerè conjectæ adimunt ſu
„ cionem latibuli. Noctu prod
„ arâ facta celebro feſtinanter M
„ ſam, & antequam ſol oriatur
„ foveam me recipio cum veſtim
„ tis, & cæterâ Miſſæ ſupellectile.
„ tranſigo diem luce admodum
„ ligna, quæ, ut legam, & ſcrib
„ ingreditur per parvam fene
„ lam. Evenit quadam die d
„ cum, & famulum, qui me c
„ tantur, edere in culina hoſp
„ Superveniente vigili, vix po
„ runt effugere in ſylvam. Ego
„ me potui recipere in meam ſpe
„ cam, ſuper quam non ſemel
„ bularunt excubiæ: quæ ſunt
„ plicatæ huic regioni, certis ſt
„ nibus diſtributæ ſunt, earum a
„ tas eſt unicè me comprehend
Hactenus Matthæi verba. Sem

vasit manus quærentium receptus in angulum, qui subito tectus est arachneorum telis, ut refertur de sancto Felice. In quadam ex hujusmodi speluncis sustinuit gravem morbum. Sæpè fugit hos venaticos canes conscensâ navicula. Semel inclusus canistro ex arundinibus ad sylvas est eportatus à neophytis. Eo angustiarum devenit, ut secum ipse decreverit dedere se tyrannis, quoniam eque Christiani eum in suas domos olligere audebant, nec ex aliis in lios deferre locos. In hac rerum neessitate elephantiacus, qui sui mori causâ cogebatur habitare in loco eserto, longe ab urbe Fuximio, illi btulit suum tugurium; illò se conulit, ibique immensis consumptus boribus exemptus est humanis reus.

P. Didacus Brandam.

N Domo Professa Ulyssipone, ubi natus est, vitam finiit anno 1619. rtus parentibus magnæ nobilitatis, locupletibus. Operam navavit Ju- Pontificio, & sacris initiatus vim exigebat moribus exornatam onestissimis. Numerabat jam octaum supra quadragesimum ætatis anum, cum rebus caducis nuntium misit, occasione lectionis epistolaum de Japonia venientium, & motus ncta familiaritate Alphonsi de Prosa Coadjutoris, cui erant curæ eleosynæ colligendæ ad sustentandá rofessam Domum: Hic illum duxit l nostrum Fernandum Guerreirum multæ virtutis hominem, qui Didacum confirmavit in sancto proposito. Eboræ conjunctus Societati 26. Decembris 1608. Protinus Ulyssiponem redivit, unde contenderat Eboram, solùm ad induendam religiosam togam. Magna illi patiendi materia in doloribus rodentis podagræ. Magnopere affectus erat legendis libris de rebus sanctis; unum legens, qui tractabat de perfectione, quam poscit status sacerdotum, ingenuè fassus est, si legisset talem librum, antequam susciperet sacros ordines, illis non initiandum, sed traducturum ætatem in statu Coadjutoris. Plurimum fovit eleemosynis ex suo reditu paupertatem Domus Professæ. Bona sua præbuit Societati, ut fundaretur Collegium in Japonia. Ad hujusmodi fundationem applicavit prædium Carcavalense, non longè ab ostio Tagi; transactâ sanctissime vitâ profectus ad cælestem patriam.

Didacus Ribeyro Coadjutor.

Conimbricæ vitam explevit anno 1575. Natus in pago *Lecudes* Diœcesis Visensis. Conimbricæ amplexus Societatem 14. Maii 1569. Ex annis, quos apud nos vixit, majorem partem traduxit infirmarium obeundo; singulari enim exardebat charitate; quod maximè perspectum est in morbis pestilentibus, qui terrore Conimbricam compleverunt. Institutâ æde, ut vocant, salutis, dicavit vitam suam servitio ægrotantium, qui curaban-

tur in ea domo. Infirmis ſanitati redditis decubuit ipſe correptus eâdem peſte; verum adhibitis medicinis effugit mortem, non abolitis omnino mali veſtigiis; propterea reliquum tempus traduxit valetudine plurimum afflictâ. Decidit in lectum, ad finem Octobris apoplexia impetitus comparavit ſe ad inſtantem mortem, quam ſanctiſſimè obivit.

Joſephus Soares Coadjutor.

FAri in Algarbiis anno 1707. de vivis abiit. Natus in opido *Souzel* Diœceſis Eborenſis. Vixit plurimis annis in matrimonio cum uxore innocuâ, ut ipſe fuit. Cum illa ageret animam, ſignificavit Joſepho liberum fore, ut ſe totum Deo traderet, ad quem eum innata ducebat propenſio. Non deluſa eſt falsâ opinione: nam Joſephus eo ſolutus vinculo, animum induxit Societati adſcribi. Numerabat ætatis quartum ſupra trigeſimum annum, tum propter hanc, tum ob alias rationes non defuerunt difficultates ad eum acceptandum. Ut probaretur aliquo experimento prævio juſſerunt, ut in ſuburbana Collegii villa, ad quam levandi animi gratià tendunt religioſi, exerceret corpus inter operas ruſticas excavando terram, arando, & obeundo cætera villæ miniſteria: Libenter obſequutus, inter famulos ſervilem exercuit operam magnâ villici ſatisfactione. Diebus feſtis tempus conſumebat legendo ſpirituales libros, & fundendo per ſuos globulos precationes. Poſtquam comper ta in eo eſt & morum probitas, & a ſui gradus miniſteria utilitas, Augu ſti prima anno 1691. Eboræ conjun ctus Societati. In Tyrocinio diligen tiſſimè incubuit virtutibus adqui rendis, & augendis, orationi præſer tim, mortificationi, & caſtigation corporis. Bis quotidie flagellaba corpus, manè de lecto ſurgens, & noctu ſe in lectum recipiens. Paul poſt biennium miſſus eſt ad Farenſ Collegium cui multum fructuoſu fuit, tum ob exemplum vitæ ſuæ, tun ob diligentem induſtriam, quâ pau pertatis bona promovit. Commen data illi fuerunt Collegii prædia Quotidie ſub noctem rediens à labo re, quamvis veniret madefacus plu viâ, protinus adibat templũ, & flexi genibus orabat usq; ad horam cœnæ Corpus ſuum nihil aliud reputavit niſi viliſſimum mancipium unicè na tum laboribus. Illud exercebat i quibusque rebus laborioſis, quæ ſ offerebant. Tempore colendi villam ad eam quotidie pergebat manè. An tequam inciperet laborem, flagr verberabat corpus, quod pium opu multo erat exemplo ruſticis, qui vil lam excolebant. Poſteà vel araba bobus terram, vel ſumpto ligone ex cavabat, putabat vites, & obibat cæ tera opera, unâ cum ruſticis permi ſtus. Inde oriebantur multa bona nam illius exemplo acrius omnes in cumbebant labori, & vitabantur ſer mones inhoneſti, & verba immun da, quibus illud genus hominum ſo-

le

let laborem fallere. E domo ferebat
ſecum fragmentum panis, ac condi-
nentum craſſum, ut moris erat aliis
peris. Cum præbebat victum opera-
iis, ipſe ſimul cum illis edebat ex eo-
lem catino, & victu agreſti. Si de
Collegio ad ipſum mittebant pran-
lium, dividebat cum illis, qui dili-
entius laborabant. Noctu ſe do-
num recipiens, ferebat ſemper ante
in jumento vel faſcem herbæ, vel
ccum pomis plenum, vel rem aliam,
æ domi foret neceſſaria. Cum ad
ollegium perducebatur triticum,
ebat humeris ſuis ſaccos eo refer-
s, & ferebat in horreum. Sui tam
gligens fuit, ut niſi circa veſtitum
i conſulerent, incederet nonnum-
am habitu indecenti. Nunquam
luit uti ſocculis lineis, nec lineis,
noralibus, dicens æquum non eſ-
his uti in religione, quibus domi
carebat. Tela veſtitûs erat craſ-
ri. Sæpe illum audiverunt orantem
ram Divo Joſepho, ac dicentem:
Mi ſancte, tu labore tuo aluiſti pue-
um Deum, & Virginem Matrem, ſic
ero mihi te conſervaturum vires,
ego meo labore juvem ſuſtenta-
religioſos hujus Collegii, cujus
m mancipium. In rebus pau-
tatis angebatur multum ſcrupu-
nihil dabat, aut accipiebat in-
ſuperiore. Aliquo tempore na-
s ſuperiorem, qui poſteà de Socie-
pulſus eſt, hic dicebat illi verba
leſta modo iracundo, vocabat in-
em, & nullius utilitatis; quæ elo-
aptius congruebant dicenti, quam

Joſepho. Suſtinebat patienter, & magna humilitate. Nonnulla tamen peregit, quæ Dei vir non potuit non ſentire. Suo brachio, & ligone reſciderat, ac domuerat terram paludoſam, in qua ſeverat melopones. Quod ſeges ex voto contigiſſet, gaudebat multum, habiturus fructus illos ſuis religioſis. Verum ſuperior, de quo dixi, ubi melopepones maturi fuerunt, juſſit colligi, ac impoſitos carro miſit ad ſuos conſanguineos. Cum Joſephus perſpexit fructus ſuo rigatos ſudore tam male locatos, concepit inexplicabilem dolorem, præſertim, quod nihil ſocietas illis deberet. Sæpe etiam idem ſuperior cum aliquo de ſuis conſanguineis adibat villam, & ibi comedebat pullaſtros, quos ille nutriebat, vel infirmis, vel, ſi hi non eſſent, ſanis. His, aliiſque virtutibus vir ille non meruit inter nos mori. Nunquam ex ore Joſephi audita eſt detratio. Cum reprehendebatur, oſtendebat vultum lætum, & hilarem; non omittebat conſtitutas precationes. Specialiter coluit ſacroſanctam Virginem. Cum laboraret tertianâ, quæ nullis parebat medicamentis, cum de novo aliud medicus vellet applicare. Ne, inquit, te fatiges, nam ſi voluero, protinus habebo ſanitatem. Interogatum eſt, qua via id fieri poſſet? Reſpondit, ſi à Virgine petivero, erit extincta tertiana. Igitur, dixerunt, Virginem roga, quando tua ſanitas Collegio eſt neceſſaria. Intellectum eſt id popoſciſſe Virginem,

nam

nam tertiana non redivit. Dum in villa altam pirum conſcendens colligit poma, inde præceps in terram decidit gravi lapſu: hinc eſt creditum ultimum illi exortum morbum. Illud mirabile contigit, quod ex ea die pirus illa paulatim contabuit, donec omninò eſt arefacta. Ubi ſenſit tentari ſe poſtremo morbo, ex piavit animam generali confeſſione, dicens ſe proculdubio moriturum; Sciſcitanti Religioſo; an id moleſtum ipſi foret? Reſpondit: doleo non citius me obiiſſe. Penè ad agonem extremum piiſſimis colloquiis ſigni ficavit animi pietatem. His piiſſimis verbis, & ſanctiſſimis nominibus in ore, reliquit mortales. Quamvis foret vultu, & facie ruſticâ, poſt mortem illa ruſticitas eſt quâdam venerabili pulchritudine, quam rem extraordinariam crediderunt, qui vidêre. Quod feretrum domi non eſſet, poſitus eſt in periſtromate, & in ipſo elatus ad ſepulturam, ut ſolent pueri, qui poſt baptimum ante rationis uſum terræ mandantur; quod non ſine myſterio creditum, cum in ea ætate infantis referret, & exprimeret innocentiam.

DIE XXX.

Franciſcus de Almada, Scholaſticus.

MOrtuus eſt Eboræ anno 1658. Natus Ulyſſipone, ibidemque adjunctus Societati 15. Auguſti anno 1651. Probatiſſimis erat moribus, vel ante initam Societatem. Propter maturitatem, & pondus, magiſtri noſtra rum ſcholarum eum vocabant Cato nem. Cum ætatem non haberet, u conjungeretur ſodalitio pœnitenti ſancti Patris Ignatij, cum eo diſper ſatum, ob notam virtutem, & mer tis pondus. Singulis ſabbathis in obſ quium Virginis ſe jejunio maceraba Totam quadrageſimam jejunio tra ſigebat. Hæ virtutes in Societa multum excreverunt. Subminiſt confeſſus eſt, nunquam ſe in eo v diſſe defictum, quod mereretur c ſtigationem, aut reprehenſioner Virtuti adjungebat genium affal lem, & gratum omnibus. Cupieb aliis ſervire. Libens ſe offerebat mundanda cubicula, quando fieba migrationes; ad excutiendos libr & exornanda ſacella diebus feſt Gaudebat habere curæ ſympo quibus exponebatur Euchariſt quod munus explebat tantâ mo ſtia, ut facilè appareret, illum ni aliud, quam Deum cogitare. Sil tii tam obſervans fuit, ut neque c ſocio miſceret ſermonem in cubi lo: ſi eum inrerrogabat rem aliqu non neceſſariam, tacebat. Sciſcit ti, cur reſponſum non daret? Sa faciebat dicendo, & quidem m grato: Eſt tempus ſtudendi. Q tidiè verbere puniebat corpus. lebat uti indumentis, niſi attritis vetuſtis. Quamvis parentes imp tunè mitterent illi præmia, nole accipere. Poſſidebat ſolum æ imagunculam unam, & picturam V ginis in panno exaratam, quam n

ſer.

mel tulit ad Rectorem dictitans, si-
sufficere Virginis imaginem descri-
tam in charta. Orationis tempus
ansigebat in facello tantâ modestia,
intuentes componeret. Accura-
s erat in obeundis exercitiis spiri-
alibus. Contagio infectis Lusitanis
ilitibus ex obsidione Pacis-Augu-
serviit diligenter in nosocomio E-
rensis Academiæ. Ex hujusmodi
aritate supremum contraxit mor-
m. Protinus totius anteactæ vitæ
t confessionem. Admiratus est
nfessarius adolescentis sanctita-
n; etenim semper vixerat, ut in-
s, septenarius. Cum multa con-
tione efficeret colloquia ad Chri-
m, ac Virginem directa, illi dixe-
t, ne fatigaret caput illa conten-
ne, respondit sibi non esse mole-
verba sancta; potius afferre mo-
is suis levamentum. Inter hæc
oquia, & verba dulcia spiritum
restituit.

Antonius Ferreyra.

Collegio Scalabitano vitam ex-
levit anno salutis 1636. Natus
ellæ Diœcesis Conimbricensis.
uit egregias dotes ad ministeria
i suggesti, quas noluit otiosas.
quot annis moratus est in Tingi-
urbe, quondam Lusitanorum in
ca Coloniâ, ibi in animarum uti-
em laboravit diligentissimè. Sin-
ris pietas in ipsius eminebat con-
ibus, propterea ad arbitrium su-
versabat auditorum corda, ni-
ggressus est, quanquam ardu-
um, ac difficile, quod non perduce-
ret ad optatum exitum. Ad id in
promptu habuit quasdam rationes
tam sanctas, & industrias tam aptè
applicatas, ut appareret Deum du-
cem esse in eis rebus, quas ad salvan-
das animas suscipiebat. In magistra-
tibus valde dilectus erat subditis pro-
pter sincerum animum verè frater-
num, & paternum: idcirco illius
mors omnes affecit mærore. Invise-
rat Labrugensem residentiam, quæ
ad Scalabitanum pertinet Collegium,
ibi tertianâ ad modum forti impeti-
tus, contulit se in Collegium, ubi ri-
tè paratus ad inevitabile luctamen,
de vivis abivit. Agebat domus Re-
ctorem.

DIE XXXI.

P. Emmanuel Mendes.

MAsagoniæ, quæ Colonia est Lu-
sitana in Africa, de vivis exces-
sit anno 1647. Plurimùm incubuit
studio propriæ perfectionis. Exactè
obibat exercitia spiritualia, & se tra-
debat multum familiaritati cum Deo,
& lectioni librorum sanctorum. Do-
lebat plurimum quod videret, pa-
rum ab illis colonis æstimari pre-
tiosa Societatis ministeria; solum
enim ibi volebant homines Societa-
tis, ut apud arcis Præfectum eorum
negotiis patrocinarentur. Exhor-
tationes, & explicationes cateche-
sis ad populum habuit tanto fervo-
re, ut apparertet ipsum ex corde lo-
qui. Singulis hebdomadis invisebat

 ægro-

ægrotos nosocomii, quos donabat eleemosynis, illos exhortans, ut in utilitatem animæ converterent temporales calamitates. Admirandum fuit, quod ipsi contigit cum sene, qui decreverat proficisci ex Africa Ulyssiponem. Semel, iterumque eum monuit, ut confessione animam purgaret, quod multum ambigeret, an perveniret ad sequentem diem; dictum senex irrisit; navem vespere conscendit, at sequenti mane inventus est mortuus sine confessione. Sæpe dixit Patri Antonio de Macedo socio suo, nec ambos futuras vivos ad finem temporis pro missione destinati, nec Præfectum absoluturum magistratûs triennium; ita profecto contigit; nam Emmanuel est mortuus, & Præfectus ante tempus expletum. Vulgato per colonos morbo, quadraginta supra octingentos decumbebant ægroti. Per id tempus necessum fuit Patri Macedo agere nocturnum vigilem, ac per muros discurrere, ne fieret aliqua incursio repentina à Mauris. Diem consumebant prospiciendo infirmis, qui medico, & medicinis carebant. Ut subveniretur tot miseriis, Præfectus elegit Emmanuelem, ut navigaret Ulyssiponem, inde vecturus subsidia, quæ forent opus. Tunc socio suo dixit: Deum illud iter disponere, ut se breviori tempore de medio vivorum tolleret. Appulit Ulyssipone, & festino reditu profectus ad Africam duabus celocibus onustis arietibus, gallinis, saccharo & salgamis ad suc-

currendum infirmis. Testatus est I
lius socius, se nunquam Emmanue
lem vidisse cum sæcularibus, aut re
ligiosis loquentem, nisi de Deo. Illi
us modestia spectabilis erat. In urb
Portuensi ordinariè comitans no
stros, qui invisebant comitissam, nun
quam intuitus est illius faciem. Quo
tidie corpus scuticâ cruciabat mane
& noctu. Cilicium gestabat tribus
aut quatuor horis diebus singulis. A
res obedientiæ habuit semper ani
mum indifferentem, id unicè volens
quod illi placeret. Frequenter usur
pabat hujusmodi verba: *Meus Deus
meus superior, meum cubiculum.* Deci
mo quinto die postquam de Lusita
nia accesserat, cæpit ægrotare. In
tra diem trigesimum quintum mul
ta perpessus, maximè ob incommo
da, quæ vitari non poterant, ub
curandis corporibus tanta rerum e
rat penuria. Ajebat, se tam lætu
in illa colonia mori, quam si finire
vitam Conimbricæ, vel Eboræ, quo
niam sic Deo placebat. Medico nun
cianti mortis certitudinem tribu
munusculum in significationem an
mi grati pro nuntio optatissimo. Si
gulari pietate excepit postrema an
mæ subsidia. Diebus octo ante mor
tem se comparavit per instructio
nem, quam ad bene moriendum
scripserat. Quotidie horam unam i
hoc sancto exercitio consumeba
tanto animi solatio, & lacrymarum
abundantiâ, ut Pater Macedo, qui
assistebat, sit confessus, se neminem
mori vidisse tam bene paratum, nec
tam

m lætũ. Plurimum cupiit obire vel r die pervigilio, vel omnium Sancto- m identidem hujusmodi repetens erbis. *Oh qui dies! Oh quam bonus æstus navigandum in gloriam.* Satisfecit eus illius voto. Ad postremum us- e anhelitum non vacillavit illius ens, placidissimè emisit animam. equiæ celebratæ, quanta pompa tuit in ea Coloniâ fieri. Sepultus in sacello JESU.

P. Franciscus Sarmento.

ULyssipone in Collegio Divi Antonii diem obivit anno 1706. tus Theozeli in agro Brigantino. nimbricæ adscriptus Societati 22. bruarii anno 1654. ætatis 16. De- erio lucrandi animas profectus ad iam, ubi commoratus annis ginta. Docuit Goæ Theologiam ralem, & Scholasticam. Egit so- m Provincialis, & Præpositum mus Professæ. Venit Romam suæ vinciæ Procurator, & redivit So- tus plurimis operariis ad eam vi- m excolendam. Rursus conten- in Lusitaniam, ubi transegit reli- s vitæ annos procurando Ulyssipo- negotia missionum, quæ summa dex- itate, zelo, ac diligentiâ promovit, lta in earum utilitatem consecu- , à piissimo, & serenissimo Rege ro II. cui, sicut & cæteris pri- riis Ministris erat acceptissimus. inâ fretus Providentiâ Ulyssipo- fundamenta jecit Domui Tyroci- Indici, quam posteà serenissima harina Angliæ Regina adoptavit & competenti dote donavit, ad id mota à R. P. Emmanuele Pirio ipsius confessario viro de Societate Indica, & Lusitana optimè merito. Fuit notæ virtutis, præsertim charitatis, & humilitatis. Pervigiliis Conceptæ Virginis, & sancti Francisci Xaverii solo pane, & aqua vescebatur. Quidquid ab ipso petebant per Christi plagas, concedebat libenter. Novit suæ mortis tempus. Pridie ante suum obitum confessus est, se nemini unquam nocuisse, potius benefecisse semper, vel illis qui ipsum læsissent; hæc verba protulit in colloquio, cum erat reficiendus sacro Viatico. Miram inter pacem, & quietem spiritũ exhalavit.

P. Josephus de Murcia.

COnimbricæ cessit è vita an. 1697. Natus Ulyssipone. Societatem ingressus Eboræ 29. Octobris anno 1657. ætatis 15. Docuit humanas litteras, & Rhetoricam Ulyssipone; Philosophiam, & Theologiam Conimbricæ. Moderabatur primam Cathedram in nostro Collegio, cum de medio sublatus est; magno omnium dolore propter jacturam, quam patiebatur Provincia fraudata, & ipsius litteris, & aliis præclaris dotibus, ætate robustâ. Ipsius affabilitas sibi omnes devinciebat. Addictissimus erat Divo Xaverio, cujus sodalitatem, & cultum Conimbricæ multum auxit: ipso illius Præside Conimbricæ introducta est consuetudo narrandi aliquot Xaverii factum singulis diebus sui novendialis. Eidem sodalitio ad-

junxit plurimos adolescentes ex primaria regni nobilitate, ac Doctores, & Professores Academiæ. Non minori tenebatur veneratione adversus Divum Antonium, quem vocabat suum Capuccinum. Sub illius cura fuit domesticum Collegii sacellum Divo sacratum, cui nonnulla donavit ad ejus augendum ornatum. Singularis ipsi Zelus in audiendis pænitentibus: Ajebat id oneris esse præcipuum officii sacerdotum, ipsos exactissimam rationem coram tremendo Divinæ justitiæ tribunali daturos, tum de pænitentibus, quibus commodarunt aurem, si eos non direxerunt, uti debebant: tum de illis, quos non audierunt, si rogati non habuere patientiam ad eorum excipiendas confessiones. Gravissimos sui morbi dolores ex animo Deo offerebat in suorum delictorum satisfactionem. Postquam se paravit confessione ad mortem, cuidam sacerdoti interroganti, ut esset? Respondit: Pater rationes nostras ad calculum reduximus, tales, quales sunt, eas acceptaturus est Pater Misericordiarum. Dolores tam acuti fuerunt, ut habuerint instar ignis purgantis, quibus excoctus reliquit mortales.

P. Balthasar Alvres.

IN urbe Fluminis Januarii apud Brasilos finem posuit suis laboribus anno 1585. Natus in oppido *Villar* Diœcesis Astorgiensis in Castella. Societatem complexus Ulyssipone in Domo Professa 3. Martii 1560. Missus ad Brasiliam anno 1563. Reliqua, quæ de ipso novi, dicam verbis venerabilis viri Josephi Anchietæ fideliter in latinum sermonem versis: Didicit facilè, & brevi linguam Brasilicam. Bahiæ aliquot annis habuit curæ frequentem Indorum pagum. Cum nesciret laboribus subtrahi adolescens adhuc, & multarum virium, paulatim debilitatus, & visus in phthisim decidere, plurimo sangui ne per os effuso. In Præfecturâ, quam vocant ab Insulis parvis egit aliquo tempore superiorem consulens Lusitanis, eorum mancipiis, & Indis multâ ædificatione, & suarum animarum fructu. Quod appareret melius habiturum in Flumine Januario, quod frigidius sit cælum, illuc est missus. Procuravit bona Collegii, quoniam erat multæ prudentiæ, & regiminis. Tempore nonnullo docuit latinitatem; quod illi esset ingenium ad omnia; specialiter injunxerunt illi pagum Indorum, quem rexit multâ diligentia, prudentia, & charitate, eos bene instituens doctrina, fide, & bonis moribus, juvante alio socio; quoniam propter virium debilitatem non poterat totum portare onus, verum ipsa virium tenuitas satis non erat ad debilitandum zelum animarum. Cum Indi Christiani pauci fierent, & sylvarum ethnici paulatim extinguerentur, se obtulit ad eundum in sylvas, & inde ferendam gentem, quam Ecclesiæ aggregaret, idem petebat etiam Præfectus, quod novisset ex ethnicis velle aliquos venire

ad

d pagos. Profectus cum uno socio d mediterranea, vectus in reti, quo- iam propter debilitatem secus non osset illud iter suscipere, pervenit l primum pagum parum frequen- m, & ibi subsistens misit nuntios l aliquos primores loco distanti ha- tantes: simul mittebat res aliquas ic in pretio habitas, ut sunt piscis ccatus, & sal, rogando, ut ad se ve- rent. Hoc modo quamplurimi ex versis partibus remotis ad eum ncurrerunt. Eos in album refere- t. Satis erat scribi eorum nomina, sibi persuasum haberent se non sse non sequi Patrem ad mare. Sic m ipsis agebat, ut metum omnem imeret, quem illis Dæmon incusse- relinquendi mores suos. Dice- t, secum ferrent omnes suas uxo- s, nam aliqui quatuor, & quinque ebantur, se non amoturum ipsas à ritis, nec prohibiturum bibere vi- sua, nec uti simphoniis suis, nec acturum, ut essent Christiani, i libentissimè ipsi vellent; verum ando ipsis placeret fidem comple- ; tunc relictis aliis uxoribus, unam vaturos, & cæteros mores depo ndos. Hac libertate, quam ipsis omittebat, non timebant eum se- i. Sic eos mansuefecit, & transa- s sex mensibus, quibus inter eos moratus, Christianam docens ca- echesim redivit cum ipsis ad mare. ant septingentæ animæ plenæ om- s lætitia. In itinere quod esset val- asperum, & per saltus arduos, & od cibus, quem ferebant, erat

exiguus, magnum omnes sunt per- pessi laborem: præsertim, quod du- ces ratione antiquæ viæ jam cæcæ perditi sunt in magnis saltibus quos vocant ab Organis, quin possent sci- re, ubi foret mare. Cibus erat penè absumptus. Placabant famem palmi- tibus sylvæ, quos Deus offerebat, & avium, terrestriumque animantium venatione. Sæpe non reperiebant locum ad castrametandum, quod es- sent saltus valde proclives; propte- reà ambulabant totâ die usque ad noctem mediam ad inveniendum lo- cum idoneum. Contigit quadam die, ut festinatione erigendi tuguria ad se colligendum, lignum ex iis, quæ secabantur, malè affecerit filium ma- gnatis; idcirco conquestus est, eos cogi viam urgere, usque ad noctem, ut illi moreretur filius suus; quo fa- cto cæperunt turbari; verum Pater adolescentem complexus, eum cura- vit vino, quod gestabat in ampulla; protinus illi Deus restituit sanitatem. Hinc sumptâ occasione, eos edocuit Deo confidere, sub cujus erant pa- trocinio. Reprehendit illum, qui fue- rat conquestus. Hujusmodi verbis plurimum confirmati sunt in suo proposito. Per id tempus jam Rector nostri Collegii miserat illis obviam Patrem Hieronymum Lobatum, & abundantem victum. Post multas ambages viarum per sylvas, & sal- tus ipsi occurrerunt jam ob penuriam victus valde debiles, præsertim pue- ri. Tanta omnium fuit lætitia, ut sint obliti præteritos labores, & magis

confirmati considerantes, quantæ curæ forent Patribus. Pervenerunt vivi omnes, & sani ad mare, ubi per multos menses, dum parabant ipsi segetes suas, unde victum colligerent, eos aluit Pater, conquirens cibos è diversis partibus. Assistebant semper cum ipsis aliqui Patres, qui baptisabant parvulos, & ægrotos, quos curabant. Docebantur omnes Doctrinam Christianam, donec fixerunt sedem, ubi modo sunt in suo pago à sancto Barnaba, cujus die in ea sylva factum est primum Missæ sacrum. Omnes spontanee, & libenter fidem sunt amplexi, & tincti Baptismo, relicta uxorum multitudine, & ritibus vetustis. Ad eorum famam venerunt alii, qui remanserant. De hoc pago sancti Barnabæ, & de alio sancti Laurentii, qui vicinior est urbi, curam semper habuit P. Balthasar Alvarus, juvantibus aliquot sociis, donec in nimiam cecidit debilitatem; non ideo tamen abstinebat à labore; nam habebat exhortationes in templo: præterea eos incendebat sermone familiari ad virtutem. Aliquot Gallorum navibus in Flumen Januarium adeuntibus, ipse cum suis Indis noctu vigilabat, ac discurrebat per diversas urbis partes, quod ipsi exequuntur semper magna fidelitate, tanquam boni Christiani. Quamvis esset valde debilitatus, in expeditione, quam suscepit Præfectus Antonius Sallema ad caput Frigidum cum ipso missus, ut ministraret Sacramenta Lusitanis, & Indis Præfectum comitantibus, multumque rem juvit suo consilio. Tamoy, qui in eo bello capti sunt, fuerunt plurimi, ac dati militibus in mancipia: his diligentissimè consuluerunt Patres in eis regionibus, in quas dispersi sunt, illos fidem edocendo, & baptisando. Patri Balthasari contigerunt illi, quibus data est libertas, quos perduxit ad pagos, ubi se miscuerunt cum antiquis, quibus antea fuerant inimici. Omnes Christiani sunt, & vivunt nexi mutuis matrimoniis sine ulla recordatione belli præteriti. Hoc labore sic Pater defecit viribus, ut nec illi superesset halitus ad horas cononicas recitandas; verum non illi deerat animus, & devotio ad sacrum faciendum penè diebus singulis. Per id tempus P. Christophorus de Gouvea Visitator secum ferens Ignatium Tolosam Collegii Rectorem ad Congregationem habendam Bahiæ, reliquit ipsius loco Balthasarem, qui onus sustinuit multâ prudentia, charitate, & fratrum solatio, donec rediit ad suum Collegium Rector. Paucis post diebus finivit vitam. Meditabatur aliam expeditionem ad mediterranea loca, ut inde deduceret Brasilos. Se obtulit magno animarum zelo, cum jam erat tam debilis, & consumptus, ut non haberet aliud præter pellem, & ossa. Consederat quâdam nocte cum sociis sermocinando de rebus divinis, collectis omnibus ad examinandam conscientiam; cum ipse solus idem ageret in suo cubiculo; ruptâ venâ, per os effudit tantam sanguinis copiam;

am, ut fuerit suffocatus priusquam
osset inungi. Hactenus de Balthasa-
re Anchieta. Dignus profectò fuit
encomiaste adeo insigni.

NOVEMBER.
DIE I.
Antonius Alvres Scholasticus.

BRacharæ mortem oppe-
tiit anno 1662. Natus
in Oppido *Landroal* Diœ-
cesis Helviensis. Ante
tam Societatem dedit operam hu-
nis litteris Eboræ, & Mathema-
is disciplinis Salmanticæ. Pro-
mato Rege Joanne Quarto, &
sitaniâ animis, odiisque pro li-
rtate in arma ruente, secutus
militiam. Propter Mathesis pe-
iam, vires, & virtutem belli-
n magni habitus, & promotus ad
litares honores, agebat Instru-
rem maximum legionis, ad al-
ra citra dubium datâ opportu-
ate evehendus. Verum secum ille
pendens militaris vitæ libertatem
noxiam morum corruptioni, & as-
ua pericula morte occumbendi
provisâ, rebus humanis nuntium
nisit, ac se apud nos Deo dicavit
oræ 19. Octobris anno 1659. æta-
40. Quamvis adolevisset inter
licam licentiam, totum se attem-
avit observantiis nostri tyrocinii.
gnus illi fuit labor exuere milita-
loquendi modos: sic instructo-
n vocabat commilitonem suum:

Quod Novitius referret Magistro, quæ ipse faceret, & diceret, illum vocabat Beatam falsam. Hæc, & multa alia hujuscemodi tolerabantur, quod ille ad se, & hæc vincenda generosè luctabatur. Molestissimum illi fuit humi sedere more Tyronum in hac Provincia. Missis Ulyssiponem cunctis Novitiis Eborensis domus, eò migravit. Illic constitutus triclinii præfectus, sæpe est inventus flexis genibus, & lachrymis fluentibus alloquens Divam Magdalenam his verbis: O sancta peccatrix, scis benè me tui fuisse similem, Deum roga, ut mei misereatur, sicut tui est misertus. Missus est Bracharam, ut operam navaret Philosophiæ. Illius modestia condiscipulis erat exemplo. Per id tempus, cum nihil minus, quam bellum cogitabat, coactus est Marti servire propter commune bonum. Interamnensem Provinciam vastabat Castellanus, occurrit illi Comes Pratensis armorum summus Præfectus. Cum videret opus sibi esse militaribus industriis Antonii, quem sciebat rei bellicæ peritissimum, dedit litteras ad nostrum Rectorem imperans

Re-

Regis nomine, ut Antonium sine mora ad exercitum mitteret, aliud non pati necessitatis telum. Invitissimus paruit. Commendavit illi Præfectus tormentorum curam. Observans campi situs, & spatia, eas machinas traduxit ad loca Lusitano commoda, sed valdè infensa hosti. Factâ displosione cœpit turbari hostis, fassusque virum aliquem rei peritissimum recèns adesse. Hujusmodi cura, quæ non modestiam viri Religiosi, sed militis poscebat ferociam alienam à legibus instituti nostri, Antonii sic animum afflixit, ut illi sanguis putruerit. Remissus Bracharam, ut sanitati consuleret, viaticum sumpsit in nosocomio S. Joannis à Deo in Oppido *Ponte de Lima*: deinde lecticæ impositus deducitur Bracharam, quo pervenit semimortuus, brevi sacro inunctus oleo, editis actibus piissimis, in cælum migravit.

DIE II.

P. Antonius Pires.

MOrtuus Eboræ anno 1608. Quod esset imbecillis viribus, petentè rejiciebant, non tamen ob hujusmodi repulsas destitit. Dicentibus Medicis brevi moriturum, si Societatem ingrederetur, quod virium debilitas par non foret oneri, respondit se plus illis victurum. Non secus evenit, nam annos octo supra quadraginta apud nos vitam duxit. Omnino vixit oblitus consanguineorum. Triennio habuit clausam epistolam à fratre suo sibi missam. Cum illi dictum esset, fratrem ad eum dedisse litteras, & non accepisse responsum. Talem, inquit, epistolam à tribus annis clausam servo, & illâ tego meum atramentarium, ne pulvis atramentum inficiat. Semel provocatus ab impudicâ fæmina, in eam sanctè excanduit verbis adeò incensis, ut territa profugerit. Bis grassante pestilentiâ, serviit contactis lue. Pridie ante mortem suam petivit à Ministro facultatem, ut ante tempus solitum se dormitum colligeret: simul rogavit, ut celaret Rectorem, ne fortè, vocato noctu confessario abstineret à se mittendo. Aliquot annis post ejus mortem apertâ sepulturâ, invenerunt ossa inter se connexa, quæ cum tolleret manibus suis æditus, sanguis eorum manus tinxit. Effuderunt prætereà odorem suavissimum, quo sunt impletæ Collegii pergulæ. Antonius Leitius noster reliquit scriptum, se audivisse natum esse in pago *Meamada* Diœcesis Conimbricensis.

P. Doctor Joannes Gomes.

COnimbricæ profudit anhelitum supremum. Natus in Oppido *Castello de vide* Diœceseos Portalegrensis. Fulsit præclarissimis dotibus ad magisteria, & magistratus obeundos, quæ solidis nitebantur virtutibus. Docuit Eboræ Philosophiam, & Theologiam, ibidem insignitus est Doctoris laureâ. Etiam tradidit eandem scientiam in scholis Ulyssiponensibus, & in Collegio S. Patritii. De

re-

ebus in majoris momenti plurimum Tribunalium Ministris, & Archie-iscopo consulebatur. Posteà egit ectorem Bracharensem, deinde Co-imbricensem anno solum, & tribus iensibus. Magna in eo eminebat rudentia, & maturitas quibusque ar rebus grandibus. Ad continen-os socios in Instituti observantia ni-il ipso fortius, si postulabat necessi-s. Nihil mitius, cum mansuetudi-em res poscebat, & amor paternus. ius mores fuerunt integerrimi, plu-s faciebat profectum in virtutibus, uam litteras. Postremus morbus acerbissimos dolores amplam il-is patientiæ præbuit materiam. Su-nuit tolerantissimè ad ultimum us-ue mortis articulum.

P. Nicolaus Nogencio.

N Collegio Portuensi satisfecit le-gibus moriendi anno 1656. sep-agenario major. Natione Hyber-us, natus parentibus illustribus, ueritia coluit sanctimoniam. Au-ns primis annis loqui de peccati pitudine, tantum adversus ipsum ncepit horrorem, ut totâ vita non contaminatus lethali culpa: dicti-at, contra Deum non peccatu-n, etiamsi totius orbis donarent erio. Migravit Antuerpiam, & eminario hominum suæ nationis ostris administrato studuit scien-, & gradu Magistri est ornatus. è Romam transiens, illic addictus ocietati. Percontanti Patri Ge-ali, in qua vellet Provincia ope-ram navare Theologiæ, respondit, in ea, ubi nostri homines vocantur Apo-stoli. Ad Lusitaniam profectus, Theo-logiæ studiis incubuit Eboræ. Posteà mutato habitu petivit Hyberniam adjuturus suos populares. Appulit Dublinio totius Insulæ metropoli. Dum Evangelici operarii naviter obit ministeria, cognoscitur esse de Socie-tate, & ab hæreticis comprehensus sistitur Proregi, à quo detrusus est in carcerem refertum & fæminis, & vi-ris facinorosis. Illic sæpe tentata fuit ejus pudicitia, quam conservavit illi-batam. Prorex, & ipsius conjux co-nati sunt illum pervertere. Multis verbis commiserantes hominis vicem, suadebant, revocaret in memoriam generis sui nobilitatem, ætatis flo-rem, ne vellet iri perditum ob insa-nias Papistarum, sectaretur potius Anglicanos ritus. Nihil ille curavit stultam suasionem, sed intrepidè re-spondit: Se illorum valde misereri, quod deserentes majorum suorum veram fidem, hæserint hæreticorum mendaciis. Annis quatuor, quibus addictus fuit carceri, conservavit in fide quamplurimos Catholicos, qui eisdem premebantur vinculis. Tan-dem Hybernici dynastæ diligenter solicitarunt eum in libertatem asseri. Connivente Prorege, solutus est. Deinde totus incubuit juvandis ani-mabus. Discurrebat modò per has, modò per illas Insulæ regiones, cun-ctos in fide confirmans, & miseros sublevans divitium ad id sibi præbitis eleemosynis. Concionabatur in syl-

vis sufficiente pulpitum arboris trunco. Sæpe prædicanti pro linteo, seu, ut vocant, superpelliceo fuit nix de cælo cadens, quâ totus albescebat. Annis non minus quadraginta laboravit in ea missione, perpessus pro Dei gloria, & hominum salute infinitos labores. Cum totam Insulam armis subegissent Angli, nostri homines sunt jussi redire quisque in Provinciam, unde transierat ad Hyberniam. Non agenarius senex jam, & attritus laboribus ad Lusitaniam reversus substitit in urbe Portu. Præ senectute, & affectis viribus prodibat foras baculo incumbens, tum ad audiendas infirmorum confessiones, tum ad consolandum languentes in nosocomiis. Eo Evangelium recitante super multorum capita, de quorum salute medici spem abjecerant, sanitati sunt restituti. Summopere profuit hominibus suæ nationis, qui negotiandi causâ in Portum veniebant. Tanta apud omnes erat de ipsius virtutibus existimatio, ut non solum plebs, sed etiam gravissimi Senatores de ipsius rebus vellent, & peterent reliquias.

Laurentius Lombardo Coadjutor.

ULyssipone in Domo Tyronum mortuus est anno 1634. Natione Flandrus, natus Antuerpiæ. Ab annis triginta paternam domum egressus venerat in Lusitaniam per negotiationem divitias acquisiturus. Favente Deo, semel adivit continentem Guineæ, bis Indiam, optato successu. Cumulavit multas divitias, & Ulyssipone duxit uxorem. Quinquagenarium Deus sibi junxit specialibus æternæ salutis studiis. Singulis octo diebus & conscientiam apud Confessarium explicabat, & sumebat Divinum Panem in templo D. Rochi, gubernante illius spiritum nostro Fernando Guerreyro. Fugiebat inanes hominum confabulationes. Ex uxore duos susceperat filios, marem, & fœminam. Masculum mente captum in Flandriam miserat, statuens filiam maritare, & in ea firmare successuram prolem, & progeniem. His motus cogitationibus ædificavit amplas domos in urbis colle dicto à Venti molendino. Decimo die, antequam ad novam migraret domum, emortua est ejus filia. Tunc mentem ad altiora elevans, suasit uxori, ut ambo se addicerent Religioni. Non illi placuit hujusmodi consilium. Decimo die post obitum filiæ cæpit incolere novam domum. Dies tantum decem abierant, cum de medio sublata est uxor, subita morbi incursione. His liber catenis decrevit sequi vocantem Spiritum sanctum. Communicavit cum Patre Guerreyro tum consilium suum in status mutatione, tum in distribuendis bonis. Visum est reducendum de Flandria ejus filium, ut juridica testificatione constaret illius amentia. His peractis, dixit Patri Guerreyro velle se ingredi Societatem, & opes suas largiri eidem Societati. Tunc Pater illi proposuit de novo ædificari Tyronũ Domum, ubi erant edu-

ducandi tot servi Dei, & tot præco-
es Evangelici, è cujus laboribus ac-
resceret bonus cumulus Divinæ glo-
æ. Titulum Fundatoris ipsi conce-
i non posse, quod alius haberet, at
on cariturum Fundatorum suffra-
iis. Placuit consilium. Rebus suis
ompositis, ex speciali concessione
atris Generalis ingressus Societa-
m in Domo Professa. Per id tempus
on erat Ulyssipone Domus Tyro-
um. Igitur nobis aggregatus mense
lio 1613. ad Martium proximum
oratus est in Domo Professa se ex-
cendo in officiis humilioribus sub
sciplina P. Fernandi. Postea cum
dem Patre migravit ad Tyronum,
od fiebat, ædificium, ut pecuniis
ipso ad opus datis adjiceret indu-
iam suam, quæ multa fuit. Quin-
Julii anno 1615. biennii vota nun-
pavit in Sacello Virginis à Sancto
ca, quod suis expensis olim exor-
verat in Domo Professa. Ipsius vi-
anti curâ tantum, & tam brevi
crevit opus, ut cæperit habitari
no 1619. Laurentius ob suam hu-
litatem Sacerdos fieri noluit. Po-
latum est à Patre Generali, ut
n promoveret ad professionem
um votorum solemnium. Respon-
nullam in re difficultatem esse, si
let sacris initiari; contrarium vi-
i exemplum novum. Verumta-
n si repertum foret aliquem Co-
utorem emisisse talem professio-
n, libentissimè concessurum. Ex-
plum inventum est. Meruit Lau-
tius hunc honorem, quod plus
domui sit largitus, quam Fundator.
In eâ domo sanctè vixit, ac sanctè
mortuus. Corpus sepultum est in
medio sacri vestiarii, ubi cernitur
lapis sepulchralis cum lemate gran-
dibus notis inciso.

DIE III.

P. Didacus de Barros.

ULyssipone in Collegio Divi An-
tonii cessit è vita anno 1607.
Conimbricæ Societati adscriptus 30.
Martii anno 1550. Habitus est vir
moribus inculpatissimis. Arbitraba-
tur enorme peccatum quemquam
mortalium vel levissimè offendere.
Audiens referri scelus aliquod publi-
cum de novo commissum, altum in-
tra pectus dolorem sentiebat propter
offensionem, quâ Deus fuisset læsus.
Is dolor tantus erat, ut à lachrymis
non posset temperare. Quamvis e-
rat in senectute postrema, non ab-
stinebat à peragendis concionibus,
nec ab audiendis pœnitentibus. Non
consentiebat prospici senectuti suæ,
ut immunis esset à labore. Non ad-
misit fercula privata. Quidquid præ
se tulit singularitatem, exosus est.
Libenter serviebat omnibus, at sibi
præstari ab ullo servitia non pati so-
litus. Idcircò non permisit cubiculi
ministeria per ullum sibi fieri. Deum
rogaverat, ut se tolleret de vita,
quin sociis esset molestus diuturni-
tate morbi. Satisfactum est ejus pe-
titioni. Nam matutino tempore vo-
catus ad pœnitentes audiendum,

respondit, se statim affuturum. Paulo post cum adirent ejus cellam, invenerunt mortuum.

DIE IV.

P. Doctor Petrus de Fonseca.

Ulyssipone in Domo Professa reliquit mortales anno 1599. Natus in Oppido *Cortissada*, alio nomine *Proensa nova* Prioratus Cratensis, in ea parte, quam habet cis Tagum in Provincia Beirensi. Conimbricæ Societatem complexus 17. Martii anno 1548. ætatis 20. Exiens peregrinatum cum P. Ignatio Azebedio, obvium habuit leprosum, sanie putrem, horridum aspectu; Effundebat odorem intolerandum. Inter ulnas deferunt in vicinam domunculam; detergunt sordes, ostiatim rogant stipem, quo foveant, & consolentur. Deinde novo succensi fervore, vescuntur frustis panis, quæ leprosus gestabat. Fundante Cardinale Henrico Collegium Eborense anno 1551. cum aliis initia posituris novæ domui contendit Eboram, simul daturus operam Theologiæ in eâdem aula cum D. Antonio Ludovici Infantis notho filio sub magisterio sanctissimi viri Bartholomæi de Martyribus Dominicani posteà Archipræsulis Bracharensis. Docuit nomine præclaro Philosophiam, & Theologiam Conimbricæ. Eandem scientiam professus Eboræ, ubi laureatus est Doctoris gradu unà cum sancto viro Ignatio Martinio 8. Martii 1570. præsente Rege Sebastiano, Cardinale Henrico, Principe Eduardo, & quidquid magnum Reges sequitur. Ille fuit primus author, & parens *Scientiæ Mediæ*, quam tuendam amplexa est Societas ob controversias motas adversus Concordiam P. Molinæ; qui confitens ab illo accepisse talem doctrinam, ipsum per litteras suas tanquam primum fontem consuluit. Egit Romæ Assistentem P. Everardi, inde rediens gubernavit Professam Domum Ulyssiponensem, & obivit totius Provinciæ Visitatorem. Maximæ profectò dotes hunc præclarissimum Doctorem exornarunt. Virtus, sapientia, & prudentia in rebus agendis videbantur conspirasse mutuo fœdere, ut formarent heroem excellentem. Quidquid magnum est aggressus, perduxit ad optatos exitus. Gregorius XIII. Societatis parens res maximi momenti tum de Societatis, tum de Ecclesiæ regimine credidit illius prudentiæ. Cunctis difficultatibus quamlibet specie metuendis ibat obvius, & miris superabat industriis. In executione improbabat tempus consumere culpando negotiorum initia, fuisse deterrimè incepta, hoc, & illud non animadversum, dicens, oportere solum remedium præsentaneum quærere rei peragendæ. Reperiens difficultatem in rebus, quas tractabat in bonum alicujus communitatis, vel privatæ personæ obsistentium suæmet spirituali utilitati, non refrigebat, potius ajebat animo tranquillo: *Ipsis bene faciam, quamvis eos pœniteat.*

Il-

Illius vita persimilis erat horologio providè temperato. Exercitiis suis spiritualibus tribuebat horas constitutas, & competentes. Quamvis erat altâ præditus mente, facilè cedebat aliorum sententiis, licet ipsi essent inferiores. Habuit singulare donum conversandi cum Sæcularibus, eosque ad Deum perducendi. Non diffidebat subditis, potius concipiebat de singulis optimam existimationem: in tegendis alienis delictis vix ullus fuit secreti tenacior. Quæ potuit curare, non aperuit alteri moderatori. Sic est oblitus defectus, quibus medicinam adhibuit, ut eos reputaret, tanquam non fuissent. Omnes externi, & nostri tum Lusitani, tum ex aliis Provinciis (etenim famâ erat notissimus) cognoscebant illi esse paterna viscera. Conante Conimbricensi Academia año 1589. Reformatorem suum pro dignitate nostras recognoscere scholas, quod sint Academiæ pars, quamvis jure Regum immunes à Jurisdictione Academici Rectoris, Pater Fonseca ex mandato P. Generalis Madritum adiit cum potestate tradendi Philippo Regi, quidquid juris haberet Societas in prædictas scholas, nisi desisteretur à lustratione per Reformatorem Academiæ. Quamvis multi, & validi forent nostræ immunitatis æmuli, â dexteritate totum negotiū transegit, ut Rex imperaverit, ne in posterum tale quid Academia conaretur, ac de Fonsecæ prudentia non vulgarem concepit existimationem captus illius modestia, & rationum pondere; Idcirco voluit ipsum esse unum de præcipuis Ministris, quos nominavit ad reformandos in Lusitania mores. Cum cæpit regere Domum Professam credebant æmuli nostri actum esse de Societate, ac celebritate illius domus, quod extincta erat linea Regum Lusitanorum, sub quorum auspiciis ad id tempus creverat Societas, & omnium meruerat existimationes. Verum dies ipsa ostendit, quam falsa eos opinio tenuerit. Novus enim Præpositus sic animavit res nostras, ut nunquam nostra ministeria magis Ulyssipone floruerint, nec Domus Professa pluris fuerit æstimata, nec ad eam major confluxerit urbis concursus, nec cives largius illam juverint eleemosynis, quibus & auctum ædificium, & cultus Divinus. Obtinuit à Patre Generali de nostris aliquos Sacerdotes Italos, Flandros, & Hybernicos, ut in Domo Professa habitantes consulerent bono spirituali hominum suarum nationum, & studerent reducendis hæreticis. Opera horum Sacerdotum magnus hæreticorum numerus Ecclesiæ Catholicæ aggregatus. Ille adeptus est à Joanne Borgia filio sancti Francisci Borgiæ Reliquiarum Sanctuarium sacris lipsanis refertissimum, ac ditissimum. Hunc thesaurum excepit processione tam plenâ pompæ, ut Ulyssipone ad id tempus simile quid non sit visum. Præter opera, quibus auxit Domum nostram, reliquit Ulyssipone quam-

plurima suæ pietatis insignia monumenta. Illius industria condita sunt Domus catechumenis instruendis distincta, Domus Conversarum, Domus Puellarum, quas dicunt Præservatas sub patrocinio Virginis à Conceptione; Domus Puellarum sub protectione Virginis de *Amparo*. Illius præterea sunt opera Domus in Castello urbis, ubi militum Hispanorum filiæ educabantur, & Collegium Hybernorum à sancto Patritio. Reduxit in monasterium observantissimum puellas, quas pestilentiæ causâ parentibus orbas noster Antonius Monserratius collegerat in Domum à Diva Martha. Veniente Ulyssiponem Bernardino Obregonio cum sociis, ut servirent ægrotis in nosocomio Regio, Fonseca eos fovit, & condidit leges, & supplicationem offerendam Pontifici, ut leges tales confirmaret. Hæc omnia ad hodiernam usque diem perseverant magno animarum bono; & tanta sunt, ut vix credi possit Religiosum privatum tot illustria monumenta cogitasse, & re ipsa feliciter erexisse. Rem mihi contemplanti apparet Fonsecam Ulyssipone fuisse in his condendis Christianæ virtutis officinis, quod olim Romæ fuisset S. Ignatius. Comœdias, & earum actores tanquam morum corruptionem, & pestilentiam exterminavit è Lusitania. Diligenter curavit, modum inculcans Regni Proregibus, ut vagos pauperes à mendicitate cohiberent, ne Christiana pietas alat plebem otiosam. Esse nationes alias, in quibus quisque vivat sine hujusmodi corrogatis subsidiis, & miserrimis providentissimè consulatur sine reipublicæ incommodis. Virtutes Religiosæ eum certatim exornarunt. In rebus ad Deum pertinentibus habitus est vir piissimus. Sacrum, & alias precationes comitabantur ex oculis fluentes lachrymæ. Vel in senectute orationis tempus transigebat semper flexis genibus. Quamvis erat naturâ ipsâ præceps ad iram, sic fregit, ac domuit hunc ignem, ut illius ne ulla quidem conservaret vestigia. Sciebat non deesse obtrectatores operum, quæ aggrediebatur, non ideò desistebat. Pestilentiâ Ulyssiponem vastante, missus Eboram, ut urgeret librorum suorum impressionem. Indicta Provinciali Congregatione, redivit Ulyssiponem, eâ soluta, cæpit ægrotare 22. Octobris ex ardentissima, & perniciosa tertiana. Statim nihil aliud cogitavit, quam æternitatem, & quæ opus forent ad postremum iter. Cuncta executus, quæ tempus, & illius poscebat virtus. Expiravit sanctissimum JESU Nomen corde tenens, & ore pronuntians. Tum nostros, tum externos, & Regni dynastas occupavit propter illius obitum ingens mœror. Vix enim per id tempus erat in Lusitania vir apud omnes majoris existimationis. In lucem dedit suæ Philosophiæ aliquot volumnia, quæ satis indicant ejus profundum ingenium.

P. Al-

P. Alphonsus Vaz.

ULyssipone de vita migravit anno 1617. Natus Fronteiræ Dioece-sis Helviensis. Societati nomen dedit 15. Decembris 1582. ætatis 16. Cla-ruit omnibus ad magisteria, & sacra pulpita ornamentis, quæ illustraban-tur radiis solidæ virtutis. Ut juvaret n spiritu milites, unâ cum Patre Ni-colao Gonsalvio conscendit classem Lusitanam, quæ provecta est in al-um, ut à nostro mari piratas abige-et. Navem prætoriam graves, & erniciosi infestarunt morbi. Nico-aus, & Alphonsus dicarunt vitas uas, & omnes industrias sublevan-lis miseris. De Nicolao jam suo loco lictum est; Alphonsus pervenit su-erstes Ulyssiponem. Vix navem gressus, cum radices, & semina con-racta ex servitio ægrotantium pul-ularunt in perniciabilem febrem, uæ brevi eum de vita sustulit. Non acilè potest explicari, quantum Præ-ectus, & milites doluerint Alphonsi nortem. Ob egregiam navatam ope-am miris laudibus omnes in cælum vehebant hominis præstantissimam haritatem, proptereà omnes, & sin-ulos funestavit illius obitus.

DIE V.

Gabriel Ramos Coadjutor.

ULyssipone in Collegio Divi An-tonii vitâ defunctus anno 1647. Natus Granatæ. Conimbricæ Socie-tem amplexus 11. Februarii 1586. ætatis 24. Egit pharmacopæum, & simul consuluit ægrotantibus singu-lari charitate. Quod benè intellige-ret rem medicam, assistebat semper medicorum consultationibus, ut ipsi maturius, quæ forent opus ægrotis, providerent. Plurimum indulsit fa-miliaritati cum Deo per exercitium orationis. Frequenter Sanctissimum visitabat in sacello domestico: coram ipso impendebat contemplationi ho-ras plurimas, & ministrabat omni-bus illic sacrum facientibus. Supe-riores alloquebatur & magnâ reve-rentia, & profundâ humilitate: eo-rum observabat nutus, ut mandaret executioni, quæcunque imperabant. Pauperes plurimum dilexit, ac suc-currit, quantum penes ipsum fuit. Hæ virtutes illi meruerunt justorum mortem.

DIE VI.

P. Emmanuel Duarte.

COnimbricæ desiit vivere anno 1712. Natus in pago *Fermozelhe* Dioecesis Conimbricensis. Societati adjunctus Conimbricæ 17. Maii anno 1677. ætatis 15. Tradidit Rhetori-cam Conimbricæ, Eboræ Philoso-phiam; Moralem Theologiam, & Scholasticam Conimbricæ, hujus ve-spertinam Cathedram moderabatur in Collegio Conimbricensi, & post ejus mortem venerunt litteræ, qui-bus designabatur magister primariæ cathedræ. Semper vixit sine quere-la. Præter alias precationes recita-bat

bat quotidie Virginis Rosarium; ajebatque se permotum ad hujusmodi obsequium lectione concionum nostri R.P. Antonii Vieiræ de sacrosancto Rosario: Prodiens spatiatum ad usque villam suburbanam Collegii nostri, audivit inter oliveta fistulæ ferreæ displosionem, & post hanc gemitus. Sequens vocum tristem, ac dolentem sonum, reperit hominem graviter vulneratum. Etenim dum missum in fistulam nitratum pulverem & tomentum calcat virga stipatoria, catulo igniario feriente lapidem & flammâ concepta, displosa est fistula, & virgâ est transfixum corpus. Existimans Pater vulnus esse lethale per confessionem expiavit illius animam. Deinde ipse, & socii portaverunt inter brachia usque ad ipsius domum in platea vicina nostris scholis, quæ magna distantia est, & ascensu molesta. Ibi tradiderunt habituris illum curæ. Hujusmodi charitas valde collaudata est ab iis, quibus fuit cognita. Sermo familiaris illius proditus erat lepore innoxio. Vitabat commercia Sæcularium, studiorum summopere amans, & cubiculi. Pauperrimus fuit, ut ostendit post ejus mortem supellex, quâ utebatur. Mortem illi charitas attulit. Assistens enim ægroto perniciosâ febre laboranti, eandem contraxit, herpete huic acrescente, intra octo dies contabuit. Cum morbi originem medico narrarunt, non dubitavit asserere Patrem obiisse charitatis martyrem: sciebat enim genus febris fuisse contagioni affine.

DIE VII.

P. Antonius Simoes.

OBivit Ulyssipone in Collegio Di. Antonii anno 1614. Natus Eboræ, ibidemque adjunctus Societati 13. Junii anno 1598. Præditus ingenio raro ad magisteria, & sacrum suggestum, sed morbi nimium pertinaces non siverunt nos diu frui tot bonis, ac dotibus: docuit solùm Philosophiam Eboræ. Ad alias cathedras ob continuas affectiones valetudinis non potuit conscendere. Modestissimus erat, obedientissimus, & valde studiosus mortificationis. Morbus diuturnus desivit in phthisim, & hydropisim. Nuntianti actum esse de illius vita ex sententia medicorum, respondit, tunc cognoscere ipsum sibi fidelem amicum esse. Postremi decem dies supra modum fuerunt laboriosi. Materiæ, quas per os expuebat, tam tetri erant odoris, ut inde socio assidenti sit exorta febris. Totum se conformabat ad voluntatem Divinam. Ajebat, sibi molestiæ futuram vitam longiorem. Solatio esse profectionem de hoc mundo. Omnibus erat exemplo patientia in sustinendis angustiis. Tandem his doloribus, expurgatus, ad perennem tranquillitatem evolavit.

P. Emmanuel Manso.

DE vivis abiit Conimbricæ anno 1715. Natus in Oppido *Avillar*)iœcesis Conimbricensis. Ingresus Societatem Conimbricæ 29. Mari anno 1666. ætatis 16. Docuit boræ Philosophiam, quæstiones de Ioribus, & Theologiam aliquo :mpore, posteà eandem Conimricæ in Collegio nostro professus t usque ad primariam cathedram; einde Ulyssipone in Collegio Divi atritii. Denique vocatus Conimricam, ut ageret Theologiæ Decaum. Id obeuntem, munus intercet mors. Eum plurimæ illustrarunt rtutes. Erat homo antiqui moris, candoris, doli nescius, alienissimus omni ambitionis umbra. Bis recit constantissimè oblatos Societa-Magistratus. Admisit munus Quaicatoris Sanctæ Inquisitionis, quod set onus laboriosum. Cum de no-is unus illum collaudaret, quod ector esse noluerit; respondit: Id alio foret virtus, in me vero fuit a-or proprius. Ajebat Moderatores turos subditorũ parentes, se, quod ito genio, & in rigorem propenerat, aptum aliis gubernandis non e, & hanc unam è rationibus fuis, quam Reverendo Patri nostro ipserat. Nemini mortalium nocuit. nel eum alius Religiosus convenit endens litteras, quibus accusabat ctorem, petens ab eo in eandem tentiam & ipse daret litteras. Hort, & à se repulit tanquam nimium lacem. Ajebat multum coram Deo considerandum, qui zelus moveret ad alienos defectus apud Superiores deferendos. Semel necessum illi fuit, nescio quid criminis aperire Moderatori. Plurimum in oratione perpendit modum, quo & ipse suæ satisfaceret conscientiæ, & criminosus emendaretur, quod unicè cupiebat. Agitatus scrupulis, etenim ab eis multum perpessus, adiit Confessarium: post narrationem importunitatum patienter auditam, nihil, inquit Confessarius, contristeris, aut affligaris, sume hoc pomum, adjecitque contende ad tuum cubiculum, comede, & protinus quiescet hæc tempestas. Obtemperavit, & evanuerunt inanes scrupuli. Quod Emmanuel tribuebat obedientiæ, quâ paruit suo Confessario, cum res ipsa videretur risum poscere. Cum institit, ut excusaretur, ad eum in epistola hujusmodi habebat verba Reverendus Pater: *Quidquid sit apud Deum, certè apud homines indicat contumaciam.* Hæc ille referens adjiciebat: sim bene apud Deum, quidquid sit apud homines. Plurimum dilexit Religiosam paupertatem. Cum sæpe tum consanguinei, tum alii Sæculares offerrent illi pecunias, à nullis voluit accipere. Semper fuit indifferens ad habitandum, ubicunque placuisset Obedientiæ. Illam suam ignitam naturam curabat frangere, dolebatque nonnunquam ab eo rapi impetu. Excolebat areolas florum in compluvio ante fenestram sui cubiculi. Sciscitantibus, cur illud curæ susciperet?

reſpondebat; Dum occupor in hac cultura, non detraho vitæ, & moribus alienis, ſimul paro materiam ad exercendam patientiam. Id ajebat, quod ſæpe ipſi furtim pulchriora caryophylla ſurriperent non ſine dolore cultoris. Quotidie corpus diverberabat. Poſtremo in morbo nihil omiſit, quod Virum ſanctum deceret. Sumpto Viatico, jam nunc, ait, nihil omnino formido de mundo abire. Deliriis mente occupatâ viſum, quales virtutum habitus nutrierit. Illius verba nihil diſcrepabant à vitæ ſanctimonia. Faciebat identidem contritionis actus, ut ſolebat cum pœnitentibus poſt expoſitam conſcientiam, deinde abſolvebat à delictis. Cum dicebant illi Sanctiſſimam Virginem jubere, ut ſileret, & quieſceret, reſpondebat; ſi Virgo jubet, obediendum eſt, ac parebat ſine mora. Quicquid nomine Virginis injungebatur faciendum, exequebatur tam promptè, ut mentis compos efficeret. Omnium opinione habitus eſt vir juſtus, & innocuus.

DIE VIII.

P. Eduardus Vaz.

Ulyſſipone in Domo Profeſſa anno 1636. migravit ad cælites. Natus Pace-Julia. Nomen Eboræ dedit Societati 6. Decembris 1602. ætatis 24. & jam Theologus. Oratio, & mortificatio illi ſpeciatim cordi fuerunt. In tyrocinio usque adeò ſe attenuavit afflictationibus ſpontaneis, ut, cum eſſet viribus robuſtis, phthiſicus ſit reputatus, cogitatumq; de illo dimittendo in paternam domum: verum ob illius ſingularem virtutem conſultius apparuit moderationem adhibere rigoribus, & expectare, an recuperaret vires. Ex voto ſucceſſit conſilium, nam redditus eſt ſanitati. Docentem Bracharæ Gramaticam monuerunut ad iter in Angolam ſuſcipiendum. Conceſſerunt facultatem adeundi patriam ſuam, eam noluit, ſed tantum ex itinere valedicendi contyronibus Eboræ, dicens hos ille ſolum reputare ſuos conſanguineos. Profectus eſt año 1605. In navigatione juvit plurimum in ſpiritu vectores, & nautas. Navis ad oram Angolæ capta eſt à pyratis hæreticis, ſub quorum poteſtate multa perpeſſus. Non ſemel cum ipſis diſputavit de rebus Fidei. Nihil illi contigit acerbius, quam videre fractas, & conculcatas res ſanctas. Tandem captivos impoſuerunt ſcaphæ, ut in terram abirent. Eduardum in exitu attrectantes, dum palpant quid durum, exiſtimant cingulum aureis plenum monetis: avide auferentes, reperiunt cilicium, quo cingebat, & affligebat corpus. Bis non ſine horrore conſpexerunt cetum obviam ſcaphæ venire, Præſenſenti periculo ſunt erepti divinitus: nam objecto belluæ Crucifixo, protinus merſa eſt in profundum prope ſcapham, eâ prorſus incolumi relicta. His malis accrevit procella, quæ phaſelum undis complebat. Vix pote-

terant aquam exhaurire. Victus non excedebat frustulum panis bis cocti digitali magnitudine, unico cum haustu aquæ. Secum Eduardus statuit in eis mori regionibus. Per Angolæ mediterranea plurimas obivit sacras missiones. Eum reverebantur dynastæ, & Reges illius Æthiopiæ, inter quos, & Lusitanos sæpe discordias extinxit. Quod Angolæ mediterraneum cælum sit parum amicum alienigenis, sustinuit in his peregrimatioribus morbos durissimos, tercenties, & amplius illius venæ sunt apertæ scalpello, ut misso sanguine febris posset extingui. Non frangebatur laboribus, sed ex aliis in alios faciebat gradum. Loandæ, quæ caput est ditionis Lusitanæ, nemo ab omnibus magis colebatur: profuit hujusmodi favor tum ad incolas in spiritu promovendos, tum ad augendum nostrum Collegium. Inter tantam rerum varitatem, & tam assiduum cum proximo commercium inexplicabilis est, quam de se ipso curam habuit, ac de suo spiritu intra leges Societatis conservando. Nemo in ejus verbis, aut factis rem vidit, quam posset tamquam levem culpam reprehendere. Unus è nostris, qui illius, annis non minus novem superior fuit, testatus est, se numquam rem ullam Eduardo faciendam injunxisse, quamvis valde difficilem, quam ipse non sit executus, nullâ quæsitâ excusatione: prætereà accedente obedientia, nihil ipsi arduum esse visum. Cognitis assiduis affectionibus valetudinis, quas patiebatur in Angola, sæpè jusserunt Provinciales, ut reverteretur ad Lusitaniam. Verum sui propositi tenax respondebat semper obices ponens itineri. denique cernens ob suos morbos se illic cæteris esse oneri, non levamini, rediit in Lusitaniam, quo pervenit semivivus. Ex parte convaluit. Quam adeptus valetudinem, noluit otiosam. Vixit in Domo Professa agens Oeconomum, prædicans, & excipiens confessiones, quantùm permittebant vires. Ab omnibus suspiciebatur, ut vir sanctus, & ut talis efflavit animam. Ejus paupertatis studium patefecit inventa post mortem supellex, constabat ex ordinaria admodum parva tabella, quæ data est laico Socio.

P. Laurentius Fernandes.

CONimbricæ vitam explevit anno 1623. Natus Bracharæ. Conimbricæ adscriptus Societatiti 9. Maji 1567. Fuit germanus frater Joannis Fernândii, qui Martyr occubuit navigans ad Brasiliam. Conimbricæ Tyrones instituit non tam verbis, quam exemplo suo, quo nullum est efficacius magisterium. Multa illi cum Deo familiaritas. De ipso narratur, quod non injunxerit ulli Tyronum mortificationem, quam prius ille non peregerit. Detractio non infecit ejus linguam. Mansuetudo, & vitæ candor doli, ac fraudis alienus reddiderunt gratum omnibus, & amabilem. De medio sublatus

fluxu sanguinis, qui cohiberi nequivit.

Emmanuel Nogueyra, Scholasticus.

VItâ de functus Eboræ año 1704. Natus in pago *Fartel* Diœcesis Guardiensis. Conjunctus Societati Ulyssipone 28. Junii 1702. Absolvit Eboræ tyrocinium. Eminebat virtus in ipsius moribus. Conscientiæ tam puræ fuit, ut labe vel minimâ non leviter turbaretur. Nihil egit, in quo levem culpam est odoratus. Scripserat in charta diversa proposita, quibus hærebat fideliter. Scilicet, *neminem offendam verbo, non loquar de alienis defectibus, nec de pœnitentiis inflictis alicui sociorum.* Cætera his erant affinia. Piissimus fuit adversus animas flammis piacularibus addictas: His dederat suorum operum satisfactionem; Sabbatis vero illam applicabat pro anima, quæ in hac vita plus Virginem Matrem dilexerat. Frequenter preces fundebat pro omnibus, qui sibi faverant ad Societatem ingrediendam. Magna propensio illi fuit ad omnes res pias. Postremo in morbo singularia præbuit exempla. Volens conscientiæ dubium explicare Sacerdoti, qui fuerat ipsi magister in tyrocinio, tactus scrupulo interrogavit prius, an violaret ullam regulam in tali re cum ipso communicandâ, quod non esset Præfectus juniorum? cum responsum esset nihil offendi regulam, aperuit scrupulum suum, qui nullius erat momenti. Eidem Patri monenti, ut tanquam moriturus, per confessionem detergeret animæ labes, respondit. Pater, nihil aliud ago, nisi conscientiam excutere, & nihil omnino reperio, quod me pungat. Cogitationes suas in Deo unicè posuerat. Postquam mali vis eum privavit mentis usu; mirabile erat contemplari verborum certitudinem, & pietatem, quibus peragebat colloquia suavissima, modo Virginem, modo S. Josephum alloquens, modo alios Divos. Dum suæ mentis fuit compos, vitam à Deo non petivit, sed illius erat verbum: *Fiat, quod Deus voluerit, id unicè volo.* Cum necessum foret adhibere scarificationem, ut putrem sanguinem cucurbitæ foras traherent, poposcit Crucifixum, & eum tenens complexu, tulit immotus acerbitatem medicinæ. A Virgine postulaverat obitum in die illi dicata. Suo est potitus voto.

DIE IX.

Alphonsus Vaz, Scholasticus.

ANno 1553. vitæ posuit finem Conimbricæ. Natus in urbe Portuensi. Societati adjunctus Conimbricæ 17. Maii anno 1551. Totus ad virtutem factus videbatur. Semper præsentem sibi in mente Deum habebat. In domus Superiore reputabat Christum, in Sacerdotibus Apostolos, in aliis Sociis Domini discipulos. Hinc oriebatur illi singularis erga omnes reverentia. In oratione, cui plu-

plurimū indulſit, experiebatur quosdam pios ſenſus, & motiones adeò ſuaves, ut ſponte ſuâ lachrymæ ex oculis manarent. Noctu ſurgebat ad commentandum res Divinas flexis genibus in medio cubiculi. Frænabat accuratè ſenſus corporis, ne admiſſæ imagines turbarent animam. Cum vixiſſet ſanctiſſimè, ſupervenit illi diuturnus morbus, qui menſibus quinque tenuit jacentem lecto. Per id tempus non omiſit exercitia ſpiritualia. Manè per horam meditabatur res ſanctas, idem repetebat veſpere per integram horam. Bis more ſolito diſcutiebat examine conſcientiam. Alias fundebat precationes. Eum ſæpe reperiebat infirmarius oculos aſperſum lachrymis. Ardebat intenſis Deum corā intuendi deſideriis, faſtidiebat res humanas. Sermone de morte ſolebat exhilarari. Difficulter admiſit per id tempus aliquid medicinæ, vel edulii pretioſioris, dicens ſibi eſſe ſcrupulo inutiliter fieri ſumptum. Diebus poſtremis ſuus parens vir multæ nobilitatis eum inviſit. Ad filii conſpectum cæpit flere. Has lachrymas filius improbavit, ab eo benedictionem petens, ſimul rogans, ut ſecum Deo haberet gratias, quod moreretur in Societate. Paulo poſt inter pia verba exhalavit ultimum vitæ ſpiritum.

Ludovicus Rebello Scholaſticus.

Conimbricæ oppreſſus die ſupremâ anno 1614. Natus Ferreiræ Diœceſis Lamecenſis. Addictus Societati Conimbricæ 15. Julii 1611. Animæ profectui diligentiſſimè ſtuduit, præſertim per orandi exercitia, humilitatem, & mortificationem. Non curavit ſanguinem, & carnem. Habuit apud nos conſanguineum, virum magnæ authoritatis, non illum magis reſpexit, quam ſi ſuus non eſſet. Reſiduum à ſtudio tempus conſumebat orando coram Sanctiſſimo Sacramento flexis genibus. Si non reperiebatur in cubiculo, jam notum erat illi, qui eum quærebat, adeſſe Sanctiſſimo. Certior factus de mortis vicinitate reſpondit, nihil ſe avidius optare. Sacerdote in ejus memoriam revocante verba Jobi: *In carne mea videbo Salvatorem meum.* Reſpondit: *Quem viſurus ſum ego ipſe.* Mortuus eſt tranquilliſſimè, nullo edito motu corporis. Natabat in vultu poſt mortem tam gratus color, ut eſſet vivo, quàm mortuo, ſimilior.

P. Balthaſar de Ponte.

IN Collegio Inſulæ Madeyræ ceſſit è vita anno 1621. Natus Arronchii Diœceſis Portalegrenſis. Eboræ conjunctus Societati 14. Decembris anno 1583. ætatis 19. ut eſſet Coadjutor ſpiritualis. Annis triginta vixit in ea Inſula munus obiens Procuratoris, & Miniſtri, tum noſtris, tum externis valde acceptus. In oculis ferebat Religioſam paupertatem, cujus perfectio magis in eis periclitatur, qui temporalia adminiſtrant bona. Convertebat in uſus ſuos, quod alii propter vetuſtatem relinquebant.

bant: rem novam non sumpsit, nisi cogente obedientitâ. Patientia, & humilitas maximi ab ipso æstimatæ. Quamquam fractus morbis vix poterat sustineri pedibus, non tamen dimittebat cilicium, nec abstinebat à quotidiana corporis flagellatione. Subito morbi impetu decidens, importatus lecto; repererunt cilicio cinctum. Quindecim tantum, aut sexdecim vixit horis, quibus Sacramentis est communitus. Deum rogaverat, ut se festinâ morte, aut morbo non diu perdurante de medio tolleret, ne socios fatigaret morbi importunitate.

P. Christophorus de Sequeyra.

IN eodem Collegio Madeyræ Insulæ mortuus est anno 1678. Natus in oppido *Pinhel* Diœcesis Guardiensis. Conimbricæ adjunctus Societati 2. Decembris 1655. ætatis 16. Plurimis annis docuit quæstines deConscientia. Ab omnibus consulebatur propter doctrinæ opinionem. Illum spiritus ad sacras vocabat missiones. Ob litteras, & virtutes magni habitus ab Episcopo, & Præfecto Insulæ. Hic favor utilis valde fuit miseris, quorum negotium erat apud Episcopum,autPræfectum; his rogantibus libenter patrocinabatur. Uix aliquis ægrotabat, aut mori periclitabatur, qui eum non vocaret ob singularem consolationem in ipsius repertam verbis, & monitis. Nesciit è tribunali confessionum recedere, dum præsens foret, qui vellet animam per confessionem exonerare. Quærebat eleemosynas ad succurrendum egenis. Secum usus multâ severitate, & ciliciis, & flagellis artus suos fatigabat, etiam cum per Insulam excurrebat obeundo missiones. Habens sibi curæ Sodalitatem pænitentiæ sancti Patris Ignatii, adductis ad eam plurimis nobilibus, & Ecclesiasticis, & Sæcularibus, illam majorem in modum auxit. Idem sodalitium erexit in oppido *Calheta*, quod paratos animos invenerit; illud promovendi curam duobus viris commendavit. Propagavit per totam Insulam Sodalitium Virginis Auxiliatricis, & per Insulam à Portu Sancto injungens Vicariis studium illius conservandi. Laboris amicissimus, licet ad phthisim vergeret, concionem peregit; non dubium fuit ex ea auctum morbum, quo paulatim sic est extenuatus, ut rite comparatus ad ultimam horam, tandem animam exhalaverit.

Emmanuel Joam Coadjutor.

HOc loco insero memoriam hujus socii, quia meâ & multorum sententia, evidens fuit exemplum perseverantiæ in Societate, ac Divinæ circa illum providentiæ, ut patebit ex rebus mox adnectendis. Obiit Eboræ anno 1707. Natus in oppido *Obidos* Diœcesis Ulyssiponensis. Societatem ingressus 20. Octobris anno 1669. ætatis 30. Specialis Dei manus eum protexit vitæ decursu. Opificium sartoris exercuerat ante ini-

nitam Societatem. Naturâ ipsa ru-
ticissimus erat. Videbatur ex duro
actus trunco. Nihil avidius expete-
at, quam agere templi æditüum.
d rem tamen nihil poterat conside-
ari absurdius, & agrestius. In ipso
onnunquam excitabat bilis quos-
am impetus prorsus cæcos, & præ-
ipites. Feram potius tunc diceres,
uam hominem. His extinctis furo-
ibus, dolebat vicem suam. Idcircò
iis, atque aliis affectus suppliciis.
on semel illum castigationum pu-
licarum ordinem, qui de more per
radus suos exercetur cum reciden-
bus in delicta, exhausit totum. E-
am ob hujusmodi præcipitationes
ancipatus carceri. Mirabamur om-
es, cur tamdiu toleraretur, cum
enties, ut apparebat, de Societate
nereretur pelli, maxime his stulti-
is accedente hominis inutilitate ad
i gradus ministeria. Fermè nihil
liud ex imperio Superioris agebat,
uam scopis pergulas verrere, &
chnos pensiles oleo, & ellychniis
utrire. Leviores ob causas alios vi-
eramus ejectos ab hac sacra familia.
em mature perpendentibus visum
t ejus conservationis causas altio-
s esse, quam quod humanis pru-
entiis deberent æstimari. In ea viri
ısticitate nonnunquam furiosa emi-
ebant quædam virtutes non con-
mnendæ, sed multum necessariæ
ominibus sui gradus. Supramodum
dio habuit ignavum otium, mali-
æ amicum nidum. Ubi muneri suo
tisfecit, ac precationibus, adiit ve-
stiarium, ut rupta lintea resarciret.
Recitationes globulorum, vel libelli
nunquam omittebat: diebus festis
tempus matutinum consumebat in
templo audiens Missæ sacra. Ubi de
nostris aliquis moriebatur, collectus
in suum cubiculum longo temporis
spatio flagello suum verberabat cor-
pus, eam castigationem offerens pro
defuncto. Hanc pietatem Emmanue-
lis sciens Sacerdos Professus, illam
deinde imitatus est. Hujusmodi vir-
tutes non interruptæ, & quidam mo-
rum constans tenor; si furores exci-
pias; vere religiosus fuerunt ancho-
ræ perseverantiæ illius in Societate;
quantum conjecturâ possum assequi.
Existimo etiam suæ mentis compo-
tem non fuisse, cum rapiebant illum
motus insani. Tandem pacatâ mor-
te, quali fruuntur boni Religiosi, de
vivis abiit, Ecclesiæ postremis muni-
tus subsidiis.

DIE X.

P. Doctor Benedictus de Lemos.

ANno 1700. vitâ cessit Eboræ. Na-
tus Monte majore novo Diœce-
sis Eborensis. Ingressus Societatem
Eboræ 23. Junii 1638. ætatis 14. Vi-
guit præstantis ingenii prærogativâ.
Professus Rhetoricam Eboræ, Ulyssi-
pone Philosophiam, Eboræ Theolo-
giam, & ibi Doctoris insignitus gra-
du. Hoc exercebat magisterium,
cum Serenissima Domina Catharina
Regina Angliæ filia Regis Joannis IV.
mortuo suo confessario, aliquos de
no-

noſtra Societate petivit è Luſitania. Miſſus eſt Benedictus cum Auguſtino Laurentio. Profectus eſt 29. Aprilis 1675. Londini moratus eſt usque ad annum 1689. quo regreſſus in Luſitaniam, Eboræ traduxit reliquam vitam. Habito Provinciæ conventu, electus eſt Procurator, ut iret Romam. Poſteà, quamvis repugnantem, Pater Generalis Rectorem præfecit Eborenſi Collegio. Finito magiſtratu, vixit in ſeceſſu villæ ſuburbanæ ejusdem Collegii, quam ille auxerat multis operibus ſumptu ſuo: & non ſolum villam, ſed Collegii templum, ubi exornavit pulcherrimè ſacellum in obſequium S. Ignatii cui aliud jam in villa erexerat. In utilitatem illius Collegii de ſuo conſumpſit aureorum ſupra viginti millia, & inſignem bibliothecam donavit Helvienſi Collegio, propterea numeratur inter benefactores noſtræ Societatis. Nihil tribuit ſuis conſanguineis. Ajebat, quidquid ſibi Regina largita eſſet, id factum, quod erat Religioſus Societatis, propterea conſumendum in Societatis utilitatem. Illius vita plena erat exemplis. Sequebatur domeſticum ordinem exactè, nolens ſingularia. Obedientiæ non detrectavit imperia, quamvis ardua. Regebat Collegium, cum Provincialis illi juſſit, ut ſatisfaceret querelæ Archiepiſcopi ad ſe de ipſo delatæ. Nulla erat in Benedicto culpa, potuit obtendere authoritatem ſuam & ſui magiſtratus, ut ſe duræ ſubtraheret obedientiæ. Paruit tamen, & conveniens Archipræſulem, verbis graviſſimis ad illum inquit: Fateor ingenuè, Domine Illuſtriſſime me in arà poſſe locari, ſi quæ facio, ut placeam veſtræ Illuſtriſſimæ Dominatione, exequerer, ut placere Deo. Hæc, & alia locutus eſt tanto ſenſu, ut Archiepiſcopus ſit confuſus, quod viro graviſſimo talem, ac tantam immerito creaverit moleſtiam. Non parvum fuit virtutis illius argumentum eventus, quem refero. Erat theatro inducenda Tragædia in obſequium Archiepiſcopi de novo Diœceſis poſſeſſionem ineuntis. Rebus nondum omnino expeditis, decreverat Rector Tragœdiam die, quem ſignificavit, committendam theatro. Quanquam illi dicta ſunt incommoda, non aquievit. Res ipſa oſtendit eam mentem ipſi Divinitus injectam. Tragœdia acta eſt belliſſimo ſucceſſu, & multo plauſu, favente ſereno tempore. Poſteà cæpit pluere, imbresque tam pertinaces fuerunt, ut tenuerint quadraginta dies penè ſine intermiſſione. Plane & ſumptus, & labor omnis fruſtrarentur magno Dei ſervi dolore, niſi ille ſupernus inſtinctus antevertiſſet tempus. Ante profectionem Anglicanam ivit Tavillam in Algarbiis ad tentandam fundationem Collegii, quam meditabatur ejus urbis civis, inde Farum venit. Proximâ nocte hæreticus qui illic infirmabatur ad mortem vidit inter ſomnia adoleſcentem cum viro de Societate: illi dixit adoleſcens, vocaret eum Patrem ſoluturum cuncta du-

dubia retardantia, quo minus abjiceret errores suos. Successivè illius rogatu adiverunt infirmi domum nostri Sacerdotes: semper eos dimittebat dicens nullum esse eum, qui sibi fuerat ostensus. Tandem dictum est P. Benedicto hospiti, ut & ipse hominem inviseret. Ubi illum hæreticus conspexit; hic est, hic est, inquit, quem vidi per quietem. Solutis dubiis, fidem amplexus, abiit è vita. Erga omnes singulari usus charitate. Cum Anglicana Regina iter fecit Eborâ rediens è Villavissosa Ulysiponem: impositum est incolis tributum ad sumptus pro Regina excipienda. Postulavit Benedictus à Regina, quoniam erat in pauperes effusè liberalis, ut juberet restitui opificibus, quantum quisque tribuisset ad expensas prædictas. Sine mora id factum est. Pecunias, quas administrabat, nunquam vocavit suas. Si fiebat de illis sermo, dicebat: *Hæ pecuniæ religionis.* Cum Romanum iter suscepit, illi unus ex amicis suasit, ut aliquid nummi consumeret in rebus emendis, quas illic divideret hominibus, quos sibi experiretur benevolos, cui ille: *O Pater, absit à me; quod habeo, est tantum, ut insumatur in commune bonum Societatis, & non in utilitatem alicujus privati:* Fugiebat externorum, præsertim fæminarum commercia, quas nunquam visitavit. Pervigilio S. Ignatii, & S. Francisci Xaverii nihil omnino comedebat. Sic jejunus quotannis habebat ante cœnam exhortationem ad socios de laudibus S. Xaverii in ejus pervigilio. Nihil æquè aversatus est, atque otium inutile. Vel enim incumbebat libris, vel scribebat, vel recitabat preces, & orabat. Exercitiis orationis dedit majorem operam annis postremis, quibus vixit in suburbana villa. Tunc enim pomeridianas horas consumebat in sacello, vel contemplans cælestia, vel fundens preces vocales. Sacrum Missæ obibat plurimâ devotione. Etiam in postrema senectute, cum genu flectebat, tangebat solum, quamvis haberet affectum crus fistulâ. Vehementer indignabatur adversus eos sacerdotes, qui sub aliquo prætextu inter celebrandum Sacrificium non attingebant pavimentum genu. Post sacrum Deo agebat gratias longo temporis spatio. Semper cum cæteris de lecto surgebat mane etiam in ultima senectute, & morbis gravantibus. Erga omnes inerat ipsi affabilitas gratissima. Videns Sacerdotem nostrum virum multis præditum litteris, & aliis dotibus illustratum, annis vernantibus morbo jacere destitutum vitæ spe omni, sic jacturam Societatis doluit, ut vitam suam Deo obtulerit pro conservanda illius Patris vita: dies ipsa probavit ejus auditam petitionem, nam alius cæpit habere melius & Benedictus ægrotavit. Multum curabat nemini afferre vel minimam molestiam; propterea Deum rogabat, illi daret morbos, quos ipse solus sentiret, & quod morbus supremus vitam brevi absumeret, ne

molestiæ esset sociis. Obtinuit postulata. Annis, quos in suburbana villa traduxit, famulos magnâ Virginis devotione incendit. Post tertiam Rosarii partem dictam vocibus alternatis, ab ipsis cantatam, narrabat illis aliquod singulare Virginis beneficiũ erga clientes suos. Illius erant magis assiduæ curæ ad agonem postremum animam comparare. Diebus aliquot pertulit febres tacendo, & sperando extinguendas. Cum videret in dies accendi, domum se collegit, ac tradidit Medicis. Non poscebat Deum sanitatem, sed quod ejus voluntas fieret. Dum per morbum licuit, non omisit precationes solitas. Sæpe auscultabant, Crucifixum Dominum, ac Virginem piissimè compellantem copiosas effundendo lachrymas. Tegebat vultum, ac sub linteo largius indulgebat fletui. Sentiens mortis propinquitatem, id significavit assidenti Sacerdoti, ut eum juvaret piis colloquiis. Sacerdote pronunciante illa verba: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*; continuavit Benedictus dicens: *Redemisti me Domine Deus veritatis*. Et hoc fuit illius postremum verbum, quo dicto, expiravit. Sepultus est in sacello D. Ignatii, quod ipse suis sumptibus exornaverat. Composuerat eruditissima Comentaria in Davidicos Psalmos, quos nobis eripuit fatalis Tamesis inundatio, quæ domum, ubi Patres Londini habitabant ingressa, omni supellectile spoliavit.

Franciscus Bernardes Novitius Coadjutor.

ANno 1570. humanis rebus exemptus Angræ. Natione Lusitanus, cujus foret patriæ non comperi, nec ubi sit Societati conjunctus. De illo hæc Sacchinus in tertia parte Historiæ Societatis: „ Quarto idus Novembris obiit Franciscus Bernardius nondum tyrocinio absoluto, „ veteranæ virtutis frater, sedulus „ Marthæ operum administer, spectabili modestia, humilis, obediens, precum amicus. Denique „ jam dignus domicilio emeritorum: cujus ad sepulchrum vetulæ „ precatum itare cœperunt.

P. Antonius Alvres.

IN Collegio Portuensi contigit vitæ finem anno 1631. Vixit semper optimis moribus, & nostris exercendis deditus ministeriis. Egit Rectorem Collegii Fayalensis, cum promoveretur ad Portuense gubernandum, litteras patentes remisit ad Patrem Generalem enixè rogans, ut se à tali onere liberaret. In oratione præter diurnas horas, non paucas insumebat nocturnas. Quamvis eum gravabant affectiones valetudinis, sic assidebat audiendis pænitentibus, ut videretur robustus. Conservavit magnam conscientiæ puritatem. Examen, quod vocamus particulare, habuit semper de Conformitate cum voluntate Divina: hæc erat materia suarum confessionum, quæ nec levem

rem devolvebat culpam. Ad majorem ejus ſanctimoniæ probationem, ultimis vitæ ſeptem menſibus horridâ laboravit elephantiaſi. Inter hoc tormentum illius erant aſſidua verba: *Habeantur Deo grates infinitæ.* Quod nequiret operari ſacris, quotidie recreabatur Angelorum Pane. De ipſius virtutibus apud cives Portuenſes tanta fuit opinio, ut poſt ejus mortem de rebus, quibus eſſet uſus, poſtularent habituri in veneratione.

DIE XI.

P. Franciſcus Ayres.

Ulyſſipone in Domo Tyronum vitâ defunctus anno 1664. Natus Amieyræ in Prioratus Cratenſis parte, quæ Tranſtaganam occupat provinciam. Conimbricæ ſtudebat, ad finem annorum Philoſophiæ, cum profectus Ulyſſiponem, ibi eſt conjunctus Societati 9. Junii anno 1621. ætatis 24. Rexit Farenſe Collegium, & exercuit noſtra miniſteria. Tandem cæcus effectus, magnam annorum partem tranſegit viſu privatus in Domo Tyronum præclaro ſanctitatis exemplo. Poſſumus dicere ipſum victitaſſe oratione, tanquam quotidiano pane: duabus, aut tribus horis manè prius cæteris exurgebat lecto: ſumptâ flagellatione ictuum amplius ducentis, ingrediebatur orationem uſque ad finem horæ à reliquis haberi ſolitæ. Poſteà eluebat animum confeſſione, iensq; ad ſacellum audiebat ſacrũ, & Euchariſtiam ſumebat; quod egit ſingulis diebus. Accepturus Divinũ panem, recitabat orationemDominicam. Pronuncians illa verba, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* excipiebat ſacram particulam. Talem orationem conſuevit proferre modo quodam adeò devoto, ut audientium animos teneritate piâ compleret. Semihoram in perſolvendis gratiis conterebat, tam immobilis, ut appareret mortuus. Die Jovis hebdomadæ ſanctioris orabat per quatuor, & quinque horas inſtar hominis in Deum ſuſpenſi. Ante feſtum undecim millium Virginum quotannis habuit Exercitia ſancti Patris Ignatii menſe integro. Hoc toto menſe ſemel in die non alios capiebat cibos, quam fruſtum panis bis cocti craſſioris. Diebus decem ante Paſcha Sancti Spiritus etiam habuit ſimilia exercitia, quibus ſe comparabat ad uberioremDivini Spiritus gratiam accipiendam. Non bibebat vinum, poma non edebat, nec alias eſcas, quæ præter communiores inferebantur menſæ. Dormiebat ſuper nudas tabulas. Pervigiliis feſtorum Chriſti, Virginis, & Apoſtolorum tergum verberabat in triclinio; poſt hujuſmodi caſtigationem ajebat, ſe illa ſumpſiſſe verbera propter exemplum deterius, quo cæteris erat offenſioni. Occupabat tempus reſiduũ in componendis libris aſceticis; ipſo dictante ſcribebat novitius. Id agebat horis pomeridianis, nam matutinas horas conſumebat audiendo confeſſiones externorum. Propter in-

gentem opinionem, quæ de illius virtute compleverat Ulyssiponem, magnus erat ad ipsum pænitentium concursus. Pervigiliis solemnitatum Virginis pane tantum, & aquâ victitabat. Adventus, & Quadragesimæ diebus Mercurii, Veneris, & Sabbati pari jejunio se macerabat. Sæpe audiebatur hujusmodi loqui verba: *Francisce vide te ferri ad furcam, tuo profectui consule, quoniam tibi unicè superest una vitæ hora.* Qui semel apud eum per confessionem mundavit conscientiam, deinceps eum quæsivit propter utilitatem, quam experiebatur. Unus ex viris præclaris virtute, qui cum ipso spiritum suum communicabat, fuit Bartholomæus Quentalius, qui hoc regno introduxit morem clericorum Divi Philippi Nerii, secum ferens plurimos, quos rebus spiritualibus instituebat, ad audiendas exhortationes Francisci. Initio cæcitatis ibat ad publicos carceres, & verbis suis incitabat vinctos ad odium peccati, & amorem virtutis. Quod tamen illi est prohibitum ob incommoda eundi, ac redeundi pedibus. Ubi tentatus morbo est, curavit deportari se ad comune Tyronum valetudinarium. Sentiebat intus flammata moriendi desideria. Quandoque canebat, rogans tyronem, ut se juvaret cantu suo. In medio concentu sistebat, exprimens collium æternorum desiderium, quo incendebatur illius animus. In colloquio prævio excipiendo sacro Viatico abundantes profudit lachrymas, & se vertens ad Tyrones, *Fratres, inquit, mementote harum rerum; estè plurimum devoti Matris Virginis, & maximi facite Societatem.* Post Unctionem retinuit mentem incolumem usque ad extremum anhelitum. Supellex, quæ vix superabat castigationis instrumenta, divisa est in plurimos, qui tamquam reliquias expetiverunt. In cubiculo superioris pergulæ, in quo habitavit, ad præsentem usque diem cernuntur in pavimento duo magna capita clavorum, super quæ, fama est, solitum genua ponere, cum orabat: distantia, sive intervallum utriusque, id consultè factum indicat.

Franciscus Campioni Coadjutor.

ULyssipone in Collegio Divi Antonii vitam explevit anno 1621. Natione Italus Marchiæ Anconitanæ. Ab annis quindecim erat in Lusitania. Agebat vestiarium Collegii. Amavit plurimum labores. Adversus omnes magnâ usus charitate. In rebus paupertatis angebatur scrupulis, ne læderet hujusmodi virtutem. Præter suum munus obibat, quæcumque illi commendabant. Nesciebat, quid esset excusatio. Nonnumquam febricitans dabatur comes foras euntibus, ne uno quidem injecto verbo de febri, sumpto pallio, & galero in urbe prodibat. Specialiter addictus fuit colendæ Sanctissimæ Eucharistiæ, singulis diebus Jovis alebatur Pane cælesti, curabatque, ut Coadjutores alii idem facerent, quamvis in Collegio essent moraturi diebus paucis.

Ma-

Matutinas horas dierum festorum consumebat vel audiendo sacra, vel facientibus rem Divinam ministrando. Cum Subminister ad eum ferebat schedulam pœnitentiæ, ajebat subridens: Nunc à me habes salutationem Angelicam, quod schedulam ad me vexisti, alteram Minister, quod scripsit, & injunxit pœnitentiam. Dum ægrotavit, omnes ipsi libentissimè serviebant, quod ille cunctis avidè servitium præstiterat. Post mortem tulerunt Magistri illius cadaver ad sepulturam, nec id officii permiserunt Coadjutoribus.

Gaspar Monteyro Coadjutor.

IN Collegio Angrensi Tertiæ Insulæ obivit anno 1621. Natus in oppido *Lousam* Diœcesis Conimbricensis. Iniit Societatem Eboræ Aprilis .. anno 1616. Singulari charitate advigilavit infirmis, qui erant commissi illius curæ. Benevolentissimus fuit pauperibus. Diligenter incubuit passionibus suis frangendis, & castigando corpori. Ejus mortem sunt comitatæ notabiles circumstantiæ. Undecima Novembris manè incessit pedibus, in speciem omnino sanus. Antequam de lectis socii consurgerent, eum orantem viderunt horam Sanctissimo, ut moris ipsi fuit diebus singulis, & post eam orationem secreto in loco castigabat flagello corpus. Dedit signum campanâ ad incipiendam, & finiendam orationem. Posteà ivit ad septum, sive hortum, quantum est conjectum, ut aliquid conquireret officio suo necessarium, vel, ut in secessu ad recipiendum sacrum Panem se compararet; Erat enim dies Jovis, quo solebat semper ad cælestem mensam accumbere. Tempus erat valde frigidum, inde existimatum est dolore colico, & quidem acutissimo penetratum in solum corruisse, cum non esset præsens, qui succurreret, ibidē expiravit. Repertus est inclinatus super genua, tanquam esset orans; vultu adeò sereno, ut à se vivo parum differret.

DIE XII.

P. Doctor Leo Henriques.

REbus humanis exemptus est Eboræ anno 1621. Natus in oppido *Alcacevas* Diœcesis Eborensis parentibus illustrissimis Henrico Henricio, & Maria Aragonia dominis ejusdem oppidi. Educatus est illis moribus, qui decebant non minus Christianos, quam nobiles parentes. Animi levandi gratiâ puer in hortum exierat horis vespertinis. Fortè secessit à famulorum conspectu. Ecce tibi habet obviam speciosam puellam, qui blandissimis verbis eum provocavit ad turpia. Horruit insperato conspectu, & verbis: & cursu quam citato potuit, ad famulos confugiens, eis aperit timoris causam. Advolant irâ pleni. Scrutantur omnia, neminem offendunt. Tunc est conjectum Dæmonem sub illa specie adolescenti tetendisse insidias. Eboræ studiis incumbens voluit ingredi Societatem. Id mater odorans jussit reverti domum: dissimulavit

ad tempus, excubans in opportunitatem fugiendi. Illâc transierunt è nostris duo, hos secutus, Eboram properavit, & Tyrones auxit 17. Decembris 1590. ætatis 15. Eboræ docuit Philosophiam, & multis annis Theologiam Moralem, & gradu Doctoris est exornatus. Incensa illius charitas non quiescebat nisi adeundo nosocomia, & carceres, docendo pueros catechesim, & sacras peragendo missiones. Decem postremos vitæ annos consumpsit rudes, & pueros instituendo catechesim. Quærebat eleemosynas vinctis in carcere. Nonnunquam humeris suis eas tulit in carcerem per mediū urbis forum. Consanguineorum vitavit commercia, tanquam sui non essent. Cum fuisset electus domûs, ut vocant, Misericordiæ Provisor unus ex ipsius consanguineis confessus est, se id magnifacere, quod occasiones erant futuræ multæ videndi domi suæ Leonem ad petendas eleemosynas. Nam ad id tempus solum bis, terve in anno salutabat illius dynastæ limen. Se reputavit totius mundi vilissimum, hanc animi demissionem declarabant abjecta nomina, quibus se vocabat; ajebat enim se esse terræ vermiculum, & similia. Vivebat mortuus sibi, & mundo. Adolescens, cui morienti astiterat, post mortem sorori suæ apparens, narravit illi tentationes quibus eum in extremo agone dæmon perdere conatus fuerat, adjecitque, omnibus ereptum patrocinio Leonis, qui plurimum Deo placebat. Per litteras rogavit fratrem suum, ut succurreret temporali subsidio cuidam viro honesto sui oppidi, laboranti gravi necessitate. Rem vir ille nemini mortalium aperuerat. Vocatum, reprehendit amicis verbis, quod sibi confidenter non detexisset suæ domus angustias. Valdè admiratus est, quod sciret ipse rem adeò secretam. Sciscitatus est, unde cognovisset? tunc illi ostendit Leonis epistolam ex Ebora missam. Nec dubium fuit Divinitùs rem notam Leoni, ut remedium adhiberetur. Eboræ vir quidam duxit uxorem, cui promissa dos non est posteà data. Idcirco relictâ domo, & uxore migrabat in Castellam. Jam erat inter Helviam Lusitaniæ, & Pacem-Augustam Castellæ, cum se illi dedit obvium Leo, & Bartholomæus Laurentius Coadjutor; suasit homini, Eboram rediret, promisitque se litem totam compositurum. Paruit suadenti. Adiens nostrum Collegium, dixit janitori, velle se alloqui Patrem Leonem de negotio tractato ultrà Helviam cum ipso, tali die; Miratus janitor, respondit, eâ die Patrem non egressum domo, & verum erat. Quamvis Leo summoperè rem celavit, prope mortem eam manifestavit suo confessario. Faciebat sacrum maximâ veneratione, artus suos cilicio cinctus. Postremis vitæ diebus faciebat quotidie trecentos contritionis actus, quos numerabat per globulos precationum; post decimum quemq; adjiciebat actus Fidei, Spei, & Charitatis.

is. Illi debet Societas Joannem Carlimium, de quo fit mentio 18. Feruarii, habens Vianæ missionem tabilem, illum reddidit amplectenlæ Societatis cupidissimum. Leonis nors ea fuit, quæ sanctorum esse olet.

P. Antonius Fernandes.

GOæ apud Indos Orientis mortuus est anno 1642. Natus Ulysipone. Societatem amplexus Eboe 26. Martii 1586. Migravit ad Iniam anno 1602. Parum ibi moras, navigavit in Æthiopiam 1604. lic reducendis schismaticis diligenm navavit operam. Cum Seltamus entis ejus Rex vellet Romana sacra scipere, censuit id sibi tutum non re, nisi munitus esset præsidio mitis Lusitani. Is adire Æthiopiam equibat per portus maris Rubri, iod hi erant occupati Turcarum cibus, & fortibus præsidiis. Igitur a nova tentanda fuit, an per Meidum posset Lusitanus ad Æthioiam penetrare. Negotium comendatur Antonio. Post infinitos ores reperiens obices non supendos, deseruit expeditionem, & se stituit convertendis schismaticis. ndem veniente Patriarcha Alonso Mendesio, de quo fit mentio . Junii, Rex Seltamus publicè fim Catholicam amplexus est. An sequentibus floruit apud eas gen vera Religio, donec Cacodæn suis artibus sic res turbavit, ut econes Evangelici unà cum Patriarcha sint in exilium pulsi, ac Turcis traditi, è quorum manibus non egressi sunt, nisi magno redempti pretio. Reliquos annos Goæ vixit singularia præbens exempla. Custodem Angelum speciali devotione prosecutus. Semel in Æthiopia erat amnem transiturus, cum illic adessent plurimi homines, & puderet ipsum propter modestiam se vestibus exuere, recurrit ad suum Custodem Angelum. Repentè ex alia fluminis parte inventus est. Magnus illi inerat animus ad res arduas aggrediendas pro Dei gloria. Cum suscepit iter illud ad aperiendam novam viam Lusitanis in Æthiopiam, se considerabat formicam in medio campi vastissimi populo referti, ubi formica multitudinem non attendens, unicè curat advolvere in foveam suum granum tritici: Illius oratio perdurabat horis plurimis. Semel est inventus cubitis duobus à terra sublimis. Assiduum illi bellum indixit princeps tenebrarum. Cæteris molestiis, quibus eum afflixit, addidit verbera crudelia, & fustuarium. Castigatione corporis sic se extenuaverat, ut videretur potius umbra hominis, quam homo. Jejunio transigebat Adventûs, Quadragesimæ dies Mercurii, Veneris, & Saturni totius anni, & quindecim dies ante Assumptionem Virginis, & alios quindecim ante festum Archangeli Michaelis. Dum fuit in Æthiopia, ut plus haberet temporis ad animas lucrandas, per quadragesimam cibos uni-

unicè edebat cadente ſole, alio tempore, horâ tertiâ poſt meridiem. Defectu nativi caloris longâ in ſenectute extinctus eſt. Magnam de illius virtute opinionem conceperat Alphonſus Patriarcha.

DIE XIII.

P. Emmanuel Dias.

OAchi in regno Morangio apud Indos Orientis vitâ defunctus anno 1630. Natus in oppido *Alpalham* Diœceſis Portalegrenſis. Eboræ traditus Societati 19. Januarii 1608. ætatis 17. abſolutis jam Philoſophiæ ſtudiis. Navigavit ad Indiam anno 1614. Coccini docuit Philoſophiam, & Theologiam, rexitque illud Collegium. Præter alias miſſiones, ſuſcepit iter ad regnum Tibetenſe, quod fama vulgaverat, illic eſſe veſtigia Fidei Chriſtianæ. Iter plenum erat difficultatibus. Addictus illi comes Pater Stephanus Cacella, & nonnulli famuli. Ob latrones, & feras erat via periculoſiſſima. His incommodis acceſſerunt frequentes paludes. Iter nonnunquam faciebant, merſi aquâ genutenus. Hujuſcemodi viarum inclementiæ vitam Emmanueli eripuerunt. Ejus demortui vultus inuſitatâ lætitiâ affuſus eſt. E famulis unus affirmavit ſe vidiſſe illius faciem ſplendorem emittere.

P. Andreas de Noronha.

VItam explevit Eboræ anno 1658. Villæviſſoſæ natus parentibus illuſtriſſimis Chriſtophoro Noronio, & Guiomara de Caſtro. Societati nomen dedit 25. Novembris año 1611. Nunçupavit tria vota ſolemnia. Renuente patre, ingreſſus Societatem, propterea parens eum conatus eſt à ſancto dimovere propoſito. Contempſit ille paterna verba, & querelas. Eminebant in eo præſtantiſſimæ dotes, quæ junctæ nobilitati promittebant Societati ſpem non vulgarem. Hæc omnis ſpes ſucciſa, ceu flos aratros, ſyderatione, quæ reddidit eum inutilem. Vixit annis pene quadraginta ſemper infirmus, plenus morbis, & ulceribus, perpeſſus longum martyrium. Non ideò parcebat mortificationi, & voluntariis caſtigationibus. Quotidie flagello tundebat corpus, non deerat exercitiis comunibus, quantum per vires licebat. Peragebat publicas mortificationes pervigiliis feſtorum magis ſolemniũ. Quamvis illi erat moleſtiſſimum ob claudicationem inſervire menſæ, non deerat huic exercitio, quod ſolitus peragere capite ſemper detecto, ut oſtenderet reverentiam erga Religioſos. Poſteà oſculabatur eorum pedes. Habens penè inutile brachium ſiniſtrum, non conſenſit, ut quis illi ſterneret lectum, verreret cubiculum, obiretve alia miniſteria. Gratiâ tempus occupandi ſcribebat res ſpirituales. Tandem impetitus apoplexiâ, tertio die poſt incurſionem morbi effudit animam.

P. An-

P. Antonius de Almeida.

Oandæ in Angolæ regionibus sanctissimè ad immortales est transitus anno 1681. Natus in Oppido *ntas de Penalva* Diœcesis Visensis. Coimbricæ adjunctus Societati 5. Octobris 1654. ætatis 21. Inculpati uerunt semper illius mores. Dominabatur suis propensionibus, quas itebatur subigere. Nunquam ad ensam sedens significavit dapes esse enè, vel perperam conditas. Eas nim accipiebat, tanquam è manu ei. Virtutes cæteras elucidavit ctus mortificationis non vulgaris. ittebatur in Angolam è nostris uus, qui suis commodis plus studens, uam conservationi in Societate, noit obedire; propterea expulsus est. idens Antonius hominis stultitiam, casum, libenter se obtulit Superiobus, ut locum dimissi compleret. rates persolvit illi Superior ob vontarium de se obedientiæ factũ saificium. In ea regione incubuit nater obeundis instituti ministeriis, onec cumulatus meritis, & virtutis, exuit mortalitatem.

DIE XIV.

P. Josephus Carvalho Martyr.

N regno Tanjaorio apud Indos Orientis martyrio coronatus est an- 1701. Natus Portalegriæ. Eboræ mplexus Societatem 13. Maii anno 75. Antequam ad nostrum accedet institutum, adolescens erat notæ virtutis. Litteris studens Eboræ, tum aulas ingrediens, tum egrediens videbatur in modestia Societatis novitius. Cum per id tempus frequentarem adhuc puer eandem Academiam, recordor modo, tunc me illius modestiam observasse, tanquam quid rarum, & præ se ferens sanctimoniam. Vestitus ipse erat honestissimus. Semel à domestica famula solicitatus ad rem turpem, impudentem à se repulit generosâ indignatione. Apud nos non tam homo, quam Angelus est visus. Coram se non permisit committi vel levissima crimina adversus observantiam. Siquis est ausus quid tale, deferebat ad moderatores, ut remedium, vel castigationem adhiberent. Profectus ad Indiam anno 1680. Majorem vitæ partem transegit in Missione Madurensi neophytos excolendo, & Ecclesiæ aggregando Ethnicos, quorum multa millia ipsius labore sunt conversa, & baptismo abluta. Modus vivendi, quem tenent illic Evangelici operarii, tam asper, & severus est, ut in Europa non sit Religiosa ulla familia æque rigoribus dedita. Sustinuit gravissimas persecutiones. Sæpè coactus est vivere in sylvis, ut se conservaret neophytis fugiendo ethnicorum manus. Sæpè rebus omnibus per latrones exutus. Habuit speciale donum ad pellendos è corporibus dæmones. Postquam per annos plurimos diligentissimam illi culturæ impendit operam, tonuit adversus eam Ecclesiam ingens procella, præser-

ſertim contra præcones Evangelicos. 23. Octobris ab ethnicis comprehenſi Joſephus, & Michael Bertoldus. Joſephus laborabat valde afflictâ valetudine. Inhumanitate incredibili catenis onuſtos coegerunt pedibus iter facere per vias lutulentas, pluvio cælo, lanceis percutiebant, ut feſtinarent. Sæpè Joſephus exanimis cecidit in terram, toties inſtar Chriſti ſub cruce, nitebatur exurgere, & progredi. Pervenientes ad urbem quandam, conjecti ſunt in carcerem adeò calidum à vapore ſolis, ut citra dubium illic perirent, niſi cuſtos ad oſtium illos extraxiſſet ad captandam vitalem auram. Sequenti die Joſephus tam debilitatus erat, ut nec ſuis, nec alienis pedibus ire viam poſſet. Verum impiorum crudelitas quâ nudatis enſibus, quâ lanceis minitando, & quatiendo compulerunt metiri pedibus quatuor leucas: 29. Octobris intrarunt urbem Tanjaorium, quæ facit regno nomen. Excepti ſunt injuriis, & conviciis innumeris, ac detruſi in anguſtum adeò carcerem, in quo jam erant neophyti triginta, ut propter tecti humilitatem non poſſent, niſi ſedendo, eſſe, & cruribus contractis, quod aliud multitudo non pateretur: 30. Octobris vincti ambo compedibus, quas ſunt oſculati, & Joſephus ſuas etiam impoſuit capiti, antequam indueret pedibus, dicens illas pluris facere Regum coronis. Protinus Rex decrevit, per neminem inferri cibos, volens eos necari fame; quod illi

genti ſit magno horrori profunde
humanum ſanguinem, præſertim R
ligioſorum, quales erant Patres. N
obſtante Regio decreto, Chriſtia
Matrona, corruptis munere cuſto
bus, mittebat cibos. Verum cùm
conſtarent lacte, & pomis, auxeru
Patris morbum, quibus accrevit
cus inclementiſſimus. Tunc Bert
dus rogavit, ut compedes exuerent
ægroto. Reſponſum eſt, parum re
re damnatum ad mortem expira
compedibus indutis. Noſcens propi
quare agonem ultimum, rurſus p
confeſſionem expoſuit animi lab
Oravit publicè pro Rege, & ejus n
niſtris. Poſt orationem caput acc
nans ſuper Bertoldi brachia ſuavi
mum inter agonem efflavit anima
Bertoldus ſolutus eſt carcere; aff
mavitque Joſephum non amiſiſſe u
quam eam gratiam, quâ donatus fu
ſet in baptiſmi fonte; quod notum
ex confeſſione totius anteactæ vit
Cadaver humatum eſt extra urb
muros, ſed neophyti nocte extr
ctum ſepelierunt prope Chriſtian
rum ſacram ædem; apud eas gent
moris non eſt cadavera in temp
contumulare. Novemdecim an
laboraverat in Venerabili Madure
miſſione. Fuit animo forti, & co
ſtanti ad res arduas aggrediendu
Solebat uſurpare illud Horatii:
fractus illabatur orbis, impavidum feri
ruinæ. Cæteræ virtutes prædictis
miles. Plurimum ſe fregit, ac vic
Parciſſimo uſus victu. Indulgeb
commercio cum Deo ſuo. Deniq;

s fuit, ut feliciſſimam meruerit glo-
oſæ pro Chriſto mortis coronam.
ipra modum recreor, quod cum eo
nior Eboræ convixerim, noverim,
ſim allocutus.

P. Sebaſtianus Dias.

Occini apud Indos Orientis anno
1616. piè defunctus eſt vitâ.
lyſſiponenſis domo. Bis Societatem
greſſus. Non contentus noſtro vi-
endi more ad mundum redivit. Al-
rum habuit fratrem in Societate.
um animam agebat, conceſſum eſt
baſtiano, ut intereſſet morienti.
idens pietatem noſtrorum, collo-
ia, & alias preces ad expirantem
vandum, ſic eſt permotus, ut ſe-
m ſtatuerit repetere Societatem.
ſt capta de illius ſpiritu debita ex-
rimenta Societati conjunctus Co
nbricæ 10. Februarii 1604. ætatis
. Ejus ſanctimonia clarè oſtendit
ſum à Deo electum, qui Sebaſtiano
velavit illum eſſe unum de numero
ædeſtinatorum. Hujusmodi reve-
tionem geſtabat ſcriptam intra cru-
enulam de collo pendentem, quæ
ſt ejus mortem inventa, ac lecta
s verbis: „ Ad tuum magnum ſo-
latium, utque facilius poſſis reſi-
ſtere tentationibus inimici, ſcribe
ſequentia verba, & ut, cum te vi-
deris inter labores, poſſis ea lege-
re, & tibi ſint magno ſtimulo ad ca-
peſſendam perfectionem. Es præ-
deſtinatus ad æterna bona. Es in
gratia, & in illa confirmatus. Mo-
riturus es in Societate. Igitur, fili
„ mi, cape animos ad quærendam
„ omnem perfectionem, ut ſic mihi
„ poſſis eſſe gloriæ, & tibi lucrari
„ plurimos gradus gratiæ, te nudans
„ totum rebus hujus vitæ, & recor-
„ dans ſolum Deum, quoniam volo,
„ mihi ſervias, dum vixeris, & hoc
„ pro mea infinita miſericordia. Ho-
„ die Dominica quarta quadrageſi-
„ mæ quinta Martii año 1606. Cum
hac ſchedula habebat alias devotio-
ne plenas. Tranſivit ad Indiam an-
no 1614. Fuerat illi manifeſtata præ-
dicta revelatio, quo die ſuſcepit Eu-
chariſtiam, illam propterea ſingulari
amore proſecutus, gerebatque ſibi
ſemper in mente præſentem. Semel
Cranganore moram aliquam fecit
inter concionandum; exiſtimantes
nonnulli contigiſſe defectu memo-
riæ, ſunt ab eo ſciſcitati novitatis
cauſam; reſpondit fervore dicendi
excidiſſe ſibi memoriam Sanctiſſimi;
parum ſubſtitiſſe, ut eam revocaret.
Quo facto, progreſſum. Quamcun-
que rem ageret, non dimittebat hu-
jusmodi præſentiam, quæ videbatur
illi innata. Ob ſecuritatem ſalutis
ſuæ æternæ, nullo, quamvis magno,
turbabatur periculo. Poſtremo in
morbo ſi dicebatur moriturum, inun-
dabat lætitiis; ſi evaſurum mortem,
contriſtari ſolitus. Affectus erga Paſ-
ſionem Domini, & Matrem Virginem
major fuit, quam explicari poſſit.
Qui noverunt totam ipſius vitam,
teſtati ſunt, in eo rem non vidiſſe,
quæ culpa foret. Vexatus ſupra mo-
dum ſcrupulis, identidem repetebat

in recitando officio eundem versiculum. Dixit illi Superior id sciens, ne in posterum caput frangeret hujuscemodi repetitionibus. Dicto audiens, amplius non repetivit. Verum abeunte de magistratu illo Superiore, & cessante obedientiâ, redierunt scrupuli. Ajebat, jubente Superiore, iturum se in turris culmen ad explorandum, unde ventus flaret, tanta æstimatione obedientiæ, quanta, si juberet concionari, & moderaturum eâdem applicatione ludum puerorum, atque Theologiæ cathedram. Indifferens illi animus ad omnia Majorum imperia. Vinum non bibit. Exiguo admodum cibo trahebat vitam. Siquis nimiam reprehendebat parsimoniam; Consuevit respondere; Scrupulo sibi esse plus victus capere, quam sustentandæ vitæ foret necessarium. Modestia, quæ rara fuit, illi promeruit Sancti nomen, quo ipsum dignabantur. Suis sensibus indixerat bellum continuum. Nolebat audire novitates, & detractiones. Sermo familiaris non de rebus vanis, sed solum de Divinis erat. Florem, aut aliud odoriferum non admovit naribus. Nascebantur hujusmodi virtutes ex incensa, & assidua oratione, ad quam surgebat etiam noctu. Precationes, quæ multæ fuerunt, peregit vel flexis genibus, vel stans pedibus. Diebus singulis recitabat horam unam officii Virginis, quo fiebat, ut in fine hebdomadis decurrisset totum. Indumenta vetusta, & trita ipsius erant deliciæ, quæ suis manibus reficiebat, ac muniebat centonibus. Non multo tempore vixit in India. Tum illic, tum in Lusitania singularis vulgata est de ejus virtutibus existimatio.

DIE XV.

P. Georgius Vaz.

In Congo Africæ regno ultrâ æquatorem obivit anno 1553. Natione Lusitanus. Conimbricæ addictus Societati 16. Novembris 1545. Petente Rege Congi à Lusitano Rege operarios Evangelicos, qui regni ejus populos Christianos mores penes nomen edocerent, & fidei veritatibus excolerent; rem totam Joannes Tertius Lusitaniæ Rex commendavit Simoni Rodericio Provinciali nostro, ut illò mitteret idoneos operarios. Quamvis multi se offerrent, & inter eos Leo Henricius, electus est Georgius cum duobus aliis Sacerdotibus, & uno non Sacerdote. Profecti Septembri mense anno 1547. tenuerunt Pindam, quod oppidum est in ostio Zairi fluminis, unde iter est ad Congi regiam urbem. Eo conducti sunt jussu Regis, qui unà cum filiis suis obviam hospitibus prodivit. Initia rerum fuerunt prospera. Ædificavit Georgius tria templa. Cum sociis excurrit in populos finitimos mysteriis Fidei multos instituens, & tingens baptismo. Sensim cognovit Georgius, Æthiopes velle Christi legem sine oneribus suis. Videbatur illis quid insuetum, & intolerandum re-

relinquere uxorum multitudinem, & usum veneficiorum, quibus magnopere sunt obnoxiæ illæ gentes. Si Georgius improbabat tales profanitates, graviter ferebant. Hinc ortum est magnum fastidium adversus Patres; importunè clamabant, ut eos de regno ejicerent, quod abolere conarentur ritus patrios. Cæpit Rex illos afficere molestiis. Inter assiduas ærumnas, exiguo admodum immensi laboris fructu Georgius è vitâ cessit. Ob solidas virtutes ad tam arduam missus expeditionem. Non reperi diem certum obitûs, ideò huic inserui, quod vacaret.

P. Emmanuel Alvres.

APud Indos Orientis die, mense, & anno mihi non compertis exemptus est humanis rebus. Natione Lusitanus. Conimbricæ dedit nomen Societati. Exivit peregrinatum de more nostro cum alio tyrone: hic Emmanueli jussit in urbe Visensi, ut adiens tabernam emeret oleum duobus unicè terunciis edendum cum piscibus. Erubuit, nec adduci potuit, ut obediret. Redditus Collegio accusatus est prædicti criminis apud Simonem Rodericium Provincialem; qui sinè mora ad puniendum contra obedientiam delictum jussit Emmanueli, ut sumpto lecytho, ac duobus teruncijs, ret illud tredecim leucarum iter, ac ediret, secum ferens testificationem scriptam, quod Visensi in urbe emerit oleum. Imperium executus est, ac revertit, ut ierat, pedibus, obedientiæ suæ nobis optimum relinquens exemplum. Pictoris artem didicerat, quâ usus est & in Lusitania, & in India. Anno 1560. studio lucrandi animas ad Indiam proficiscitur. Conscendit navem à Divo Paulo unà cum Joanne Roxo Castellano. Navigationem ærumnæ, & naufragium fecerunt celeberrimã. Vi tempestatem navis delata est in Bahiam. Octobri, relictâ Brasilia, se commisit alto mari. Post furiosas procellas, & multam casuum varietatem navis est impacta Insulæ è regione Samatræ. Magnâ difficultate evasêre ad littus. Discordes animos ipse redegit in pacem, fuitque omnibus commune refugium, & solatium. Dum ex navis fragmentis adornabantur aliquot navigia, erexit sacram ædem ad tempus extructam. Ibi sacrum faciebat, & concionabatur. Cum ea calamitas omnes deberet excitare ad peccatorum dolorem, visa est dedisse signum ad res alienas surripiendum. Furta homines ad pænitentiam reddiderant lapideos. Ut molliret corda saxea, ordinavit litanias, & supplicationes, in quibus homines plurimi flagris feriebant terga, & ipse eodem modo inter eos se cruentabat. His exercitiis illos paulatim Deo curabat aggregare. Clamabat multum adversus insatiabilem avaritiam divitias cumulandi, & merces; nam si quas ex naufragio collegerant, vellent imponere fabricatis navigiis, summergerentur. Ut suo eos incitaret

ret exemplo, cremávit majorem partem rerum, quas ad Missiones ferebat. Nullus tamen fuit, qui in hoc eum imitaretur, potius adversus ipsum est iratus Præfectus; quamvis posteà conspexit, quanta ratio inerat Patris suasionibus. Illic in fabricandis navigiis morati sunt diebus sex supra sexaginta. Inde ad aliam migrarunt Insulam. Incolis se Lusitanorum amicos fingentibus, Lusitani plus justo ipsis fidentes, excensione factâ, extemporanea in littore fecerunt tuguria. Prodivit è navi Pater ad audiendam confessionem nobilis fæminæ, quæ, ubi conscientiam exposuit, repente sanitatem recuperavit. Ante ortum solis incolæ sumptis armis irruerunt in Lusitanos, plurimos trucidarunt, ægrè alii se ad navigia receperunt, inter quos Emmanuel vestitus, & calceatus ingressus amnem, ut navigium conscenderet. Ter mori periclitatus, tandem à sociis receptus effugit mortem. Ceciderunt Lusitani circiter quinquaginta. Post multos alios eventus, quos secum ferunt similes calamitates, ingressi sunt fretum Sundense, ubi eos collegit classis Lusitana. Delati Malacam, ibi Pater aliquo tempore sacras habuit conciones magnâ auditorum utilitate. Febricitabat, cum Patres Ordinis Dominicani ab ipso postularunt, ut concionaretur die S. Dominici. Obsecutus est eorum voluntati, & calens febre prædicavit, nec propterea habuit deterius. E Malaca Goam adivit, ibi ad finem vitæ exercuit Instituti ministeria.

DIE XVI.

P. Doctor Franciscus Fereyra.

ULyssipone in Domo Professa adjunctus immortalibus año 1619. Natus est Britiandii Diœcesis Lamecensis. Conimbricæ Societatem iniit 23. Maii anno 1567. ætatis 16. Unus fuit è Sapientioribus viris hujus Provinciæ. Eboræ docuit Theologiam, & laureatus gradu Doctoris. Etiam agitatum est de illo promovendo ad primariam Cathedram Theologiæ Conimbricensis Academiæ, cum factus est illius Magister Franciscus Suarius Granatensis. Comitatus est Archiepiscopos Bracharensem, Ulyssiponensem, Eborensem, & Martinum Gonsalvium de Camera, cum Regem Castellæ convenerunt ad impediendam delictorum generalem veniam, quam sibi poscebant Judæi. Consulebatur ab omnibus tanquam oraculum. Plurimum serviit Sancto Inquisitionis Tribunali. Obivit Societatis magistratus magnâ integritate. Egit Præpositum Domus Professæ, deinde Provincialem: Ter ivit Romam, primò electus Procurator, secundò electus ad suffragandum in sexta Congregatione, tertiò ex munere Provincialis ad septimam Congregationem. In suis magistratibus dilectus ab omnibus ob duas res specialiter. Quod cuperet semper consolari subditos, & quod nec animum ostenderet minus affectum, nec ullum fictionis genus. Erat contrarius confabula-

latiónibus ociosis, & facetiis. Etiam res momenti exigui tractabat gravi maturitate, & attentè. Illius epistolæ tam seriæ fuerunt, ut, salvo secreto, quod continerent, legi possent in foro publico. De omnibus locutus est cum tanto honore; ut nunquam alicui detraxerit, nec verbum protulerit, quod ulli hominum esset dedecori. Quidquid ab eo postulatum est, si potuit, libens concessit. Eleemosynis succurrebat illis præsertim externis, quos sciebat habere in Societate filium, aut fratrem. Ad mensam sedens, modestiam raram, & sobrietatem servabat. Plurimum Religiosam amavit paupertatem. Vestitus tum exterior, tum interior erat eadem paupertas. Sacrum non celebravit, nisi longo spatio paratus. Officium Divinum attentissimè, ac devotissimè recitabat. Nullam habuit gubernandi aviditatem. Rogavit Patrem Generalem, ne tempus regendi Provinciam sibi extenderet ad supplendum, quod consumpserat in itinere Romano. Ad eum rescripsit Pater Generalis, nullam adversus illum ad se missam querelam, ipsum à magistratu liberari, ut fieret satis petentis importunitati. Paralysi correptus in lectum decubuit. Tum Prorex, tum Collector Summi Pontificis, Inquisitor Generalis; & cætera regni nobilitas multis significationibus ostenderunt, quantum dolerent ejus ægritudinem. Sacerdoti offerenti Missæ sacra pro illius facienda valetudine respondit; potius ea servaret celebranda post obitum ad sublevandam pœnis animam. Una erat omnium vox, non potuisse Societatem pati majorem jacturam, quod esset vir omnibus numeris absolutus, & memoriâ tam felici, ut res omnes, quas didicerat, haberet in promptu, tanquam recens studuisset. Cum mortuus est, numerabat annos octo supra sexaginta, Societatis tres supra quinquaginta.

Emmanuel Soares Scholasticus Novitius.

EBoræ vitam exuit anno 1597. Natus Vianæ Diœcesis Eborensis. Societatem Eboræ complexus 4. Junii anno 1596. ætatis 16. Angelica illi sinceritas in aperienda Superiori conscientia sua. Fugit leves culpas non secus atque graves. Si dabant ipsi rem ad usum comodiorem, flagitabat, daretur potius alteri, in idque adhibebat diligentiam. Quanquam debilis erat viribus, orabat semper flexis genibus. Si jubebant sedere, id executus modo sibi molesto. Quæcunque afferrent illi molestiam, tolerabat incredibili patientia, & modestiâ. In morbo ultimo ne unus quidem gemitus ex eo auditus animi levandi gratiâ. Ejus erat verbum ordinarium: Fiat voluntas Dei. Medicinas quamlibet gustu, & trajectu insuaves, jubentibus infirmariis, hausit sine mora. In verbis, ac factis tulit præ se maturitatem annis majorem, magnaque de ipso erat spes, quam mors cum illo extinxit.

DIE XVII.

P. Franciscus de Gouvea.

IN Domo Professorum Ulyssipone venerabili confectus senio anno 1638. In eadem urbe natus erat nobili familia. Educatus est in aula Joannis Tertii Regis. Multa illi cum nostris familiaritas, apud quos frequenter expiabat conscientiam per confessionem. Probatus, ut jungeretur Societati, & missus Conimbricam auspicaturus tyrocinium, voluit iter pedibus facere tum devotionis causâ, tum ne sentiretur ab eis, qui poterant impedire. Quod erat educatus inter delicias, & his non assuetus laboribus, & tenuis viribus, diei primi fine valde erat debilitatus. Non ideo despondit animum; sed postulavit à Deo vires, & auxilium, audivit Deus illius voces: Nam obvius illi fuit vir, qui læto vultu, ac verbis & animavit, & obtulit mulum, quo portaretur. Eum comitatus est usque ad conspectum urbis, tunc illam digito monstrans, repentè ex oculis evanuit. Hoc admirabili eventu gratias habuit Deo pro singulari in se providentiâ, & certus fuit se ab ipso vocari. Dedit igitur nomen Societati Conimbricæ 15. Februarii 1556. vivente adhuc Sancto Ignatio. E Conimbrica migravit Eboram, & illic absolvit tyrocinium. Post scientiarum studia cæpit anno 1567. docere Moralem scientiam in Eborensi Academia, magno sui magisterii nomine. Primus ille Morales Doctrinas fundavit principiis Theologicis. Per id tempus nihil celebrius libris Doctoris Navarri, qui magis hærebat Juris litteræ. Scripsit tractatum, quem dixit *Anti Navarrum*, ob illum Navarrus coactus est mutare quamplurimas de suis opinionibus. Non totum occupabant magisteria, nam & prodivit ad obeundas sacras missiones. Propter magnam ad gubernandum prudentiam, gessit gravissimos Religionis magistratus. Rexit Eborense Collegium, bis Domum Professam Ulyssiponensem, tandem totam Provinciam & Provincialis, & posteà Vice-Provincialis. In itineribus ad lustrandam Provinciam semper ministrabat socio suo ad aram facienti. Et cum socius aliquam personam, cui Provincialis erat incognitus, officii causâ invisebat, sinister illi ibat, monendo, ne quis esset, diceret, & ne eum tanquam Præsulem suum honoraret. Magna fuit illius charitas ergà infirmos, quorum verrebat cubicula, & vehementer reprehendebat, qui haberent eos curæ, si deerat aliquid ipsorum commodis. Propter virtutes, & litteras Prorex Christophorus de Moura, & illius uxor voluerunt, sibi esset à confessionibus. Eorum gratiâ non est usus, nisi ad proximi bonum. Egit Consiliarium Tribunalis sanctæ Inquisitionis, donatusque privilegiis, & mercedulis honorariis, quas tribuebat Domui Professæ. Religiosam observantiam exactè continebat intra suos limites, non attentis personarum re-

spe-

ſpectibus. Præpoſitus erat Profeſſæ Domus, cum ſub finem anni 1598. exarſit peſtis Ulyſſipone. Non ille domum reliquit, ſed aliis aliò miſſis ſubſtitit ipſe in Domo cum aliquot Patribus, ut ſuccurrerent miſeris. Conantibus, qui rempublicam admi- niſtrabant, ut noſtri ſuſciperent cu- ram de ſalutis æde, non annuit ob rationes, quas dies ipſa oſtendit pru- dentiſſimas: non tamen ſe, aut ſuos curatus eſt labori. Rogantibus, ut noſtri eleemoſynas ab ipſis collatas diſtribuerent, non defuit eorum vo- tis illâ conditione, ut ipſi hominem ligerent, qui pecuniam referret in cceptum, & expenſum. Plurimi de ubditis illius animas poſuere in hoc anctiſſimo miniſterio non ſine mag- â Præpoſiti invidiâ. Nihil admiſit ngulare. Nunquam uxor Proregis um potuit adducere, ut quotidie ac- eptaret ferculum, reſpondens, ſibi ſſe ſatis, quæ cæteris pro menſa ap- onebantur. Cum pallio egeret, do- avit illi nigri panni, ſed ſubtilioris ragmentum EpiſcopusSeptenſis ejus rater. Facto jam pallio, animadver- t Domus Præpoſitus pannum eſſe xquiſitiorem, quam conveniret, uſſitque veſtiario, apud ſe retine- et. Per id tempus jam Franciſcus gerat Provincialem. Siluit vir mo- eſtiſſimus. Cum poſt aliquot tem- us videret idem pallium datum eſſe acerdoti adoleſcenti, ſubridens di- t: Rectè factũ, & ex Evangelio. Ut nimLucas habet: *cap. 5. v. 30.* „ Nemo commiſſuram à novo veſtimento im- „ mittit in veſtimentum vetus; alio- „ quin & novum rumpit, & veteri „ non convenit commiſſura à novo. DomumProfeſſam multum juvit ele- emoſynis, quas tribuit Prorex, & Hieronymus de Gouvea Epiſcopus Septenſis. Quatuor poſtremis vitæ annis adhæſit lecto. Solatio ipſi erant, qui dicebant, diuturnos labores à Deo concedi loco flammæ luſtralis. Per id tempus tradebat ſe totum & orationi, quæ mente fit, & quæ voce. Tandem longa ſenectute conſumi- tur. Illud habuit peculiare, quod ſit ingreſſus Societatem vivo S.Ignatio, & vixerit plurimis annis, poſtquam ſolemniori apotheoſi locatus eſt in altaribus.

DIE XVIII.

P. Bartholomæus Pereyra.

COnimbricæ diem obivit anno 1650. Natus in Oppido *Monſam* Diœceſis Bracharenſis. Conimbricæ amplexus Societatem 20. Martii an- no 1615. ætatis 15. Docuit Conim- bricæ humaniores litteras, & Rheto- ricam, Philoſophiam, & per octo an- nos moderatus eſt cathedram Divi- næ ſcripturæ. Hæc omnia peregit grandi nomine. Nam fuit Poëta ex- cellentiſſimus, ut teſtatur aureum Poëma de martyrio noſtri Franciſci Pacieci, quod typis commiſſum eſt, & laudant omnes. Etiam compoſuit doctiſſima commentaria in Tobiam, quæ perdita ſunt in manu bibliopolæ, cui, ut prælo ſubjiceret, erant tradi-

ta. Illius mores fuerunt ſolidæ virtutis, præſertim exarſit animarum zelo. Sacras miſſiones habuit non paucas, unde collegit copioſos ſui laboris fructus. Præclariſſimis fulſit dotibus ad ſacra pulpita. Idcircò fecit magnos animorum motus, ubicunque eſt concionatus.

Stephanus Pinheyro Coadjutor.

EBoræ oppetivit mortem anno 1668. Natus Baleiſami in agro Bejenſi. Eboræ conjunctus Societati 15. Junii 1605. In ſuo gradu eas habuit virtutes, quas in ſimilibus cupit Societas. Humilitas, devotio, & laboris amor fuerunt ipſi in pupillis. Annis plurimis egit pharmacopolam Conimbricæ, & Eboræ, infirmis conſulens magnâ charitate. Ultimâ ſenectute levatus onere pharmacopolii, quod nequiret vivere ſine laboris penſo, flagitavit officium janitoris ad oſtium, ubi mendicis eleemoſyna ſolet dividi. Locus non caret incommodis pluviæ hyberno tempore, & caloris æſtate. Has temporis injurias pluris fecit, quam pretioſos lapides: eas reputabat animæ medicinam, etſi dolerent corpori. Labores ſolum cum vita omiſit.

DIE XIX.

P. Doctor Andreas de Moura.

ULyſſipone in Collegio D. Antonii finiit vitam anno 1674. Natus Vianæ Diœceſis Eborenſis. Ingreſſus Eboræ Societatem 13. Aprilis 1630. ætatis 17. Cenſebatur inter prima ingenia ſui temporis, & vir doctiſſimus. Præter alias facultates docuit Eboræ Theologiam usque ad primariam cathedram, & gradu Doctoris inſignitus. Verum multo plus litteris micuerunt in ipſo virtutes. Anno 1650. habitabat in Farenſi Collegio. Exarſit in ea urbe peſtilentia. Ubi primum id malum notum eſt, Andreas & ſe, & ſuos (erat enim Vice-Rector Collegii) obtulit ad ſerviendum infectis tum eorum excipiendo confeſſiones, tum ſublevando illorum neceſſitates. Vix poſſunt explicari illius præclara facta, dum tenuit calamitas. Nocte, ac die, cælo pluvio, vel æſtuante adibat, quocunque vocabant nullo temporum, aut perſonarum diſcrimine. Ingrediebatur tuguria plena ſordibus, quibus miſeri volutabantur. Illic humi ſedens audiebat pænitentes, & conſolabatur ſuis verbis. Ex tanto incendio emerſit incolumis. Poſt magiſteria promotus eſt ad gubernandum Collegium Divi Antonii. Auſpicatus id regimen 2. Decembris 1672. verum ob laborioſa magiſteria tot patiebatur valetudinis affectiones, ut ægrè vitam traheret. His affectionibus ſupervenerunt corporis tremores, quibus accrevere quædam repentinæ morbi incurſiones, his plurimum debilitatus, ſe munivit ad iter ſupremum, & vivere deſiit inter mortales.

Si-

Simon Alvres Scholasticus Novitius.

IN Eborensi Collegio vitam clausit anno 1601. Natus Eboræ, ibique adjunctus Societati 11. Novembris 1600. ætatis 15. Virtus illi videbatur innata. Plurimum indulsit commercio cum Deo. Semel tyro alius pulsavit ostium cubiculi, cum nihil responderetur, aperiens, fenestrâ reseratâ, ut lux induceretur, vidit in medio cubiculi Simonem flexis genibus, vultu incenso, lachrymis fluentibus. Admirans Divinum spectaculum, rursus conclusit fenestram, ac foras prodivit, nihil Simone advertente. Quamvis semper de Deo ferdè loqueretur, seipsum tamen vincebat pridie illos dies, quibus erat sacro Pane reficiendus. Aliena crimina semper excusabat. Erat naturâ ipsa ad flavam propensus bilem; propter id sæpe extra Societatem vapulaverat, at inter nos sic fregit naturam, ut visus sit illi dominari humor oppositus. Sancto odio inarsit adversus corpus suum sinebat comleri vestes pediculis, ut eorum moribus suos torqueret artus; nec nisi jussus mutavit indumenta. Pisces comedens rarò condiebat oleo, & aceto, quamvis essent ex piscibus sole siccatis. Si pro mensa ponebantur herbæ coctæ non temperatæ, sed condiendæ, sic insipidas, & insulsas edebat. Ajebat hominem religiosum sine fame de mensa non recessurum. Id facere consuevit. Corpus totis viribus flagellabat, dicens, se cupere vires robustissimas, ut se castigaret. Nunquam immodestè eum ridere viderunt. Mira compositio illius actiones exornabat. Totum Collegium de illius virtute non vulgarem conceperat opinionem. Morbus ultimus ostendit, quam profundas radices in ejus spiritu virtutes egissent. Nihil enim per id tempus omisit, quod deceret virum virtutis heroicæ. Eâdem nocte, quâ mortuus est, erat unus è nostris Sacerdotibus extra Conimbricam: Socio collecto in lectum, aliquod tempus orando consumpsit, posteà & ipse cæpit quietem sumere. In medio somni; *Cur* inquit, *non ibo ego?* sub has voces ploravit, ac gemuit. Excitatus socius, percontatur, quid rei foret? Cui ille: conspexi Angelorum processionem, & in ejus fine Virginem manu deducentem quandam animam: Se, cujus foret, interrogasse; Virginemque respondisse: Animam esse cujusdam fratris, qui in Eborensi Collegio obiisset, exeuntem de flamma piaculari ad æternam felicitatem. Propterea suspiravi: *Cur ego non ibo?* eodem ordine subsequi dæmonum catervam conantem objicere impedimenta; idcircó se gemitum edidisse. Verum imperasse Virginem, ut fœda turma abiret è conspectu. Etiam idem sacerdos affirmavit audivisse posteà Angelicos concentus, quibus mirum in modum fuerat recreatus. Notato tempore, cum venit Conimbricam nuntius de Tyronis morte, illiusque insigni virtute, con-

ſtitit viſionem non fuiſſe merum ſomnium.

P. Dominicus Joam.

COnimbricæ mortuus eſt anno 1595. Natus Lizei Diœceſis Viſenſis. Addictus Societati Conimbricæ 25. Novembris 1570. Habebat novitiatus annum tertium, ut moris eſt emiſſuris ſolemnem profeſſionem. Diſcurrit miſſionem peragendo per oppida, & pagos finitimos ſaltui à Steila dicto: dum ſtrenuam juvandis animis dat operam, corripitur ardentiſſimis febribus. Lecticæ impoſitus ad Collegium fertur, ut inter ſuos fratres moriatur. Sentiebat intus admirabilem conſcientiæ pacem, gaviſus multum eſt, quod in tam ſancto miniſterio morbum, quo periit, contraxiſſet.

DIE XX.

P. Doctor Fernandus Rebello.

EBoræ Cælitibus additus an. 1608. Natus Cariæ Diœceſis Lamecenſis. Societatem ingreſſus in Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi 20. Maii anno 1562. Biennium abſolvit Eboræ. Annorum decurſu in ea Academia docuit magno nomine Philoſophiam, & Theologiam uſque ad cathedram primariam, laureatusque eſt Doctoris inſignibus. Academiæ ejusdem Cancellarium egit annis octo. Multum claruit ſcientiarum doctrinis, ut teſtantur ejus libri typis vulgati, ſed multo magis ſplenduit virtutum radiis. Nec defuerunt occaſiones, in quibus eſſet ejus virtus probata. In actibus litterariis, ubi ſe effundunt naturæ impetus, numquam dixit verbum extra leges modeſtiæ. Illius patientia viſa eſt inexpugnabilis. Proptereà ab Academicis vocabatur, *Job patientiſſimus.* Sæpe adverſus illum excanduerunt argumenta objicientes, nulla tamen verba fuere ſatis, illius manſuetudini turbandæ. Cæteræ virtutes comitabantur prædictas. Fuit germanus frater Patris Joannis Rebellii, de quo 24. Julii.

Didacus Gomes Coadjutor.

E Vitâ ceſſit Eboræ anno 1658. Natus Averii Diœceſis Conimbricenſis. Ulyſſipone cuſtos erat domus, ubi ſolvuntur maritima vectigalia. Fidelitatem ſuo debitam muneri ſanctiſſimè obſervavit. Cum unus è nobilioribus Miniſtris vellet Didacum pejerare, ut tegeretur crimen adverſus Regis vectigalia commiſſum, horruit tantum ſcelus admittere. Conſiderans quantis in eo munere illius conſcientia foret expoſita periculis, decrevit amplecti Societatem. Adiit noſtrum Provincialem, qui hominem intuens ſericis indutum veſtibus, & ipſo oris, & corporis habitu conſpici dignum, hæſit, ſecum exiſtmans tantam pompam non attemperandam fricandis culinæ ollis, & officiis vilibus. Odorans Didacus, quid ſecum perpenderet Provincialis, Ne, mi Pater, inquit, ludaris hac externa ſpecie, ſum enim vir hu-

humilis, hoc modo incedo, ut mundus me æstimet aliquo pretio. Ulyssipone Societatem ingressus 7. Septembris anno 1654. ætatis 20. Biennium ebsolvit Eboræ. Sacerdotes adeò est reveritus, ut adduci non potuerit ad sedendum coram ipsis. Post tyrocinium præfecerunt valetudinario. Serviebat ægrotis hilari vultu non solum die, sed etiam ad altam noctem. Vix parumper quieverat, cum surgebat horis antelucanis ad applicandas infirmis medicinas, præscriptas à Medico. Cum assisteret nonnullis perniciosâ febre jacentibus, eadem implicitus in exercitio charitatis effudit supremum spiritum.

P. Antonius de Morais.

EXplevit supremum diem Eboræ anno 1639. Natus in oppido *Certam* Prioratus Cratensis. Conimbricæ adiectus Societati 12. Februarii anno 1586. Ibidem docuit Philosophiam, & exposuit sacram scripturam. Posteà in eodem Collegio instituit Tyrones, & Ulyssipone, ubi fuit illius Domus Rector primus, cum cæpit incoli: deinde constitutus est Professæ Domus Ulyssiponensis Præpositus, & ex eo magistratu promotus est ad regendum Eborense Collegium. Illius vita fuit plena sanctis exemplis. Tum superior, tum subditus magnopere deditus erat exercitiis spiritualibus, & piis. Habitus vultûs, & corporis tam modestus fuit, ut intuentes componeret. In sermone familiari multum utebatur dictis plenis pondere, ac doctrinâ, quibus abigebat facilè detractiones, & confabulationes inutiles. Secum austerus, aliis affabilis, & benignus erat. Ideircò doluerunt omnes illius mortem, & quod esset è viris ad gubernandum præstantioribus, quos per id tempus habebat hæc Provincia.

DIE XXI.

P. Antonius de Quadros.

GOæ apud Orientis Indos oppressus morte anno 1572. Natus Scalabe Diœcesis Ulyssiponensis parentibus illustribus. Ejus frater Emmanuel Quadrius præter alios honores fuit Episcopus Guardiensis. Conimbricæ aggregatus Societati Aprilis 2. anno 1544. Aliquo tempore dictus est Tyburtius Quadrius: quoniam Simon Rodericius ponens initia Collegio Conimbricensi die Sanctorum Tyburtii, Maximi, & Valeriani, hæc nomina indidit tribus sociis, qui primi Tyronum nostrorum albo adscripti sunt. Attamen solus Valerianus ad mortem usque novum retinuit nomen, alii ad primum rediere. Solemnem Professionem nuncupavit 1. Octobris an. 1553. quando est à nobis adita possessio Domus Professæ Ulyssiponensis. Unus fuit post sanctum Franciscum Xaverium, & Simonem Rodericium è primis tribus hujus Provinciæ Professis. Peregit missiones plurimas non parvo lucro sui laboris. Placuit illi multum, &

& referebat non sine sale dictum morionis, cum missionem habebat in oppido *Penela.* Eum signans manu, & oculis, *scivis*, inquit, *Concionari cum fructu, ne sit tibi curæ bonus panis, & bonum vinum.* Non illi opus erat hâc monitione, nam fuit & valde sobrius, & valde sui castigator, sed memorabat, quod in lepòre contineret doctrinam. Anno 1555. ad Indiam migravit, ut cum Joanne Nunio Patriarcha ad Æthiopiam navigaret. Gravibus morbis navem infestantibus, illius charitas plurimum subvenit miseris. Goæ promulgavit nostras Constitutiones, id illi commissum erat à sancto Ignatio. Ad ipsum tempus Societas in India regebatur placitis Divi Xaverii, & quod est mirandum ipsius Instructiones non solum sensu, & spiritu, sed pene etiam in verbis concordant cum Regulis à S. Ignatio factis, ut videre est apud P. Lucena. Viginti, & septem ætatis annos numerabat, cum est electus Provincialis. Restitit allegando ætatem suam, magisterium Philosophiæ, munus concionatoris, & esse à sancto Ignatio destinatum ad migrandum in Æthiopiam. Verum Patres, penes quos erat eligendi potestas, perstiterunt in sententia sua, cui parendum fuit. Perveniente è Lusitania Gonsalo Sylveyra à Sancto Ignatio Provinciali designato, levatus est magistratu. Ubi tamen absolvit triennium Sylveyra, Quadrius illi successit. Obivit talem magistratum annis tredecim. Romam scribens, semper flagitavit onere liberari, subditi vero scribebant rogantes, ne illius excusatio admitteretur. Propterà solum mors eum à magistratu dimovit. Joannes Nunius Patriarcha ad admodum R. P. Laynium litteras dedit, in quibus ajebat, se conscientiæ suæ non satisfacere, nisi scriberet, Patrem Quadrium non debere levari onere regendi, quoniam nec erat in Lusitania, qui talento ad gubernandum eum æquaret, excepto Doctore Michaele Turriano. Illius cum Deo familiaritas tanta fuit, ut antequam adiret Indiam interdiu, ac noctu orando consumeret horas non minus octo. Externa compositio significabat mentem totam addictam rebus Divinis contemplandis. Patres Indiæ rogaverunt Patrem Generalem, ut modum imponeret illius castigationibus voluntariis & aliis, quibus se cruciabat, rigoribus. Indefessus erat in obeundis instituti ministeriis. Agebat simul Provincialem, Lectorem, concionatorem, & confessarium. Cum est Societatem ingressus, erat è præstantissimis ingeniis Conimbricensis Academiæ. Nemo ipso fuit humilitatis amantior. Palatia Proregum solùm vocatus intrabat. Ajebat cupere se, veniret tempus, quo homines nostri vitarent omnino familiaritates Principum, & externo admisceri eorum regimini, tunc nostræ Societati cuncta felicitatibus plena futura. Cum Proreges aliquem de nostris ferebant è Lusitania sibi confessarium, protinus talem

lem ſacerdotem quæſito prætextu Goâ removebat duabus de cauſis; prima, quod Proreges non agebant, quod ſignificabant illis Patres, & populus eorum minus recte facta vitio Patribus vertebat. Altera, ne Sæculares adirent noſtram Domum ad quærenda patrocinia. Nunquam allocutus eſt Proreges pro negotiis Sæcularibus. Dicebat fauſtè proceſſuram Societatem, ſi externi illam perſequerentur. Contrarium nihil aliud eſſe, quam nos jam ſimiles eſſe factos ſecularibus. Prodiens è cubiculo ſemper excreabat altè, & in pergulis radebat humum pedibus. Intelligebatur id ab eo fieri, ut qui committebant aliquem defectum, ſibi tempeſtivè conſulerent, antequam eos deprehenderet. Parum confabulari ſolitus cum externis: cum hi illum quærebant, ad ipſos mittebat Patres eis cognitos, qui excuſarent Provincialem dicendo impeditum morbo, vel negotiis. Diligenter procuravit in Societate conſervare, quos vacillare in ſua vocatione conſpexit: in id habuit ſpeciale donum. Quamquam ſemper habitavit Goæ, maximopere promovit ethnicorum converſionem. Erat inſtar ſolis, qui non egrediens ſpatia ſua, ubique generat fertilitatem. Suis Proregibus injunxerat Rex, ut ſemper conſultationibus adhiberent Quadrium propter prudentiam, & firmitatem conſilii: Dictitabat aliũ in mundo ſe patrem, & matrem non agnoſcere, niſi Societatem. Meretur omnes laudes Divina fortitudo, & modus, quo repulit graviſſimam contra pudicitiam incurſionem. Illuſtris fæmina ſub prætextu confeſſionis vocari juſſit. Videns in ſuo conclavi, ſolicitavit ad turpia, minitans clamaturam inferri ſibi vim, ſi volenti non obſequeretur: ex quo & in Provincialem, & in Societatem maneret infamia. Hæſit attonito ſimilis. Cum cerneret prope lectum vas ad ſordes excipiendas paratum, ſine mora in illud conjicit ambas manus, & plenas ſordibus fædidiſſimis affricat vultui ſuo, totam que venerabilem inquinat faciem. Horruit impudens fæmina ad ingratiſſimum ſibi, at cælo jucundiſſimum ſpectaculum, & quantâ potuit voce, & timore, ne & faciem ipſius ea ceruſſa inungeret, jubet, quamprimum ſe foras proripiat, nihil aliud cupienti. Egit Deo gratias ampliſſimas, quod ſe tali modo eripuiſſet tanto periculo. Erat profecturus Coccinum, cum eum ſupremus invaſit morbus. Tum domi, tum in urbe multæ fundebantur ad cælum preces pro illius obtinenda ſanctitate. Nuntianti ex ſententia medicorum certe moriturũ, gratificatus eſt complexu, dicens, ſibi non aliud potuiſſe nuntiari lætius. Conſpiciens circumſtantes propter amorem, quo illum proſequebantur, ubertim flere, improbavit eas lachrymas verbis Chriſti: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Ubi decidit in lectum, ad exemplum Superiorum, imperavit deduci ad valetudinarium cæte-

ris

ris commune. Perunctus oleo sacro, complexus est Crucifixum, ac inter nostrorum preces, & lachrymas generosam, & ornatissimam virtutibus efflavit animam. Illius exequiæ celebratæ sunt magnâ pompâ, & hominum concursu.

P. Doctor Sebastianus de Couto.

DEfunctus vita in prædio Eborensis Collegii, quod vocant *Montes claros*, anno 1639. Natus Olivensæ Diœcesis Helviensis. Eboræ conjunctus Societati 8. Decembris 1582. ætatis 15. Inter præclaros sui temporis magistros est numeratus. Docuit Conimbricæ Philosophiam, & annis duobus Eboræ. Theologiam Conimbricæ, unde migrans Eboram continuavit idem magisterium usq; ad primam cathedram. In eadem Academia Doctoris illustratus laureâ. Etiam ibidem egit Cancellarium. Vir fuit apud omnes magnæ authoritatis, quod per id tempus erat in Lusitania è Sapientioribus. Propterea multum consulebatur, præsertim à Duce Brigantino Joanne postea Rege, qui Sebastianum plurimi æstimavit. Rex ipse, quo die proclamatus est aviti throni dominus, & assertor patriæ, nostris Villævissosæ gratulantibus confessus est, se multum debere in tanta sua, & Lusitaniæ felicitate Sebastiano, qui fuisset post Deum hujusmodi & Brigantinæ Domus, & Imperii Lusitani fortunæ primus motor, & author. Ad sacrum suggestum micuit dotibus præstantissimis. Nihil tamen in eo splendidius fulsit, quam virtus. Erga pauperes, & mendicos ipsamet charitas ille fuit. In templo Eborensi multis lachrymis paupercula ab eo stipem poposcit. Cum ad manum non esset, quod præberet, æditum interrogavit, an haberet nummos, ut subveniret miseræ, se posteà redditurum. Apud se, respondit, esse depositam summam famuli domestici: Ex ea Sebastianus tulit, ac dedit, quod competens visum est. Post aliquot dies veniebat repositurus suo loco mutuam pecuniam. Tunc æditus, *Mi Pater*, inquit, *necessaria non est, heri petivit famulus nummos suos, numerans invenit omnem summam.* Gratias igitur, ait Sebastianus, agamus Deo, cujus fuit eleemosyna. Eleonora Rodericia fœmina probatissimæ virtutis Sebastianum die Conceptionis de Mysterio concionantem vidit inter Sanctos Patriarchas Franciscum, & Ignatium. Sebastiano ægrotante, rogaverunt eandem fœminam, ut pro illius salute preces ad cælum effunderet. Petentibus respondit, sinite Deum agere, quod agit; nam hoc lento morbo Deus ipsi laborat coronam tam excellentem, ut, cum eum in gloria viderimus, vix simus agnituri ob distantiam loci altioris, & eminentioris, in quo erit. Æstivo tempore discurrit per aliquot Oppida missionem habendo. Ex eo labore suscepto intempestivè contraxit pertinacissimam quartanam, quæ nullis remediis abigi potuit. Migravit ad prædium

dium supra dictum, experturus, an sibi prodesset cæli mutatio. Verum in dies quartanâ ingravescente, cogitavit unicè æternitatem, ad quam munitus Christianis subsidiis profectus est. Cadaver in Collegium portatum maximo hominum concursu ad exequias facto, sepultum est in templo nostro, sonante interim pauperum,& mendicorum comploratione, quod tanto patrono spoliarentur. Nuntio de ejus obitu delato ad Residentiam Samfinensem, è nostris unus obtulit novendiale diversorum operum pro defuncto. Apud se existimabat ea subsidia non esse defuncto necessaria propter excellentem illius virtutem; sed per quietem ipsi dedit se conspiciendum vultu gravi, & subtristi, dicens more reprehendentis, *Jam tuis precibus imposuisti finem?* Evanescente Sebastiano, Religiosus somno excitus illum vocans interrogat, quid amplius velit, omnia facturum. Paulo post iterum somno capitur, cum rursus se se illi obtulit Sebastianus, læta facie, & inter Angelos abeuntem. Conjecit Religiosus illum de flamma lustrali egredientem, ad sedes conscendere æternum mansuras. Composuit, ac typis vulgavit Logicam cursus Conimbricensis.

Emmanuel Gameyro Scholasticus.

ULyssipone in Collegio D. Antonii animam Deo reddidit año 1651. Natus in Oppido *Chamusca* sito ad ripam Tagi in Transtagana Provincia. Patres eum sanctissimis erudierunt moribus. Ipsius indoles apparebat nata virtutibus. Fugiebat ætatis teneræ ludos, & crepundia. Vix annos novem complebat, cum cæpit jejunio transigere Sabbata, integram Quadragesimam, & cæteros dies, quos sic transigendos præcipit Ecclesia. Quod cilicio careret, cingebat corpusculum virga senticosâ. Cum id se macerandi compertum est artificium; rubore suffusus. Societatem amplexus Ulyssipone 8. Decembris 1643. Litteris studuit Conimbricæ. Erat cæteris junioribus virtutum singulare exemplar. Tempore separationis finito, postulavit vivere inter socios juniores nullo habitûs, aut consuetudinum discrimine. Id illi concessum est, quod ipsius vita multo reliquis esset exemplo. Residuum à pensis impositis tempus legendo libros spirituales, vel orando consumebat. Semper oravit flexis genibus, tam pio & vultûs, & corporis habitu, ut, qui videbant, intus sentirent amore Divino incendi. Per diem crebro Sanctissimum invisebat, illud accipiens diebus aliis, præter eos, quibus sumebat cum cæteris: Coram ipso solitus orare, quo tempore reliqui indulgebant honestæ recreationi. Priusquam aulas Academicas adiret, convenit Sanctissimum, ut sibi benediceret. Grammaticam docens semihoram post lectiones animi levamento concessam ipse coram sanctissimo precationes fundendo conterebat. Mentem suam ferebat rebus Divinis considerandis addi-

ctam. E rebus obviis in Deum erigebat cogitationes. Affectu tenerrimo dilexit magnam Matrem. Gestiebat plurimum venisse ad Societatem die dicato Conceptioni Virginis, & tyronis induisse togam Expectationis die. Ut testaretur se Virginis esse mancipium, gestabat collum catenulâ cinctum, & alterâ brachium. Cum Juniores volebant significare se locutos de Deo, satis erat affirmare se cum Emmanuele fuisse loquendi tempore. Externis narrabat historias sanctas, ex quibus possent fructum percipere. Testati sunt ejus condiscipuli, nunquam se vidisse apertos illius oculos sex annis, quibus in scholis publicis dedit litteris operam. Cæteras virtutes acquirere, & perficere, ejus erat studium, speciatim veneratus est Obedientiam. Ipse in hujus virtutis obsequium induxit morem legendi admirabilem S. Ignatii de hac virtute epistolam: hanc pro mensa legebant socii sedentes detecto capite, sicut fieri solet cum Summario Constitutionum. Emmanuel, consulto prius suo confessario, eam epistolam cæpit legere stans pedibus; quæ reverentia erga sanctam Obedientiam sic omnibus placuit, ut deinceps is modus Conimbricæ sit introductus, & in reliquis Provinciæ Collegiis. Aliam, præter Superiorum, voluntatem non habuit. Paupertas illi erat cordi. In cubiculo nunquam usus est sella propria, mensa, aut lucerna. Humi sedens studebat ad lucernam socii sui. In chartis, quibus excipiebat dictata à Magistro, non relinquebat margines, id reputans magis congruum sanctæ paupertati. De libris asceticis solum habuit Evangelia, & libellum de Imitatione Christi, sive Contemptum mundi. Ejus pretiosa tabella erat Crucifixus depictus in charta ex arundine pendens. Multis annis uno, eodemque calamo semper scripsit; quoniam is medio est fractus, partem superiorem paxillo supplevit, cui inseruit inferiorem. Curabat, ut non foret domi ullum indumentum suo pejus, & vilius. Ad nutriendam humilitatem serviebat frequenter in officiis domesticis abjectioribus. Ardens animarum zelo sæpe obivit peregrinationes docendo catechesim quâcunque præteriit. Ut expleret aviditatem salvandi animas, petivit mitti ad Indiam, quod impetraverat, cum mortuus est. Corpus suum afflixit jejuniis, flagellis, ciliciis, & aliis vexationibus. Nunquam acclinavit tergum parieti, aut sellæ. In peregrinationibus, quas feriarum mensibus exercebat, quietem instar Christi Domini capiebat humi. Verba probrosa tulit patientissimè. Semel quidem adolescens è nostris parum cautus, & modestus eum conviciis valde acerbis vulneravit. Volebat natura sibi consulere responsis illâ impudentiâ dignis: hos impetus sic frænavit, ut sanguis per nares eruperit ob vim naturæ illatam. Semel scuticâ tergum in sacello coram junioribus cecidit, id supplicium sibi in-

injungi dicens, quod pomum unum
tulerit è triclinio, simul juberi, ut il-
lud in sui confusionem edat coram
sociis. Post verbera pomum come-
dit. Id egit, ut numeraretur inter
minus observantes. Ad parentes suos,
quamvis è melioribus sui oppidi, non
dabat litteras, nisi coactus à Superio-
ribus. Magisterium suum diligentis-
simè obibat. Postremo illaqueatus
morbo, licet Medici rem parvi mo-
menti esse affirmarent, disertè astru-
xit, solùm, interveniente miraculo,
se posse mortem evadere. Non mul-
tis diebus, antequam ægrotaret, di-
xit, se non diu functurum magisterio.
Diebus viginti, quibus decubuit mor-
bo, vix aliquid fecit, aut locutus est,
quod non foret plenum exemplo, ac
documento. Illius ordinarium erat
verbum, *Gratiæ Deo.* Cum sector ve-
narum aberrasset à vena, plurimum
Emmanuel rogavit circumstantes,
ne vulgarent hominis errorem pro-
pter detrimentum famæ. Cupiebat
esse solus, ut tantum Deo attenderet.
Cum timor foret, ne applicatio ni-
mia ad res Divinas illi esset noxia;
dixerunt Medici, diverteret aliò co-
gitationes. Verum ipsa assuetudo
adeò in naturam migraverat, ut,
postquam incassum est luctatus ad
parendum Medicis, ingenuè confes-
sus sit, potestatis suæ non esse à Deo
mentem avocare. Plerumque tene-
bat fixos oculos in Crucifixo. Postu-
lavit, ut mori sinerent super storiam
humi stratam; quod illi non est con-
cessum: Nocte postremâ interroga-
tus, an haberet edendi aviditatem,
respondit: *Tunc satiabor, cum apparue-
rit gloria tua.* Recordans diem esse
Præsentationis Sacrosanctæ Virginis,
dixit: *Quam bellus ad navigandum æstus,
quam bella dies ad iter mihi faciendum?*
Intelligens propinquare mortem, fla-
gitavit, ut sibi recitarent Virginis Li-
tanias, quibus respondit. Statim pe-
tiit legi Domini Passionem. Tunc
festinâ spiritus reciprocatione in par-
tem dexteram caput inclinans, & o-
culos ponens in Crucifixo exhalavit
animam. Magna apud omnes erat
opinio de illius sanctimonia.

DIE XXII.

P. Antonius Pires.

IN America apud Brasilos die, men-
se, & anno mihi non compertis,
naturæ satisfecit. Natus in oppido
Castellobranco Diœcesis Guardiensis.
Conimbricæ jam Sacerdos addictus
Societati 6. Martii 1548. In tyroci-
nio janitorem agens vehementi com-
pulsus tentatione deserendi Religio-
nem, aperuit molestiam P. Ludo-
vico Granæ, & protinus difflata est.
Profectus ad Brasiliam inter primos
Societatis, qui regiones illas ad pro-
mulgandum Evangelium adierunt.
Cum Emmanuele Nobrega conten-
dit Pernambucum ad reformandos
hominum mores, quos nimia licen-
tia tum in Sæcularibus, tum in Sa-
cerdotibus corruperat. Clerici ab-
solvebant omnes, quamvis inhone-
stè uterentur ancillis, nec ab ea con-

ſuetudine ceſſarent. Ajebant eas turpitudines permitti poſſe, dummodo non acciperent corpus Domini. Rediens Nobrega ad Bahiam, illic Antonium reliquit ad urgendam piam operam. Vix habuit litteras ſufficientes ad exercendum munus Sacerdotis, idcirco non erat concionator; verum Nobrega eum juſſit munus concionatoris exercere. Obtemperavit vincens difficultates inſuperabiles. Juvit Deus ruſticas illas conciones, & tantam addidit vim ad animos permovendos, ut ingens morum mutatio ſit ſecuta. Affirmabant è decem peccatorum partibus, quæ illic erant, partes octo extinctas. Ab annis quinque non pluebat in pœnam tantorum ſcelerum; ubi introducta eſt emendatio; copioſus imber terram fæcundavit. Excurrebat in pagos vicinos. Illum Braſili plurimum amabant. Mancipia ſanctis inſtituit moribus, & multum excoluit. Dominicis diebus veſpertino tempore conveniebant pene mille mancipia, ac diſponebatur pia proceſſio, in qua Litanias concinebant. Ad mancipia inſtruenda utebatur interprete fæmina locupleti valde nobili, de qua Antonius ad Socios Conimbricenſes hæc habet in ſuis litteris: „ Ne admiremini, fratres, quod vobis „ ejus referam conditionem. Cum „ talis ſit, videtur ebria illo muſto, „ quo inebriabantur Apoſtoli. Facit „ illa, quod multi homines interpretes non auſi ſunt ob mortificatio- „ nem, quam in eo experiebantur. „ Illa interprete audio confeſſiones „ Indarum Chriſtianarum, & credo „ eſſe meliorem Confeſſariam, quam „ ego, quoniam eſt inſignis virtute. Erat in Inſula Taparica, cum propter illius conſilia maritus Chriſtianus deſeruit uxorem ſuam veneficam, & Indi nolebant fidem adhibere fæminæ veneficiis, propterea furiis incenſa, flammas admovit ædi ſacræ, cui erant contiguæ domus, ubi Antonius cum ſociis habitabat. Tantus ignis aridam materiam corripuit, & tanta celeritate volavit ad vicinas domos, ut ægre Antonius, & alii ſe morti eripuerint. Poſtquam ſuis laboribus innumeros Braſilos Eccleſiæ conjunxit, ipſe vitam reliquit meritâ donandus coronâ.

DIE XXIII.

P. Franciſcus Valente.

ULyſſipone in Domo Profeſſa exceſſit è vitâ anno 1662. In eadem natus eſt urbe. Eboræ Societati adſcriptus 13. Januarii 1594. docuit cum ſplendore Rhetoricam, Philoſophiam, & annis quinq; Theologiam: egit Romæ librorum Cenſorem. Rexit Collegium Angrenſe, Bracharenſe, & bis Profeſſam Domum Ulyſſiponenſem. Vir fuit ſinceri, & antiqui moris. In ſuffragio ferendo nulli reſpectus humani eum dimoverunt à recto tramite. Solum enim attenbat, quid res ipſa, & Inſtitutum poſtularet. Ad mortem usque ſecutus eſt communitatem. In habendis ſuis ſpi-

ſpiritualibus exercitiis, ac precationibus nemo illo fuit exactior. Ergà omnes exarſit ſingulari charitate. Prope mortem tam pacatam ſenſit conſcientiam, ut lætiſſimus dixerit Superiori, ſe jam in cælo eſſe. Doctiſſimus fuit utriusque Juris. Pariſiis prælo data Concordia Juris Canonici, Civilis, & Theologiæ ab ipſo compoſita.

DIE XXIV.

Christophorus Pimenta Coadjutor.

ULyſſipone in Collegio D. Antonii glorioſè occubuit anno 1598. Natus in Oppido *Anſede* Diœceſis Portuenſis. Conimbricæ adjunctus Societati 29. Martii 1568. ætatis 24. Plurimum dilexit laborem, & odio habuit ſegnitiem, & ignavum otium. Incipiebat Ulyſſipone ſuccendi peſtis, non tamen omnino patebat, quod foret morbi genus. Prodibant noſtri è Collegio Divi Antonii ad excipiendas ægrotantium confeſſiones, & morientes juvandos: Primus de Collegio, qui perculſus eſt, fuit Christophorus. In humero ſubortus illi carbunculus palmæ manus latitudine, præbuit ampliſſimam ferendi materiam: nam dolores erant acutiſſimi, & curationes valde acerbæ. Cuncta animis æquis Deo Christophorus tanquam holocauſtum offerebat. Tandem ſolutus corpore, in ſepto domeſtico ſepultus eſt.

P. Ignatius Maſcarenhas.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi vitam clauſit anno 1669. Natus Montemajore novo Diœceſis Eborenſis ex parentibus illuſtriſſimis Fernando Martinio Maſcarenio, & Maria de Alencaſtre Comitibus de Sancta Cruce. Ulyſſipone complexus Societatem 24. Februarii anno 1622. ætatis 15. Docuit Eboræ Philoſophiam. Poſt felicem acclamationem Regis Joannis quarti miſſus eſt in Catalauniam ad negotia magni momenti, quæ in multam boni communis utilitatem concluſit. Tradidit Ulyſſipone Moralem Theologiam, & creatus eſt Rector Collegii noſtri. Illic introduxit ſodalitium Virginis à Bona morte, quod factus Domus Profeſſæ Præpoſitus transtulit in templum ejus Domus, ubi eſt in magna celebritate, & veneratione. Ipſe eamdem ſodalitatem extendit in Parœcias Ulyſſiponis; ubi erant Clerici deſtinati pro jurandis morientibus. In pupillis habuit magiſterium ſanctæ Doctrinæ. Dum rexit Collegium, jubebat diebus feſtis ut magiſtri Latinitatis irent in urbem, vel ad pagos vicinos doctrinam Chriſtianam edoctum. Nihil obſtitit primaria nobilitas, quo minus foret ſupra modum affabilis, animi ſinceri, & in familiari commercio gratiſſimus, & nihil minus curans, quam ſplendorem natalium. Indefeſſus operarius ſive in audiendis pænitentibus, ſive in obeundis concionbus. Spe-

ciali veneratione coluit Sanctissimum Sacramentum. Illius exemplo debuit hæc Lusitana Provincia affectum, quo nos prosecutus est Fernandus Gomius de Gama, vir multæ nobilitatis, & multarum divitiarum. Is parum benevolus erat rebus nostris. Illius mancipio Æthiope noctu mori periclitante, famulo imperavit, ut acciret confessarium, nominans, ad quæ cænobia contenderet; reversus domum, dixit non inveniri Confessarium in illis cænobiis, seu potius exire nolle nocte concubia ad audiendum Æthiopem, tunc jussit, ad Professam Societatis Domum pergeret, quoniam januæ tintinabulum non soleret noctu ligari, quod in aliis monasteriis fieri solebat. Accurrit protinus Ignatius Domus Præpositus. Ad subterraneam ingressus Domum, seu speluncam Æthiopem audivit, & consolatus est. Motus curiositate Fernandus exploravit, quis esset confessarius; cum videt ex illis prodeuntem latebris Ignatium Regis consanguineum, & virum primariæ nobilitatis; hæsit attonito similis, secum dicens, Ignatius Mascarenius ingreditur præsepia equorum ad mei mancipii confessionem audiendam? quis credet tantum virum aditurum tam humilem speluncam? Non sunt hujusmodi homines, non sunt digni averso animo, sed summâ veneratione, & amore summo. Ex eo tempore in amore Societatis, & rerum nostrarum talis fuit, ut solum non deliraverit. Hunc amorem transmisit filio suo Sebastiano Gamæ Lupio, qui cum hæc scribuntur, adhuc vivit senectutem transigens venerabilem. Ignatius, consumptâ vitâ augendo virtutes, obivit Domus Præpositus. Quatuor habuit in Societate patruos, de quibus suis locis fit mentio.

P. Antonius Carrilho.

Vitâ defunctus Eboræ anno 1713. Natus in oppido *Povoa* Diœcesis Portalegrensis. Inivit Eboræ Societatem 16. Maji anno 1652. ætatis 17. Post absoluta scientiarum studia vitam omnem traduxit nostra obeundo ministeria. In Maderensi Insula sæpè sacris missionibus excoluit diversas Insulæ regiones. Fuerunt illi ad sacrum suggestum dotes præclaræ. Etiam in fessa jam, & postrema senectute peragebat conciones, & exhortationes domesticas sibi injunctas à superiore. Verè in sudore sui vultus panem Religionis comedit. Genius suavis eum amabilem reddebat tum nostris, tum externis. Plurimis annis vixit Villævissosæ. Conquisitis eleemosynis ornavit sacellum Virginis à Succursu dictæ. Illius causâ Ludovicus Sylvius Archipræsul Eborensis destinavit annis singulis eleemosynam Domui Professæ Villævissosæ, ut ibi Carrilius habitaret sine onere laboris. Verum ille qui se reputabat natum labori, ut avis est ad volatum, donum accepit in utilitatem Domus, at se noluit immunem à labore. Ex natura ipsa propensus fuit ad benefaciendum omnibus. Amicus pauperta-

atis non alligavit affectum ſuum re-
bus caducis; imo quidquid illi cu-
rioſum, aut pium donabant, bre-
vi tribuebat, tamquam eſſet oneri. Quamquam acceſſit ad ultimam ſenectutem, nullum obivit magiſtratum; quod ipſe numeravit inter ſingularia Dei beneficia. Sacroſanctam Virginem ex corde dilexit. Ajebat, ſe miſerrimum eſſe peccatorem; at ſpem omnem æternæ ſalutis obtinendæ habere locatam, & fundatam in Virginis patrocinio, propter obſequium parvum exornati ſacelli. Devotiſſimè coluit Sanctiſſimum. Pene de manibus non dimittebat globulos precandi. Erga infirmos uſus eſt ardenti charitate, viatico muniendi plerumque ſibi eum volebant confeſſarium. Compenſarunt hanc alii charitatem aſſiduitate, quâ poſtremum laboranti aſſiſtebant. Vix ſacerdos fuit in toto Collegio, cui per id morbi tempus non exponeret animam per generalem confeſſionem. Exactiſſimè obtemperabat medicis. Admodum ſe gratum oſtendit erga omnes, qui præſtabant ſibi obſequium, & ſervitium, Comparatio ad agonem poſtremum talis fuit, ut omnibus reliquerit documentum. Anno poſt ejus obitum illud contigit mirandum. Jacebat morbo ſupremo Joannes de Sanctis Tyronum Eborenſium Magiſter, de quo fit mentio 18. Junii, cum ſe illi dedit Carrilius ſpectandum. Ab eo infirmus percontatus eſt, *quem locum obtineret in alia vita?* reſpondit; *ſe Dei frui conſpectu, & ipſum brevi ſocium futurum in eâ felicitate.* Dictis hujuſmodi verbis ſuſtulit ſe è conſpectu Joannis non multo poſt deſeruit mortales.

DIE XXV.

P. Ludovicus Alvres Martyr.

AViſii, quod oppidum eſt in Eborenſi Diœceſi, veneno â Judæis de medio ſublatus anno 1590. Natus Ulyſſipone. Ab annis teneris ſunt in eo conſpecta ſigna quædam nõ dubia futuri ad ſacrrum ſuggeſtum ſingularis talenti. Parvulus adhuc retinebat memoriâ bonam partem concionum, quas audierat, deinde utens domi ſella pro ſuggeſto, dicebat oratorio more, quæ conſervaret, & tam grata expreſſione, ut omnibus eſſet jucundum veneficium. Nonnumquam accedens ad feneſtram, concionabatur ad tranſeuntes per urbis viam, qui ſiſtebant omnes magnopere recreati dulciſſimo ſpectaculo. Illius parens vir multæ virtutis eum cupiens Eccleſiæ ſervire, miſit Conimbricam ad ſtudia ſcientiarum. Illic Philoſophiæ, & Theologiæ navavit operam. Cum volebat amicos ſuos gratiſſimè morari, ac recreare, coram ipſis recitabat concionem inſignis prædicatoris, quem audiviſſet. Etenim viguit felici memoriâ. Diaconi gradu initiatus tum Ulyſſipone, tum Conimbricæ peregit nonnullas conciones magno audientium plauſu. Senſit intus ſtimulos amplectendi Societatem. Pridie quam ad nos ve-

veniret, ſcripſit matri ſuæ hæc verba: „ Craſtinâ die ingredior Societatem „ contra voluntatem meam, ſed non „ poſſum vocanti Deo reſiſtere, quid „ ipſe de me velit, ego neſcio. Conimbricæ adjunctus Societati 5. Januarii anno 1560. Ingenii ſingularis causâ vix aliquid pulchrius, aut ſpectabilius erat in Academia; propterea non vulgarem excitavit admirationem illius in Societatem ingreſſus. Joannes Suarius urbis Epiſcopus id audiens exclamavit: *Magnum piſcem piſcati ſunt Apoſtoli.* In tyrocinio ſæpe jubebatur concionari tempore prandii, quod ille exequi ſolitus tanto ſpiritu, ac devotione, ut auditores obliti eſcarum dicenti unicè attenderent. Conimbricæ docuit Philoſophiam. Quamvis ad magiſteria præclaro micabat ingenio, conſultius viſum eſt obire munus concionatoris, ad quod nemo erat ipſo præſtantior, accedente vitæ exemplo. Non curabat hominum plauſus. Idcircò reprehendebat acerrimè vitia. Summopere contemnebat ſe ipſum. Deum enixè rogavit tria, nimirum pro ipſius amore in noſocomio mori, vitam degere ab omnibus contemptam, non gubernare. Cuncta eſt adeptus. Loquens cum ſacerdoti noſtro ſibi amico, *mi Pater*, inquit, *non intelligimus, quanta res ſit Chriſtus Crucifixus.* Cum cæleſtem hanc doctrinam ebibiſſet, nullis conviciis, aut injuriis turbabatur, nec exardebat impatientiâ, ſed mitiſſimis verbis volenti audire de ſe rationem dabat. Vacabat multum Cæleſtium commentationibus, quas irrigabant ſuaviſſimæ lachrymæ. Ipſius conciones in oratione cudebantur, inde tamquam de fornace extrahebat ignitas, propterea inflammabant omnium corda. Cum repetebat in cubiculo dicendas conciones, eliciebat ſibi tam copioſas lachrymas, ut madefaceret ſudarium. Ad illius audiendas conciones incipiebat populus concurrere poſt mediam noctem. Ubi mane apertum eſt oſtium templi totum unico impetu completum eſt, aliis alios conculcantibus. Si templi latera habuerunt feneſtras, applicabantur illis ſcalæ, ut ex ipſis audirent concionem. Majorem in modum dominabatur auditorum cordibus, verſavit, quoquo voluit. Nonnulli ſponſione facta ſe non ploraturos, non potuerunt lachrymas continere ipſo audito. Semper odio habuit commoda propria. Nunquam uti voluit togâ religioſâ, aut pallio novo. Si non conſulebant illi de veſtitu, ſui ipſe non meminerat. Superiores ſuos excuſavit ſemper, ac defendit: propterea gratus non erat queribundis: Caſtigationes injunctas ob defectus ſuos multâ humilitate acceptabat. Pro rebus ordinariis tulit pænitentias valde acerbas. Semel, quod ex horto in cubiculum portaſſet malum limonium, juſſum illi eſt, ut, eo malo de collo pendente, ſubiret pulpitum triclinii, ac de more noſtro diceret coram omnibus, ſibi talem imponi mortificationem propter eam culpam. Submini-

nistro monituro, & verecundo ridenti voce dicebat: Accede, mi frater jam te intelligo, refer, quod habet schedula. Ajebat esse Dei singulare beneficium, quod Superiores concepissent sinistram opinionem de aliquo subdito sine culpa sua. Amor ipsius erga Societatem nullis potest explicari verbis. Dictitabat: si (quod Deus averteret) se de Societate dimitterent, facturum ex frondibus tugurium prope januam, ubi tribuitur mendicis eleemosyna, ibidem vitam aliturum gabatâ jusculi, donec rursus adoptaretur Societati. Quod in concionibus adversus vitia tonabat acrius, quam vellent homines vitiatæ conscientiæ, eum criminati sunt tanquam nimis audacem in Regem, & nostros Religiosos, qui Regibus erant à confessionibus, sumptâ occasione ex nonnullis ipsius verbis. Propterea relegatus est ad Residentiam Samfinensem prope Minium, ibique turri inclusus. Non defuerunt dynastæ, qui ferentes ægrè tantam viri Apostolici injuriam, Ulyssipone convolarunt ad eam Residentiam. Cum ipsum alloquendi non fieret facultas; nocti applicuerunt scalas turri, ac per fenestram introgressi, commiserati prius illius vicem, aperuerunt, se tam longam suscepisse viam, ut eum liberarent à carcere; rem esse indignissimam, hominem Religiosum in vincula conjectum, quod prædicaret veritatem, secum rediret Ulyssiponem, quidquid forent, & possent oppignoraturos apud Regem, ut eveheretur in Episcopatum. (nondum erat solemniter Professus) Benignis verbis gratias habuit pro tam singulari amoris significatione, se in eas conjectum angustias jussu Superiorum Societatis, inde nisi ipsis jubentibus non egressurum. Ad hanc, & similes responsiones dixerunt, se homines non esse, qui Ulyssipone venissent, ut reverterentur infecto negotio, proinde cum ipsis descensurum per eas scalas, aliud non decere illorum honorem. Hic Ludovicus cernens ad vim rem spectare, suum illum dicendi spiritum resumens, *Dæmones*, inquit, *vultis me perdere, nescitis me pluris facere carceres in Societate, quam omnes Episcopatus, & mundum omnem?* Ad has, & similes voces admirati sunt hominis virtutem, & insignem patientiam, ac mitiores redditi. Quibus ille: ite auspiciis felicibus, tum exiero de his vinculis, osculabor manus vestras pro tam fideli animo, & amicitia. Redeuntes Ulyssiponem adhibuerunt suas industrias in eo liberando, quod feliciter sunt consecuti. Crediderunt multi, vel omnes tantam calamitatem illius in reprehendendis vitiis frænaturam libertatem. Verum sic fremuit adversus morum corruptiones, tanquam nullo fulmine fuisset percussus. Illius pretiosa manuscripta non sunt inventa, nam cum existimaretur de carcere dimittendum è Societate, vel distributa sunt, vel alio modo sublata, tunc ejus amici tribuerunt concionum compendia, quas ipsi scripserant

rant ſuis uſibus, cum ipſe dixerat. Octies, vel novies concionatus eſt contra Judæos in fidei, ut vocant, actibus: Cum Inquiſitores poſtularent eandem concionem, peregit, quod dictum duodecima Auguſti in mentione Hieronymi Diaſii. Retulit diverſis de noſtra Societate, Virum inſignem virtute ſibi quondam affirmaſſe Martyrio ſe laureandum, idque ſignificare rubicundam maculam, quam haberet in uno ex brachiis. Ajebat, deſiderium ſuum eſſe mori in agro inſtar meſſoris labore exhauſti. Ut ſatiaret hujuſcemodi ardorem, quamvis erat feſſus & valetudinis afflictationibus, & laborum aſſiduitate, petivit à Provinciali, ſibi concederet facultatem diſcurrendi per vicos, & oppida Provinciæ Tranſtaganæ miſſionem obeundo. Habitâ poteſtate, ſe comparavit non tam ad miſſionem, quam ad mortem, quæ ipſi fuit revelata, ut prudenter eſt exiſtimatum. Quod ipſius pallium abundaret centonibus, voluit ſocius veſtiarius novum illi tribuere, cui reſpondit: „ Mi chariſſime, ſi me tali „ modo induero, non æquabo pauperem Clericum, quia illi non erit „ nobilius pallium, & pileus intus ornatus ſerico, qualis meus non eſt. „ Si tulero hoc pallium centonibus „ obrutum, & hunc pileum ſeratum, magis ſpectabilis erit Ludo„ vicus Alvarus: nam invicem di„ cent: Videte Ludovicum Alva„ rum, ut incedit veſtitus, ac ple„ nus centonum. Hoc joco rejecit pallium novum. Diſceſſurus è Collegio dixit Nonio Maſcarenio, & Benedicto Fernandio amicis ſuis: „ Mei „ fratres chariſſimi, me poſtremum „ complectimini, non amplius me „ videbitis per hoc oſtium ingredi. Incipiens ab Oppido *Arrayollos* pedibus iter faciendo diſcurrit concionando, & audiendo pænitentes usq; ad Avizium. Quod eſſet oppidum frequentius incolis, diutius illic ſubſtitit. Cum Eborâ eò adiret vir illi notus, obvium habens Ludovicum ſolum extra oppidum acclinatum arbori, quid ageret, ſciſcitatus: cui reſpondit: *Conſidero æternitatem, in qua brevi ſum futurus.* Concionans adverſus perfidiam Judaicam, inter fervorem maximam pinum digito monſtrans, *cum illa*, inquit, *pinus aruerit, ignis Sanctæ Inquiſitionis Avizium ingredietur, & aperiet hanc nucem pineam.* Sic ille ſolitus eſt vocare Judæos, qui confœderati, & tecti occultantur, ſicut nuclei pinei. Dictum ex fervore creditum eſt, res ipſa aliud oſtendit; nam pinus icta fulmine prorſus aruit. Sub idem tempus Inquiſitionis Tribunal exercuit magna ſupplicia contra illius Oppidi Judæos. Poſt ejus mortem in femoralium crumenâ eſt inventa epiſtola à Judæis ad ipſum miſſa, in qua erant hæc verba: *Ludovice Alvare, ſi linguam non franaveris, avelletur tibi per occipitium.* Cum non ceſſaret à perſequendo Judæorum impietates, illi poſt concionem in poculo vini propinarunt venenum. Id confeſſus eſt poſtea unus

è

è Judæis apud Inquisitionis Tribunal. Sentiens torqueri doloribus viscera, quanquam multi nobiles domos suas obtulerunt, noluit deserere nosocomium. Eborâ missus Balthasar Diasius Coadjutor, ut consuleret ægroto. Longo experimento multa de arte medica cognoverat. Protinus intellexit morbi causam. Ludovicus post suscepta Sacramenta suavissima inter colloquia profudit animam. Ejus cadaver lecticâ portatum Eboram rogatu dynastarum, & præsertim summi Præfecti Sodalitatis à Misericordia dictæ, locatum est in cœnobio Carmelitarum, quod erat extra urbem prope muros, ut inde ferretur ad templum nostrum, quantâ posset pompâ. Hac postrema significatione voluerunt testari, quanti fecissent hominis virtutem. Ex eo cœnobio per mediam urbem delatum cadaver, viis plenissimis comitantûm accensis funalibus. Nulla in tanta urbe sodalitas fuit, quæ non adesset præeunte sua cruce. Feretrum Inquisitionis secutum est Tribunal. Fenestræ, & altiora loca, quà tantum incedebat agmen, erant refertissima spectatorum, & fæminarum. Uno verbo, illa funebris pompa tam plena fuit majestate, & lugubri apparatu, ut si Princeps magnus illic obiret, majorem non haberet, ut scripserunt, qui exactè rem memoriæ comendarunt, & præsentes fuerunt. In templo nostro consepultus est in sacello quondam dicato D. Vincentio, modò Christo Crucifixo prope sacrum suggestum. Magna fuit de hoc heroe existimatio. Romanus Pontifex de illo Generalem nostrum interrogans, *audio*, inquit, *vos habere in Lusitania alterum D. Paulum.* Nationis comune bonum tulit semper in oculis. Adversus infaustissimam Sebastiani Regis expeditionem nemo ardentius declamavit. Jam cum nationem vidit Castellano subditam imperio, spoliatâ legitima hærede Catharina Brigantina regnis avitis, non pepercit dolori, nec eloquentiæ. Semel disseruit in concione Jus Catharinæ vigore repræsentationis; repræsentabat enim Patrem suum Serenissimum Infantem Eduardum, sub illis Evangelii verbis: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Coram Cardinali Alberto non ille timuit de puncto eodem inferre sermonem, quod aspiceret patriam non tam jure, quam vi captam. Quatuor votorum nuncupavit Professionem anno 1586. Societatis anno 26. Quam moram, rebus consideratis, ego tribuo calamitatibus, & procellis, quibus est agitatus ob suos in concionando fervores, parum gratos nonnullis, qui eos æstimabant ex prudentia humana.

P. Gregorius Serram.

IN Præfectura à Spiritu Sancto apud Brasilos in America Lusitana diem obivit anno 1586. Natione Lusitanus. Conimbricæ Societatem ingressus anno 1550. Egit infirmarium Collegii magnâ erga omnes charitate. Passus est morbos plurimos. Quod vi-

videretur insanabilis, & censerent medici mutatione cæli posse leniri morbos, ad Brasiliam missus est cum Patre Ludovico Grana. Illîc non cessarunt valetudinis affectiones ex omni parte; illas tamen contemnens exercebat corpus labore. Piratiningæ cæpit studere Grammaticæ. Aliquot annis cum alio non sacerdote moratus in pago duabus leucis à Piratininga distante, quorum erat cura Indos excolere Christianis documentis. Diebus festis, ut audirent sacrum, eò contendebat è Piratininga Sacerdos. Gaudebat ad conciones peragendas singulari talento. Missus Bahiam, ut initiaretur sacris. Plurimis annis rexit Collegium Bahiæ, quod per id tempus propter reditûs penuriam alebatur eleemosynis, quas amplas dabant incolæ Gregorio Rectori: illis enim erat admodum gratus tum ob amabilem modum, tum ob prærogativam benè concionandi. Idcircò præcipuus Collegii victus manabat ex sudore Rectoris, & gratiâ apud extraneos. Venerabilis Pater Anchieta habet de Gregorio, ipsum fuisse omnium mancipium, & socium in laboribus. Ille per se parabat omnia profecturis necessaria; & specialem adhibebat curam, ne, quæ forent opus, deessent occupatis in conversione Indorum. Ipse condiebat escas in culina, præsertim apponendas infirmis. Propter hanc insignem charitatem, à cunctis, ut parens, diligebatur. Quærebat subsidia ad maritandas puellas orbas parentibus: Magni æstimatus ab Episcopis, & Præfectis, quorum potestate utebatur tum ad conservandos in sua libertate Indos, tum ad succurrendum miseris. Pertulit multa à scrupulis. Id observatum est, quod, cum propter scrupulos secum esset severus, & strictus, erga cæteros erat largus. Si ad continendos in observantia subditos rigore opus fuit, illo non abstinuit. Ad consulendum morbis suis ad Australem secessit plagam, quod cælum sit benignius, ibique finem posuit diebus suis.

DIE XXVI.

P. Thomas Pereyra.

Æquum non est, ut meus hic labor careat nomine hujus insignis herois, quem Deus elegit tamquam præcipuum instrumentum ad obtinendam libertatem prædicandæ fidei in magno Chinensi Imperio. Quæ res tanta fuit, ut vix aliud majus à nostris hominibus sit factum in regionibus Orientis, aut in toto orbe. Honesto loco natus in pago dicto *Sanctus Martinus de Valle* agri Barcellensis in Bracharensi Diœcesi. Ejus parentes dicebantur Dominicus de Costa Pereyra, & Francisca Antonia. Frequentabat Bracharæ secundum gymnasium in nostris scholis, cum animum ad Societatem ingrediendam adjecit; quod est executus Conimbricæ 25. Septembris anno 1663. ætatis 18. Vocabatur Sanctus Pereyra, apud nos relicto antiquo nomine, sumpsit Tho-

Thomam. Paulo post absolutum tyrocinium petivit Indiam anno 1666. Sciens Imporator Sinensis ex nostris rarum Thomæ ingenium, & peritiam artium pulsandi instrumenta, & musicos numeros componendi, præterea quantum cognosceret de Mathesi, cujus studio gens illa deditissima est, rogavit, ut tantum hominem in Sinam vocarent. Jussu Imperatoris in humeris Sinarum delatus est magnos inter honores Pequinum, quæ metropolis est totius Imperii. Tum ab Imperatore *Cam-Hi*, tum ab ejus filiis, & regni proceribus maximi semper est habitus. Propter illius merita ingentia idem Imperator anno 1692. decretum expedivit, quo concessit, ut in suo Imperio cuique foret liberum amplecti Christianam legem. Cum longo senio consumptus est, ejus funus miris honoribus decoravit. Præter Imperii Magnates, jussit, ut filii sui caput ante cadaver demitterent, qui honos tantus est, ut filii solum præstent Parenti Imperatori. Adjecit officia cætera, quibus secundum regionis morem honestantur præclarissimorum exequiæ. Plurimæ fuerunt Thomæ virtutes. Authoritate sua, & patrociniis texit, ac defendit Evangelicos operarios. Hactenus ad me non pervenit notitia de privatis exemplis, nec dies, mensis, aut annus mortis. Alii copiosius de ipso, ejusque rebus scribent, præsertim Sinenses operarii. Illius nomen sit in hoc opere tamquam adamas in annulo.

DIE XXVII.

P. Antonius de Gouvea.

IN navigatione ad Angolam anno 1693. vitam cum morte commutavit. Natus in urbe Guardia. Conimbricæ addictus Societati 22. Februarii anno 1677. ætatis 16. Eboræ navans operam Theologiæ, dum se propè solis occasum domum recipit ex urbe, vidit sub porticu Collegii à Purificatione mendicum paratum super nudum pavimentum noctem transigere, quamquam apparebat ex facie luridâ infirmus. Misertus pauperculi, suasit comiti, propius accederent, visuri, si quid morbi pateretur. Ex ipso cognovit dimissum è publico nosocomio malè confirmatum viribus, contendere ad hospitalem domum prope portam ab Avisio dictam, ubi vir pius faber ferrarius suo labore, ac piorum eleemosynis sustentabat convalescentes; quod progredi nequiret, illic pernoctare constituisse. Sciscitatus Gouvea, possetne iter continuare medius inter duos utrique incumbens? cum responderet, posse. Suffultus amborum brachiis per mediam urbem in eam domum perrexit. Quamvis adivisset iam Insulas, post absoluta studia Theologiæ missus ad Angolam. Circumstantiæ reddebant obedientiam alioquin difficilem, duriorem. Tamen vir Religiosissimus pessundans repugnantem, ac reluctantem naturam, nunquam, dixit, permittat Deus, ut Sanctus Ignatius

tius à me petat de hoc pileo rationem. Eo verbo significavit, se nolle Deo reddere rationem de relicta Societate. Igitur se vivam hostiam immolans obedientiæ occubuit in mari die, & mense mihi non compertis.

P. Antonius de Gouvea.

IN Sinarum regionibus orbe postremo die, mense, & anno mihi non cognitis vitam explevit. Natus Cazalii Diœcesis Visensis. Societati adjunctus anno 1611. Absolutis scientiarum studiis migravit ad Chinam, ubi zelo indefesso laboravit amplius annis triginta. Anno 1665. pulsus est ab inimicis fidei in exilium ad urbem Cantoniam, ibique sex annis addictus carceri, donec latâ sententia in ejus, & aliorum præconum Evangelii favorem, redivit ad pristinos labores, ac inter suos neophytos sepultus est.

Bernardus Japon Coadjutor.

COnimbricæ diem obivit. Natione Japon. Natus Cangoximæ. Fuit unus è primis, quos illic ad Fidem convertit Sanctus Franciscus Xaverius, & primus, qui ex illa natione adoptatus in Societatem ab ipsomet Apostolo, à quo est missus Romam, ut ibi cernerentur Ecclesiæ Japonicæ primitiæ, & ipse Ecclesiam videret in suo fonte, & posteà, quæ conspexisset, suis referret popularibus ad eos in fide confirmandos. Videbatur unus è Christianis Ecclesiæ primitivæ. Ut rediret melius fidei doctrinis institutus, illi cæperunt explicare fusius mysteria. Verum ob valetudinem affectam, quod esset expertus tot cæli varietates, & navigationum, solùm exacte ipsi est explicata Oratio Dominica. Cum bene percepisset, quamvis haberet jam meliusculè, dixit, sibi opus non esse plura perdiscere; nam quæ sibi forent necessaria, contineri omnia tum in Oratione Dominica, tum virtute obedientiæ; se non egere aliis studiis: Piissimus fuit in Divinis rebus commentandis. Licet omnia meditando fidei mysteria plurimum afficeretur cælesti quadam teneritate, in Eucharistia consideranda se ipsum excedebat, ardentiusque æstuabat. Audiens quendam è nostris sacerdotibus peritum esse Hebrææ linguæ, antiqua quadam simplicitate mirabatur ipsum voluisse eorum hominum, qui Christum occidissent, studere idiomati. Pollebat acuto ingenio. Semel jussus discurrere, ac loqui de Angelis, id est executus tantâ certitudine, & tot firmis rationibus, ut fuerit circumstantibus admirationi, cum non frequentasset Academias. Revertens ex Urbe ad Japoniam, Conimbricæ exhalavit animam. Liber obituum Collegii, quem volutavi, nec diem, nec mensem, nec mortis refert annum. Tanta fuit antiquorum in hoc puncto non excusanda negligentia.

DIE XXVIII.

P. Petrus de Andrada.

NAturæ concessit Eboræ an. 1579. Natus Villæ Longæ Diœcesis Ulyssiponensis. Societatem amplexus in Domo Professa anno 1562. Plurimam navavit operam Evangelicæ perfectioni. Cum docebat Latinitatem, ejus schola magis videbatur esse virtutis, quam litterarum, illius sanctimoniam probavit, & ostendit manifestius ultima ægritudo. Initio visa est levis, posteà sic hæsit illi febris, ut nullis medicinis fugari potuerit. Rara inerat illi obedientia. Quidquid imperabant medici, mandabat executioni, etiamsi natura reluctaretur. Si jubebant, cibos caperet; ne foras ejiceret, apprimebat ori manum. Idem egit, ne potionem medicam evomeret: at tanta vi compressit os, ut sanguis eruperit per nares. Frequenter rogabat circumstantes veniam de offensionibus adversus ipsos commissis. Urebatur intus magnis moriendi desideriis. Sciscitantibus, ut haberet? respondebat lætus: Tanquam qui in procinctu est ad videndum Deum. Crebrò repetebat illud Davidicum: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Nonnunquam manibus sublatis in cælum pronunciabat hymnum *Cælestis Urbs Jerusalem.* Suavi morte defunctus Sabbati die, hora septima post meridiem.

P. Emmanuel Mascarenhas.

BRacharæ desiit vivere año 1654. Natus Ulyssipone parentibus illustrissimis Georgio Mascarenio, & Francisca Villena Marchionibus Montalvanensibus. Conimbricæ conjunctus Societati 20. Februarii 1619. ætatis 15. Præcelluit ingenio ad scientias. Docuit humanas litteras, & Rhetoricam: Moralem scientiam tradidit per annos octo. Attrita morbis valetudo non permisit diutius continuare magisteria. Rexit Ulyssipone Collegium Sancti Patritii, & fuit Socius Provincialis. Incipiente Regni felicitate cum Joanne Quarto in thronum evecto, cæperunt Emmanuelis, & suæ illustrissimæ domus cumulata infortunia. Nam duobus illius fratribus in Castellam secedentibus, totam familiam respersit suspicio infidelitatis adversus patriam, & novum Regem. Hi calamitatum montes valdè exercuerunt Emanuelis virtutem. Bis carceri mancipatus, semel in Castella, ubi erat, cum Joannes Quartus Rex nominatus est, iterum redditus Lusitaniæ: & cum obivit, exulabat Bracharæ. Cuncta pertulit innocens. Præclaris splenduit virtutibus, profunda humilitas, ardens charitas, mira in Deo confidentia, & magnus zelus de bono Societatis illius fuerunt speciales virtutes. Erat instar patris omnibus egenis, qui confugiebant ad ipsius patrocinium. Addictissimus fuit obsequiis Sacrosanctæ Virginis. Quotidie penso Divini

vini Officii adjungebat horas Virginis, & Rosarium. In pervigiliis solemnitatum ipsius, quamvis nullum cogeret præceptum, jejunio se maceravit. Per quadragesimam dies Mercurii, & Veneris transigebat pane tantum, & aqua: Vel ægrotans non omisit recitationem Divini Officii. Cum alius eum verbis suis conaretur ab hac intempestiva arcere devotione, proponens valetudinis incomoda; Emmanuel se tutatus est exemplo cujusdam sacerdotis, qui horas canonicas recitavit ipsâ die, quâ mortuus est, cum per tempus morbi nunquam pepercerit huic oneri. In conversatione erat jucundus intra modestiam, & religiosam gravitatem. Semper abstinuit ab excipiendis fæminarũ confessionibus, quamvis assiduus fuit pænitentibus viris audiendis: discurrit per diversa regna, & nostræ Societatis Provincias, ubique reliquit odorem virtutis suæ. Adeò tenebat memoria nostræ Societatis Historias, ut videretur nullos alios evolvisse libros; is erat unus ex fructibus raræ memoriæ, quâ præditus fuit. Cæteras virtutes longè superavit rebus in adversis adamantina constantia. Nunquam ex ipso auditum est verbum hominis queribundi. Dictum illius erat: *Affligi, ferre, mori, tacere.* Vir primariæ nobilitatis affirmavit, se nemini mortalium rem ullam magis invidisse, quam Emmanueli patientiam; se patientiorem hominem non vidisse. Die Sabbati mane surrexit è lecto; per domum incesserat, & in templi choro oraverat longo temporis spatio. Dum se confert in cubiculum morbi appetitur subitâ incursione, quæ venarum abstulit pulsationem, sed non usum mentis, & vocis. Sic fuit usque ad horam quartam pomeridianam. Cum Medici non auderent vitæ periculum manifestare, id ipse cognoscens, ego, inquit, numero triginta sex annos Societatis, ad hanc unicè veni quæsitum felicem mortis horam, si adest, statim dicant, ut consulam æternæ saluti. Cum respondissent actum esse de vita, nuntium lætus accepit. Accersito confessario per horæ spatium conscientiam exposuit multas inter lachrymas, à quibus confessarius temperare non potuit. Petivit Viaticum, quod allocutus est admirabili pietate, flentibus, qui intererant, quos rogavit, sibi condonarent offensiones, cum tamen nihil aliud, quam virtutes, de ipso scirent. Tandem testatus est per horam præsentem, & rationem supremo Judici reddendam, se bis traditum carceri, semel in Castella, iterum in Lusitania, nulli ex his comprehensionibus dedisse causam, quæ levi culpa conscientiam suam læsisset. His dictis, Viatico munitus. Protinus sacro est inunctus oleo, ac paulo post solutus corpore spiritus. Ad illius exequias tot confluxerunt ex omni gradu mortales, ut nequiverit templum multitudinem capere. Aliquis rumor fuit ipsi propinatum venenum. Post ejus mortem Parisiis edi-

editum est in lucem, quod composuerat de Sacramentis volumen.

DIE XXIX.

P. Antonius de Morais.

ANno 1616. Conimbricæ vitam clausit. Natus in urbe Funchalensi Madeyrensis Insulæ. Fuit germanus frater Sebastiani Moralii Japonensis Episcopi. Conimbricæ iniit Societatem 28. Octob. 1575. ætatis 18. Docuit Conimbricæ Rhetoricam, & Philosophiam præclari magistri nomine; propterea destinatus est ad componendum Cursum Conimbricensem: quominus id faceret, obstitit oculorum cæcitas, quæ illi supervenit secunda Julii anno 1598. post celebratum Missæ sacrum. Octodecim annis, & quinque mensibus, quibus vixit cæcus, instar Sancti Tobiæ, fuit omnium virtutum vivum exemplar. Verba cuncta erant hominis se totum conformantis ad voluntatem Divinam. Confessus est, primis octo annis sibi id malum fuisse magnæ molestiæ, quod nequiret servire Religioni, & proximum juvare ut debebat. Postremos decem annos transegit suâ cæcitate tam lætus, & contentus, ut astruxerit, facta sibi optionis potestate, electurum potius cæcitatem, quam visum. Postquam est captus oculis abstinuit ab omnibus animi humani levamentis, nihil aliud amans, quam Deum suum, & suum cubiculum. Nolebat ullas audire novitates, nec aliis adesse quietis, & loquendi temporibus. Solum egrediebatur cubiculo, ad Missam audiendam, ad eluendum per confessionem animum, aut sacrum Panem recipiendum, aut res alias necessarias. Recusabat à cæteris invisi, non quod esset ex natura tristis, nam erat genio læto, sed quod ab hominum commerciis totum avocaret animum, addiceretque Divinæ familiaritati. Non consensit ab ullo servitia sibi præstari. Ibat ad commune triclinium, etiam nocte diebus jejunii. Si apud nos prandium sumpsit hospes sæcularis in triclinio, illâ die solùm nocte capiebat cibos. Sternebat lectum suum, purgabat scopis cubiculum, donec Superior animadvertens, id ægrè ab eo fieri, contrarium illi ordinavit; tunc consensit, ut exerceretur erga ipsum hujusmodi charitas. Ante cæcitatem vitam vivebat adeò inculpatam, ut, qui familiariter noverunt, affirmaverint, à se non visam in eo actionem, quæ levi peccato macularetur. Multi existimarunt ortam ejus cæcitatem à lachrymarum dono. Post magisterium Philosophiæ, peragens annum tertium probationis, habuit Exercitia Sancti Patris Ignatii per dies quadraginta continuatos, ejusque erat propositum habere plures, nisi prohiberetur. Ordinariè dormiebat solum primis quatuor horis, cæteram noctem transigebat orando. Materia meditationum illius erat vita, & Christi Passio. Aiebat, fieri non posse, ut quis orationi foret assiduus, nisi continuis à

DEO recrearetur consolationibus. Hinc est conjectum ipsum plurimâ cælestium gaudere dulcedine, quod oratio ejus esset quotidianus panis. De horis Officii Divini recitabat, quod memoriter tenebat,& nonnunquam canebat Psalmos voce submissâ, modo tam pio inflexâ, ut in audientibus excitaret devotionem. Illius mortificatio magna fuit. Quamvis esset ex natura ad bilem propensus, nunquam in actibus litterariis disputandi verbum protulit animi parum modesti argumentum. Discipuli ut sanctum intuebantur. Erga consanguineos, & vel in duos, quos habebat in Societate fratres, se gerebat tanquam mortuum: Plurimum amavit externas demissiones, has ajebat multum fovendæ, & augendæ humilitati conducere, plerumque non esse spoliatas substantiâ humilitatis. Cum docebat latinas litteras, multis precibus, & lachrymis orabat se præfici gymnasiis inferioribus. Sebastiano Moralio Provinciali, & ipsius fratre Antonii voto indulgente, institere Patres, ne quid tale ageret; quibus ille: Si non paruero ipsius petitioni, tam effusè plorabit, ut ego sim ignoraturus, quid facere debeam, nolo, nolo videre illum lachrymantem. Post annum tertiæ probationis poposcit mitti Brigantium, ut vitam degeret in loco magis remoto ab hominum commerciis. In Collegio Portuensi ejus frater Ludovicus Moralius Rector illum monuit ad nuncupandam solemnem Professionem; respondit, defectu visus idoneum se non esse ad obligationes talis status, sibi satis fore gradum Coadjutoris Spiritualis. Adeò tenaciter suo adhæsit proposito, ut cogendus fuerit obedientiæ præcepto ad quarti voti Professionem emittendam. Anno undecimo ante suam mortem postulavit à sacerdote adolescente, ut sibi proponeret puncta meditationum pro habendis Sancti Patris Ignatii Exercitiis; cum recusaret ob pudorem, tam enixè Antonius est deprecatus, ut, ne eum contristaret, gerendus illi mos fuerit. Nihil æquè nostris commendabat, atque humilitatem, contemptum proprium, & appetentiarum extirpationem. Dictitabat in mundo esse duo idola, nimirum honorem, & appetitum, hos oportere conculcare, & conterere. Habuit sibi persuasum, suos mores esse reliquis offensioni; propterea dicebat, recte facturos superiores, si se applicarent antliæ villæ suburbanæ ad aquam hauriendam, vel pistrino ad molendum triticum, quoniam cæcus talibus ministeriis solum erat idoneus. Id sentiebat de seipso, cum reverâ valde foret utilis alieno bono: nam excipiebat confessiones quinquaginta sacerdotum nostrorum, inter quos fuit Franciscus Suarius Granatensis, & plurimorum ex non sacerdotibus. Destinatus erat Confessarius quatuor Philosophorum externorum cursibus. Propterea pœnitentes audiebat ad januam, quotiescunque vocabatur: Insuper quæ-

quærebatur frequenter ab Academicis, qui apud eum conſcientias libentius exonerabant tum propter virtutem, tum propter ipſius litteras; de utriſque enim invaluerat opinio non vulgaris. Fiduciam ipſum facilius conveniendi augebat Confeſſarii cæcitas. Si frueretur oculorum uſu, non poſſet in eo tribunali profuiſſe tantum pœnitentibus. Nonnunquam illi Deus manifeſtavit hominum corda, ut eorum mederetur conſcientiis. Semel vir, cui erat à confeſſionibus, ſe noctu dormitum collegit, ſecum deſiderans, cognoſcere, an eſſet ex numero ſalvandorum. Per quietem ſe illi obtulit Antonius, qui adhuc vivebat, hæc verba dicens: *Non confunderis in æternum.* Quibus pronuntiatis, evanuit. Extitit vir majorem in modum conſolatus, ſecum ſtatuens non fuiſſe illud vanam ſomniantis imaginem. Aiebat ſibi gaudio futurum ſingulari, ſi haberet catulum benè edoctum, quo poſſet uti duce, ut per pagos vicinos diſcurreret inſtituendo Chriſtianâ doctrinâ populum, & vivendo corrogatis eleemoſynis. Poſtulavit mitti ad Samſinenſem Reſidentiam, ubi poterat concionari, quod illic non eſſent neceſſariæ prædicationes meditatæ, & ſcriptæ. Superiores ſuos coluit tanquam Dei ſimulacra viva. Coram Miniſtro erat ſemper detecto capite, tantâ ſubmiſſione, ut cum majori non adeſſet novitius. Sentiebat intus animum indifferentem, ad quæcunque vellent Majores ſui. Affligebat multis caſtigationibus artus ſuos. Poſtremo die Bacchanalium ante Quadrageſimæ initium nihil omnino cibi deguſtabat, eo rigore in ſe puniturus nimiam Chriſtianorum illa die in edendo, & bibendo licentiam. In triclinio diebus apud nos ex devotione ſolitis ſemper flagellavit tergum. Si animadvertit ſibi prandenti, aut cœnanti aliquid ciborum poni ſpeciale; quod aliis non inferretur, abſtinebat à cibo ſimilis homini affecto convitiis, & injuriis. Illius victus tam tenuis erat, ut videretur ſeverum jejunium. Veſtitum novum non induit, nec thoracem duplicem, quamvis plurimum à frigore pateretur. Suadebat noſtris, ne colerent amicitias cum externis, qui parùm erga res noſtras eſſent affecti: hujuſmodi familiaritates eſſe damnoſas, tales homines ſolum velle noſcere, quæ fiant, & contingant intra parietes noſtros; decima quinta Novembris ſe Medicis, ac lecto tradidit. Migravit ad valetudinarium. Cum vellent ejus cubiculum dealbare, ac melius componere; reſpondit, opus non eſſe, cum ad illud rediturus non eſſet. Nocte præviâ diei mortis dicentibus ipſum apud mortales non futurum per totam noctem reſpondit: Hac nocte non, ſed cras proficiſcar ad videndum Deum. Toto morbi tempore nihil dixit, aut fecit, quod non micaret exemplo. Tum à noſtris, tum ab externis multæ in Deum fuſæ preces, ut ipſi reſtitueret valetudinem. Servavit inte-

græ mentis usum usque ad extremum anhelitum. Illius ossa deposita fuerunt sarcophago speciali in Sacello Divi Antonii cum aliis sanctimoniæ heroibus, quorum nomina distinguunt lemmata.

P. Hieronymus Fernandes.

Conimbricæ postremum diem explevit anno 1606. Quod catalogi duos habeant ejusdem nominis; alterum Ulyssiponensem, alterum natum Motæ Diœcesis Bracharensis, unde sit natus, nescio. De ipso scribitur, esse per id tempus ex antiquioribus Provinciæ, & litteris, & virtutibus venerabilem, miræ mansuetudinis, notæ patientiæ, sui contemptorem egregium. Docebat nostros scholasticos, quorum unus à tribus mensibus laborabat quartanâ, cujus causâ sæpe de gymnasio exibat, tunc illi magister commendavit, confugeret ad patrocinium Sancti Ignatii nondum inter Divos relati, sacrum Panem acciperet die quartanæ, se voto obstringens recitandi quotidie in obsequium Divi quinquies Dominicam orationem, & Salutationem Angelicam. Paruit consulenti. Quâ horâ solebat recurrere quartana, aderat in gymnasio; tunc sibi est visum, vaporem quemdam instar nebulæ à suo exhalari capite, & tentatus levi vertigine se ad condiscipulos convertens, grates, inquit, Deo habeantur, omnino equidem evanuit quartana. Ità contigit, amplius enim non redivit. Tradidit Hieronymus annis plurimis Theologiam: deditissimus fuit orationi, & mortificationi, pluris enim fecit litteris virtutem. Obivit non sine sanctitatis opinione.

P. Antonius Dias.

Anno 1654. Conimbricæ, ubi natus fuerat, valedixit mortalitati. Gradus ejus fuit spiritualis Coadjutoris. Numerabat annos ætatis duos supra septuaginta, è quibus quadraginta novem in Societate traduxerat, & ex his triginta tres continuatos in laboriosa Residentia Hesperidum, sive Insularum à Capite viridi. Illic annos octodecim pueros tum Lusitanorum, tum Nigrorum filios docuit Grammaticam. Indefessus erat in auscultandis pænitentibus. Ad sacrum edocendum Catechismum fuerat illi singularis industria, & modus gratissimus. In ea regione cæli plane infelicis gravissimos passus morbos, his accesserunt adversitates plurimæ. Cuncta pertulit integris, & æquis animis. Vacabat frequenter Divino commercio per orationis exercitia. Tota ipsius vita inter inculpatas reputata est.

Emmanuel de Almeyda Scholasticus.

Vitam clausit Eboræ anno 1712. Natus Ulyssipone: ibidem conjunctus Societati 22. Januarii 1707. Ante initam Societatem cum provocaretur ad turpia redactus in angustias, scisso pallio, evasit impudicissimas manus. Apud nos innocenter vixit. Si dicebant illi verbum probro-

brosum, vel quo præstringerent; illius erat responsum: *Benedictus sit os fratris mei.* Si verbum protulit, quo sentiret offendi aliquem, protinus rogavit veniam commissi. Sociis nonnullis perniciosâ febre jacentibus serviit magnâ charitate: hanc specialiter ostendit erga socium contyronem suum, cui continuus astitit. Ex hac assiduitate hæsit illi eadem febris. Statim magno humanarum rerum contemptu se comparavit ad ultimum subeundum certamen. Dum morbus exarsit, non permisit coram se alios sermones, quam qui de rebus Divinis forent; dicebat in his solum reperire consolationem. Ter est scarificatus, cum adhuc erat suæ mentis compos. Quamvis admodum violentæ sint tales curationes, ne unum quidem edidit suspirium animi levandi causâ. Singularem ostendebat obedientiam, & in factis, ac dictis exemplum. Cum vellent ejus pedibus adnectere columbas sectas, & calentes adhuc, significavit repugnantiam, protinus in se reversus, & suæ significationis pœnitens rogavit circumstantes veniam de parum Religioso exemplo. Duo à Deo postulaverat, nimirum in Societate perseverantiam, & usum vocis cum mente sana usque ad mortem. Utrumque adeptus est. Usum vocis amisit semihora ante mortem. Novemdecim diebus, quibus jacuit in lecto, sæpe conscientiam per confessionem exposuit, & Angelorum Pane est refectus. Aiebat sibi esse maximo solatio contraxisse morbum ægrotis serviendo. Quo die de vivis abiit, non semel affirmavit ipsâ die se moriturum.

DIE XXX.

P. Sebastianus Machado.

Vitam explevit Eboræ ann. 1621. Natus Serpæ Diœcesis Eborensis. Conimbricæ Societatem amplexus 10. Martii an. 1587. ætatis 20. Triginta quinque annos apud nos eam duxit vitam, ut meruerit illi à Deo revelari ex apoplexia moriturum. Hujusmodi Dei beneficium detexit cuidam amico suo, adjiciens, duplex sibi gaudium esse ex tali mortis genere, primùm, quod crebrò adiret pedes confessarii; Secundùm, quod non erat socios fatigaturus morbo diuturno.

Gaspar Alvres Coadjutor.

In Angola obivit anno 1623. Ibidem Societatem ingressus. Loandæ vivebat opibus abundans ex negotio collectis. Cupiens bona sua utiliter consumere, decrevit Collegium Societati fundare in metropoli regni Congani, ut consuleretur eorum Æthiopum saluti. Per id tempus, quo secum hæc agitabat, Rex Congi nesciens Gasparis mentem, legatos suos Loandam misit, postulans à nostro Rectore novam Collegii fundationem in sua urbe. Id Gaspari argumentum fuit Deo placere, quod ipse meditabatur; destinati sunt ad ponenda initia duo sacerdotes, &

unus Laicus. Hæc consilia turbavit summus rei Lusitanæ Præfectus. Quod nostri homines non approbarent illius sententiam de quodam injusto bello movendo; tantum concepit in eos odium, ut quinque ex ipsis per summam injuriam comprehendi jusserit, ac navi impositos miserit ad Lusitaniam. Exquisitam adhibuit diligentiam, ut Gasparem apprehenderet, ejusque abscinderet caput. Quamvis erat jam nostræ Societatis tyro, pro ipso statuam publicè decollari jussit, nec dubium erat, tyronis collum amputandum, si caderet in manus Præfecti. Fuit enim vir nullius conscientiæ, & tandem ob sua enormia scelera contabuit obrutus sordibus in carcere Ulyssiponensi. Igitur ne Gaspar in casses Præfecti decideret, imperavit superior, ut unà cum Patre Eduardo Vasæo occultè migraret Pindam in regno Congi, & ibi, nave conscensa, peteret Lusitaniam. Cum navigandi deesset opportunitas, Petrus Rex Congi eos in suam urbem invitatos fovit multâ benevolentiâ, & fundatio Collegii constituta est. Eunte novo Præfecto ex Lusitania, ambobus liberum fuit redire Loandam. Donavit Gaspar Loandæ Collegio reditum pro fundandis scholis, quas illic habet Societas. Per universam Societatem pro Gaspare tamquam pro insigni benefactore, tria sacra fecit quisque sacerdos, & ex aliis quisque recitavit tres Virginis coronas. Apud nos traduxit vitam magno exemplo, nec id valde mirandum, cum antequam de Societate foret, haberetur notæ probitatis. Collegio donatione factâ inter vivos largitus est quinquaginta aureorum millia. Obivit Novitius, & legavit puellis orphanis maritandis supra septemdecim aureorum millia in suo testamento præter alias eleemosynas.

P. Franciscus Velho.

IN Oppido *Ponte de Lima* Dicecesis Bracharensis efflavit animam anno 1662. Natus in pago *Palme* Diœcesis Bracharensis. Docuit sex annis humaniores litteras, & Philosophiam Ulyssipone. Egit Romæ Substitutum Assistentiæ Lusitanæ, & Pænitentiarium in Lauretana Domo. Nesciit umquam se ab oneribus impositis excusare. Promptè accurrit semper ad juvandum proximum, contemptis propriis commodis. Illius charitas magis perspecta est in missione castrensi, quam obivit juvando in spiritu exercitum Lusitanum Interamnensis Provinciæ. Aderat prælliantibus, ut vulneratos media inter pericula confessione, & piis verbis solaretur. Si monebant; etiam, atque etiam videret sua pericula, & sibi caveret; respondebat, si cadam plumbea glande, immoriar officio, ut in suo milites. Ejus vitam Deus tutatus est; quamvis enim crebrò sibilarent glandes prope aures, eum nulla tetigit. Verum ex nimio labore morbo est implicitus, dum se colligit Bracharam, cum præ morbo ne-

nequiret provehi, coactus est subsistere in nosocomio Fratrum à Divo Joanne de Deo Vianensi, ibidem ultimis animæ subsidiis corroboratus expiravit.

Antonius Lopes Coadjutor.

IN Domo Professa Ulyssiponensi diem obivit anno 1663. Natus Palmelæ Diœcesis Ulyssiponensis. Antequam jungeretur Societati, agebat fabrum cæmentarium. Apud nos reputavit tamquam honorem specialem exercere opificium suum. Ipse evolvebat tectorum tegulas, laborabat permixtus cæteris fabris cæmentariis sine ullo discrimine, præter illud, quod ipsi dabat Religiosa modestia. Non ideo minoris habebatur, imo propterea charus erat omnibus. Nihil æquè fugit, atque panem instar fuci comedere. Etenim sibi persuaserat, se non quæsivisse Religionem, ut otiaretur alendo vitam ex cæterorum laboribus. Plurimum coluit Virginem Sacrosanctam, & multum se tradidit orationi. Cum per æstivum tempus prodiret ad petendas eleemosynas, quibus sustentatur Professa Domus, perniciosâ febre corripitur: ac paulo post in Domum receptus exhalavit spiritum.


Georgius Dias.

ANno 1581. mortuus est Eboræ, quò phthisi correptus è Domo Professa Ulyssiponensi missus fuerat causâ morandi vitam in cælo hujusmodi morbis minus noxio. Illius mores nihil habuere absonum à nostri Instituti legibus. Dabant ipsi mandata multa diversis felicis patriæ civibus portanda: quæ accipiebat hilari vultu, tamquam certus adeundi tantam felicitatem. Ajebat se impensè à Deo flagitasse mori in Societate; quod obtinuisset, oriri sibi firmam spem æternæ salutis. Plurimum desideravit vitam exuere antelucano tempore, ut eo die sacerdotes nostri sibi cuncta sacra applicarent. Factus est voti compos moriens horâ primâ post mediam noctem.

DECEMBER.

DIE I.

P. Emmanuel Tavares.



COnimbricæ reliquit mortalitatem an. 1614. Natus Eboræ, ibidemq; adjunctus Societati 6. Februarii anno 1590. ætatis 17. Docuit quæstiones de moribus in Insulis Flandricis, & exercuit ministeria Instituti nostri magna omnium utilita-

tate. Conimbricæ habitabat, cum vocatus est ad audiendum pænitentem perniciosâ febre laborantem, quæ confessarium infecit, & ex ea efflavit animam nihil aliud de ipsius virtutibus mihi obvium fuit, verum ille actus charitatis tantus est, ut æquet longam virtutum narrationem.

DIE II.

P. Laurentius Ribeyro.

GOæ apud Indos Orientis vitam explevit anno 1615. Natus Eboræ, & ibi Societati adscriptus 6. Novembris an. 1599. Sic in tyrocinio ægrotavit, ut causâ recuperandæ valetudinis sit missus in domum paternam. Illius tam sancti erant mores, ut iterum adoptari in Societatem promeruerit. Cum rursus laboraret valetudine, conservatus est in Societate propter singularem virtutem. Cum accipiebat Panem Angelorum, suaves cadebant ubertim lacrymæ: in eum figere oculos erat Angelum videre. Post tyrocinium in dies auctus est virtutibus. Incendebatur magnis desideriis, quæ omnia forent virtutis perfectissimæ. Plus amabat, quos virtutum studiosiores cernebat. In aulis Academicis videbatur modestiæ præclarum exemplum, & imago. Habitans in Collegio Purificationis præbuit Collegis sæcularibus tam singulare exemplum, ut diu recens illius memoria inter ipsos perseveraverit. Si videbat aliquos animis infensis, illius erant curæ eos amicos reddere Eborâ, quo tempore navabat operam Theologiæ Conimbricam est missus. Antequam celebraret primum sacrum, se collegit ad habenda Sancti Ignatii exercitia. Novo statu magis incensus est ad perfectionis studia. Horas Canonicas legebat attentione singulari, dicens ob id vocari officium, quod sicut quisque opifex sui ducebat honoris officium suum ritè peragere, sic sacerdos deberet suum optimè obire. Sacrum non fecit sine Cilicio, & quin prius flagellasset corpus. Fermè diebus cunctis accessit ad pedes confessarii; etiam ad tremendum sacrificium se comparabat oratione non modico spatio habitâ. Hinc fiebat, ut devotissimè Missæ sacris operaretur; per semi horam gratias Deo agebat. Diebus, quibus exponebatur Eucharistia plerumque non prandebat, ut haberet plus temporis ad assistendum Domino. Ordinariè somnos humi capiebat super tabulam, & cum in lecto pernoctabat, non utebatur sindone. Per Quadragesimam transigebat dies plurimos pane tantum, & aquâ. Adventum Domini, dies Mercurii, Veneris, & Saturni per totum annum jejunio consumebat. In mensa non attigit pomum ullum, cum primò apponebatur. Imminente aliqua majori solemnitate duplicabat preces, & mortificationes. Surgebat noctu, & orabat duabus, vel tribus horis. Singulis mensibus diem unum seligebat, quem totum consumere soli-

litus eſt in obeundis exercitiis orationis, & lectionis ſanctæ, ut his reficeret defectus per totum menſem commiſſos in virtutum exercitio. Mirificè addictus erat devotioni Crucis, cujus meditatione tenerrimum in modum afficiebatur illius animus: in ejus obſequium diebus Veneris ſemper indulſit jejunio, & in ſella cubiculi non conſidebat. Non minor fuit erga Sacroſanctam Virginem affectus; per novem dies ante ipſius feſta quotidie recitabat novies in ejus ſacello dulciſſimum Canticum *Magnificat*. Semel in pervigilio Nativitatis B. Virginis, illi gratulatus eſt recitando flexis genibus millies ſexcenties vigeſies, & ſepties Antiphonam: *Nativitas tua ſancta Dei Genitrix gaudium annuntiavit univerſo mundo* Multis aliis obſequiis Sanctiſſimam Virginem veneratus eſt. Ipſius familiaris ſermo nihil præter Deum ſpirabat. Illius erat curæ in ſe exprimere vitam B. Aloiſii Gonzagæ, cui majorem in modum addictus fuit. Libenter exercebatur in officiis domeſticis humilioribus. Ajebat cuncta ſua opera eſſe valde ſimilia pomo putri, quod ſolum relinquit laborem cædendi corticem volenti comedere. Non omittebat occaſiones vileſcendi. Audiebat gaudens verba in ſe probroſa, dicens eſſe monetas aureas, quibus eum lapidabant, & neminem eſſe tam ſtultum, qui loco ſaxorum non cupiat peti his monetis. Cupiens Divinam gloriam prolatare animas convertendo ad Indiam profectus eſt anno 1615. In navigatione juvit omnes in ſpiritu, tum verbis, cum exemplis ſuis; poſtremo ſeſquimenſe paſſus eſt ardentiſſimas febres, quibus Goam pervenit: hæ ſic eum extenuarunt, ut vitam eripuerint ipſâ die, quâ quondam mortuus fuerat Sanctus Franciſcus Xaverius, quem ſibi propoſuerat imitandum. De ipſius rara virtute ſingularis apud omnes, qui noverunt, viguit exiſtimatio.

P. Caetanus de Abreu.

GOæ vitâ defunctus anno 1714. Natus in Oppido *Metlo* Diœceſis Conimbricenſis, in qua urbe adſcriptus eſt Societati 5. Septembris anno 1704. ætatis 15. Tyrocinii partem tranſegit Eboræ. Illius mores fuerunt ſani, & quales vult Inſtitutum. In tyrocinio ſenſit importuniſſimam luxuriæ tentationem, quam nullis remediis poterat penitus abigere; Tunc ſanctâ irâ ſuccenſus adverſus corpus ſuum aciculam totam usque ad caput fixit in femore quo nobiliſſimo actu, & omnino fugata tentatio, & in poſterum non tulit ſimiles importunitates. Conimbricæ dabat operam Philoſophiæ, cum ivit comes in miſſionem ſtabilem cum ſacerdote de noſtris; per id tempus mortuus eſt in Collegio adoleſcens Philoſophus, hic per quietem ſe obtulit Caetano, rogavitque, ut ſibi condonaret aliquos numos, quos mutuos ab ipſo petiverat, quod ſibi non eſſent, ut reſtitueret. Somno excitus ſcripſit

Conimbricam, & ex reſponſo cognovit, illum ſocium obiiſſe eâdem horâ, quâ ſibi dormienti apparuiſſet. Studebat Matheſi, cum permotus deſiderio animas ſalvandi profectus ad Indiam anno 1714. Non multum vixit, poſtquam eo pervenerat. Mihi retulit ſocius Coadjutor, qui ex India venit cum Venerabili Patre Joanne Antonio Arnedo ante caput Bonæ Spei vitâ defuncto, ſibi dixiſſe Goanum Vice-Rectorem, Caetano ægrotanti bis ſe conſpiciendum obtuliſſe Divum Xaverium, ac infirmo dixiſſe, ſi vellet ſanitatem, iturum in Japoniam, cui ægrotus: ſe nihil aliud velle, quàm quod Deo ſuo placeret. Secundò ipſi apparens iterum ſciſcitatus eſt, an vellet recuperare vires, & ſanitatem, ut in Japoniam contenderet? Cui ægrotus dedit iterum primum reſponſum. Tunc Divus: Igitur compara te ad mortem. Sub hæc verba evanuit ex oculis, & Caetanus nihil aliud habens in ore, & corde quàm Deum, eidem reſtituit ſpiritum, die, quâ de vivis exceſſit Indiarum Apoſtolus.

DIE III.

Sanctus Franciſcus Xaverius.

QUamvis heſternâ die Sanctiſſimam vitam explevit, quoniam hodiernâ eum celebrat Mater Eccleſia, de ipſo fiet hoc loco brevis mentio. Obivit in Inſula Sanciano è regione Sinenſis Imperii: quanquam natione Navarrus, affectu Luſitanus fuit, ipſisque reliquit corpus ſuum tanquam firmiſſimum columen Imperii Luſitani apud Indos. Ille noſtræ Provinciæ anteſignanus Profeſſorũ. Nam primus fuit, qui in Luſitania nuncupavit quatuor vota ſolemnia. Venit in Luſitaniam ante confirmatam Societatem anno 1540. Româ profectus eſt 16. Martii unà cum Regis Legato Petro Maſcarenio, cujus Illuſtriſſima Familia in ſtemmatis ſui gloriam hoc unum primum recenſet. Fecit iter Valliſoletum, ubi tunc habitabant Caſtellæ Reges, inde Salmanticam, & civitatem Rodiricii ingreſſus Luſitaniam, & oppidum Almeidam. Hic obvium habuit Simonem Rodericium, à quo primo ſalu, tantis amplexu depulit quartanam quâ premebatur à multo tempore. Fecerunt iter pedibus per Oppidum Trancozo, ubi eos excepit hoſpitio locuples Abbas, qui è Caſtello ipſi monſtravit latum campum, in quo Luſitani non ſemel trucidaverant Caſtellanos, tunc ſubridens dixit ad Xaverium: ſcito mi Pater, quod in illo campo ſarculus terram non feriet, quin inveniantur oſſa tuorum popularium, Caſtellani equidem ſolum mortui benè habent in Luſitania. Hoſpitis joco applauſit Xaverius, & urbaniſſimè reſpondit: de mortuis quidquid ſit, de me ſolum hoc ſcio, & vivum, & mortuum curaturum ſemper Luſitanis ſervire, & ſpecialiter indigenis hujus oppidi. Non defuit ſuo promiſſo, nam Malacæ in India defendit vitas, ac divitias mercatorum, qui

qui nati fuerant in tali oppido. Continuantes iter transierunt per oppidum *Fataumos*, quod mediâ leucâ distat â *Nouzella* Simonis patria. Cum adhuc viveret ejus mater, præteriit illâ insalutatâ, ut in Navarra fecerat Xaverius. Alio loco exactè refero documenta, quibus nititur hujusmodi narratio, quæ adversatur multis scriptoribus. Trigesimâ die Maji sunt ingressi Ulyssiponem. Excepti sunt in nosocomio à cunctis Sanctis, cujus erat Præfectus P. Ludovicus de Conceptione Clericus Sæcularis Congregationis à S. Joañe Evangelista, quod per id tempus ea Congregatio illam domum administraret. Magna erat de ipsis exspectatio, quam non fefellerunt, imo vulgatum est in populo esse homines adeò raros, ut ex oppido *Tancos* descenderint per Tagum super extenta pallia suis innixi baculis usque Ulyssiponem. Quæ existimatio, licet re ipsa fuerit falsa, multam accessionem fecit eorum opinioni. Conciones, & præclara vitæ exempla lucrata sunt Societati Lusitanæ nomen APOSTOLORUM, quo Lusitania vocat nostros homines. Plurimi eos habuit Rex piissimus. Cum per hyemem secessit in oppidum Almeyrinum secû tulit Patres. De Xaverio nobis constat ipsum visitasse sanctuarium Virginis de Nazareth, quod in Lusitania est valdè celebre, & infiniti concursus. Illic, subortâ rixâ, lethaliter vulneratus est vir nobilis. Accurrit Xaverius, ut juvaret morientem & petito Virginis peplo, illud super Dynastam extendit, qui subitò curatus est. Posteà decrevit Rex, ut iret in Indiam Xaverius. Illò profectus est anno 1541. In eis regionibus eas gessit res, tantas, ac tam gloriosas, ut mundum compleverint. Post decem annos, cum meditaretur anno 1552. ingredi Sinense Imperium, accedens ad Sancianum Insulam illic in magna solitudine rerum humanarum sub tugurio ad tempus extructo giganteam efflavit animam. Ejus corpus delatum Malacam, & inde Goam, ubi incorruptum colitur summâ Veneratione in templo Domus Professæ, quod fundatum est bonis, quæ Societati legavit Hieronymus Mascarenius, qui in Societate habuit quatuor germanos fratres, Petrum, Franciscum, Nonium, & Antonium Mascarenium, de quibus fit illustris mentio in hoc opere. Omnes contingebant proximo gradu sanguinis Petrum Mascarenium, qui Xaverium Româ deduxerat. Quamvis toto Christiano orbe plurimum colatur Xaverius majori veneratione apud Lusitanos suspicitur. In ejus obsequium confluunt populi ad celebrandum novendiale prævium Martii duodecimæ, quâ die Apotheosi donatus est. Singulis diebus refertur è suggesto sacro aliquod insigne opus, vel Divi miraculum. Ex celebritate hujus novendialis manarunt similia, quæ per Lusitaniam fiunt in obsequium, vel Sanctorum, vel Sacrosanctæ Virginis. Specialiter floret hujusmodi

di obsequio nobilissimum oppidum Cetobrica, quæ proximis annis eum sibi Patronum elegit. Lusitaniæ potentissimi Reges, tanquam Parentes nostræ Societatis, eum semper venerati sunt, ut rem suam, & Lusitanæ ditionis singulare stemma, & præsidium. Sæpe Serenissimos Principes, & Infantes parvulos induunt habitu Societatis in obsequium Xaverii. Illorum vestigiis insistens, hæreditariumque hunc affectum conservans Serenissima Domina D. Catharina Lusitaniæ Infans, & Angliæ Regina, uxor Caroli II. quem suis exemplis, & monitis Deo peperit, & ad veram Catholicam Apostolicam Romanam Fidem, in qua piissimè obiit, reduxit; nobis Ulyssipone fundavit, ac liberaliter dotavit novam Domum Probationis in *Arroyos*, alendis Novitiis Missionum Indicarum destinatam, quam Divo Xaverio, quem intimis amabat sensibus, sacratam, ac dicatam voluit. Serenissima Maria Josepha Neoburgensis Lusitaniæ Regina Sanctissima nostræ mater Societatis, quam vocabant, *Reginam Apostolorum*, in honorem Xaverii Societati fundavit Bejense Collegium. Ulyssipone peragebat multa novendialia dierum Veneris in domibus nostræ Societatis, magno totius regni exemplo. Proxima partubus suis ad ipsius confugiebat patrocinium capiti imponens pileum Divi Xaverii ad se ex India missum. Propterea in edenda prole evasit multa pericula. Filium tertiò genitum voluit Franciscum vocari & filiam dici Franciscam; qui Serenissimi Principes hodie vivunt, ac in plurimos vivant annos. Serenissima Domina Maria Anna de Austria Lusitaniæ Regina Augustissima, & piissima conjux Regis Joañis quinti, cujus dominatum Deus optimus Maximus felicitet in annos Nestoreos, amitæ suæ imitata exemplum similibus obsequiis demeretur Xaverii patrocinia, & cum hæc scribimus Principem Josephum hæredem regni ducit Societatis indutum vestitu in obsequium Xaverii. Septembri anno 1715. cum Dinastæ & quidquid magnæ nobilitatis vel Religionis Ulyssipone erat; precabatur Principi felicitatem die natali ipsius, eum Regina in ulnis habuit indutum more nostro; id ipsum præstitit cum Serenissimis Infantibus Carolo, & Petro: quos Deus in æternum sospitet. In hac Provincia dicata sunt Xaverio Collegia Cetobricense, Villænovæ in Algarbiis, Bejense, Fayalense, & Ulyssiponense, in ea urbis regione, quæ dicitur *Alfama*. Inter Beatos relatus est à Paulo quinto 25. Octobris anno 1619. Sacra laureatus Apotheosi à Gregorio decimo quinto 12. Martii anno 1622.

DIE IV.

P. Joannes à Sancto Michaele.

ULyssipone attigit vivendi finem an. 1552. in Collegio vetusto Divi Antonii ad radicem Castelli. Natus in urbe *Betancor* regni Galleciæ. Conimbri-

bricæ adjunctus Societati 8. Nov. an. 1542. Tum litteris, tum dotibus, ad concionandũ per id tempus insignis erat. Magnos animorum motus, & mutationes fecit, ubicumque prædicavit. In oratione adeò fervens erat, ut post eam incesserit instar hominis suspensi, & mentis Deo unicè alligatæ. Gravi morbo decubuit. Cum jam amiserat vocis usum, & supra modum erat debilitatus, ad eum consolandum duxit sacerdos Sanctissimum, ubi illud infirmus conspexit, exurgens flexit genua in lecto, ac substitit eo corporis situ, tanquam si essent vires integræ, dum sacerdos non recessit. Qui nuntiavit illi desperatum de ipsius vita, lacrymas inter verba effudit, cui Joannes subridens; nuntius, ait, non est excipiendus fletu, sed lætitiâ. Protinus rogavit, ut solum relinquerent, quod vellet unicè cum Deo agere. Posteà flagitavit Patrem Ludovicum Gonsalvium, ut se exhilararet referendo novitates de Societate. Cum memoraret varios Regis favores in hanc minimam Societatem, & quanti faceret Sanctum Ignatium, admirabili est perfusus lætitiâ. Die Sabbati jussit vocari omnes socios domus incolas, dicens, velle singulis valedicere: ab omnibus petivit veniam, quod non vixisset exemplo, quod ejus postulabat status. Adjecit se ex hac vita nullum gaudium ferre par illi, quod haberet de morte in Societate. Expiravit post meridiem, quo tempore, qui fundebant pro moriente preces, pronuntiabant illa verba: *per Crucem & passionem tuam.* Revelatum illi fuerat mortis tempus, dixeratque Patribus & Fratribus, se eos vocaturum, ut præsentes essent, cùm Deo erat animam traditurus.

P. Franciscus de Amaral.

ULyssipone in Collegio Divi Antonii contigit vitæ limites anno 1641. Natus in eadem urbe. Conimbricæ complexus Societatem 14. Aprilis an. 1608. Docuit Eboræ Philosophiam, & novem annis Theologiam in scholis Ulyssiponensibus. Rexit Collegium Bracharense. Ob mortem suorum parentum, & fratrum, qui divites, & nobiles erant, omnia ipsorum bona venêre in illius potestatem: Propterea distulit professionem solemnem, quam concepit anno 1641. Fuit ex insignibus Conimbricensis Collegii benefactoribus; idcircò per totam Societatem quisque sacerdos sacrum unum pro ipso fecit, & duo in Provinciis Assistentiæ Lusitanæ. Illius vita, & mores fuêre religiosissimi. Dilexit plurimum Societatem, cujus procuravit semper incrementa, tum spiritualia, cum temporalia. Agebat Collegii Ulyssiponensis Rectorem, cum cessit è vita.

DIE V.

P. Joannes Velasco.

DIe, & anno mihi non compertis vitam explevit in India. Natus

Santandri in Archiepiſcopatu Burgenſi. Addictus Societati Ulyſſipone 25. Aprilis anno 1598. Illius virtus tam nota erat omnibus, ut vellent præficere inſtituendis Tyronibus, cum tredecim tantum annos Societatis numeraret, ſed propter humilitatem hujusmodi honorem excuſatione à ſe depulit. Magno fervore petivit ſcribi inter Indiæ præcones Evangelicos. Eo profectus eſt anno 1611. In India fuit ſocius Andreæ Palmerii Viſitatoris. Plurimum laboravit Malacæ, unde migravit ad Inſulam Macaſſarem. Ex itinere appellens cuidam parvæ Inſulæ *Sabó* dictæ, quam incolebant ethnici, tantâ eos tractavit affabilitate, ut omnes ad fidem converterit. Agitante Patre Viſitatore de aperienda via tuta, qua noſtri poſſent in Æthiopiam penetrare, miſſus eſt cum alio ſacerdote ad explorandam Melindenſem oram. Re infectâ, iterum quæſivit Goam, & cum Alphonſo Patriarcha migravit ad Æthiopiam. Poſtquam ſunt expoſiti in portu Baillirenſi, triginta dierum itinere petiverunt Æthiopiam. Quamvis aſperrimæ forent viæ, ſemper Joannes fecit iter pedibus, quanquam debilis erat viribus. Sequebatur Camelos ſanguine nonnunquam ex pedibus manante. Res viſa eſt omnibus par miraculo. In ea regione navavit operam ſtrenuam in reducendis ſchismaticis. Vidit illic Chriſtianam religionem valdè florentem, & rebus inclinatis in pejus valdè attritam. Socius fuit Patriarchæ omnibus in ærumnis. Traditi ſunt in manus Turcarum, qui eos voluerunt ſuo immolare Mahometi. Liber captivitate ſanctiſſimè obivit in India.

P. Emmanuel Ferreyra.

IN regno Tunquinenſi finitimo Sinæ die, & anno mihi incognitis, migravit ad Cælites. Natus Ulyſſipone, ibidem ingreſſus Societatem 7. Junii anno 1647. ætatis 16. Ad omnes facultates præclarum nactus ingenium, & ad ſacra pulpita inſigne talentum. Nihil minus cogitabat, quam Indiam humaniores literas edocens in ſcholis Ulyſſiponenſibus. Fortè aderat in bibliotheca, cum illam eſt ingreſſus Indiæ Procurator, qui per jocum illi dixit, quid agis Magiſter, cur non pergis ad miſſiones, vis hic mori tanquam vermis ricinus in lana? Alluſit hujusmodi verbum ad Luſitanum adagium, quo ſignificantur illi, qui nidulo ſuo contenti, ad alia non aſpirant. Id jocoſum verbum ſic ejus penetravit animum, ut abjectis magiſteriis, & ſplendoribus Academicis, ſe miſſionibus conſecraverit. Ad Orientem profectus eſt anno 1658. Ingreſſus miſſionem Tunquinenſem cum Patre Franciſco Pimentelio, de quo fit mentio in hoc opere, unà cum ipſo comprehenſus ab ethnicis, & onuſtus Catenis, ac vinctus compedibus proximus fuit martyrio. Magnâ eum affecerunt moleſtiâ ethnici, & non parvâ quidam Galli, qui ſe introduxerunt in eam miſſionem animo depellendi ab illa

illa nostros homines, qui suis laboribus eam fundaverant, & ad id tempus sustentabant. Contradixit Emanuel hujusmodi auso non solum hominibus Societatis noxio, sed etiam Juri Patronatus Regum Lusitaniæ, qui infinitis expensis Orientis missiones Ecclesiæ patefecerunt. Contra Emmanuelem talia, ac tanta scripserunt Galli ad congregationem de Fide Propaganda, ut ipsum, & alios operarios citaverint ad comparendum Romæ coram Pontifice. Re ipsa Emmanuel, & Venerabilis vir Josephus Cardonius, qui martyrio laureatus est, venerunt in Lusitaniam. Verum Rex non permisit illos Romam ire, ne viros de regno Lusitano, & Ecclesia tam benemeritos exponeret adversariorum calumniis. Igitur anno 1694. Macaum redivit; & jam anno 1696. laborabat in missione Tunquinensi, ubi multa millia ethnicorum Deo conjunxit per baptismum. Semper vixit occultus in alias ex aliis discurrens Provincias, ne deprehenderetur ab ethnicis: quoniam in regno erat prohibita lex Christi. Inter hujusmodi piissimos sudores animam efflavit, die, mense, & anno mihi non compertis.

DIE VI.

P. Joannes Metella Martyr.

IN Insula Ceilamo, apud Indos Orientis martyrio laureatus anno 1616. Natus in oppido, *Sarnache de Bomjardim* Prioratus Cratensis. Illius parentes & nobiles, & præditi magna virtute, quatuor filios dederunt Societati. Joannes nostris additus tyronibus Conimbricæ 28. Februarii 1600. ætatis 15.. Paulo post absolutum tyrocinium petivit ad Indiam mitti. Eo navigavit anno 1603. in nave Prætoria. Coccini navavit operam Philosophiæ, & Theologiæ. Posteà missus est in Ceilamum, ubi illius sudoribus aucta est, & floruit Ecclesia Manteigamæ, & Masandorii. Illic ædificaverat novum templum. Ut in eo celebraret primum sacrum, & baptizaret ad augendam celebritatem, magnum adultorum numerum, adivit Columbum, ut inde ferret ornata ad novum templum. In eadem missione vivebat noster Ludovicus Matthæus natione Italus Joannis comes. Per id tempus venerunt ex regno Candiæ aliqui idolorum sacerdotes, qui suis concionibus excitarunt in populo magnam comiserationem erga patrios Deos, qui, templis disectis, fraudabantur antiquo cultu. Cum populi foverent seditionem, Dux Lusitanorum comprehendit sacerdotes, eorũ Principem conjecit in fluvium vorandum Crocodillis. Duos alios, qui voluerunt ad fidem converti, tradidit instituendos P. Matthæo. Statuerunt ethnici vindicare hanc suorum Deorum injuriam; quinquaginta armati dissimulantes animum suum adventarunt Manseigamam, dicentes se ferre literas, & aliquid novi à Præfecto Lusitano. Cum Patres egrederentur domo

mo ad excipiendas hujusmodi novitates; ex ethnicis unus lanceam infixit P. Ludovico Matthæo, qui concidit in terram. Paulo poſt exurgens rogavit, ſpatium concederetur ad loquendum cum Deo. Illis iram frænantibus, Matthæus paulatim acceſſit ad crucem proximam, & manu ſignificavit P. Joanni, ut recederet. Complexus crucem, aliis ibi vulneribus eſt confoſſus. Joannes ſecedebat in domum vicini Luſitani, currentes poſt eum ethnici, illic eum lancearum ictibus occiderunt. Traxerunt ſanctum Cadaver ad crucem, ubi erat Matthæus. Secuerunt amborum capita, quorum unum poſuerunt in templo novo, aliud in templo veteri. Res ſacras affecerunt magnis injuriis. Fregerunt Crucifixi ſimulacrum, ejusq; fruſta conjecerunt inter cadavera. Deinde Chriſtiani ſupervenientes mandaverunt terræ, quod feræ non depaverant. Multa ex rebus ipſis conſervarunt tanquam venerabiles reliquias, quas Luſitani, & neophyti habuerunt in magna veneratione.

P. Antonius Leyte.

ULyſſipone, ubi natus eſt, vitam explevit anno 1662. Eboræ Societatem ingreſſus 12. Decembris anno 1596. In Academia illius urbis docuit Philoſophiam, & aliquot annis Theologiam. Reliquos annos traduxit obeundo Inſtituti miniſteria. Noctu plurimas horas furabatur ſomno, ut præberet contemplationi. Virginem ſanctiſſimam tenerrimè dilexit. Compoſuit, & typis mandavit hiſtoriam de ſanctuario Virginis à Lapa dictæ, quod eſt in Luſitania celeberrimum. Etiam paratum typo reliquit grande volumen de Conceptione Virginis pleniſſimum eruditione. Hujusmodi myſterium, quà concionibus, quà modis aliis acerrimè defendit. Conimbricæ illius induſtria locatus eſt in Sacello Academiæ lapis, in quo litteris majuſculis inciſum eſt jusjurandum, quo ſe Conimbricenſis obſtrinxit Academia, ad Virginis tuendam Conceptionem. Illi debet noſtrum Collegium Portuenſe ſcholas Latinitatis, quas reſiſtente urbe, Antonius prudenti artificio introduxit. Voluit Virgo Sanctiſſima prope feſtum Conceptionis illum ad cælites gradum facere, & in die Conceptionis cælo inferre. Poſt mortem ſe perſonæ cuidam magnæ virtutis obtulit conſpiciendum, cui declaravit ſe in die feſti Conceptæ Virginis è flamma luſtrali conſcendiſſe ad patriam fortunatam.

P. Chriſtophorus Freyre.

MOrtuus eſt Eboræ anno 1608. Natus Arzilæ Luſitanorum per id tempus Colonia in Africa. Societati adſcriptus Conimbricæ 8. Aprilis 1555. Nuncupavit tria vota ſolemnia. Vixit obnoxius multis affectionibus valetudinis; nunquam tamen quæſivit ex morbis patrocinium ad ſe laboribus ſubſtrahendũ. Quidquid otii fuit, odio habuit. Corpus ſuum

ſuum tractavit aſperrimè, tanquam vile mancipium. Commendata illi eſt expurgatio librorum, in qua peragenda non paucos inſumpſit annos. Animadvertunt omnes; quibus magno fuit exemplo, adhibuiſſe maximam curam, ne ſuis infirmitatibus afferret ulli moleſtiam. Huic voto ſubſcripſit Deus, etiam in illius poſtremo morbo, cum eſſet ex doloribus valde penetrantibus, brevi vitæ filum abrupit.

DIE VII.

P. Benedictus Fernandes.

ULyſſipone in Domo Profeſſa reliquit mortales anno 1630. Natus Borbæ Diœceſis Eborenſis. In ea urbe complexus eſt Societatem 20. Januarii anno 1578. Fuit germanus frater alterius Benedicti Fernandii Martyris, de quo fit mentio ſecunda Octobris. Docuit Eboræ Rhetoricam, & Philoſophiam. Quo tempore ipſius diſcipuli ſubibant examen ad gradum Baccalaureatus, & magiſtri animos laxant in villa, Benedictus adivit Helviam, ibiq; ſacram habuit miſſionem. Etenim innata propenſio eum ferebat ad lucrandas animas potius quam ad magiſteria, licet ad hujusmodi ſplendores micaret excellentiſſimo ingenio. Propterea valedixit magiſteriis, ſeque totum mancipavit inſtituti miniſteriis; & jure-merito recenſetur inter inſigniores operarios, quos habuit Luſitana Provincia. Ad tribunal, ubi pænitentes audiebat, concurrebat populus ſine numero, tum quod erat patientiſſimus, tum qnod de illo vulgaverat fama opinionem litterarum, & ſanctimoniæ. Nemo aſſiduior in peragendis concionibus. Æque libenter conciones obivit nullius plauſus, atque illas majorum ſolemnitatum. Ad hujusmodi miniſterium ſemper invenerunt promptiſſimum. Præterea ſuſcepit onus explicandi populo in foris, ac viis publicis catecheſim, quod exequutus per annos plurimos: etiam multo tempore egit Procuratorem carcerum, quod munus & multæ charitatis, & multi eſt laboris. Inſtituebat fidei myſteriis Judæos, ac Mauros converſos ad veram religionem, ut abluerentur baptiſmo. Tot rebus unus erat ſatis. Laborabat inſtar integri Collegii. Illud plane admirandum eſt, quod inter aſſiduos labores potuerit componere tria magna volumina in Geneſim, refertiſſima ſacris doctrinis, & eruditionibus; hæc tria dedit in lucem. Alterum reliquit in D. Lucam, quod in archivis noſtris conſervatur. Primum volumen abſolvit ſeſquianno. Cum ſecundum componeret, morbis gravantibus, coactus deſiſtere; verum recurrens ad Virginis patrocinium, ſic convaluit, ut ſecundum, ac tertium perduxerit ad finem. Omnia dicavit Sacroſanctæ Virgini. In illis ſectio non eſt, in qua non effundatur in laudes Virginis: ab ea poſtulavit, ut ſibi à ſacroſancto filio obtineret mori die ipſi dicata. Factus eſt voti

compos; nam & ſabbato, & Conceptæ Virginis pervigilio expiravit. Plurimi ob inſignem ergà magnam Matrem devotionem cenſuerunt debere pingi tenendo manibus picturam Virginis.

P. Doctor Joannes de Mattos.

ULyſſipone, ubi natus eſt, vitam, explevit in Domo Profeſſa anno 1648. Societatem inivit Conimbricæ 8. Maii anno 1598. Docuit Eboræ Philoſophiam; Theologiam Conimbricæ, inde migravit Eboram, ibique Theologiæ magiſterium continuavit usque ad cathedram primariam, quam moderatus eſt Doctoris gradu inſignitus 26. Julii 1627. Fuit Miniſter à ſecretis Domino Franciſco de Caſtro Inquiſitori Generali, cum recognovit tribunalia Inquiſitionis Luſitaniæ. Præter alios magiſtratus, quos obivit in Societate, moriente Romæ anno 1637. P. Nonio Maſcarenio Societatis Aſſiſtente, ad ejus ſupplendam vicem vocatus eſt Romam à P. Mutio Vitelleſchio. Generali vita defuncto, redivit in Luſitaniam cum poteſtate Viſitatoris. In ipſo ſpectatum eſt ſemper magis deſiderium obediendi, quam imperandi. Illius viſcera erant omnino paterna, & facta ex charitate. Quocunque adverſo caſu alicujus de Societate majorem in modum affligebatur. Familiariſſimè agebat cum Deo, ac cælitibus per rerum Divinarum contemplationem. Nemo accuratiùs conſcientiæ ſuæ puritati conſuluit; ſcrupuli valde importuni fuerunt illi inſtar diuturni martyrii, quo tandem conſumptus, ad æternam tranquillitatem convolavit.

Joannes Machado Scholaſticus.

MOrtuus Eboræ anno 1676. Natus in pago *Pinheyro* Diœceſis Viſenſis. Conimbricæ adſcriptus Societati 10. Aprilis 1674. ætatis 19. Micabat in eo ſingularis prudentia, & modeſtia cunctis grata. Officia domeſtica majoris laboris, & humilitatis peragebat alacrior. Miſſus Eboram ad ſtudia Philoſophiæ, phthiſi paulatim attenuatus, & morbo diuturno pleno quidem optimis exemplis. Tanta in eo erat judicii maturitas, ut antequam ægrotaret, dixerit unus è noſtris: Videtur Deus nolle apud nos diu eſſe tantam mentem in adoleſcente. Cum Rector voluit eum de morte certiorem facere, uſus eſt quibusdam ambagibus, quas ille intelligens; ego, inquit, non egeo hujusmodi ambagibus; adjecitq; Conimbricæ fraterculus mortuus eſt, qui nuntiatâ morte, pronuntiavit lætus; *Gloria in excelſis Deo*; Si ille tam parvo tyrocinii tempore ſic ſe habuit, cur ego non dicam etiam etiam: *Gloria in excelſis Deo?* Adeò patienti animo dolorum ſuſtinebat acerbitatem, ut, cum ſemel levandi animi gratiâ ſuſpiraverit, ad circumſtantes dixerit: Mihi condonate exiguam admodum patientiam. Singulari pietate Viaticum, & Unctionem excepit. Ajebat: non poſſe fieri petitionem

nem Deo gratiorem illâ : *non mea, sed tua voluntas fiat.* Dolebat plurimum, non posse orationi mentem addicere. Post morbi deliquium interrogatus velletne aliquid, respondit: me solum relinquant. Prope noctem mediam idem ab ipso sciscitanti respondit, mirum in modum lætus : nihil volo, jam evanuit Cacodæmon. Cum sæpe percontarentur, cuperetne animam expiare per confessionem, reddidit: nullus scrupulus pungit conscientiam. Mane hora quinta efflavit animam. Illius facies quanquam morbo extenuata, induta est quodam gratissimo colore.

P. Franciscus de Veyga.

EBoræ rebus mortalibus exemptus anno 1643. Natus Villævissosæ Diœcesis Eborensis. Societati mancipatus Eboræ 5. Junii 1617. ætatis 16. Præclarissimis fulsit dotibus, & excellenti ingenio. In sacro suggestu meruit primos plausus. Amore inexplicabili dilexit societatem. Moriens Pater illius viduam Matrem reliquit pauperem, & simul cum ea quinque fillas innuptas. Nulli Mater pepercit diligentiæ, ut filius egrediens de Societate tantæ orbitati ferret opem. Omnes preces, & lachrymas à se repulit dictitans, eas Patri misericordiarum Deo curæ fore. Cordi habuit Religiosam paupertatem ; suismet manibus instaurabat indumenta sua. Quamvis ab omnibus maximi fieret, nunquam ulla arrogantiæ significatio in verbo aut facto ipsius visa est, quærebat secessum, fugiens quidquid honorem olebat. Odio illi erat familiaritas cum Sæcularibus; quanquam non erat genio tetrico, sed grato colloquentibus intra leges modestiæ. Cùm Rex Joannes IV. adivit Eboram, sciens natum in eodem oppido, & popularem suum, & genium à Sæculariũ aversum commercio, ut erat lepidus in sermone, gestiebat Franciscum vellicare eâ urbanitate, quæ Regem decebat; propterea ad id magis invitabatur, quòd Franciscus post alios se occultaret. Erat Professor in Academia S. Scripturæ, ac fecerat penè omnes actus prævios Doctoratui, cum ardentissimâ febri extinctus est, non sine omnium ingenti dolore, qui sentiebant præreptum morte imaturâ.

DIE VIII.

P. Fernandus Coutinho.

ANno 1588. è vitâ cessit Eboræ. Natus Ulyssipone, ibidemque Societati adjunctus 12. Decemb. 1565. Plurimis affectionibus valetudinis per omnem vitam probatus est, donec relictus illi est exiguus oculorũ usus. Tantum illi fuit ingenium, ut Ludovicus Molina vir præstantissimæ sapientiæ affirmaverit, Deum hanc punivisse Lusitanã Provinciam, eam privando tam raro ingenio. Plerumque dormiebat vestitus. Utebatur in victu magnâ austeritate, & rigore. Non gustabat poma ; quòd esset tam debili visu, passim offendebat in columnas, & parietes : cujusmodi molestias to-

lerabat singulari patientiâ. Usus interulâ factâ ex lino crassioris texturæ solum collare, quod videbatur, erat ex lino subtili. A Deo ipsi prædicta est obitûs dies. Quando ipsi nuntiatum est Medicos desperare de recuperanda vita, nimio delibutus gaudio, hæc verba effudit: *Nihil mihi gratius, nihil jucundius, ac suavius nuntiari poterat.* Conversus ad Crucifixum, rogavit auxilium ad luctamen extremum, verbis Davidicis: *Tibi derelictus est pauper, & Orphano tu eris adjutor.* Significaverat se valdè cupere de mundo proficisci die Virginis dicatâ. Clienti suo morem gessit Virgo sanctissima eum ad se vocando die suæ Conceptionis. Cum ad sepulturam efferebatur, digito ad illum extento dicebat populus: *En ille est Sanctus.* Postulavit humari eâdem sepulturâ, qua conditus est P. Emmanuel Alvarus author celeberrimæ artis Grãmaticæ, propter singularem existimationem de virtute hominis tam egregii.

P. Antonius Dias Coadjutor.

BRacharæ vitam finivit año. 1619. Natus in oppido *Meijamfrio* Diœcesis Portuensis. Magna per totam Provinciam de ipsius virtutibus erat opinio. Plurimum, & obsequiis singularissimis prosecutus est sacrosanctam Virginem: Instituit sodalitatem Virginis de Regibus, sequenti modo, & artificio. Cum erat janitor, congregabat aliquos pueros de scholis exeuntes; docebat illos Virginis devotionem, suadebatque, ut finito scholarum tempore accederent ad quasdam preces recitandas coram Virgine de Regibus. Crevit tantum multitudo, ac pietas, ut erecta sit sodalitas in obsequium magnæ Matris, locupletataq; multis indulgentiis. Inter favores, quos adeptus est à Sanctissima Deiparente, unum fuit mori die Conceptionis, quod vehementer exoptabat. Merebantur tot favores illius insignes virtutes. Nunquam ullâ excusatione se subtraxit imperiis obedientiæ. Si monebant illum ad aliquem foras iturum comitandum, sumpto galero, & pallio, accedebat ad januam, non interrogato nomine comitis. Si venientem ex urbe fessum redire foras jubebant, statim paruit sine mora. Redditus domui juvabat coquum in culina. Residuum tempus ab oneribus injunctis consumebat orando, & vocales obeundo precationes, ac recitando Virginis officium. Quamvis perdidisset memoriam, non obliviscebatur illarum rerum quæ pertinebant ad observantiam Instituti. Hinc ortum est, ut vel hyeme primus mane consurgeret. Habita orationis consuetæ hora ministrabat uni Sacerdoti sacrum facienti, & posteà sacrum aliud audiebat. Nullus Sacerdos eum rogavit, ut sibi operaturo Missæ adesset, cui non obtemperaret, non curatis fessâ senectute, & morbis gravantibus. Sæpe, cum accumbebat mensæ, illi dictum est à superiore vocari, protinus obtemperavit, relicto prandio, vel cæna. Nunquam de aliquo con-

conqueſtus eſt, nec viderunt iracundia turbatum. Abbates plurimi eum conveniebant domi noſtræ, ut cum ipſo tractarent de rebus ad profectū animæ ſpectantibus. Archiepiſcopus eum magni faciebat dabatque eleemoſynas, tum ut augeret ſodalitium Virginis, tum ut largiretur mendicis. Omnes affirmarunt ſe nunquam intuitos in ejus factis, aut verbis, quod tanquam levem culpam poſſent damnare. In morbo poſtremo ſciſcitantibus, velletne aliquid? ſemper reſpondit; volo mori, & in cælum conſcendere. Poſt mortem magna fuit de illius virtutibus opinio.

P. Ignatius de Mattos.

IN oppido *Gafete* Prioratus Cratenſis, ubi natus erat, vitam clauſit anno 1675. Quod propter morbos non poſſet in ſtudiis progredi, donatus eſt gradu Coadjutoris ſpiritualis. Miſſus ad latinitatis magiſterium in Inſulas. Captus eſt à Mauris piraticam exercentibus, multa apud ipſos perpeſſus, donec redemptus eſt. Poſteà cæpit phthiſi laborare; propterea miſerunt ad cælum patrium, ut diutius viveret. Paulatim morbo ingraveſcente, ſic eſt extenuatus, ut deciderit in lectum moriturus. Non multo ante mortem dixit parenti ſuo, qui præſens erat: Pater, jube exurgere eas dominas, quæ à multo tempore illic ſunt flexis genibus tenentes manibus accenſas lampades. Quod nullam Pater videret perſonam, judicavit rem ſine myſterio non eſſe, & à filio interrogavit, an coluiſſet undecim mille Virgines, cum reſponderet eas ſingulari proſequutum devotione, intellexit Pater ipſas clienti ſuo adeſſe, ut auxiliarentur in extremo luctamine, ut illis mos eſt, & referunt hiſtoriæ. Cum hoc venerabili comitatu profectus eſt in patriam die Conceptæ Virginis, quod myſterium ſummopere venerabatur.

Ignatius Emmanuel Scholaſticus.

MOrtuus eſt Eboræ anno 1708. Natus in oppido *Seda* Helvienſis Diœceſis. Eboræ complexus Societatem 14. Auguſti 1698. Illius mores ſemper fuerunt apud nos inculpati. Dum litteris navat operā Conimbricæ cæpit tentari, & affligi phthiſis morbo. Migravit Eboram gratiâ conſulendi corporis valetudini. Importunitas morbi non fecit oblitum virtutis augendæ. Quotidiè cædebat ſe flagellis. Adibat ſæpe culinam ad humilitatem exercendam. Coluit ſpecialiter Divos Joſephum & Xaverium, ac Conceptionem Virginis. Triduo ante mortem ſciſcitatus eſt ab illo Socius, quomodo traduxiſſet noctem? Reſpondit; inſtar hominis, qui fuiſſet in colloquio cum Virgine Dei Matre. Dubitatum eſt, an re ipſa illi fuerit conſpecta; huic exiſtimationi faciebat fidem devotio adverſus Virginem, quæ plurima in eo fuit. Conjectum eſt mortis diem illi à Deo patefactum; nam pervigilio Conceptionis, cum adhuc pedibus incederet, rogavit magiſtrum ſibi

amicum, ut perlegeret sibi latinam Orationem ab eo sequenti die habendam de Conceptæ Virginis laudibus in Sacello domestico, præviam dividendis præmiis in certamine litterario, ut est consuetudo in eo Collegio; adjecit, se ideo hoc postulare, quia talem orationem non esset auditurus. Die Conceptionis horis matutinis ambulavit per domum. Prope meridiem se collegit in suum cubiculum, & corpus lecto acclinans suavissimè expiravit, quin ulli Sociorum creasset vel minimam molestiam suo morbo, quam rem maxime cupiebat.

DIE IX.

P. Didacus Rodrigues.

VItam senio confectam exuit Eboræ anno 1676. Natus in oppido *Arrayolos* Diœcesis Eborensis. Erat Collega Theologus in Regali Purificationis Collegio, cum se addixit Societati. Vir fuit antiquæ sinceritatis, & moris. Instituit Tyrones Conimbricæ; Rexit Collegia Brigantinum, & Ulyssiponense, ac domum Tyronum Ulyssipone. Nec doloris, nec impatientiæ signum aliquod in ipso unquam sunt visa. Plurimum indulsit familiaritati cum Deo. Speciali veneratione prosequutus sacrosanctam Eucharistiam. Tum in victu, tum in vestitu exosus est omnem singularitatem. Studebat esse, & videri pauper. Corpus suum, vel in senectute, sic mortificatione frangebat, ut limes illi ponendus fuerit à Superioribus, ne attritos annos minueret. Piâ decessit morte meritis cumulatissimus.

DIE X.

P. Emmanuel Rodrigues.

GOæ apud Indos Orientis die, mense, & anno mihi ignoratis concessit naturæ. Patriam habuit Vianam Diœcesis Eborensis. Ulyssipone complexus Societatnm 20. Januarii anno 1642. Ad missiones navigavit anno 1647. Post absoluta studia naviter excoluit Madurensem Missionem annis viginti duobus; fuitque ex insignioribus illius vineæ operariis. Traduxit ad fidem innumeros ethnicos. Sustinuit ærumnas, labores, & pericula sine numero, à quibus divinitùs liber evasit. Ejus mens erat totam vitam consumere inter suos neophytos, sed aliud placuit obedientiæ, quæ illum præfecit primum Malabarensi, deinde Goanæ Provinciæ. Exornabat eum virtus probatissima. Ingenio præditus severo. Religiosæ observantiæ custos intrepidus, & sanctè animosus fuit in dimittendis de Societate, quos videbat ipsi parum idoneos. Propterea habitus vir rigidissimus. Iterum est creatus Goanæ Provinciæ Moderator; in eo Magistratu vitâ defunctus. Prope mortem accessit ad eum vir gravis, qui nimium fuisse in expellendis de Societatè existimabat, & sibi persuaserat Emmanuelem aliquam

da-

daturum satisfectionem de hoc, ut credebat, excessu; cum videret nihil minus à moriente curari: ab illo sciscitatus est, an haberet aliquid conscientiam pungens? Respondit, nihil sibi esse. Hic sacerdos, saltem, ait, æquum videtur, debere Reverentiam vestram satisfactionem dare de tot expulsis. Tunc ægrotus, *Mi Pater*, inquit, *de dimissis è Societate nullus mihi est scrupulus, nec fuit; Si vero de illis, quos non dimisi, fuit conscientiæ morsus, jam sum confessus.* Paulo post efflavit animam. Omnes magnam de solida ipsius virtute conceperant opinionem, tantum displicebat prædicta severitas; verum si in re tanta hominibus placeret, servus Dei non fuisset.

DIE XI.

P. Doctor Michael Tinoco.

IN Domo Professa Ulyssiponensi mortuus est anno 1668. Natus Helviæ. Societatem ingressus Eboræ 13. Februarii anno 1631. Scientias, quas profitetur Societas, docuit Eboræ magno plausu. Ubi laureatus est Doctoris gradu, & primam Theologiæ cathedram moderatus. Egregia illius excelsi ingenii haberemus monumenta; nisi casus invidus manuscripta consumpsisset, cum mittebantur ad regna externa, ut typis mandarentur. Egit Provincialem, & Vice-Provincialem. Cum litteris conjunxit antiquam bonitatem alienissimam astutiis, & artificiis. Ergà omnes maxime benevolus, præsertim erat solatio tristibus, & afflictis. Æque dilexit omnes subditos, proptereà tamquam parentem reverebantur. Dum rexit, nullum de Societate depulit, cunctos magnoperè conservare studens. Ideò solebat dicere, se, quo tempore gubernarit, neminem dimisisse de Societatè, & tamen gubernasse Theologicè, nimirum juxta doctrinam sanæ Theologiæ, & nec sibi, nec subditis, nec Religioni defuisse. Quantum conjicio, ejus sanctitas, & prudentia sic mature rebus consuluit, ut necessum non fuerit uti remedio urenti, qualis est dimissio. Nec enim aliud credendum est. Etenim sunt ulcera, quæ, nisi ferrum, & ignem admoveas, corpus non servabis incolume.

DIE XII.

P. Didacus de Areda.

IN Domo Professa Ulyssiponensi reliquit mortales anno 1641. Natus in oppido *Arrayolos* Diœcesis Eborensis. Societatem complexus Eboræ 25. Maji anno 1584. ætatis 16. Nuncupavit professionem solemnem anno 1603. Docuit scientias præclari magistri nomine, & Theologiam usque ad primam cathedram in Collegio Conimbricensi. Cæteros vitæ annos Ulyssipone transegit magnos inter hominum plausus ob profundam sapientiam, & singulare talentum ad sacra pulpita. Ejus studium in libros Theologicos, morales, cano-

nonicos, Juris civilis, Sanctos Patres, Scripturæ expositores, & historiographos tam continuum fuit, ut dici possit ipsum vixisse studendo, ut alii vivunt respirando. Cunctis admirationi fuit, quod unus rebus innumeris satis esset: nam consulebatur ab omnibus Tribunalium Ministris, & à personis privatis quamplurimis, concionabatur frequenter, & excipiebat confessiones. Videbatur laborare pro integro Collegio. Tot hominum æstimationes eum non dejecerunt à Religosa humilitate. Rex Philippus ad ipsum scripsit, gratias habens, quod in negotio magni momenti direxerit ministros suos. Ejus memoria tam felix fuit, ut anteacta studia retineret semper præsentia. Id videbatur potius donum Dei speciale, quamvis ingenii, & memoriæ. Acquisivit Domui Professæ eleemosynas magnæ summæ. Prætereà conjunxit optimam bibliothecam, quam eidem Domui donavit, dicens, cupere se, numerosior esset, ut ipsi relinqueret.

P. Emmanuel de Mattos.

EBoræ finem vitæ posuit an. 1683. Natus *Castello de Vide* Diœcesis Portalegrensis. Adscriptus Eboræ Societati 13. Novembris an. 1634. Nituit moribus incorruptissimis. In suis factis nihil aliud attendit, quam Dei majorem gloriam, & Societatis utilitatem. Regens Portuense Collegium, complevit cæmentis profundissimam foveam ad fundandam templi nostri frontem; quod nullus Rectorum ausus fuerat, propterea quod opus eminere non posset, & conspici; sed illud agere, videbatur in mare numos profundere: has humanas rationes spernens, plus omnium sententiâ ille fecit sepeliendo lapides, quam cæteri præbendo spectandos. Agens Eboræ Præfectum à spiritu, inquirebat mensibus vacationum, quinam de nostris scholasticis essent paupertatis amantiores, his dabat præmia, ut cum aliis habentibus luderent, & eo non carerent animi levamento. Multum illi per orationem cum Deo commercium. Nec in senectute omittebat flagellationes in tergo: inde creditur ortam mortis originem; nam prodiens in triclinium pervigilio S. Xaverii, & verberatis scapulis, cæpit postremo tentari morbo, ac ritè comparatus convolavit in cælum.

DIE XIII.

P. Emmanuel Dinis.

ULyssipone in Domo Tyronum exuit vitam anno 1633. Agebat Domûs Oeconomum, ætatis numerabat annos quadraginta, Societatis quinque. Erat Coadjutor spiritualis. Antequam ingrederetur Societatem, exercebat mercaturam Ulyssipone, studens inculpatis moribus. Frequenter expiabat conscientiam per confessionem, & vescebatur Angelico Pane. Vacabat multum orationi, quæ mente fit. Apud nos majorem in modum se

se persecutus est flagris, jejuniis, ac ciliciis. Tandem extenuavit. Sacris erat recens initiatus, & facturus primum sacrum, cum per os cæpit evomere magnam sanguinis copiam, quæ non potuit sisti. De ipso apud eos, qui noverant, virtutis erat singularis opinio.

P. Doctor Ignatius Carvalho.

VItâ cessit Eboræ anno 1682. Natus Montemajore novo Diœcesis Eborensis Societatem ingressus 24. Septembris 1651. Ulyssipone, & Eboræ docuit Rhetoricam magno utique nomine, nam eminuit in litteratura humaniori. Tradidit in Academia Eborensi Philosophiam, & postèa interpres fuit Sacræ scripturæ, & insignitus Doctoris gradu. Illius mores carebant reprehensione. Antiqua micabat in eo bonitas, & habebatur Israelita sine dolo. Ejus virtus melius est perspecta in ultimo morbo. Ubi ægrotavit, judicavit, advenisse vitæ metam ac se disposuit tam providè, & circumspectè, ut exemplo fuerit omnibus, qui de re loquebantur tanquam veneratione digna, & imitatione. In doloribus illud crebro usurpabat cum Deo loquens: *Auge dolorem & auge patientiam.* Plurimum rogavit, sibi manifestarent Medicorum diffidentiam de ipsius vita dicens. *Nuntianti gratias habiturum amplexu tanquam amico fideli.* Frequenter repetebat illa verba: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Ostendit semper quendam vitæ contemptum, unicè disiderans frui Divino conspectu. Illius mors fuit pacatissima. Typis mandavit Compendium Logicæ Conimbricensis, quo hodiè utuntur nostræ scholæ in Lusitania.

P. Doctor Emmanuel Luis.

OBivit Eboræ anno 1682. Natus Pace-Julia. Societatem inivit Eboræ 5. Aprilis 1622. In Eborensi Academia docuit humanas litteras, Rhetoricam, Philosophiam, & exposuit Sacram Scripturam, ac Doctoris gradu insignitus 24. Februarii 1647. Rexit Collegia Helviense, Ulyssiponense, & Eborense, & cum mortuus est, Vice-Rectorem agebat. Plurimum ejus memoriæ debet Collegium Eborense, quod multis auxit operibus ad commodum majus, & majorem habitantium recreationem. Non defuerunt illi adversitates, sed voravit omnes animosè. Etenim fuit homo celso spiritu, & amplo corde, quibusque rebus humanis, & casibus majore. Nemo unquam eum vel in medio procellarum vidit turbatum, sed ostendit semper vultum lætum, pacatum, & serenum. Illum nec prosperitas, nec adversitas mutavit. Affabilitas tanta fuit, ut omnium, cum quibus semel est conversatus, devinxerit animos. Subditos fovit summâ, & æquali ergà omnes charitate. Propter suavissimum imperandi modum, ajebant, illius jubere rogare esse, illius rogare jubere. Cum annonæ caritas urbem opprimeret, effusè suc-

currit pauperibus. Cæteris virtutibus adjunxit raram modeſtiam, & manſuetudinem. Plurimum ob ſingulares dotes, & virtutem gratus, & charus fuit Principi Theodoſio filio Joannis Quarti, cujus vitam plenam Chriſtianis exemplis latinè à ſe compoſitam typis vulgavit.

DIE XIV.

P. Antamus de Proenſa.

IN Madurenſi miſſione apud Indos Orientis effudit poſtremum ſpiritum anno 1666. Natus Bamelæ Diœceſis Guardienſis. Convictor erat Eboræ Collegii à Matre Dei, quod eſſet conſanguineus fundatorum, cum illic Societatem ingreſſus 13. Julii anno 1643. ætatis 19. & jam ornatus gradu Baccalaureatus in Philoſophia. Anno 1647. navigavit ad Indiam ſtudio lucrandi animas. Unus fuit è glorioſis operariis ſanctiſſimæ miſſionis Madurenſis. Ibi ſuſtinuit ab ethnicis innumeras calumnias, & perſecutiones, & conjectus in vincula, deductusque ad tribunalia, quod irrideret, ac deſtrueret nationis Deos, ab eorum cultu populos avertens. Illius cauſæ, & innocentiæ conſuluit Deus, liberum reddens calumniis, & catenis. Convertit, ac baptizavit innumeros ethnicos. A gravi morbo nondum bene convaluerat, cum adivit pagos remotos ad Chriſtianos Sacramentis reficiendos, ibi ob tantum intempeſtivè ſuſceptum laborem ſuſcitatus de novo morbus vi majori. Protinus intellexit, vitam abſumptam. Expertus ſummam rerum omnium ſolitudinem,& penuriam, præſertim catechiſtis graviſſimè ægrotantibus. Non erat,qui coqueret Orizam edendam infirmis, aliud non illi fuit alimentum. Sciens hanc ſolitudinem Venerabilis Pater Balthaſar de Coſta feſtinus ſuccurrit languenti. Ejus conſpectu admirabilem in modum recreatus eſt. Cum diceret Balthaſar, caperet animos, parvi momenti morbum eſſe: reſpondit: ſit magni, ſit parvi momenti, dies mei tranſierunt, ego moriar. 14. die munitus Eccleſiaſticis ſubſidiis expiravit. Ingenium illi ſuaviſſimum, & mitiſſimum; quod eſſet obeſo, & pingui corpore, illum ſui tædebat. Solebat dicere, id operario Evangelico indignum eſſe. Ejus corpus poſteà repertum eſt incorruptum, & multis in hodiernam usque diem claret miraculis, propterea frequenter inviſitur ſepulchrum à neophytis, atque ab ethnicis, ut ex pulvere ſibi colligant ad ſuos morbos remedia.

P. Petrus Tavares.

IN Portuenſi Collegio mortales deſeruit anno 1670. Natus in pago *Taveyro* agri, & Diœceſis Conimbricenſis. Ulyſſipone complexus Societatem 5. Februarii anno 1622. ut eſſet temporalis Coadjutor, ſive laicus. Cum in eo reperta eſſet ſcientia ſufficiens, ut ſacris initiaretur, in fine biennii facultate Patris Generalis, emiſit vota ſcholaſticorum Societa-

tatis. Factus sacerdos in Angolam est missus, ubi sæpe adivit mediterranea, & excurrit in pagos Æthiopum, eos instituens fidei mysteriis, ac innumeros baptizans. Fuit illi donum singulare ad eas gentes in viam salutis dirigendas. Omnibus omnia fiebat, ut Christo lucrifaceret. Se reddere curavit ipsis parem; idcirco mandiocam, (sic vocant genus farinæ ex radicibus confectum) simul cum nigris edebat ex eodem corbe. Quod Æthiopes sint plurimum dediti hilaritatibus, has inter illos edocebat fidei capita. Stabat in medio manipuli similis conanti tripudiare, manibus in altum elatis crepabat digitis repetendo cum Æthiopibus, quæ volebat ab eis retineri memoriæ & sciri. Nonnumquam quinquies, vel sexies in die docebat diversis horis, & locis catechesim. Secum ferebat nigros non paucos, quibus utebatur tamquam sacræ Doctrinæ magistris, quod eam bene tenerent. Congregatum populum in magnam aream dividebat in manipulos, cuique manipulo præficiebat ex prædictis catechistis unum; qui suos instituebat more saltantis, & cantantis. A nemine rem ullam accepit. Valde sibi animos devinciebat, Æthiopibus dicendo, ab ipsis nihil aliud velle, quam omnium æternam salutem. Confluebant ad illum visuri, an esset cæteris hominibus similis; propterea quod dictitaret, se nihil velle, cum in cæteris Lusitanis avaritiam insatiabilem cernerent. Narrabat ipsis labores, quos ferebat, quam tolerabat famem, quomodo noctes in nudo, ac duro solo transigeret, ut eos unicè Deo conjungeret. Fratres animæ meæ, ajebat, non videtis me huc venire ex mea Domo, ubi mihi nihil deest, perpeti tot labores, & æstus, solum ut vos doceam viam ad cælum? Numquid conspicitis in me malum exemplum, quod vestros avertat animos? igitur quare non concurritis ad audiendam salutis doctrinam? His, & similibus verbis mitissimis eos alliciebat. Non hospitabatur, nec cibos capiebat in domibus Lusitanorum, ne diceretur eum negotiari sub prætextu docendæ religionis. Sæpe videns nigros non confluere, in medio areæ positus agebat aliquos motus insuetos, instar stulti; vel rei peregrinæ. Ad novitatem grandium, & parvulorum examen Æthiopum convolabat; circumstantes attonitos, & spectaculi causâ ridentes, verso artificio, instruebat fidei mysteriis, permistâ semper consuetâ hilaritate. Lusitanos inter nigros ritu potius ferarum, quam hominum viventes traduxit ad sanam frugem. Veneficorum instrumenta, ac vana simulacra evertit innumera. Ereptus est plurimis vitæ periculis tum à feris, tum ab hominibus. Speciatim juvit, ac delectavit nigros quidam sonus stridulus ore per Petrum factus, ad quem protinus edebant saltus tripudiantium inconditè, cum eis in hunc modum inescatis Christi servus concinebat fidei synbolum, Dei mandata,

& alia verba, quibus continetur ſana Doctrina. Semel iter faciens per ſylvam ab oppidis diſtantem leucis quatuor reperit infantem, ut videbatur, octo menſium, pedibus ligatis ad fruticem. Solutis nexibus, eum baptizavit, ac poſt baptiſmum ſtatim eſt mortuus: ex quo tantum Pater concepit ſolatium, ut labores cunctos reputaverit felices, & ſi aliud obſequium Deo non præſtitiſſet. Poſt aliquod hujusmodi peractas miſſiones, cum febriret, juſſus eſt redire in Luſitaniam. Id ubi vulgatum eſt, ſenſerunt omnes ejus privari ſuavi, & utili commercio. Plurimis lachrymis illum ſunt comitati usque ad navis aſcenſionem. Ubi littus attigit, levavit vocem cum fletu dicens: „Quoniam è quinque annis, quibus fui „ in Angola, vobis, & veſtris mancipiis ſerviens, ſolum mecum fero pellem ſuper oſſa, æquum eſt, „ oſculer terram. Tunc flectens genua ſolo infixit oſculum, & rogavit omnes veniam. Appulit Fluminii à Januario. In navigatione cauſa fuit, ne committerentur multa mala. Tanta de illo erat fama in urbe Fluminis, ut carcere detenti eum in Procuratorem ſuum poſtulaverint, quod munus egit, dum illic eſt moratus. Ex Angola nihil aliud vexit præter unam idoli figuram tamquam victoriarum de vanis diis trophæum offerendum venerabili viro Didaco Monterio ſuo quondam in tyrocinio magiſtro. Poſteà vixit Eboræ, Bracharæ, in Sanfinenſi Reſidentia, Brigantii, ac tandem in urbe Portuenſi, ubique eâ opinione, quam merebatur ipſius virtus. Inerat illi modus affabilis; propterà quærebant eum tum ad levandas conſcientias, tum ad capiendum ſolatium. Veniens è ſuburbana villa, prope ſtationem à Sancto Nicolao obviam habuit phaſelum, è qua in eam, qua Petrus vehebatur, dum cæcus migrat, decidit in flumen, cujus illic conſtat altitudo ulnis quinque; Statim Petrus veſtitus, & calceatus conjecit ſe in flumen, atque è fundo cæcum extraxit; quod omnibus par fuit miraculo, rei circumſtantiis ſpectatis. Poſteà triduo jacuit in lecto aquam vomens, & torpens nimio frigore. Denique virtutibus cumulatus in eo Collegio piiſſimè ceſſit è vita, mœrente cuncta civitate, quod tanto ſolatio fraudaretur.

DIE XV.

Joannes Couceyro Coadjutor.

IN Collegio Fayalenſi apud Inſulanos Tertiatrum obivit anno 1668. Natus in pago *Cordinham* Diœceſis Conimbricenſis. Societatem amplexus Conimbricæ 3. Februarii a. 1654. ætatis 18. Paulo poſt miſſus eſt ad Fayalenſe Collegium, cujus per id tempus jaciebantur initia. Laborabat unus pro multis, numquam fuit in otio. Cuncta domûs peragebat officia. Cum pauperibus uſus eſt ſingulari charitate. Ad obediendum fuit promptiſſimus. Quamvis erat in con-

conversatione jucundus, vix dici potest, quantum vitaverit loqui cum fœminis, non videbatur ex ipsis natus. Cum aliquem confessarium vocabat, id exequebatur modo tam grato, & modesto, ut ipsi dicerent, se quemdam experiri motum internum ad obsequendum sine mora ejus voluntati. Multum suis industriis juvit Collegii principia. Tum à nostris, tum ab externis magni fiebat ob singularem virtutem.

DIE XVI.

Ignatius Vogado Coadjutor.

Conimbricæ vitam cum morte commutavit anno 1567. Natus in oppido *Castelhãos* Diœcesis Visensis. Conimbricæ adjunctus Societati 9. Februarii anno 1548. Tituami in Africa simul cum Joanne Nunio, & Ludovico Gonsalvio habuit missionem. Patribus inde recedentibus ad Lusitaniam, illic solus mansit tamquam obses debitorum. Per id tempus tot à Mauris pertulit injurias, ut ejus patientia esset barbaris admirationi. Ajebant, si Christiana in lege poterat ullus esse sanctus, procul dubio esse Ignatium. Plurimùm captivos est consolatus in tot ærumnis, & miseriis. Erat vir nobilis, & habebat sufficientem scientiam, ut fieret sacerdos. Redditum ex Africa ob insignia merita voluerunt Superiores, initiaretur sacris. Verum ejus humilitas non tulit evehi ad tantum gradum, & honorem, rogavit enixè vivere, & mori sinerent in eo statu, cui Societatem ingrediens se dicaverat. Deditissimus fuit orationi, & contemplationi. Quod suas cogitationes gestaret fixas in Deo, sæpe inter comedendum suimet obliviscebatur. De ipsius virtutibus singularis erat apud eos, qui noscebant, opinio. Ut sanctus vixit, ut sanctus est mortuus.

DIE XVII.

P. Didacus Vidal.

In navigatione Indica reliquit mortales anno 1704. Natus in pago *Rio de Mouro* Diœcesis Ulyssiponensis. Complexus Societatem Ulyssipone. Anno 1684. petivit Indiam. Migrans ad Sinam, plurimis annis excoluit neophytos Cantoniæ. Quod erat valde acceptus Proregi Sinico, Lusitanis Macaensibus obtinuit aliquas immunitates: inter eas adeptus est, ut juberet migrare Macao quinquaginta mercatores Sinenses insolentissimos adversus Lusitanos, quos non solum spernebant, sed etiam nostram religionem, illius ministros vocabant nominibus indignis, nimirum Sacerdotes Bonzios, Episcopum Regem Bonziorum, templa Pagodios. Jam vero nobiles Macaenses, qui administrabant rempublicam, probrosis etiam notabant nomenclaturis. Consecutus est Vidalius, ut prædicti omnes honestissimis vocarentur nominibus. Quod in posterum exactè observatum est, & illo rigore, quo

ſuas leges obſervant Sinæ. Decrevit miſſionem fundare in provincia *Quanſi* finitima Tunquinenſi Regno: adivit illius metropolim, tum ad rem tentandam, tum ad aperiendam novam viam, qua terreſtri itinere poſſent noſtri homines penetrare ad interiora Regni Tunquinenſis. Regione exploratâ, redivit inſtructus notitiis neceſſariis ad rem aggrediendam. Anno 1694. ingreſſus eſt Tunquinenſe Regnum. Illîc cum aliis noſtræ Societatis in oppido *Hien* multo tempore habitavit in domuncula valde anguſta, poſitis interdiu, noctuque juſſu Regis excubiis, ne inde foras prodirent. Capſula referta piis munuſculis ad eum miſſa, ut neophytis indigenis divideret, venit in manus ethnicorum. Vetabatur ſeveriſſimis legibus Chriſtiana Fides & omnia Chriſtianæ pietatis inſtrumenta. Propterea delatus apud Regem, & in exilium compulſus coram ipſo res piæ publico in foro mandatæ ſunt flammis. Dum facit iter cum P. Joanne Sequeyra, de quo 21. Auguſti, hic in ejus brachiis ſuaviſſimè expiravit è laboribus propter fidem toleratis. Poſteà Didacus miſſus eſt Romam, dum revertitur, morbi perniciabiles navem infeſtarunt, quibus implicitus effudit animam. Fuit vir modeſtiſſimus, & mitiſſimus. Videbatur factus, aut potius natus ad virtutes.

DIE XVIII.

P. Franciſcus de Araujo.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi ſenio conficitur anno 1623. Natus in eadem urbe. Conimbricæ nomen dedit Societati 6. Decembris anno 1555. Nulli rei magis ſtuduit, quam ſuæ conſcientiæ puritati. Ob nullas rationes illud ageret, ex quo ſibi poſſet oriri ſcrupulus. Confeſſarius erat Theotonii Eborenſis Archiepiſcopi, cum mortuus eſt Rex Henricus; hic donarat noſtro Eborenſi Collegio ſexaginta aureorum, ſive cruciatorum millia de facultate Pontificis impoſita ſuper reditus Archiepiſcopatus. Dum Rex vixit, ſolvit Archiepiſcopus decem millia, illo vita defuncto, nihil voluit amplius perſolvere motus neſcio quibus rationibus. Protinus abſtinuit Franciſcus ab ejus audiendis confeſſionibus, nec ulla ſuaſione, ut contrarium efficeret, perduci potuit; Quamvis oſtenderetur reſcriptum Pontificis, ne ſolveret. Id admirationi fuit majori, quod erat vir urbaniſſimus; propterea ſi quis ab eo vel jam ſene petivit, ut tranſcriberet aliquam chartam (quoniam pulchrè ſcribebat) ſtatim petenti geſſit morem. Rexit Collegia Brigantinum, Angrenſe, & Ulyſſiponenſe. Fuit ſocius Provincialium. Nihil, quod pertineret ad magiſtratum, ſive regimen ex ipſius auditum ore, quamvis eſſet publicum, ne daretur anſa dicendi rem auditam à Socio

Pro-

Provincialis, vel domus Rectore. Multa ipsi cum Deo familiaritas. Virginem plurimis obsequiis prosecutus, ac ipsius Sponsum D. Josephum. Quo die repente obivit, sacrum fecerat. Ingressus Societatem, vivo Sancto Ignatio, quem vidit solemni apotheosi locatum in altaribus.

P. Didacus Pereyra.

OBivit Eboræ anno 1643. Natus in urbe Portuensi. Conimbricæ conjunctusSocietati 24. Octobris anno 1597. ætatis 16. Docuit Eboræ Philosophiam, & Conimbricæ, Theologiam Ulyssipone. Magistrum agens, semper in pervigiliis festorum Virginis exhortatus est suos discipulos ad confessionem. Ipsemet sequenti die porrigebat in eadem mensa omnibus Angelicum Panem. Singulari exarsit charitate tum adversus nostros, tum adversus externos. Præsertim misertus est captivorum apud Mauros. Magni momenti comparavit eleemosynas ad eorum juvandam redemptionem. Cum ægrotavit, quamvis erat Rector Collegii, non consensit destinari Coadjutorem suis commodis, dicens, sibi satis esse, quod cum aliis infirmis soleret fieri. Habitus est nostri Instituti doctissimus. Plus subditorum corrigebat defectus mansuetudine, & lenitate, quam castigationibus. Post mortem persona quædam pia, dum orat, eum antè se conspicit vestitum indumentis albis, & septum splendoribus.

P. Didacus Areda.

VItam explevit in Domo Professa Ulyssiponensi anno 1671. Natus in oppido *Arrayolos* Eborensis Diœcesis, consanguineus alterius ejusdem nominis, de quo mentio fit in hoc opere. Addictus Eboræ Societati 27. Maii anno 1615. ætatis 16. Post absoluta studia in Indiam migravit ad animarum quæstum exercendum. Coactus tamen est Goæ subsistere, ac in eis scholis edocere Theologiam. Imperio Proregis, cui erat à confessionibus, redivit in Lusitaniam causâ gravium negotiorum: his conclusis, iterum petivit Indiam. Rursus ad Lusitaniam venit. Cum tertio conaretur idem iter aggredi, obstitere Superiores, consulentes illius affectæ valetudini, & annis. In prædictis navigationibus ob honorem Dei susceptis semper studuit prodesse spirituali proximorum bono. Erat prorsus indefessus in exercitio ministeriorum Societatis. Plurimis annis obivit Ulyssipone magisterium Christianæ Doctrinæ, magno animarum lucro, & non minore plausu, quod singulari in id ministerium polleret talento. Non minori assiduitate peregit sacras conciones. Ipse posuit Collegii Cetobricensis exordia, illiusque fuit primus Rector. Denique Religiosis ornatus virtutibus in longa, & venerabili senectute animam Deo restituit.

DIE XIX.

Emmanuel Gomes Coadjutor.

NAturæ conceſſit Eboræ an. 1658. Natus in oppido *Redondo* Eborenſis Diœceſis. Ante initam Societatem paſcebat oves, innocentem degens vitam; hanc intuens illius Parochus, cum audiebat confitentem, ſolebat illi dicere: Fili, tu bonus es, ut ſis Apoſtolus, perge Eboram, cura Societatem ingredi. Orabat in ædicula Virginis ſacra, cum illum invaſit adverſus caſtitatem vehemens tentatio. Iratus ſibi, ac Dæmoni, vovit Deo perpetuam caſtitatem. Contendit Eboram petiturus admitti in Societatem. Cum Patribus non conſtaret de ejus probitate, ac dotibus ad gradum Coadjutoris, juſſerunt, causâ capiendi experimenti, ſerviret domi, & haberet curæ lychnos, & pergulas verrere. Protinus viſa eſt ipſius ad virtutem propenſio: nam octavo quoq; die mundabat per confeſſionem conſcientiam & recreabatur cæleſti Convivio. Quotidiè recitabat Virginis Roſarium, audiebat Miſſæ ſacrum, & orabat in templo. Adſcriptus albo Tyronum, per totum biennium traduxit vitam innoxiam. Non erat in ejus confeſſionibus labes, quæ levis culpæ damnari poſſet. Scripſerat plurimas monitiones, à quibus non recedebat, tales erant: *Si vis cordis munditiem ſervare, eris cæcus, ſurdus, & mutus: ſi vis ſcire loqui, prius ſile.* His aliæ monitiones erant ſimiles. Stimulus illi fuit Divi Bernardi conſideratio, dicentis, non ſolum eſſe Martyres ſanguinis, ſed ſudoris. Idcirco, ajebat, quoniam ſanguinis eſſe Martyr nequeo, effuſi ſudoris ſim futurus Martyr. Inde naſcebatur ingens laborandi aviditas. Propterea cupiebat ſcire cuncta officia, quæ ſolebant Coadjutores exercere. Quidquid illi commendarunt, diligenter fecit, & benè. Data eſt illi cura proſpiciendi, & ſerviendi ægroto laboranti pernicioſâ febre. Id executus ſingulari charitate. Eâdem die, quâ nuncupavit biennii vota, ſenſit tentatam valetudinem, & veſpere correptus eſt graviſſimâ tertianâ. Protinus conjecerunt morbum ſui ægroti in eum fuiſſe diffuſum. Inſtituit confeſſionem totius anteactæ vitæ. Affirmavit ejus confeſſarius tantam in eo fuiſſe puritatem morum, ut potuerit confiteri publico in foro non tam ruboris periculo, quam vanæ gloriæ. Suſceptis Sacramentis, non proferebat niſi verba ſanctiſſima. Poſt noctem mediam rogavit Patrem illum, ſe ut ſineret parumper quieti indulgere. Tunc oculos claudens ſine motu ullo tranquilliſſimè exhalavit animam. Illius in tyrocinio Magiſter vocavit eum charitatis Martyrem.

Ignatius de Carvalho Scholaſticus.

VItâ exceſſit Eboræ anno 1706. Natus in Parœcia S. Benedicti *do Matto* Diœceſis, & agri Eborenſis. Societatem amplexus Eboræ 4. Februa-

bruari ânno 1701. ætatis 14. Videbatur illi virtutis amor innatus. Modestiæ, & corporis compositio ea fuit, quam amat in suis Tyronibus Societas. Post biennium aviditas studendi phthisicum reddidit. Semper impendit operam religiosæ perfectioni, ac fugit res contrarias observantiæ. Ad suburbanam contendens villam animi levandi gratiâ, deferebat secum librum, in quo volutando partem insumebat temporis. Ingenium illi fuit aliquantulum asperum, & quod facilè ignesceret, curam adhibuit sibi frangendo, ac domando. Comitas, quâ colebat omnes, eum amabilem reddebat. Missus in domum matris suæ ad tentandam auram, ubi natus erat, multum angebatur considerando se mori posse extra Collegium, ad quod, ingravescente morbo, reversus est. Illius erant omnes curæ se ad extremum iter comparare. Sæpè conspiciebatur in scabello sedens, decurrens globulos precum, ex oculis manantibus præ devotione lachrymis. Dum sibi potuit servire, non admisit aliorum in hac re charitatem: imò ajebat, se colligerent in sua cubicula, ne tempus perderent. Gratias frequenter Deo agebat, quod præbuisset sibi ægritudines parvulas, & crebras, quæ ad sui obtinendam victoriam valde conduxissent; adjecit præterea illis excitari mortis memoriam, cujus non recordamur, dum rectè valemus. Petenti Unctionem dixerunt, adhuc posse vitare mortem: respondit, id sua non interesse, sinerent animum ad mortem componere, se nihil velle, nisi quod vellet Deus. Quamvis esset conscientiæ tam puræ, ut dubium esset, an commisisset lethalem culpam ullam, nihil altius dolebat, quam Deum offendisse. Diversas instituerat confessiones generales ad tranquillandos scrupulos. Denique habebatur juvenis Angelicus, eâq: opinione de vivis recessit.

DIE XX.

P. Doctor Alvarus Camello.

NAturæ satisfecit Eboræ an. 1636. Natus in oppido *Alegrete* Diœcesis Portalegrensis. Eboræ se addixit Societati 5. Februarii 1608. ætatis 22. Tradidit in Academia Eborensi Theologiam, ubi illustratus est Doctoris gradu 3. Februarii 1630. Habebatur, & erat verus Israelita doli nescius, amicus omnibus, non sibi. Etenim se devicit, ac est persecutus. Illius mortis diem, aliquot diebus antequam contingeret prædixit venerabilis vir Pater Gaspar de Miranda avunculus Alvari. Dubium fuit, cui de duobus sit revelata, nam erat uterque hoc dignissimus favore.

DIE XXI.

P. Emmanuel de Payva.

IN Præfectura à Spirtu Sancto apud Brasilos migravit ad æternitatem. Natus Aguedæ Diœcesis Conimbricensis. Initiatus jam sacris Conim-

bricæ Societatem amplexus 18. Julii 1548. Cum aliis de nostra Societate ad Brasiliam missus anno 1550. Candor animi, & morum omnino admirabilis in eo colluxit. In prima probatione Exercitia nostri sancti Patris obibat, cum tyro, cui erat curæ, est oblitus ad illum ferre victum. Triduo luctatus est cum inedia existimans id esse Regulam Societatis, & jam venit illi in mentem posse contingere ob Collegii paupertatem. Nequiens jam famem tolerare, dedit tyroni chirothecas suas dicens: Scio Domus paupertatem, jube vendi, & emi pretio aliquid victus, jam enim ferre famem non possum. Admiratus est tyro præclaram viri patientiam, & emendavit errorem, sive oblivionem suam. Cum ad Brasiliam pervenit, voluit Pater Emmanuel de Nobrega Provincialis illius probare spiritum insolitò experimento. Sub obtentu domesticæ paupertatis, imperavit illum publico in foro tanquam mancipium vendi. Cum esset sub voce præconis visum est veram fieri venditionem, & ipse Emmanuel sibi idem persuasum habuit. Tantaque erat ejus sinceritas, ut licitantibus diceret, si emerent, se bene ipsis serviturum. Non defuerunt, qui centum spopondere cruciatos monetæ Lusitanæ. Dum certatur inter emptores, postquam sub hasta fuerat, & præconis voce diebus nonnullis, narratumque Nobregæ, quo loco res esset, recipi domum jussit. Tunc est intellectum, quorsum tetendisset illud artificium. Speciale donum illi fuit ad abstrahendas fæminas perditissimas à concubinatu. Sæpe amatores insani meditati sunt in eum violentas manus conjicere. Obtemperantissimus fuit Superioris voci, vel in rebus supra modum arduis. Dum incedit cum Provinciali Nobrega per montem valde declivem, *Te*, inquit Nobrega, *rota per hujus montis declive*. Paruit sine mora, non considerato suo periculo, solum constititSuperioris imperio. Sæpè comitatus Lusitanos in bello adversus Indos, & in certaminibus anteibat Crucifixo in altum erecto. Postquam Lusitani oppidum obsidentes, non potuerunt expugnare, interrogabant Indi, quisnam esset vir unus indutus oblonga toga, qui præferebat crucem, quoniam in illum innumeras conjecerant sagittas, quarum ne una quidem eum contigerat? Tandem perpessus morbum diuturnum, relictis egregiis patientiæ exemplis, ad cælites, ut piè credimus; conscendit.

P. Augustinus Giraldinus.

FArensi Collegio in Algarbiis effudit postremum spiritum an. 1695. Natione Hybernus. In Lusitania conjunctus Societati. In Insulis Tertiis docuit plurimis añis Moralem Theologiam, magni à nostris, & externis habitus ob suavem genium, & virtutem amabilem. Redditus Lusitaniæ, ad Hyberniam missus est, ut suos populares juvaret, & contineret in fide. Per id tempus Angli regno spolia-

lia-

liaverunt Jacobum Regem ejus Nominis Secundum, quod esset Catholicus Romanus. Versatus est Giraldinus inter magna vitæ pericula. Ut succurreret Catholicis, qui in classe adversus Galliam militabant, & ipse classem conscendit. Post varios casus depulsus ab hæreticis ex Hybernia, quod ibi non permitterent vivere homines de Societate, regressus est in Lusitaniam. In prædicto Collegio exercebat nostra ministeria, & simul consulebat bono spirituali Hybernorum, & Anglorum, qui negotii causâ Farum veniebant, cum Deus illum ad se vocavit in cælos. Numerabat Societatis annos unum, & quadraginta.

DIE XXII.

Pater Joannes Nunes Patriarcha Æthiopiæ.

GOæ apud Orientis Indos vitam explevit anno 1562. Domo Portuensis, natus ex parentibus illustribus. Frater ejus Senior eum præsentavit, ut ipsi conferretur Abbatia pinguis Ecclesiæ Freiriensis; jus enim præsentandi ad illius pertinebat illustrem domum. Studens Salmanticæ altioribus scientiis, propter insignem virtutem vocabatur ab omnibus Abbas sanctus. Absolutis studiis, incubuit pascendis ovibus suis, orationi plurimnm tempus impedens. Erat jam in Societate illius frater Melchior Nunius, qui nihil ardentius cupiebat, quam videre Joannem Societati conjunctum. Igitur Melchior peregrinationem instituit Compostellam. Hospitatur in Domo Abbatis; illi suadet, ingrediatur Societatem, quod ejus institutum sit perfectioris vitæ, nimirum activæ simul, & contemplativæ. Non placuerunt hujusmodi sermones Joanni. Melchior, visitato Sancto Jacobo, rediit Conimbricam, unde litteras ad fratrem suum dedit, quibus eum invitabat, accederet Conimbricam, tum ut solamen caperet ex sermonibus piis nostrorum, tum ut communicaret spiritum suum cum Petro Fabro uno de primis Sociis S. Ignatii, viro præcellenti virtute, qui per singulos dies domi expectabatur. Lectis hujusmodi litteris, rem Deo commendavit. Nocte per quietem vidit Sacerdotem sacris operantem, & se ministrantem illi habitu Diaconi. Tempore pacis dandæ ex parte dextra, Sacerdos jussit, eam potius daret ex sinistra. Protinus illustrata est Divinitus illius mens, tanquam Deus ipsi diceret, ne solum quæreret pacem in vita contemplativa, quam existimabat dextram, sed etiam in activa, quam reputabat sinistram. Impensius deinde preces ad Deum fudit pro ejus indaganda voluntate, patronam eligens Sacrosanctam Virginem. Hæc secunda Novembris una cum illo Sacerdote viso in somnis Joanni manifestè apparuit, ac jussit, iret Conimbricam, loqueretur cum illo servo suo (Fabrum monstrat) & obsecundaret monenti: Cognitâ vo-

luntate Divina, ſequenti die habitu peregrini Conimbricam pedibus iter fecit. Adventans, protinus inter noſtros homines Fabrum novit ſacerdotem eſſe, qui ſibi cum Virgine apparuiſſet. Aperuit illi cor ſuum, ac deliberavit inire Societatem. Juſſit Faber, ut ſurgens nocte media, flexis ad orandum genibus, provocaret in certamen tenebrarum Principem Luciferum, & orto mane ad aram faceret, & exequereretur, quidquid Deus ſignificaret. In eo nocturno prœlio, ejus menti quatiendæ incubuit formidanda tentationum procella; Occurrit libertas omnino relinquenda; ſubjectio, & veluti quædam ſervitus ſubeunda, & his ſimilibus alia. Tamen ſtetit fortis, & conſtans, ac omnia retudit inimici tela. Oriente ſole, Miſſæ ſacrificium celebravit. Senſit intus Dei voluntatem eſſe, ipſi in Societate adhæreret, quod eſt executus undecima Novembris anno 1544. Illius vita exornatiſſima fuit virtutibus. Anno 1548. unà cum Patre Ludovico Gonſalvio, & Ignatio Vogado Coadjutore Tituamum adivit in Africa, ut Chriſtianos ergaſtulis addictos conſolaretur. Quæ illic fecerit charitatis opera, non eſt brevis narrationis. Cum ipſis pernoctabat in ſpeluncis ſubterraneis docendo viam æternæ ſalutis per ipſos labores, quos vellent, nollent, erant paſſuri: diſputavit cum Judæis, eosque convicit. Causâ ægritudinis Ludovico recedente, ſolus remanſit cum Ignatio. Multos, quorum fides periclitabatur, auro redemit. Cupiebat ad finem vitæ iis in locis morari; verùm cogente rerum neceſſitate, & captivorum bono, remeavit in Luſitaniam ſecum redemptos ferens ultra triginta captivos eleemoſynis, quas ipſius charitas conquiſierat. Poſcens Joannem Tertium Regem facultatem redeundi ad Africæ carceres, non eſt auditus; quoniam Rex ob viri notiſſimas virvirtutes eum in Patriarcham Æthiopiæ elegerat, re jam cum D. Ignatio communicata. Cum Rex illi mentem ſuam aperuit, ſtupuit ejus humilitas tanquam icta aliquo fulmine; verum aliud fieri non paſſa eſt obedientia. Rogavit ſanctum Ignatium, deſignaret aliquem è noſtris Sacerdotibus, cui præſtaret ſecretam obedientiam: hæc ſubmiſſio tantum placuit Ignatio, ut non ſemel coram aliis magna animi voluptate perlegerit Joannis litteras. Tertia die Maii 1555. nuncupavit ſolemnem quatuor votorũ. Profeſſionem, ac ſequenti die, nimirum quarta, initiatus eſt Patriarcha in templo Religioſorum Sanctiſſimæ Trinitatis Ulyſſipone. Moratus eſt in Luſitania usque ad Martium anni proximi. Fuit primus totius Societatis Epiſcopus. Nihil eum mutavit honor, ſervavit eandem humilitatem. Adduci non poterat, ut uteretur podere Epiſcopali, dicens, de tali re præceptum non eſſe, vel legem. Noſtris conſultantibus viſum eſt, incederet illo modo linteatus, ut ſe conformaret cum cæteris Epiſcopis.

Non

Non admisit famulum, ipse ministeria cubiculi, ut ante, peragebat. Serviebat accumbentibus mensæ, & in culina fricabat ollas, & catinos, & obibat, quidquid faciendum injungebat coquus. In urbem egrediebatur pedes uno comitatus socio, ferebat poderem indutam sub pallio. Concionari, pænitentes audire, carceres, & triremes invisere, erat illi cum cæteris commune. Vocatus ad excipiendam ægroti confessionem, transiit per viam, ubi erat Ludovici Infantis palatium, cum illum Princeps conspiceret, misit famulum, qui observaret, quorsum tenderet. Redivit dicens Patriarcham tenuem domunculam ingressum, ut expiaret ægroti conscientiam. Jussit Princeps phaleris ornari mulam, & præsto esse comitatum illustrem, ut Patriarcha se domum conferret. Cum exiens de domuncula habuit obvium tantum apparatum, rubore suffusus est. Egit gratias pro tam benevolo animo, ac domum pedes, ut iverat, se recepit. Anno 1556. ad Indiam profectus est cum aliis Societatis. Liberalitate regiâ Joannes Tertius præbuit ad iter necessaria, & munera sistenda Æthiopico Regi, de cujus conversione, ejusque regno magna fuit in Lusitania expectatio. Tamen ipsa res ostendit delusam Europæ expectationem. Cum Patriarcha appulit Goæ, nuper ex Æthiopia pervenerat noster Gonsalus Rodericius, de quo fit mentio 5. Martii, qui cum Legato Lusitano ad Æthiopiam contenderat, ut Regis animum exploraret, ne risui Patriarcha exponeretur. Is retulit Æthiopiæ Regem nolle Romanum Patriarcham. Propterea Joannes coactus est Goæ subsistere: ubi inter nostros vixit tanquam Religiosus privatus, & ut talis sequebatur domesticum communitatis ordinem. Omnibus erat exemplum observantiæ. Sedebat multum in tribunali confessionum. In triclinio nihil edulii singularis sibi poni ferebat. Ministrabat in culina, & in triclinio. Juvabat alios in verrendis pergulis. Superiores venerabatur. Etiam Sub-Ministrum non allocutus nisi detecto capite; cum præteribat, assurgebat illi. Propterea Sub-Minister erubescens vitabat hos Patriarchæ occursus. Adeò modestus fuit, ut nunquam oculos suos fixos habuerit in alterius vultu. Oratio, mortificatio, charitas erga pauperes, & cæteræ virtutes ad certamen usque in ipso collucebant. Secedens ad Choramum Insulam, ut ibi quietius Deo vacaret, gravi morbo opprimitur. Rediens in Collegium, ad postremum agonem se totum comparavit tum Ecclesiæ Matris subsidiis, tum reliquis actibus sanctissimo Viro dignis. Erat obsequentissimus Rectori, & infirmariis. Summâ pace spiritum exhalavit: Exequiæ apparatu maximo concelebratæ. Reverendus Pater Everardus jussit in ejus sepulchrali lapide hoc incidi lemma: *Ossa Reverendissimi in Christo Patris Domini Joannis Nonii Æthiopiæ Patriarchæ à Julio III. Pontifice maximo ipso*

Jo Æthiopiæ Rege David missi. Quamvis de die obitus in diversis legantur diversa, ejus Frater Melchior Nunius ex India ad sororem scribens ait mortuum die prædicta, nimirum postridie festum D.Thomæ Apostoli. Joannes tantus fuit, ut jure merito esse possit archetypus omnium nostræ Societatis, qui post eum ad insulas evecti sunt, vel in posterum sunt evehendi.

DIE XXIII.

P. Emmanuel de Britto.

APud Indos Orientis in gloriosissima Madurensi missione efflavit animam anno 1671. Natus in urbe Portuensi. Conimbricæ addictus Societati. Ad Indiam profectus anno 1657. Studia scientiarum absolvit Goæ. Posteà se dicavit proximis lucrandis in regno Madurensi. Sustinuit pro Fide labores plurimos, & persecutiones assiduas. Venerabilis vir Antamus de Proensa ejusdem vineæ insignis operarius illum vocabat missionis Madurensis gemmam pretiosissimam. Studium alios salvandi fecit suorum comodorum negligentem. Non ille curavit itinerum difficultates, & pericula, non regionum inclementias. Pergenti ad locum plenum incommodis dixerunt, sibi, ac vitæ suæ prospiceret; respondit, si periret, non defuturos alios operarios, qui supplerent ejus vices, & quibus Deus illam fulciret Ecclesiam. Affabilitas erga neophytos omnium sibi devinxit corda. Monuerat suos catechistas, ut sibi manifestarent errores in proferendis, & pronunciandis Madurensium verbis. Facientes donabat præmiis. Austeritatibus cæteris operariis communibus adjiciebat alias. Semel in die famem depulit leguminibus, aut orizâ, aut herbis. Patiens affectionem valetudinis continuam, neglexit remedia, ut illi non deesset tolerandi materia. Vix fuit ullus operarius, qui tot sustinuerit ab ethnicis persecutiones. Videbatur solum ad eas perferendas illâc contendisse. Semel à Brachmanibus tam dirè cæsus est fustibus, ut corpus relictum sit ulceribus plenum. Iterum, quo tempore ægrotabat, raptus ad tribunalia, ac post injurias, & colaphos sine numero damnatus est ad tormentum fidicularum: deinde conjectus in carcerē tam plenum criminosis, ut ipsi se non possent convolvere. In eo labore tot habuit à cælo consolationes, ut carcer illi fuerit par cælo. Verum nihil tulit gravius, quam scrupulorum tempestatem postremis vitæ temporibus. Nec umbra solatii affulgebat his stimulis afflicto. Videbatur homo à Deo relictus. Ut ipse confessus est, sibi per id tempus visum se potius apud inferos vitam ducere, quam in regione mortalium. Omnia sua opera existimabat peccato infecta. Paucis ante mortem diebus evanuit omnino hæc immanitas scrupulorum, ac susceptis Sacramentis placidissimè expiravit.

P,

P. Gaspar de Amaral.

IN mari Sinensi naufragio perivit anno 1645. Natus Curvaceyræ Diœcesis Visensis. Conimbricæ Societati conjunctus 1. Junii 1608. ætatis 14. Singulari micuit ingenio ad quæque grandia in nostris ministeriis. Pluris tamen fecit virtutum studia, & religiosam humilitatem; propterea honoris fulgorem exosus est. Quidquid imperabant, alienus omnis excusationis mandabat executioni. Semel tantum à se depulit munus præsidendi nostris Philosophis in disputationibus domesticis, quod anteponeretur alteri. Tunc necessum fuit eum cogere reprehensione, & pœnitentia in triclinio. Sentiens ardentia desideria navigandi ad Missiones, rem cum Deo multum consuluit. Anno 1623. eò profectus cum Patriarcha Alphonso Mendesio. Illius mens erat intrare Japoniam, cum non posset iter expediri, contendit ad regnum Tunquinense. Septem annis, quibus illic est moratus, quadraginta capitum millia baptismo sunt abluta. Cum videretur phthisi conficiendum, nisi maturè recederet à Tunquino, jussu Superiorum redivit Macaum. Per id tempus noster Antonius Rubinus Visitator meditans cum aliis iter ad Japoniam, nominavit Gasparem Provincialem. Videns se non posse Japoniam adire, ad Tunquinensem vineam revertitur. In itinere facto naufragio & ipse, & omnes, qui erant in navi, mersi fluctibus interierunt. Addictissimus fuit cultui S. Xaverii. Quo loco Divus est mortuus, curavit erigi pulcherrimam crucem inscriptione Lusitana, & Japonensi, qua declarabatur, illic profudisse animam. Quod Superiores illum sint obliti proponere ad nuncupandam solemnem professionem, numeravit trigesimum Societatis annum eo gradu privatus. Si non advertissent Superiores, ad mortem usque taceret. Magni æstimavit religiosam paupertatem. Nostro Antonio Amaralio suo fratri solum misit ex India epistolam autographam gloriosi Martyris Francisci Pacieci, de quo 20. Junii.

DIE XXIV.

P. Antonius de Proensa.

IN Orientis India die, mense, & anno mihi non compertis vitam exuit. Natus Fundami Diœcesis Guardiensis. Conjunctus Societati Conimbricæ 17. Octobris anno 1574. ætatis 18. Solidas virtutes, quibus animam exornaverat, notissimas fecit incendium pestilentiæ, quo flagravit Conimbrica anno 1599. Videns, quot perirent in urbe sine confessione, quod non possent omnes infecti ad salutis ædem deferri, cui de nostra Societate duo Sacerdotes erant applicati, sensit intus flammata desideria opitulandi tot miseriis, idque non semel expressit verbis. Illud cum sciret Hieronymus Diasius Collegii Rector, vocatum laudavit; atque concessit, suis votis satisfaceret. Gra-

tes persolvit ob favorem. Factâ optione Socii, elegit Petrum Franciscum Coadjutorem, de quo fit mentio loco suo. Paratâ domo extra Collegium in area, ubi singulis hebdomadis habentur proScholasticis nundinæ, 27. Aprilis ad eam emigravit domum, vestitus toga ex tela gumi magis compacta, & arcendis auris noxiis comodiori (Lusitani vocant *Bocaxim*) gerebat pileum ex eâdem. Pari modo incessit Socius, prætereà manu ferebant longam arundinem, similes iis, qui prodeunt ad explicandam catechesim. Protinus discurrerunt per locâ urbis altiora, interrogantes quanta poterant voce, quis domi haberet infirmos expiandos confessione? declarabant se tali habitare loco, ut egentibus succurrerent interdiu, noctuq;, cælo pluvio, vel æstuoso. Permotus tam insperato exemplo medicus se libens obtulit Patri ad eum comitandum, & quocunque moneret, eundum. Non secus fecit, dum pestis est grassata. Mandato ab Antonio accepto, sine mora ægrotum invisit. Die proxima adivit inferiorem ubis regionem, nec potuit domum recipi ante quartam horam pomeridianam ob confessiones expediendas. Mane suborto nihil prius egit, quam rem Divinam in Sacello Virginis de Salvatore, quæ populi multâ pietateConimbricæ colitur; hanc sibi voluit tutelarem in tanto negotio patronam. Bis quotidie in urbem excurrebat, ante, & post meridiem. Audiebat ægrotos confitentes, modò in plateis, modò in septis domorum, nonnunquam ad fenestras applicatis scalis. Cum debilitas ægroti non permittebat moveri, facto crucis signo, ingrediebatur, quò jacebat. Socius, dum Pater his commodabat aurem, illos ad confessionem disponebat. Quamplurimi post impertitam absolutionem effundebant animas. Diversa fuit, & calamitosa rerum facies. Alios reperit humi stratos in angiportis, alios inter parietes domuum diruturum, omni destitutos ope spirituali,& temporali. Utrique necessitatum generi medebatur. Dum naviter incumbit operi, & ipse malo est contactus ante Dominicam Ascensionem. Sensit angi mortiferum in modum, sed remediis è Collegio missis, sic est debilitatum malum, ut Ascensionis die sacrum fecerit integris viribus. Missæ tempore perculsus est pestilentiâ ejus Socius, & paucis diebus glorioso fine vitam coronavit. Cum in Collegio certatim se multi offerrent ad ejus implendum locum, obtigit ea felicitas Thomæ Fernandio. Fames æquavit pestem. Fugerant ex urbe divites, & nobiles, quorum pecuniis alebantur opifices, & eleemosynis mendici, & egentes. Adhibuit Antonius valde utiles industrias, quibus subventum est fami. Collegium nostrum victum dabat ingenti numero. Prospiciebat vinctis in carcere, & cænobiis viventibus solum stipe mendicatâ. Propè domum, quam incolebat, quotidiè tribuebantur alimenta sexcen-

centis, vel ſeptingentis perſonis. Id faciendum commiſerat fæminis, & viris, piis, & fidelibus. Menſe Augusto, cum peſtis erat penè extincta, ordinavit nonnulla procedentium agmina caniſtris refertiſſimis tum carnis crudæ, tum panis; diſcurrens per carceres, & egentia cœnobia, ac ſtationes, ubi erant, velut in exilio, qui liberi peſte convaleſcebant, ſed non erant omnino liberi ſuſpicione, cunctis abunde victum eſt largitus. Non hæ pompæ fuerunt inſtitutæ vanitatis causâ, ſed quo cernerent viri, ac fæminæ divites, qui miſerant Patri eleemoſynas, quam fideliter diſtribuerentur, & aliorum excitaretur pietas. Ibant ante agmen pueri geſtantes manibus arundines virides, & ſaltantes, ac tripudiantes ad ſonum fiſtularum, & tibiarum. Utiles fuerunt feſtivi plauſus ad abigendam triſtitiam, vel ex parte leniendam, quâ gravabantur omnium corda: dum peſtis ſævîit multæ Numinis offenſiones impeditæ ſunt. Quoniam vitam non amiſit, ut cupierat, luctando contra peſtilentiam, eam dicatam voluit ethnicis convertendis. Poſtulavit à Reverendo Patre Generali facultatem navigandi ad Indiam; cum negaret, inſtitit tam ſanctè importunus onerans ipſius conſcientiam, ut ſit factus voti compos. Solemnem emiſit profeſſionem votorum quatuor 10. die Martii 1602. Ad Indiam eſt profectus anno 1603. de reliqua ipſius vita nihil mihi hactenus eſt cognitum.

DIE XXV.

P. Emmanuel Fernandes.

FRemonæ apud Æthiopes finitimos mari Rubro, (Abiſſinos vocant) anno 1593. ceſſit è vita. Natus Olivenſæ Diœceſis Helvienſis. Valde gratus Henrico Cardinali petivit Eboræ Societatem. Inde cum alio ſacerdote (nam & ipſe jam erat ſacris initiatus,) Conimbricam miſſus eſt. Illic adoptatus in Societatem 9. Septembris anno 1553. Unus fuit è primis Tyronibus Conimbricenſis domicilii, cum diſciplina tyrocinii redacta eſt in eam, quam hodie tenet, formam ſub magiſterio Antonii Correæ. Experimenti gratiâ juſſit illi magiſter, ut, cæteris menſæ accumbentibus, conſcenderet pulpitum triclinii, & voce ſubtriſti pronunciaret hujuſmodi verba: Se ſacerdotem gravem plurimi factum ab Infante Cardinali, à quo fuerat præfectus Rector Convictorũ collegio, reliquiſſe mundum, at in Societate ſibi datum magiſtrum, & ſpiritualem Patrem quemdam adoleſcentem imberbem, qui pænitentiis dedecorabat hominem ſacerdotem, nec annos attendens, nec ſtatum: hæc tam dura eſſe, ut ægrè ferri poſſent. His aliisq; in eandem ſententiam dictis, crediderunt reliqui, tyronem tentatum eſſe, ac mœrore ſunt affecti. Poſt prandium intellexerunt, fuiſſe magiſtri artificium, tum ut tyronem exploraret, tum ut ſe demiſſioni ſubjiceret, dum audit verba ſui contemptus plena.

Anno 1555. missus ad Indiam. Cum eodem pervenit Joannes Nunius Patriarcha, visum est opportunitatem non affulgere, ut tanta dignitas iret ad Æthiopiam. Ejus loco profectus est Andreas Oviedus Episcopus cum aliis nostræ Societatis, è quibus fuit Emmanuel. Mense Martio anni 1557. ingressus Æthiopiam. Paulo post Turcæ armis occupaverunt maritimos ejus regni portus, atque omnino prohibita est communicatio inter eos Æthiopes, & Indiæ Lusitanos. Dum illic vitam duxerunt, tot ærumnas sustinuerunt omnes à Regibus, & Schismaticis, ut omnium vita similis fuerit continuato per longos annos martyrio. Eorum fuit cura præcipua, conservare in avita, & pura religione Lusitanos, qui à tempore Christophori Gamæ suppetias ferentis Æthiopum Regi adversus Turcas, substiterant apud illas gentes, & cum ipsis miscuerant matrimonia. Penuria & victûs, & vestitûs illos semper oppressit. Vix trahebant vitam hordeo tosto. Corpora tegebantur pellibus. Episcopus duplici bove terram arabat, ut messem sustentandæ vitæ colligeret. Plurimi Schismatici (sectatur ea natio errores Alexandrini Patriarchæ) deseruere tenebras suas, amplexi veram fidei lucem. Cum monachus præpotens postularet à Rege, juberet trucidari, quotquot accessissent ad Ecclesiam Romanam, id nunciatum est Emmanueli: respondit: Essent animo securo, Monachum brevi moriturum, non nociturum Christianis Regem. Contigit, ut ipse prædixerat. Anno 1577. vitâ defuncto sanctissimo viro Andrea Oviedo, major laboris pars incubuit humeris Emmanuelis; pusillo gregi diligentissimè consuluit. Erat in provincia Dambeâ, cum divinitûs præsensit mortem suam non diu absuturam. Valedicens regionis illius Christianis, *Ego*, inquit, *vado sepeliri cum Patriarcha Andrea*, *vobis loco mei relinquo Patrem Franciscum Lopium*, *scitote illum venerari.* Decimo quinto die ante suum obitum fundens preces coram sepulchro Patriarchæ, auditus est hæc verba profundere: *Omnes tui quatuor Socii sumus habituri eandem sortem, ut enim te in vita secuti fuimus, sic te comitabimur in eodem sepulturæ loco.* Non aliter evenit, nam omnes texit eadem humus. A Deo ipsi prædictum, migraturum è vita, quâ die in lucem editus Infans Bethlemicus. ea die fulgente, vocatis ad se Christianis precatus est cuncta felicia. Posteà dimisit eos pransum, admonens, ut, capto cibo, redirent ad sacram ædem. Manens solum cum P. Francisco Lopio, repentè exclamavit lætitiis inundans: *Ah mea Domina, ah mea Domina* ! Sciscitatus est Franciscus, quid haberet novi? *Video nunc*, respondit, *Virginem Mariam Dominam nostram novâ luce, & pulchritudine exornatam; hujuscemodi suavissimo conspectu, & comitatu proficiscor in cælum.* His dictis, agone admodum suavi efflavit animam. Supervenientes Christiani cadaver sunt venerati.

P. An-

P. Antonius Gonsalves.

VItam explevit Eboræ anno 1649. Ob multos ejusdem nominis, ubi sit natus, ex catalogis certò dici nequit. Bis tradidit Philosophiam, & Quæstiones Morales docuit Eboræ. Plurimum consuluit Societatis honori, veritati, & paupertati religiosæ, & sublevandis egentiũ miseriis. Totâ vitâ, quæ longa fuit, eundem sanctitatis servavit tenorem. Exactissimus erat in obeundis exercitiis spiritualibus. Postremus morbus diuturnitate abstulit memoriam, & rationis usum. Id erat cunctis admirandum, quod tam longo tempore privatus expeditâ mente, nihil egerit alienũ à virtutibus, quas sui compos exercuerat. Sæpè rogabat, veniret Confessarius, velle se conscientiam levare, & refici Pane sacro. Non dixit verbum, quod esset offensioni. Totius Collegii una, eademque vox fuit, hominem mente spoliatum tot annis, tam modestum, & in rebus cunctis temperatum non posse non esse Deo gratissimum.

P. Doctor Emmanuel Guedes.

ANno 1681. è vitâ cessit Eboræ. Natus Arrifanæ Diœcesis Portuensis. Conimbricæ additus Societati 5. Martii anno 1644. ætatis 14. Philosophiam, & Theologiam Moralem docuit Conimbricæ. Ad continuanda magisteria migravit Eboram, ubi gradu Doctoris exornatus est. Moderabatur in Academia primam Theologiæ cathedram, cum illum rapuit mors intempestiva. Idcirco doluit omnis Provincia ejus obitum. Præter insignem sapientiam clarebat mira captandis animis affabilitate. Obvias adversitates constanti tulit animo. Specialibus obsequiis coluit B. Virginem, de qua Conimbricæ frequenter habebat exhortationes in templo D. Petri. Paupertatis observantissimus pro thesauro habuit unicam Crucifixi imaginem. Corpus vexabat cilicio, & scuticâ. Ipse primus autor fuit instituendi Eboræ supplicationem Academicam in obsequium D. Xaverii, quâ procedunt Doctores, & Magistri in templum nostrum ornati suis insignibus. Obivit complexus imaginem Pueri JESU, cujus natali die reliquit mortales.

P. Antonius de Santos.

IN Residentia Lapensi mortuus est anno 1704. Natus Ansiami Diœcesis Conimbricensi. Societati adjunctus est 6. Maii 1662. Vixit in gradu Coadjutoris spiritualis. Inerat illi rara mansuetudo, & multus affectus in res spirituales. Infatigabilis erat in audiendis pœnitentibus, quorum confluunt innumeri Virginem sub ea rupe veneratum. Speciatim illius est perspecta charitas in morbis perniciosis, quibus affecti, & prostrati sunt Lusitani milites. Et Antonius, & alius de nostris sacerdotibus egregiam dedere operam sublevandis miseris. Alius votum emisit in ob-

obſequium Virginis Lapenſis, ſi ſoſpes evaderet. Quamvis jacuit contracto morbo, ſervatus eſt incolumis. At Antonium meritis donari præmiis Deo placuit, nam eadem pernicie afflatus, occubuit tanquam charitatis glorioſa victima.

DIE XXVI.

P. Joannes de Paiva.

HAc die non occurrit, qui vitam exuerit, propterea ſubrogo nomen Joannis Paivæ viri præclaræ ſanctimoniæ apud Braſilos defuncti. Natus Ulyſſipone. Conimbricæ Societatem amplexus 29. Aug. an. 1612. ætatis 14. Aggreſſus bis ſtudia Philoſophiæ, deſtitit ab eo conatu, & causâ valde affectæ valetudinis nequivit ad finem perducere. Cupiens tenues vires conſumere animarum ſaluti proſpiciendo, rogavit in Angolam mitti. Eò profectus eſt an. 1623. Sequenti anno cum alio ſacerdote juſſu Superiorum tranſiit ad collegiolum Regni Congenſis. In oppidis, (Libatas vocant nigri) quà fecit iter, ſacrâ Catecheſi populos inſtruxit; apud quos, nomine tantum Chriſtianos, ea Divinarum rerum vigebat ignorantia, ut vix ipſi ſcirent, ſi Deus eſſet. Mirabantur, quod nihil munuſculi acceptarent pro miniſterio illos docendi viam ſalutis. Ubi pervenit ad urbem à Salvatore, quæ eſt regni caput, graviſſimâ tertianâ decubuit. Id genus febris tam vehemens illic eſt, ut crebrò prima tertiana enecet alienigenas. Magna erat remediorum penuria, domuncula conſtabat ex lignis, & paleis; victus vel ſanis eſt aſper, & injucundus. Tribus menſibus, quibus perduravit tertianæ pertinacia, unicum, & præſentius remedium fuerunt venarū ſectiones. Pro ſcalpello delicato erant cultelli calamarii, vel ſagittæ, quibus ad bellum, & venatum utuntur Æthiopes. Ubi qualemqualem nactus ſanitatem, totus fuit in lucro animarum. Quamvis per multos annos frequenter eſt relapſus in morbos graviſſimos, ab opere non deſtitit. Erexit latinitatis gymnaſium docendis nigrorum, & Luſitanorum filiis. Sæpe respublica valde turbata eſt nece Regum (eſt enim illa gens ſupra modum inconſtans) inter ea pericula Divinum ſemper expertus patrocinium. Variolis, peſtilenti apud Æthiopes morbo, labè regionem terrentibus, & vaſtantibus, nocte, die, fervente ſole, aut cælo pluvio, miſeris ſuccurrit. Multis annis, puto fuiſſe ſupra viginti, Æthiopes indefeſsâ excoluit charitate. Coactus regredi in Luſitaniam, anno 1655. ſtudio miſſionum petivit Braſiliam. Ibi vixit, & mortuus ſingulari virtutum opinione.

DIE XXVII.

P. Petrus Gonſalves.

COnimbricæ de vita ceſſit anno 1629. In ſuo gradu Coadjutoris Spiritualis ſervivit Societati pluri-mâ ſatisfactione, & utilitate rei tempo-

porariæ, cui multis annis consuluit tum in Collegio, tum in Monasteriis, quorum reditus sunt applicati Collegio Conimbricensi. In administrandis litibus, & fortis, & rectissimus, quin eum ullæ humanæ flecterent rationes. Sciebat enim Religionis bona esse paupertatis patrimonium, & œconomis liberum, salvâ conscientia, non esse deserere obligationes suas propter hominum respectus. Eum vir quidam rogavit, ut absisteret à lite, cum nollet, Petrum expectavit loco remoto secum habens armatos. Nihil talium conspectu turbatus est, sed accedens propiùs, possumne, inquit, mei domini, pacificè transire? Hæc verba sic hominis cor penetrarunt, ut mansuefactus responderit: Transi, mi Pater, & prosequere jus tuum, si hactenus tibi fui contrarius, hinc ero tibi amicus inter paucos. Benignus erat mendicis, & egenis. Maximoperè fuit circumspectus in materia castitatis. Fæmina quædam speciosa sub vilibus indumentis eum Monasteriorum Procuratorem conquirens, rogavit sibi, ac suis alendis filiis eleemosynam. Elapsis diebus aliquot, redivit insidens mulæ, sed induta vestibus nitidis, accersivit Patrem nomine obeundæ confessionis, cum eam est intuitus intelligens, quorsum tenderent ejus cogitationes, jussit præberi eleemosynam ea denuntiatione, ut amplius illuc non reverteretur. Vacabat multum orationi. Præter alias precationes recitabat quotidie SS. Virginis Litanias, & Litanias Angelorum, & triplicem coronam Virginis. Etiam diebus singulis flagello sæviebat in corpus suum. Cum obivit, erat octogenarius.

P. Simeon Caldeyra.

VItâ defunctus Conimbricæ anno 1646. octogenario major. Natus Nizæ Diœcesis Portalegrensis. Egit secundum Rectorem Tyronum in Campolide propè Ulyssiponem, & tunc nuncupavit solemnem Professionem votorum quatuor 6. Junii 1602. In tota ipsius vita ex eo audita non est detractio, aut verbum ex quo mortalium aliquis offenderetur, nec impatientis animi visum est in eo argumentum ullum. Ne dum in postrema senectute desivit sequi communitatem. Plurimum dilexit religiosam paupertatem. Nihil habuit pretiosius imagine depictâ in charta. Aliæ res devotionis, ut sunt pia munuscula, & lipsanothecæ, ab illo non sunt possessæ. Assiduus erat in orandi exercitiis. Operabatur Missæ sacro non sine lachrymis suavissimis: Corpus suum tractavit severè, etiam cum premebatur aliquâ valetudinis affectione. Semel gravem in modum tumente facie, jus gallinæ, ut biberet, allatum est, horruit solum considerans, quod venisset in alicujus mentem, se die jejunii, ut erat ille, refecturum corpus prædicto alimento. Jam natus annos tres supra octoginta non omittebat Ecclesiæ jejunia. Post acceptam Unctionem asseruit nullam sibi esse ma-

jorem consolationem, quam mori in Societate, nec circumstantes frui posse meliori fortunâ. Eboræ complexus fuerat Societatem 7. Maii anno 1582. ætatis 19.

P. Christophorus de Azevedo.

IN Domo Tyronum Ulyssipone vivendi explevit postremum diem anno 1670. Natus in oppido S. Martinus de Mauris in Provincia Beirensi. Ulyssipone adscriptus Societati 12. Aprilis 1620. ætatis 15. Aliquot annis Mazagoniæ in Africa moratus est prospiciendo Lusitanis colonis, quibus in spiritu multum profuit. Habitus est sui temporis concionator insignis, gratus domesticis, & externis. Rexit Collegia Madeirense, Portuense, & Eborense. Eminuit dotibus ad gubernandum. Aditus erant suavissimi, & pleni amore paterno. Sedebat indefessus ad audiendos pœnitentes. Quamvis est usus afflictâ valetudine, non ideò illam prætendit fugiendis laboribus; nam ex eis fuit, qui se labori natos reputant. Ad usque annos ultimos libris sanctorum Patrum volutandis incubuit, ex quibus instar apis collegit succos doctrinæ suavissimos. Plurimi æstimavit homines, quorum egregiis dotibus illustrabatur Societas. Cum magna prudentia junxit animum alienum dolis, & politicorum artificiis.

DIE XXVIII.

P. Joannes Nunes.

IN Domo Professa Ulyssiponensi effudit anhelitum supremum anno 1656. Natus in pago *Means* Diœcesis Conimbricensis. Ingressus Societatem Conimbricæ 27. Junii an. 1608. Exiens peregrinatum de more Tyronum transiit non longe à sua patria, dum catechesim docet, forte auditur à suo parente; qui postea ad eum accedens, suasit, ut Societatem desereret, ut esset hæres omnium, quæ possidebat, quoniam domi proles alia non erat. Cui respondit, non se esse tam deliræ mentis, ut pro toto mundo, nedum pro tenui patrimonio, relinqueret Societatem. Biennio absoluto, & studiis Philosophiæ docuit Eboræ humanas litteras. Ejus erat prima cura discipulos suos reddere piis virtutũ exercitiis bene affectos. Cum dedit operam Theologiæ, eum Academici vocabant sanctum. Anno 1624. adivit Brasiliam in classe Regia, quæ profecta est ad recuperandam Bahiam ab hostibus captam. Tum propter zelum, quo mari, & propter eum, quo terrâ, & in ipsa obsidione juvit milites, non alio nisi *Sancti Patris* nomine cognoscebatur. Urbe restaurata, rediens appulit Gadibus, ubi ad portus ostium erat Anglorum numerosa classis, per mediam invecta est navis, sine jactura ulla, quamvis hinc inde tormenta in eam essent explosa. Redditum Lusitaniæ mi-

miſerunt Brigantium ad tradendam Moralem ſcientiam, quam poſteà docuit in urbe Portuenſi. Ubique ſui ſimilis fulſit plurimis exemplis. Interdiu, noctuque accurrebat juvandis proximis. Frequens erat in carceribus, & noſocomiis, & aſſiduus in tribunali confeſſionum. Ex eo magiſterio vocatus ad Tyrones inſtituendos Conimbricæ, quod munus obiit perfectiſſimè, & juremerito poteſt recenſeri inter inſignesTyronum Magiſtros. Ardenter petivit mitti ad Indiam. Per id tempus vocatus Ulyſſiponem credidit auditam ſuam petitionem, propterea largitus eſt ſua manuſcripta; & ſumpto viæ comite uno tyrone, iter aliud pedibus emenſus, docens, quà tranſibat, Chriſtianam Doctrinam. Ulyſſipone reperit patentes litteras, quibus præficiebatur Villaviſſoſenſis Domus Præpoſitus. Adeò repugnavit, ut fuerit neceſſum eum cogere præcepto ſanctæ Obedientiæ. Illic ab omnibus ſuſpiciebatur, ut vir ſanctus. Eandem de ipſo opinionem conceperunt Duces Brigantini Joannes, & Aloyſia, qui poſteà Reges fuerunt. Multum fugiebat Palatii commercia, quamvis Duces Sereniſſimi avidè ipſius præſentiam expetebant. Conqueſti ſunt apud Provincialem, quod illos Præpoſitus Domus raro inviſeret. Provincialis reſpondit, ſe neſcire, quod aliquando ſit vocatus in palatium ad audiendas confeſſiones mancipiorũ, & non obtemperaverit, ad Principũ colloquia, familiaritates, & politicas cæremonias ſe prorſus ineptum eſſe, natum potius ad carceres, & noſocomia, quam ad Regiam. Finito magiſtratu, migravit in Collegium Scalabitanum. Cum jam duces eſſent in thronum evecti, Regina ſciſcitata eſt à noſtro Provinciali ubi erat Joannes? adjecitque ſibi gratum fore, ſi vocaretur Ulyſſiponem. Reginæ Provincialis morem geſſit. Ulyſſipone brevi conſtitutus eſt Tyronum Magiſter, ac Domus Rector. Antеibat omnibus exemplo. Amorem, ac timorem Dei curabat infundere ſuis Novitiis, quod ſint duæ baſes Evangelicæ perfectionis, ſine quibus ædificium ſuper inſtabilem arenam fabricatur. Magiſtri exempla Tyronibus obſervata erant efficax ſtimulus ad capeſſendum animæ profectum. Semel ipſum convenit tyro valde agitatus importunâ carnis tentatione; ubi detexit moleſtiam, Joannes flexit genua, amorâ veſte de pectore, apprehendit tyronis manum, & appreſſit cilicio, quo erat indutus, adjiciens: Mi fili, ſcito etiam provectiores ætate his muniri armis ad arcendos ſimiles inimici ſtimulos. Hoc facto, & verbo novitium complevit animis ad improbi tela effringenda. Quamquam erat ad obediendum promptiſſimus, ſolùm ad tyronem aliquem dimittendum tardus fuit, ſeu potius difficilis. Præcepit illi Provincialis, ut quendam è ſuis Novitiis è Societate depelleret, propterea quod vir externus magnæ authoritatis ipſi dixerat labe ſanguinis eſſe in-

fe-

fectum. Vocavit fubminiftrum, ut pararet veftem tyroni, ac abire juberet. Subminifter cernens Rectoris afflictum animum, fuafit, ut fuas rationes fcriberet Provinciali. Refpondit: In bivio fum, commendemus rem Deo. Magna fuit vis orationis, nam poft eam, forte librum aperiens, reperit antecedentis Provincialis epiftolam, qua dicebatur, eum tyronem fanguinis infecti non effe: negotium accuratiffimè exploratum ob delationem talis perfonæ, & nominabat eandem, qui novo Provinciali indicaverat. Mirificè recreatus eft hâc epiftolâ, quam mifit ad Provincialem; fimul ut videret, quam circumfpectè præbendæ fint aures hujusmodi delationibus. Sæpè eum imperabat vocari, & apud eum Regina expiabat confcientiam, donec moriente quodam monacho illius confeffario, Joannem ad hoc munus fibi elegit. Moleftiffimus accidit hic honor ejus humilitati, reputavit fe à DEO puniri. Adhibuit, quam potuit diligentiam, ut onus excuteret; verum tandem parendum fuit Reginæ voluntati. Non defuit invidus, qui dixit Joannem non effe tanto loco complendo. Id fciens, utinam, inquit, ejus efficaciæ forent talia dicta, ut ego liberarer. Nunquam voluit admittere genus aliquod vehiculi, nec mulas, quibus iret, ac rediret è Palatio. Semper id iter pedibus fecit, nec Regiam adivit, nifi vocatus. Multum laboravit Regina, ut fuaderet fuo confeffario, curru, vel lecticâ uteretur, nullis tamen imperiis, aut artificiis eum potuit dejicere de fua fententia. Semel putavit, fe victuram, at egregie devicta eft. Etenim urbanè conquefta eft apud Joannem, ipfum luto calceorum è via contracto ftrommata pavimenti fordibus inficere; æquum effe vehi lecticâ, ut hujusmodi vitarentur incommoda. Faciam, refpondit, ne amplius de me querantur ferici tapetes. Igitur ad occurrendum his querelis, detulit fub pallio mundos calceos, ingreffus Regiam, detractis fordidis, eos induit pedibus: quod femper in pofterum obfervavit. Id ubi novit Regina, valdè celebravit humilitatis induftriam, & Joannem hâc in materiâ confeffa eft infuperabilem. Vel pluvio cælo, vel nimiis caloribus æftuofo, feu Regina in urbe foret, feu in fuburbio Alcantaræ hæc itinera, quæ non funt modicæ diftantiæ; conficiebat pedibus. Voluit Regina, intereffet concilio, quod à ftatu vocant; agitur in eo de rebus fummis. Tanto honore, velut perculfus fulmine, ad Reginæ pedes flexis genibus obfecratus eft, ne fibi tale onus imponeret. Permota tot obfecrationibus, & lachrymis noluit ipfi creare moleftiam. Exiftimarunt confanguinei, cum viderunt conftitutum in tanto gradu, fe cumulandos honoribus, ac divitiis; ad eum fcripfere fignificantes expectationem fuam: Quibus ille refcripfit, inanes deponerent fpes, fcirent fe effe tantum Reginæ confeffarium, non actorem

rem

rem negotiorum. Ut multa dicam uno verbo; De palatio nihil hæsit Joanni, de Joannis virtute multum hæsit palatio. Illustrissimæ fæminæ illius sanctissimis monitionibus tenuerunt Evangelicæ perfectionis viam intra Regiæ delicias: aliæ, mundo relicto, ejusque vanâ pompâ, se incluserunt monialium sacris gynæceis, ut solùm rebus Divinis studerent. Magna, quæ fuit de ipsius virtutibus opinio, non vanitate fundata est. Cælestium commentationibus quotidie vacabat horis non minus quinque. In suo cubiculo repertus est sublimis à terra. Sæpe sic erat velut raptus extra sensus, ut nihil adverteret. Inter faciendum Sacrum tam perennes fuerunt lachrymæ, ut esset necessum eas sudario exsiccare; JESU nomen erat illi ad instar suavissimi nectaris, & mellis favi. Quidquid per SS. Virginem ab eo postularunt, libens concessit, aliud in ejus potestate non fuit. Ipse eleemosynis penè non sine miraculo tributis ornavit sacellum Virginis in pergula valetudinarii Novitiorum Ulyssipone. In suis navigationibus perpessus naufragium, adhæsit tabulæ, in qua cum undis luctatus per multos dies, vitam sustentans modico pane biscocto. Erat in eadem tabula Virginis imago depicta, cujus patrocinio cognovit se de tantis ereptum periculis. Ejus charitas nomen habet inter eos, qui hâc virtute magis colluxerunt. Adiens manè Regiam, gemitus exaudiit in angulo plateæ, accedens propè invenit mendicum agentem animam præ nimio noctis frigore. Tunc pallium suum extendit humi, super illud mendicum ponit, tegitque socii pallio; & ambo suis brachiis eum tulerunt ad urbis nosoconium. Modo simili alium Conimbricæ portavit è ponte fluminis ad nosocomium publicum. Nolebat gratiam apud Reges, nisi ad habendas eleemosynas, quibus egenis succurreret. Dum pergit ad audiendam Reginæ confessionem, obvium rogant, ut ægrotum audiat. Respondit socius, alium conquirerent, Patrem morari non posse, quod iret vocatus ad confessionem Reginæ. Ad hæc Joannes: Festinemus potius ad expiandum infirmum, Reginæ non desunt Confessarii, & hic pauper, si ego ad eum non contendo, poterit mori sine confessione. Properans invenit laborantem morte, comodavit aurē confitenti; nec multo post effudit animā. Cum Serenissima rusticabatur, discurrebat per finitimos pagos docens Fidei mysteria. Pærmiola dividenda pueris dabat Regina, & suis adornabat manibus. In Domo Professa cum cæteris adibat carceres, & triremes ad confessiones obeundas, quibus etiam domi erat assiduus. Plurimum dilexit humilitatem. Siquis honorum candidatus, adulationis causâ eum vocavit nomine Dominationis, pudore suffundebatur, ac reprehendebat, quod se virum religiosum tractarent titulo præclaro, quo solent alloqui dynastæ. Domi non erat officium tam

abjectum, cui ipse non daret operam. Cum tyro dedecori sibi esse putaret curam habere de lychnis pensilibus, Rector id munus suscepit, ac peregit, quo exemplo suæ stultitiæ tyronem pœnituit. Sæpe cum aliquot Novitiis accedebat ad ostium posticum Professæ Domus, & ibi inter mendicos humi sedens capiebat cibos. Culpam suam dicere ex suggesto triclinii, desquammare pisces, extrahere de cisterna aquam, portare amphoras plenas ad culinam, & cæteræ abjectiones communes erant Rectori, & tyronibus. Eandem observavit paupertatem post munus confessarii susceptum, quam ante coluerat. Nolebat uti novis indumentis. Illius calcei erant operti centonibus. Si cogebant sumere novos calceos, sic, antequam eos calcearet, fricabat, ut omnino vetusti apparerent. Nunquam, nisi cum Superior creatus est, scivit, quid esset excusatio in imperiis obedientiæ. Postquam venerat è Brasilia, eum mittebant ad Insulas. Jam erat Ulyssipone navem propediem conscensurus, cum id scientes dynastæ, quibus fuerat comes in itinere Brasilico, volant ad Provincialem, qui permotus eorum querelis Joannem liberavit ab ea navigatione. Flagellis, ciliciis, & abstinentiis corpus suum perpetuò maceravit. Non admisit aliquos cibos speciales. Cum Reginam extra urbem comitatus est, semper procuravit, ut alimenta sibi tribuenda essent ejus generis, cujus sunt in tricliniis nostris. Non attingebat escas delicatiores, ut cupedia, & cætera gulæ nutrimenta, quibus scatent Regum mensæ. Hominis modestia Divinæ propior, quam humanæ reddebat omnibus venerabilem. Denique omnes, qui noverunt illius vitam, tanquam sanctum intuebantur. Diebus paucis ante morbum postremum venerunt à Patre Generali patentes litteræ, quibus creabatur Provincialis. Id tam melestum accidit Joanni, ut non dubitatum sit, inde ex parte ortam ægritudinem. Per id tempus erant ad Regiam frequentiora itinera, quæ cum pedibus faceret, diu ferendo labori non fuit. Dominica quarta mensis rediens horis ante prandium à Regia, statim sedit ad audiendos pœnitentes, cum jam valetudo sentiret affectionem. Decidens in lectum affirmavit, citra dubium se moriturum, ut videret suum bonum JESUM. Misit, qui suo nomine postularet à Superiore facultatem ad moriendum ex imperio obedientiæ, ut obiverat bonus JESUS. Viginti quatuor diebus, quibus ægritudo detinuit lecto addictum, nihil pium considerari potest, quod in hoc viro Dei non sit conspectum. Nullam diligentiam Regina omisit, ut illius vitam redderet incolumem. Veniam commissorum in ejus obsequiis per internuntium ab illa poposcit. Respondit, eam petitionem nihil aliud esse, quam in ipsius revocare memoriam calamitatem suam, quæ in morte sui Theodosii habuit initium, continuata in obitu

tu Regis, & modo in majus evecta sui confessarii defectu. Cum esset valde quietus, & pronuntians verba suavissima vitam efflavit. Jussit Regina, ut omnia sacra, quæ die illo fierent Ulyssipone, pro Joannis anima applicarentur. Funces celebratum est apparatu maximo, non quod fuisset Reginæ confessarius, sed quod sit habitus Vir sanctus. Marchio Nizensis, Comes de sancta Cruce, Comes de Figueyrò, Comes Camerarius major, Comes Villæ viridis, & Comes Vidigueiræ portabant feretrum, hos juvabant Comes Vimiosi, & Comes Cantanedii, aliique dynastæ primæ nobilitatis. Horum manibus, & humeris illustrissimis locatum est feretrum in templo Domus. Post exequias iidem tulerunt ad sepulturam. Hic tantus populus incubuit ad pertingendum cadaver coronis precum, sudariis, aliisq; rebus, vel ad rapiendum aliquid de vestibus, ac secandos crines capitis, ut nec dynastæ potuerint arcere populum, nec nostri mandare terræ cadaver. Propterea id officii reservatum est ad pomeridianum tempus, & feretrum positum in medio templi. Quod non posset adhiberi modus fervori populi, feretrum mutatum est ad sacellum à Spiritu Sancto, quo venerunt tres pictores ad exprimendum in tabulis ejus vultum. E corpore prodibat odor tam suavis, ut thus, & alios odores devinceret. Prope quintam horam conati sunt illud humare; cum esset juxta sepulturam, rursus tantus fuit impetus populi, ut nisi capsam clauderent operculo, lacerarentur vestimenta. Sic tandem potuit condi in sepultura. Instrumenta, quæ sibi fuerant usui ad pænitentiam, partim data sunt Reginæ, partim dynastis, qui tanquam Reliquias permagno æstimaverunt.

DIE XXIX.

P. Ludovicus Dias.

De vivis excessit Eboræ an. 1688. Coadjutoris spiritualis ornatus gradu. Natus Serpæ Diœcesis Eborensis Ulyssipone adscriptus Societati 9. Maii 1623. ætatis 20. Vir fuit consummatæ virtutis, obedientissimus, & amantissimus religiosi silentii. Cuncta officia, quibus eum Superiores applicabant, obibat sine excusatione, & mora. Propterea eum vocabant clavum culinæ, è quo suspenduntur omnia, quin clavus rem ullam à se abigat. Ejus silentium, taciturnitas, & amor secessus nobis occultarunt ingentes virtutes, quibus floruit. Illius confessarii P. Emanuel Correa, qui Provincialis, & Assistens fuit, ac mortuus Romæ, & P. Andreas Vasæus, qui etiam egit Provincialem, affirmarunt tantam ipsi cum Divo Josepho fuisse familiaritatem, ut cum eo converfaretur tanquam amicus cum amico. In Sacello valetudinarii Eborensis Collegii simulacrum est Divi Josephi, per quod sanctus cum Ludovico miscebat sermonem. Idcirco major veneratio accessit huic

ſimulacro. Valde exoſus eſt detractionem. In laboribus videbatur marmoreus. Perpetiens acutiſſimos dolores, ne unum quidem gemitum edebat ad levandum animum afflictum. In oratione tum die, tum nocte multum inſumebat tempus. Miſſam celebrabat plurimâ devotione. Sæpè ſacrificanti miniſtravit, ab ara ultimus recedebat. Cunctis habebatur vir juſtus coram Deo, & hominibus, & ut talis fecit vivendi finem.

P. Petrus de Amaral.

IN Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi longo ſenio eſt confectus anno 1711. Natus in oppido *Azurar* Diœceſis Viſenſis. Ulyſſipone Complexus Societatem 10. Januarii anno 1636. Unus fuit è viris hujus Provinciæ magis indefeſſus ad labores in miniſteriis Inſtituti noſtri. Tradidit Conimbricæ Philoſophiam, & per annos quindecim expoſuit ibidem Sacram Scripturam. Sacras miſſiones obivit plurimas magno animarum bono. Poſtremis vitæ annis protector fuit Sodalitatis Virginis à Doctrina. Cum eſſet jam tam debilis, ut non poſſet conſcendere gradus, ubi erat ſella, unde habebat exhortationes ad ſodales, ipſi inter brachia ponebant in ſella, ac extrahebant. Volentibus Superioribus eum liberare à tali onere, non conſenſit, dictitans, ſe ad mortem usque laboraturum. Si dicebant, illum non eſſe jam ferendo labori, reſpondebat innoxio lepore. Eos per ſummam invidiam nihil aliud velle, quam homines ſplendidos, & magni talenti, ne fulgeant, in nihilum redigere. Cum inveniſſent eum aliquot Patres ſalutantem de more ſuo templi altaria, & vix ob nimiam ſenectutem greſſus moveret, quid illic ageret, interrogant, melius facturum ſi ſe recipiet in lectum: Quibus ille, *Tria Deum rogo, viſum ad recitandum, aures ad excipiendas confeſſiones, vocem ad concionandum.* Non ſemel per Quadrageſimam totam Dominicis diebus concionatus eſt mane, & veſpere in eodem templo. Per idem tempus prodibat ad edocendam catechesim. Occaſione ingentis ſiccitatis, quæ opprimebat Interamnenſem Provinciam, in ſupplicatione precum concionem habuit Bracharæ, magnâ auditorum commotione in lachrymas, & ſuſpiria. Poſt concionem cæpit adeò copioſa pluvia de nubibus cadere, ut annus fuerit abundantiſſimus. Idcirco concio illa dicta eſt concio milii; quod genus frumenti præcipuum eſt in ea Provincia. In urbe Portuenſi eâdem die quater prædicavit, in templo noſtro ante, & poſt prandium; & poſteà in æde ſacra Monialium, prædicavit de Paſſibus Domini, deinde de ejus Crucifixione, voce tam ſonora, & clara in poſtrema concione, atque fuit in prima. Sexies miſſionem habuit per Quadrageſimam Leiriæ, petentibus canonicis, & civitate. Cum Rectorem egit Bracharenſis Collegii, inſtituit Bracharæ miſſionem, publicato miſſionum Jubileo, & habitis prædica-

cationibus tum ab ipſo, tum ab aliis Patribus in templis urbis : tantus fuit pœnitentium numerus, ut vix fuerit in tanta urbe perſona, quæ non expiaverit conſcientiam totius anteactæ vitæ confeſſione. In fine miſſionis introduxit in templo noſtro preces Virginis à Bona morte. Multus erat in audiendis confeſſionibus. Antequam impertiret abſolutionē ſemper cum pœnitente repetebat actum contritionis voce, & modo tam pio, ut animos compungeret. Inde ortum eſt, ut pœnitentes eum Sanctum vocarent. Miſſæ ſacrum faciebat in ara majori horâ nonâ. Quod Superiores videntes laborem ſubeundi gradus, juſſerunt, ut celebraret alio in altari, doluit, quod redderent immunem ejus laboris : Vir fuit ipſâ naturâ mitiſſimus, & beneficentiſſimus. In conſultationibus ſemper illius ſententia favebat reis. Propterea dixit ipſi Provincialis: Ego plane cuperem veſtram Reverentiam judicem in meis cauſis: cui ille: Æquum eſt, miſereri noſtrorum fratrum. Bracharæ ſi criminoſi ſcholaſtici addicebantur juſſu Præfecti ſcholarum carceri, ubi petebatur à Rectore, ſineret vinculis ſolvi, protinus annuebat. Id erat tam notum, ut ſæcularis corrector per jocum diceret: Patrem Rectorem adeo bonum eſſe, ut, ſi foret Deus, nullus mortalium ad Inferos conjiceretur; Ubi enim coram ipſo unam peccatores effunderent lachrymulam, protinus calceatos, & veſtitos ab ipſo perducendos ad cælum, ne videret flentes. Semper eſt ſecutus communitatem. Cum poſtremis annis illi ſuaderent Superiores, ut cibos caperet in cubiculo, reſpondit, ſe neſcire in cubiculo comedere. Majorem partem temporis matutini, & veſpertini conſumebat in templo vel orando, vel inviſendo altaria. Poſuit cuſtodiam ori ſuo, ideo nemo illum audivit detrahentem aliis, aut de ullo mortalium ſiniſtrè loquentem. Singulis annis die Transfigurationis, quod tunc fuiſſet baptiſmo ablutus, præbebat Patribus Domus Profeſſæ exquiſitum prandium. Eo convivio recreabat Chriſti pauperes in gratiarum actionem, quod ipſâ die primâ donatus eſſet gratiâ, ajebatque Deum rogarent, conſervaret in ejus anima gratiam baptismalem. Inde conjecere, qui audierunt, eum non amiſiſſe gratiam in fonte luſtrali acceptam. Ea die benedicebat menſæ. Ab oneribus injunctis nunquam excuſatione ſe liberavit. Quotidie ad aram faciebat. Causâ frigoris immolabat hoſtiam in ſacello interiori Domus. Die Conceptionis Virginis, cum poſt ſacrum nequiret ſuſtineri pedibus, inter brachia deductus eſt in cubiculum. Protinus intellexit mortem adeſſe, peractis omnibus, quæ decent virum ſanctum inter octavam, & nonam horam noctis deſiit vivere. Multi res de ipſius uſu expetiverunt conſervaturi tanquam reliquias. Numerabat ſex ſupra ſeptuaginta Societatis annos, ætatis unum ſupra nonaginta. Typis mandavit valde eru-

 di-

ditam expoſitionem in Canticum *Magnificat*.

DIE XXX.

P. Emmanuel de Sà.

ARonæ Lombardiæ in Italia ceſſit vita anno 1596. Natus in oppido *Villa de Conde* Diœceſis Bracharenſis. Cum ipſius mater eum miſit Conimbricam ad ſcientiarum ſtudia, vade,inquit, naviter operam da litteris, ut audiam magna de te, præſertim, quod ſis Apoſtolus. Vixit illic inter domeſticos Ludovici Gonſalvii de Camera adoleſcentis primæ nobilitatis. Cùm Ludovicus eſſet complexus Societatem ſecunda April. 1545. illius exemplum imitatus Emmanuel ſeptima ejuſdem menſis, & anno eodem. Paucis poſt diebus unà cum Ludovico miſſus eſt ad urbem Valentiam, quæ regno dat nomen, ut auſpicaretur tyrocinium. Nunquam amplius redivit in Luſitaniam. Excellentiſſimo ſplenduit ingenio. Dubitabatur, cui magis vacaret, ſtudio, an orationi. Viſus eſt ad virtutem, & ſtudia factus. Septemdecim tantum ætatis numerabat annos, cum tradidit publicè Philoſophiam in Academia Gandienſi à S. Franciſco Borgia fundatâ, & ſubjectâ Societatis adminiſtrationi. Eodem tempore docebat eandem privatim ſanctum Ducem. Eandem ſcientiam profeſſus eſt Romæ. Anno 1557. cæpit Romæ exponere Ozeam, & Primam Secundæ Divi Thomæ. Cum electus eſt Generalis Didacus Laynius, Emmanuel per octo dies continuatos Præſes fuit Concluſionum Theologiæ, quæ defenſæ ſunt illius celebritatis causâ. Sibi apud omnes comparavit egregium doctrinæ nomen, & religioſæ modeſtiæ. Utrumque in eo micuit ad certamen uſque. Etiam annis plurimis egit Romæ concionatorem immenſo plauſu, & numeroſiſſimo concurſu. Illius prædicationes non tam naſcebantur è libris, quam è ferventi oratione. Etenim clarebat omnibus ornamentis, quæ concionatorem reddunt inſignem. Quod eſſet doctiſſimus, & eruditiſſimus, deſtinatus eſt cum alio de noſtra Societate à S. Pio V. ad correctionem Bibliorum, quæ ipſius imperio typis erant mandanda. Româ profectus Mediolanum ad ponenda initia noſtro Collegio. In ea urbe ſuis concionibus magnas fecit morum converſiones. Inde egreſſus juſſu S. Caroli Borromæi per id tempus neſcioquid altercationis cum Gubernatore habentis. Timens ſanctus Præſul, ne Sà, quod eſſet acceptiſſimus omnibus, vel in concione, vel in cathedra aliquid proferret, quod animos faceret adverſariis, curavit, alio migraret. Annis decem obivit extra Romam Inſtituti noſtri miniſteria, ubique incredibili Societatis honore, & animarum emolumentis. Rediens ad Curiam Romanam, ibi moratus eſt aliquot annis. Poſteà migravit Lauretum, deinde Genuam, ubi tantus labor ipſius humeris incubuit, ut vix poſſet animam re-

reciprocare. Eum conveniebant omnes in rebus dubiis tanquam firmum oraculum. Cum vires corporis alioquin tenues, & attritæ tanto labori pares non essent, secessit Aronam, ut liber, & solutus omni fœnore specialiter studeret æternitatis itineri, quod brevi capiendum indicabant valetudinis affectiones. Illic transegit reliquam vitam. Prodibat in oppida vicina ad rudes, & pueros docendos, & confessiones excipiendas. Quamvis semper gravavit eum nimius labor, nunquam permisit, ut aliquis sibi serviret, dicens sibi manus, & pedes esse, ut sibi famularetur. Invasit illum tertiana tam pertinax, ut tandem degeneraverit in quartanam, & per quinque menses eum vehementer afflixerit. Per id tempus, nec cessabat à sacro faciendo, nec à recitandis horis, donec prohibitus est à Majoribus. Quamquam erat valdè debilitatus, semper è lecto prodibat flexis humi genibus ad excipiendam Eucharistiam. Gaudedat loqui de morte, fama fuit ipsi à Deo revelatam; & apparuisse infirmo Virginem cum S. Ignatio. Narratur, primis annis SS. Virginem cum puero JESU se dedisse illi conspiciendam, inde exortam tenerrimam devotionem, quâ SS. Virginem est prosecutus. Inter pia verba, & colloquia animam Deo restituit. Ad ejus funus concurrit multitudo innumera ob singularem famam, quæ de ipsius erat virtutibus. Præter alias lucubrationes vulgavit typis summam Theologiæ Moralis, quæ magnæ authoritatis est apud doctos, quod alia non sit, quæ tot annis fuerit sub incude, aut tanto studio laborata.

P. Emmanuel Alvres Author Artis Grammaticæ.

VItam explevit Eboræ anno 1583. Natus in oppido *Ribeyra Brava* Insulæ Madeirensis. Conimbricæ addictus Societati 4. Junii anno 1546. ætatis 20. Post tyrocinium adhibuit specialem operam linguis Latinæ, Græcæ, & Hebrææ, quas perfectè didicit, ac tanquam excellens magister docuit. Cum fuit incubiturus studiis Theologiæ, illi visum est subtilitatibus ejus scientiæ perdendam sinceritatem, quam semper habuit in pupillis; idcircò rogavit impensè Superiores, ut permitterent unicè Moralis scientiæ studia ad juvandos proximos. Cum illius votis non assentirent, fecit magnos in Theologia progressus, & majores in Divinis litteris, quæ supra mel, & nectar ipsi fuerunt suaves: In eis consulebatur à viris doctissimis. Rexit Collegia Conimbricense, Eborense, & Domum Professam Ulyssiponensem. Per totam vitam conservavit sinceritatem, & humilitatem admirabiles. De omnibus benè loquebatur. Nolebat scire, nisi quod sui esset officii. Docens tertium gymnasium dictitabat: *Deus, ego, & tertium gymnasium.* Eo verbo significavit, adeò mentem gestare occupatam Deum considerando, & suam propriam vilitatem, ut nulli rei alteri, nisi

nisi suo magisterio posset attendere. Valde amans erat secessus. Agens Rectorem, & Præpositum, edocuerat janitorem domus, ut si viri dynastæ eum quærerent, diceret illis ex se: Patrem esse cæcum, & truncum, ad nihil inservire, si vellent aliquid, vocaturum se Patres aliquos, cum quibus negotium suum tractarent: verum si à mendicis conquireretur, protinus se vocarent. Cum gubernabat Eborense Collegium, ignorabat, Domi foret, necne Cardinalis Henricus, quamvis habitabat intra parietes sui Collegii. Videns aliquem religiosum novitatibus deditum, & sciendis rebus curiosis, solebat verbis latinis illi dicere: *Esto homo simplex.* Plurimum curavit, & cupiit ab omnibus sperni. Noscebat tam parum de politicis urbanitatibus, ut comitans quendam Episcopum, cum nesciret, quis prior esset intraturus per portam, ad eum dixerit: Vestra Dominatio eligat, quod optimum, & magè congruum est, nam id ego penitus ignoro. Simili modo utebatur cum aliis viris primariis, adjiciens: Nescio, quid sim facturus, sum truncus in hoc loco positus à sancta obedientia. Ajebat, se filium esse viri pauperis. Conimbricæ dicturus ex more illius temporis aliquas confusiones proprias de suggesto triclinii, sic loquutus est: „ Ego semper fui „ valde superbus, cum Pater meus „ vir tenuis, & pauper me posuisset „ suæ vineæ custodem, ego iniquè „ rem tuli tanquam probrosam scho„ lastico, qui jam studebat Præteri„ tis verborum, mecumqueireme„ bam, quod tam vile ministerium „ commendaretur ejus gradus scho„ lastico. Non patiebatur nominari Rectoris, aut Præpositi nomine, id reputans superbiam. Socio interroganti, ubi esset P. Rector? prodiens ad ostium cubiculi, *ego*, respondit, *non sum baptizatus, non habeo nomen?* Cum venerunt patentes litteræ, quibus creabatur Præpositus Domus Professæ, auditus est solus ita secum loqui: *Tandem, Emmanuel, futurus es Præpositus? cæcus, & truncus non erit Præpositus, sed res plane ridicula.* Quatuor annis, quibus eam administrationem obivit, assiduus fuit in se excusando apud Generalem. Servavit semper magnam integritatem, & æquitatem, puniens crimina tum juvenum, tum provectiorum, præsertim si erant publica, & nota sæcularibus. Cupiebat nostros suorum commercia effugere: ajebat, consanguineos esse mortuorum effossores, quoniam Religiosi mortui sunt, & consanguinei suis confabulationibus eos de sepulchris extrahunt. Siquis externus erat frequens in conquirendo consanguineo Religioso, eum vocabat effossorem mortuorum. Accipiens suorum litteras sic clausas in ignem conjecit. Plurimum applausit responsioni cujusdam socii, qui in spirituali collatione dixit: Religiosum erga parentes suos futurum instar expositi infantis, qui solum noscit suam nutricem; sic Religiosum Societatis agnitu-

turum unicè, quæ eum nutrivit, Societatem. Numquam visus est vel minimam Regulam violare, aut aliquid facere, quod argui posset levis culpæ. Interrogatus, si daretur optio, quod munus eligeret in Societate? respondit: Nullum. Cum instarent, quid facturus esset, si ad electionem cogeretur obedientiæ præcepto? respondit, tunc electurum studere diligenter casibus conscientiæ, ut esset bonus confessarius ad juvandos proximos. Numquam obtrectavit alicujus factis. Ajebant socii omnia illius verba esse margaritas, tum quod forent omnia pretiosa, tum quod magni ponderis, & Sanctimoniæ. Nolebat à janua pauperem stipe vacuum recedere. Sciens unum à janitore sine eleemosyna dimissum, misit duos sacerdotes, qui eum conquirerent, cum non invenissent, affectus est summâ tristitiâ. Semel expostulavit cum janitore, quod ea die se convenerit ad infinitas alias licentias petendas, & nec unam solum à se postulaverit dandam pauperibus eleemosynam. Curavit impensè subditos in Religione conservare, dicens, Deo stare multo sudore hominem à mundo avellere, & superiores laboraturos, nè in mundum eum projicerent. Licet foret mitis omnibus, sibi fuit nimium severus. Ægrotans non sinebat ova saccharo aspergi, existimans esse delicias Religioso viro indecentes. Si ferebant ad ipsum cupedia, ajebat, servarent alteri infirmo sibi satis esse panem. Provisio ad sua itinera conficienda non fuit alia, quàm Breviariũ sub axilla brachii. Solitus pronuntiare, Emmanuelem Alvarum sedentem ad mensam non esse superiorem, sed socium æqualem cæteris; Idcircò non reliquit impunitum, qui sibi posuit edendum aliquid speciale. Gubernans Conimbricense Collegium, in defectu alicujus magistri, supplebat illius vices; nec permisit, tale onus Præfecto scholarum incumberet. Præterea diebus veneris habebat exhortationes ad scholasticos, ac edocebat Hebræam linguam. Ubi convenerant duo discipuli, obibat suum munus, tamquam si scholasticis foret gymnasium refertum. Jam superiorem egerat, plurimum gravabant morbi, cum illi est à majoribus injunctum, ut Artem Grammaticæ componeret. Statim adjecit manum operi, quamvis non posset illi præcipi res molestior; Eam confecit omnibus absolutam numeris, & in eo genere hactenus non fuit, qui Emmanuelem æquet. Propterea jubetur in nostris legibus, ut magistri Societatis aliâ non utantur, quàm Emmanuelis Arte. Citra dubium meretur locum inter Societatis viros Sanctimoniâ præstantissimos. Grande est de ipso testimonium sancti fundatoris Ignatii affirmantis, *Deum si per id tempus vellet agere miracula per aliquem Societatis, non electurum alium, suâ sententiâ, quam Emmanuelem, quod esset tam puræ, & humilis animæ, ut omnem gloriam operum, quæ fecisset, uni, & soli Deo tribueret.* Addebat, *Emmanuelem esse*

ſuum Fratrem Juniperum. Non inveni, quod Romam adiiſſet, ſed exiſtimo Divum locutum ex noſtrorum fideli narratione de virtutibus Emmanuelis. Bernardus Japon, de quo 27. Novembris, aſſeverabat poſt ſanctum Ignatium ſe non vidiſſe in Europa virum æqualem virtute Emmanueli. Vixit ſemper tam obſervans legis Divinæ, ac ſui inſtituti, ut interrogatus, quid eſſet facturus ſi hâc, vel illâ horâ moneretur ad proficiſcendum ex hac vita, reſponderit ſe nihil aliud facturum, quam quod agebat, cum fiebat talis interrogatio. Laborans paralyſi Ulyſſipone migravit Eboram causâ tentandi cæli, habuit meliuſcule, ſed tandem ejusdem mali ſubitâ vi petitus, cum ipſa die ſacrum audiiſſet, & accepiſſet Corpus Domini, poſt ſacram Unctionem expiravit. Humatus eſt in ſacello Divi Vincentii ex latere Evangelii. Id ſacellum noſtris diebus Crucifixo Domino eſt dicatum. Elapſis aliquot annis, apertâ ſepulturâ, oſſa cuncta erant inter ſe colligata, veſtes ſacerdotales erant integræ. In ſiniſtra facie vultus habebat fruſtum carnis incorruptum, ac recens, quod omnibus peperit admirationem. Verum, qui ſciebant ejus orandi modum dixerunt, ipſum inter orandum applicitos tenere ſolitum duos ſiniſtræ manus digitos illi vultus parti. Eſſe incorruptam, ut ſignificaret Deus, quam grata fuiſſet ſibi Emmanuelis oratio.

DIE XXXI.

P. Emmanuel Correa.

Ulyſſipone in Domo Profeſſa deſivit eſſe inter mortales anno 1608. Natus in eadem urbe. Adjunctus Societati Conimbricæ 4. Auguſti an. 1555. Nituit ſemper ſplendidis virtutum exemplis: hæc majora fuerunt anno 1569. cum dira lues penè extinxit Ulyſſiponem. Ubi malum erupit, objecit vitam ſuam omnibus periculis pro ſalute proximi. Præſertim laboravit in ea urbis regione, quæ dicitur *Alfama.* Nam Parœciis diſtributis, quinque ex eis habuit curæ. Mane facto ſacro, & evolutâ orationis horâ, per illas urbis Parœcias diſcurrebat vel audiens confeſſiones, vel temporalia ſubſidia miniſtrans egentibus: nam pietas Cardinalis Henrici per ipſum abundè ſuccurrebat miſeris, dum piiſſimo navat operam miniſterio, perculſus eſt lue; vix ſanitatem recepit, cum redivit ad conſueta opera. Noſtri, qui vitas poſuerant in tam ſancto miniſterio, illi non terrori, ſed erant ſtimulo, ut ſe audacius miſceret incendio. Monentibus, ut moderaretur laborem, reſpondit: Jam meæ vitæ accrevit tempus omne, quod fluxit, ex quo primi de noſtris in hoc opere interierunt. Quadraginta, & tribus annis habitavit in Domo Profeſſa. Semper exercuit munera Concionatoris, Confeſſarii, & Magiſtri reſpondentis ad quæſita de caſibus conſcientiæ. Major nobilitatis pars apud

apud eum exonerabat conſcientias propter virtutis, & litterarum opinionem. Ejus conſilio vir magnæ nobilitatis legavit Domui Miſericordiæ quinquaginta aureorum millia ad emendos reditus, ut alerentur inſanabiles. Præter eam ſummam refertur illius ſuaſionibus ſupra ſeptuaginta millia aureorũ tributa prædictæ Domui, & ſodalitati, ut largiretur pauperibus. Ipſi debent navigantes ad Indiam ſolatium Sacræ Miſſæ, quod fit in navibus. Id enim ante diligentiam Emmanuelis rarum admodum fuit. Conſultis ejus itineris naucleris, & navium Præfectis, ſcripſit valde eruditum in rem tractatum, quo ſententiam ſuam firmavit ſolidis rationibus, & obtinuit amplam facultatem in navigatione celebrandi. Plurimis annis fuit à confeſſionibus Georgio Almeydæ Ulyſſiponenſi Archipræſuli, magno ipſius, ac Diœceſis bono. Publicato conventu Provinciæ habendo Conimbricæ, illò pedibus iter fecit cum Ignatio Martinio, vivens eleemoſynis, ac docens per oppida Fidei myſteria. Cum jam vix præ ſenectute poſſet pedem movere, baculo innitens adibat templum ad confeſſiones audiendas. Fuit amantiſſimus paupertatis, nihil poſſedit, cum eſſet ipſi facilè uti amicorum prædivitum liberalitate. Unicè de rebus piis habebat ante ſe in cubiculo crucem ligneam. Improbabat, quod religioſi tenerent picturas, & imagines curioſas, dicens, id non eſſe devotionem, ſed amorem rerum pretioſarum, qui eſt infenſus paupertati. Indulſit plurimum familiaritati cum Deo per orationem. Obivit ſeptuagenario major.

P. Bartholomæus Duarte.

Villænovæ in Algarbiis fecit vivendi finem. Natus Monſiquii non longe à Villanova. Eboræ ſe conjunxit Societati 18. Aprilis 1643. ætatis 16. Præter alias ſcientias didicit Matheſim, quæ multum illi profuit ad ſtructuram pulcherrimam Collegii Villænovæ; quod perfecit tam amplum, ſuiſque ſpatiis tam ſpectandum, ut multi dicerent tantum ædificium decuiſſe magis frequentiſſimam urbem, quam oppidum ſemirutum: quibus ille reſpondit, æquum eſſe, foret Collegium ſpecioſum, quod erat in extremo regni angulo ab aliorum commercio valde remotum; & quando Religioſi privabantur aliis commodis, ſaltem hoc gratæ habitationis non carerent. Præditus erat animo generoſo, & ad quæque grandia idoneo, quamvis ſolum occupatus eſt in eo Collegio erigendo. Ajebat Religionis bona eſſe potius ſuſtentandis vivis parietibus, nempe Religioſis, quam parietibus mortuis fabricandis, propterea aſſiſtebat ſubditis magnâ liberalitate, adjiciens ſe conferendo præteritos annos, quibus Religioſi miſerè à Superiore tractabantur, cum his, quibus res fiebat liberaliter, comperiſſe illis fuiſſe reditus tenuiores, his vero ampliores, cum eſſet major ſumptus, Deo nimi-

rum augente bona, quod ſuis abundè conſuleretur. Illius mores ſpirabant ſanctimoniam. Rigore utebatur adverſus ſe ipſum. Infenſus erat ſingularitatibus. Licet eum gravarent morbi, non receſſit à cæterorum more in victu, niſi augendo abſtinentiam. Per Quadrageſimam non edit carnes, quamvis Medici noxios illi piſces affirmarent, & ipſe experiretur. Victu alio ſupplebat defectum carnis,& piſcis, quos non attingebat. Cum Medici ſcrupulum injicerent, id non curavit, imo panis tantum offâ tranſegit Quadrageſimam. Non protulit verbum, quod aliquem offenderet. Neminem ſinebat abire triſtem è ſua præſentia. Crimina ſubditorum correxit ſummâ charitate, & ſilentio: ſi deferebantur ad Provincialem, ſemper illos tutatus eſt amore paterno. Summopere cautus fuit in agendo cum fæminis: illas nunquam viſitavit, cujuscunque nobilitatis forent. Si verò res ipſa poſtulavit urbanitatem erga fæminas benevolentiores Societati, hujusmodi præſtitit officium interrogando ad earum oſtia de maritis, ac de filiis; cum domi erant, intrans aliquantum morabatur, ſi non erant, pertranſibat. Cum ſcirent,illum eſſe morem ſuum, nemo offendebatur: Erat inſtar parentis omnium oppidanorum. Fuit continuus in audiendis pœnitentibus. Omnes ad ipſum concurrebant. Ex hac aſſiduitate natæ ſunt illi multæ, & graves affectiones valetudinis. De ipſo tam ſancta fuit opinio, ut ſiquis auderet adverſus eum loqui, diceret, qui audiebat, ſi vellet honorem ſuum incolumem, ſileret, nam de Bartholomæo, qui verbum proferret infenſum, ſeipſum dedecorare. Perculſus injurioſis verbis, & conviciis, diſſimulabat,tanquam res ſecum non eſſet. Quantum ſit corpus ſuum perſecutus, illud argumento eſt, quod cum Villænovæ, ut in portu marino, pulices ſint infiniti, nunquam viſus eſt eorum arcere morſus manûs fricatione, quæ res in tanta importunitate apparebat incredibilis, & ſignificabat viri raram morficationem. Sæpè nihil aliud edebat præter panem, & ſalem. Cum vixiſſet annis quadraginta Villænovæ nemo fuit, qui de ipſo vel levem querelam excitaverit. Annis quindecim illic docuit Latinitatem magno diſcipulorum tum in litteris, tum in virtute progreſſu. Negligens fuit in procurandis ſuis commodis, at in alienis ſolicitandis providentiſſimus. Nihil illi æquè abominandum, atq; vita otioſa. Quam de ſuis bonis cum facultate ſibi reſervavit penſionem, totam conſumebat in uſus Collegii. Ejus inſignem virtutem teſtatus eſt ipſe virtutum inimicus. Dæmon ſub Æthiopis figura apparuit ruſtico, qui prodiverat ad colendam ſuam vineam imminentem mari. Illum invaſit, & conabatur dare præcipitem in fluctus. Dum miſer renititur, ait illi Dæmon, à ſe dimittendum, ſi vellet eâ nocte ſe hoſpitem adhibere cænæ. Conſentiens poſtulato, domum ſe contulit unà cum

Æthio-

Æthiope. Ubi domum intrant, Dæmon ſe induit in ruſtici corpus, diverſi ſacerdotes conati ſunt minis Eccleſiæ tetrum hoſpitem abigere, at incaſſum. Vocatus eſt tandem Bartholomæus, ubi tetigit oſtii limen, exclamavit Dæmon; Adverſus hunc vires non habeo. His dictis, reliquit corpus. Pater homini ſuaſit, ut generali confeſſione purgaret animam. Poſt longos vitæ annos retentione veſicæ graviſſimos æquo animo perpeſſus dolores effudit ſupremum anhelitum. Non defuerunt externi, qui petiverunt reliquias de ſupellectile defuncti.

Joannes Fernandes Coadjutor.

Ulyſſipone in Domo Profeſſa contigit vitæ finem anno 1625. Natus Gouveæ Diœceſis Conimbricenſis. Ingreſſus Societatem in eadem domo 19. die Novembris añ 1564. Ibidem peregit officia diverſa, ſubminiſtri videlicet, fullonis, Promicondi. Et annis viginti verrit pergulas, & providit lychnis penſilibus, atque habuit curæ educationem gallinarum. Hæc omnia obivit magno virtutis exemplo, & humilitate rarâ. Illius vitam exornarunt ſimplicitas, & prudentia. Indumentis, quibus utebatur, nulla domi viliora. Semper Novitiorum uſus togâ, ſeu tunicâ talari. Sæviit multum contra ſuum corpus, illud verberationibus ſeveris caſtigans. Diebus jejunii cænulam nocte non ſumebat, ſed ejus loco, quo tempore capiebant alii cænulam, flagellabat corpus. In ultima ſenectute nunquam omiſit jejunia de præcepto, nec Sabbati in obſequium SS. Virginis. Orationem, & examina conſcientiæ habuit ſemper flexis genibus. In converſatione fuit omnibus ſuavis. Verbum illi non excidit, quod quemquam læderet. Oſtendebat majorẽ lætitiam in abjectioribus miniſteriis. Cum providebat alendis gallinis, reſidua culinæ ferebat in olla ſuper caput, & triclinii in ſporta ſuper ſcapulas, jure nonnunquam per collum fluente. Hanc ejus humilitatem videns Comes Vidigueiræ, qui fuerat Prorex Indiæ, ajebat, in hac vita ſolum invidere Joanni propter nimium ſui contemptum, & conſcientiæ tranquillitatem. Conceſſit illi Pater Generalis facultatem diſcendi legere, & ſcribere, eâ uti noluit, ut ſe magis in humilitate conſervaret; Quidquid injunxerunt faciendum, ſine excuſatione mandavit executioni. Nedum ægrotans admiſit in cibo aliquid præter illud, quod erat aliis commune. Noluit, quod alii præſtarent ſibi ullum ſervitium. Decrepitus, & claudus mane ſurgebat cum cæteris, & ibat ſolitis horis ad triclinium. Diebus aliquot ante mortem dixit Præfecto valetudinarii, ſe brevi de vita abiturum. Dum conſcendit ſcalas propè triclinium, ſubitâ lethiferi morbi concidit incurſione, deductus in cubiculum, inunctus eſt, ac paulo poſt emoritur ætatis anno nonageſimo, Societatis ſexageſimo. Ab omnibus exiſtimabatur vir ſanctus, & notæ virtutis.

P. Antonius de Mello.

ULyssipone in Domo Professa anno 1676. vitam explevit. Natus in oppido *Sancta Comba* Diœcesis Conimbricensis. Societati mancipatus est 23. Decembris 1623. ætatis 22. Matriti erat, cum Lusitani, excusso dominio Castellanorum, evexêre ad avitum thronum Joannem IV. Illinc migravit Romam ad studia Theologiæ. Redditus Lusitaniæ, jussu novi, & legitimi Regis comitatus est P. Antonium Vieiram concionatorem celeberrimum adHollandiam. Posteà sex annis habuit missionem in urbe Tingitana, & Mazagonia Coloniis Lusitanorum in Africa. In una ex his coloniis, cum nollet morem gerere Præfecto, quod æquum non esset, imperavit Præfectus Regis Quæstori, ne Patribus daret constitutam à Rege sustentationem. Nihil est Antonius perturbatus, sed ostiatim cæpit victum mendicare. Scientes coloni novitatis causam abundè, quibus alerentur, præbuerunt. Videns Præfectus Patris humilitatem destruxisse astutiam suam, abstinuit proposito iniquo. In Antonio micuit humanarum rerum contemptus, de quo inserebat crebrum sermonem. Improbabat multum ambitionem in hominibus religiosis. Vixit captus oculis postremo vitæ suæ tempore, & plurimis gravatus morbis. Conterebat multas horas coramDeo preces fundendo, & se ad agonem ultimum comparando.

Ambrosius Ferreyra Coadjutor.

DIe, mense,& anno mihi non compertis Conimbricæ volavit ad cælites. Ob insignem artem organa pulsandi habitus magni à Georgio Almeida EpiscopoConimbricensi. Post ejus Præsulis mortem, vocatus est à Rege Joanne tertio magnis stipendiis ad eamdem artem exercendam in sacello Regio : dum id muneris obit, meditans mundi vanitatem, inducit animum, Deum sequi in Societate, cujus per id tempus erant Conimbricæ exempla præclarissima. Illò pergens rogat Simonem Rodericium, adscribat inter socios. Is sciens hominis celebritatem, & famam ab arte sua, ponit ob oculos quæque dura in Societate voranda ; nihil apud nos faciendum, quærat alias familias sacras, quibus ad cultum Divinum utilis esse possit. Nihil his, & aliis est deterritus, cum non aliud magis, quam despectum Christum ipse expeteret. Benè est, inquit Simon, libens tibi morem geram, si die crescente, deposito pallio, sumpta in manu hominis calvaria, veneris per mediam urbem ex *Arnado* (locus est in urbis fine) ad Collegium usque. Amplexus libenter experimentum, è prædicto loco contendit, infinito sequente, & sibilante populo. Miserti sunt amici, credentes perdidisse usum sanæ mentis. Conantur eum abducere de medio turbæ. Verum ille sui tenax propositi, rectâ ad Collegium incedens, se coram sistit Rodericio cum cranio in manibus. Igitur sic ten-

tentatus domi admittitur 13. Julii anno 1545. Statim exercetur per mensem, ut tunc erat moris, in meditationibus Sancti Ignatii. Posteà Martinus Sancta Crucius collegii Rector novum de illo capit experimentum. Vocato ad se Ambrosio denunciat verbis disertis, ipsum Institutis nostris esse inutilem; nam carebat scientia ad sacros ordines, & aptus jam non erat perdiscendis litteris: præterea virium imbecillitas nequaquam par videbatur corporeis ferendis oneribus. Idcirco sibi consuleret aliam sacram familiam quærendo, ubi suæ artis peritiâ cultui Divino inserviret. Vix dici potest, quam gravi telo sit penetratus. Volat in triclinium, ubi erant socii, flexis genibus, lachrymis non satis vocem expediens, per quidquid in terra, ac cælo est enixè rogat, petant ipsi à Rectore, ne miserum Ambrosium foras pellat. Commota sunt omnium viscera. Festinant ad Rectorem infimis orant verbis, ne in Ambrosio omnes contristet. Gaudet expugnari Sancta Crucius. Tunc injungit Ambrosio, degat in separata domo extra sociorum convictum, donec Rectori placuerit. Tribus tantum diebus vixit in ea solitudine. Deinde applicatus humilioribus officiis, in his laudabiliter vitam consumpsit. Quamvis à gravissimo monasterio sit pellectus honorificis conditionibus, ut ad illud transiret; vicit importuna invitamenta nihil æque pendens atque JESUM in sua Societate.

P. Franciscus Vieira.

IN Molucis die, mense, & anno mihi ignoratis deposuit mortalitatem. Natus in oppido *Arruda* Diœcesis Ulyssiponensis. Conimbricæ venit in Societatem 15. Januarii anno 1544. Caluit multum primitivæ Societatis spiritu. Ulyssipone, ubi rexit aliquo tempore domum Divi Antonii, multos Deo conjunxit per sanctas monitiones, & exercitationes. Ille Societati peperit Alphonsum Castrium qui apud barbaros Molucenses martyrio est illustratus. Cum eum ab ineunda Societate arcerent consanguinei, suasit adolescenti Franciscus, ut conscenderet Indicam navem, à Sancto Xaverio Goæ admittendus in Societatem. Paruit monitori, & voto suo est potitus. Cum Francisci grandem spiritum Lusitania non caperet, Indiam petivit unà cum Petro Mascarenio Prorege. In navigatione tum nautas, tum vectores mirificè juvit. Anno 1557. cum aliis operariis missus ad Insulas Molucenses; ubi diligentem impendit operam tum gubernandis sociis ejus vineæ operariis, tum fidei promulgandæ. Cum Lusitanorum arx cingeretur ab indigenis arcta obsidione, Franciscus defensores animavit egregiè. Illius industriâ venit obsessis auxilio Rex Christianus ex Insula proxima, quo subsidio rebus angustis levamen tunc est allatum. Quam dura sit apud eas gentes perpessus, dicam ipsius verbis in epistola, qua refert Alphonsi Castri glorio-

riosum pro fide certamen, vertens enim ad se sermonem, hæc habet: „ Plurimas experimur insidias, à quibus semper nos Dominus noster „ liberavit. Oh quoties nos combustos vidimus? Oh quoties undis mersos! aliquoties pene obrutos infinitâ gentis multitudine, „ quâ hujuscemodi regio abundat. „ Etiam fuimus calumniis inusti, ac „ diffamati quod meis concionibus „ reprehenderim Præfectum hominem tyrannum, verum id moderatè, quod probavit illus mors infaustissima. Loquens de diligentia in curandis operariis infirmis, qui veniebant in arcem ad instaurandas vires, hæc ait: „ Medici vices ego „ suppleo eâ scientiâ, quam scitis „ me didicisse. Propterà credo magis me ab ipsis curari singulari tolerantia, qua me sustinebant, „ quam ipsos à me, qui eram imperitus in adhibendis medicinis. Inter eas gentes urgens operam Evangelicam, extinctus est.

P. Didacus Soveral.

APud Orientis Indos migravit ad immortales. Patriam in terris habuit oppidum *Soveral*, unde cognomen sumpsit, in Diœcesi Visensi. Conimbricæ Societati adjunctus 11. Junii anno 1546. Sequenti anno nondum sacerdos, quod est magnæ virtutis indicium, missus est ad Conganum regnum in Africa cum aliis de Societate, qui ad eas excolendas gentes ivêre primi. Post navatam operamin solo sterili ob indelebiles nationis avitas consuetudines, & vivendi libertatem, reversus est in Lusitaniam unà cum Didaco Gomesio nigri Regis olim Confessario, & ejusdem legato, ut Regem Lusitanum, ac Societatis Moderatores edoceret rei Congensis statum, & spem inaniter conceptam de fundanda apud eas gentes casta religione: quamvis eam non difficulter accipiant, mores suos corruptissimos omnino respuunt exuere; tanquam possit esse amica Societas tenebris cum luce. Didacus jam initiatus sacris cogitavit Indiam, ubi se lætior ostendebat messis. Eò navigavit anno 1554. cum Francisco Vieira, de quo proximè dictum est. Goæ Societatis obivit ministeria. Inde miserunt ad oras Promontorii Comorini, ubi juvit Apostolicos heroes Henricum Henriquium, & Franciscum Peres. Cum illius suasu neophyti migrarent ad pagum, ubi commodius excoli poterant, dynasta derelicti pagi Dominus, manus, & vincula conjecit in Didacum, multis affecit injuriis, ægrè ereptus est morti. His tormentis fortior ad urgendam culturam redditus, eam ad extremum vitæ spiritum feliciter prosecutu.s

P. Philippus Franco.

ANno 1673. mense, ac die mihi ignotis vitam clausit in Brasilia. Editus in lucem in maritimo oppido *Peniche* Diœcesis Ulyssiponensis. Societati adscriptus Ulyssipone 23. Februarii anno 1624. ætatis 16. Vir fuit

fuit natus totus Religiosæ obedientiæ. Labores graves tolerati erant illi instar meriti ad graviores subeundos; quos omnes hilari semper est amplexus vultu. Absoluto Philosophiæ curriculo missus ad Insulas docturus Latinitatem. Reversus absolvit studia Theologiæ. Statim est ipsi demandata navigatio in Angolam. Illic erat, cum Hollandus ingenti classe expugnavit Loandam sedem Lusitanæ ditionis. Philippus cum aliis Lusitanis loca mediterranea petivit. Interim concessis induciis Lusitanos inter, & Hollandos, Philippus venit in Lusitaniam, ut Regem edoceret ditionis Angolanæ statum. Aderat Ulyssipone, cum myoparones Regii muniti epibatis in altum sunt provecti, ut piratas arcerent è nostro mari; in ea classe Philippus procuravit omnium commoda spiritualia; passus pericula tum ab hostibus, cum quibus est commissum prælium, tum à fæda tempestate. Iterum miserunt in Angolam, sed retardantibus navigationem, ventis importunissimis à prora, coactus est tenere Bahiam in Brasilia. Moratus est ibi annis duobus, ac morbum diuturnum est passus. Hollandis Pernambuci Dominis Bahiam classe infestantibus, Philippo fuit injunctum, ut navigio conscenso rediret in Lusitaniam, ferretque litteras ad regem de tantæ urbis periculo. Penè jam arabat regni littora, cum passis velis navigium petit navis Maurorum. Ut se eriperet instanti malo, rectà properans ad terram illisit se in saxa, & arenam propè oppidum Penicense, ubi Philippus natus fuerat. Perditis rebus omnibus præter viros, tradidit Regi litteras. Cum Rex agitaret de recuperanda Angola, missas eò naves comitatus est Philippus. Ejectis tandem hostibus, recepta urbe, & arce, desertum Societatis Collegium Philippus in pristinum restituit statum; illi præfuit annis quinque, donec è Lusitania novus successit Rector. Jam Philippus erat in Brasilia per singulos dies discessurus in Lusitaniam, cum accepit à Majoribus litteras, ut in Brasilia subsisteret, ac procuraret officinam sacchari conficiendi, quæ est in pago *Sergipe*, & pertinet ad templum Collegii Divi Antonii Ulyssipone. Duobus annis egit illam Procurationem. Inde jussu Superiorum migravit ad habendam curæ similem officinam, ubi vocant *Ilheos*. Duo de viginti annis præfuit illi fabricæ, navis industriis promovens bona paupertatis, & omnes suis exemplis ædificans. Illud mirandum fuit, quod, cum facilè posset annis postremis, patriæ redditus quiescere, si rem solicitaret, sui omnino vixit oblitus commodi, nihil volens, nisi quod placuit obedientiæ, quam ille totius vitæ constitueratobservandam cynosuram.

P. Antonius Fernandes.

IN Collegio Insulæ Madeiræ die, mense, & anno mihi non com-

 per-

pertis de vivis migravit magnâ virtutum opinione. Ejus cranium ſervatur in cubiculo Rectoris incluſum capſa, & lemmate, cujus fuerit, ſignificante. Cum mihi magna de ipſo dicta fuiſſent; anno 1711. ſcripſi ad quemdam ſacerdotem è noſtris illic degentem, ad me mitteret, quidquid ſe Antonio memoriæ fuiſſet traditum vel in adverſariis Collegii, vel in obituum codice. Neque enim illud cranium tantæ virtutis notâ eſſet inſignitum, niſi micuiſſet Antonius multis virtutibus. Reſcripſit, ſe præter cranium modo prædicto, aliud de tali Patre non reperiſſe, nec in obituum codice, tamen ſupereſſe apud Seniores cives, quos conſuluit, præclarum nomen de ejus virtute, & opinionem incredibilem, (hi eum noverant) de zelo animarum, & ſanctitatis ſtudio. Sibi perſuaſum, quidquid exemplorum de ipſo ſit collectum, ad archivum Provinciæ miſſum, nihilque præter viri nomen in Collegio relictum. Tanta fuit incuria, ut nec in libro morientium de ipſo facta ſit mentio. Mihi narravit quidam è noſtris ad probandam illius patientiam, ſibi memoratum à Sene Inſulano, ſemel Epiſcopum arreptâ levi occaſione in Antonium exarſiſſe media in platea, ac verbis moleſtiſſimis inceſſit DEI virum, qui demiſſis oculis, & vultu audivit, & tulit patientiſſimè.

Aliqui ſervientes infectis peſte.

ANno 1598. Ulyſſipone peſtis graſſante contagio, plurimi de noſtris devoverunt vitam ſublevandis miſeris. Hoc menſe die mihi non compertâ, poſuit animam in tam pio opere Pater *Laurentius Hortoga* natione Flander. Anno vero 1599. die, ac menſe incognitis interierunt pari morte Pater *Joannes Olingus* Hybernus, qui multum juvit fundationem Collegii Sancti Patritii ad educandos adoleſcentes ſuæ nationis; *Emmanuel Laurentius*, & *Sebaſtianus Gonſalvius* Coadjutores, habitabant in Domo Profeſſa. Sebaſtianus, dum non ceſſarunt peſtis reliquiæ, Patres comitabatur audientes infectorum confeſſiones, in quo miniſterio peſte contactus eſt. Erat ex antiquis Coadjutoribus, & vir magni exempli. Nemo umquam eum conſpexit iratum De Hortoga, & Olingo meminit Agiologium Luſitanum Martii die ſeptima, quamvis ea die non obiverint.

P. Franciſcus Laynes Epiſcopus Meliaporenſis.

JAm typis erant mandata, quæ de hoc V. P. & piiſſimo Epiſcopo ſcripſimus ſupra à pag. 369. ignorantes certam illius obitus diem, cum incidimus in librum Gallicum, cui titulus. *Letres edifiantes, & curiuſes.* Ubi dies mortis ejusque circumſtantiæ his verbis diſcribuntur.
„ Aliud non leve detrimentum paſſa eſt Miſſio Indica à Chriſtianis, ac Ethnicis æquè deploratum.
„ Il-

„ Illustrissimus Dominus Laynes
„ Episcopus Meliaporensis, & anti-
„ quus Missionarius Madurensis vi-
„ tam cum morte commutavit un-
„ decimâ Junii 1715. octavo sui E-
„ piscopatus anno. Episcopus iste,
„ qui in seipso Religiosas, & Epi-
„ scopales virtutes felicissime con-
„ junxit, ingressus Societatem æta-
„ tis anno 15. morum inocentiam,
„ ac candorem teneris his annis
„ correspondentem usque ad po-
„ stremum servavit anhelitum. Pu-
„ rissimæ erat conscientiæ, habe-
„ batque specialem devotionem, &
„ propensionem ad commercium
„ cum DEO, ideoque præter præ-
„ scriptas Ecclesiasticis preces, mul-
„ tas dabat horas rerum cælestium
„ contemplationi. Amore pauper-
„ tatis sibi negabat etiam necessa-
„ ria, pauperibus liberaliter divi-
„ debat pæne omnia, quæ sibi Se-
„ renissimus Lusitaniæ Rex ad susti-
„ nendam dignitatem Episcopalem
„ donabat. Ad Episcopatus apicem
„ evectus, nec à Missionibus, nec
„ à rigida omnium rerum observan-
„ tia, quâ utuntur Missionarii Ma-
„ durenses, abstinuit. Quinqua-
„ ginta mille infideles ab ipso sacris
„ lymphis dealbati, multò plures
„ Neophyti Sacrosancto Chrysma-
„ tis Sacramento confirmati, inu-
„ meræ Provinciæ à Capite Co-
„ morino usque ad Confinia Chinæ
„ visitatæ, evidenter ostendunt, quo
„ zelo Pastorale illius pectus æstua-
„ ret. Finitâ Visitatione Ecclesia-
„ rum Regni Bengalæ in nostram
„ Domum de *Chandernagor* se rece-
„ pit, ut sibi ac Deo vacans per de-
„ cem dies (ut solebat) exercitia
„ spiritualia S. P. N. Ignatii obiret.
„ Die tertia exercitiorum, dum ad
„ aram facit, subito tentatus mor-
„ bo sacrificium perficere non po-
„ tuit: octo tantum diebus super-
„ vixit, & inter brachia P. Barbier,
„ qui per quatuor postremos annos
„ illius in Visitatione Diœcesis co-
„ mes fuerat, animam placidissimè
„ exhalavit. Cadaver honorificè
„ tumulatum in templo nostro,
„ maximo affluxu populi ad ejus
„ obsequias confluente, cujus su-
„ spiria, & lachrymæ defuncti te-
„ xuerunt elogium. Hucusque P. Du Halde in Epistola præliminari tomi duodecimi libri citati; cætera lege ad 30. Junii.

P. Melchior Nunes Barreto.

VIrtutes, labores que Apostolicos hujus R. Patris scripsimus supra à pag. 458. ibi que contra eruditos aliquot Authores contrarium sentientes ostendimus evidenter *P. Melchiorem primum fuisse de Evangelicis Concionatoribus, qui intra Sinam prædicavit Christi legem*, videlicet Cantoniæ, anno 1555. At, cum ex hac propositione indefinite prolata, poterat inferre aliquis in Ecclesiastica Historia parum versatus Christi legem ante prædictum annum, nec in China promulgatam, nec à Sinensibus acceptatam fuisse, quod esset contra rei ve-

ritatem; ut mox oſtendam; neceſſe duxi hic advertere, me non loqui, de Primatu Prædicationis abſolute, & à tempore Chriſti ad cælos aſſumpti; ſed de Primatu Prædicationis à tempore, quo India Orientialis per Luſitanos fuit detecta; de hoc enim tantumodo erat quæſtio; & ex documentis pag. 460. adductis ad oculum probatur non Gaſparem Eborenſem, ſed Melchiorem primum fuiſſe, qui Sæculo decimo ſexto Chriſti Evangelium Sinenſibus annuntiavit: antecedentibus autem ſæculis ter invenio Fidem Catholicam in China prædicatam, ibique per multos annos floruiſſe. *Primo*, tempore Apoſtolorum, cum per S. Thomam Evangelium, ibi fuit prædicatum, multique ad Fidem converſi; ut conſtat ex Breviario Archiepiſcopatus Cranganorenſis, ubi legitur: *Per S. Thomam Sinæ, & Æthiopes converſi ſunt ad veritatem. Secundo*: ſæculo ſeptimo in quo anno 636. quidam ſanctus vir, nomine Olo Puer illuc ex Judæa advenit, Chriſtum prædicavit, Eccleſias fundavit, ac in Diœceſes, & Epiſcopatus deviſit: omnia patent ex celebri illo Cipo marmoreo anno 782. erecto juſſu Epiſcopi Him Ciu, & anno 1625. apud Civitatem *Siganfû* invento, in quo Fidei Catholicæ dogmata, & florentiſſimus Eccleſiæ Sinenſis ſtatus apprime diſcribitur. Vide P. Alvarum Semedio in Hiſt. Sinica; P. Athanaſium Kirker in China Illuſtrata, & P. Henricum Scherer in Geographia Hierarchica fol. 16. & 62. *Tertio*, ſæculo decimo tertio cum per V. Fratrem Laurentium Luſitanum Ordinis S. Franciſci, illiusque ſocios, Imperator Tartariæ, & Chinæ nomine *Cublay* ad Fidem eſt converſus, multaque Sinenſium millia, ut videre eſt, tum apud Haython in Hiſt. Tartarica, & Fortunatum Hueber in Monologio, Franciſcano; tum apud P. Bollandum in Actis Sanctorũ ad 14. Januarii in Vita B. Odorici, qui per tres annos miſſionatus fuit in China, ibique an. 1300. multos Catholicos invenit: hoc autem Divinum ſemen ter mortuum, & eradicatum iterum refloreſcere fecerunt Patres Melchior, Rogerius, & Ricius, faxit Deus, ut in æternum vireſcat, ac proferat fructum centuplum.

Hæ ſunt memoriæ, quas ſummo labore potui colligere ad fovendam noſtrorum pietatem. Feci Luſitanas pleniori calamo uſui nationis, & Latinas reddidi, ut ipſis frui poſſint noſtri homines aliarum gentium, qui multum recreabuntur legendo, ſuorum in Domino fratrum tam generoſa, & præclara exempla, quæ volo dicata majori Dei gloriæ, ac SS. Virgini Societatis Matri & Protoparentibus Ignatio, & Xaverio.

INDEX ALPHABETICUS.

A.

B.

Domi-

Em-

L.

INDEX CHRONOLOGICUS.

1577.

1685.

rus

Errata Notabiliora corrigenda.

Pag.	Col.	Lin.	Error.	corrige.
2.	2.	34.	Tavera	Tavora
9.	2.	4.	Auguſtiſſimo	Auguſtino
10.	2.	7.	avitate	aviditate
14.	2.	16.	medici	mendici
16.	2.	32.	unica	unicè
23.	1.	21.	ſum	cum
25.	2.	21.	*Caſta*	*Coſta*
35.	1.	5.	Doctoris	Rectoris
37.	2.	20.	*Pantalem*	*Pantaleon*
45.	2.	30.	Luſitaniæ	Luſitaniam
46.	2.	31.	mere	onere
48.	1.	7.	Poſt monumentũ *adde*	Aſceterium.
53.	2.	12.	Simone	Simoni
56.	2.	20.	1614.	1674.
64.	2.	17.	hanc	hinc
73.	2.	21.	*dele*	non
75.	1.	38.	ſultiores	ſtultiores
75.	1.	39.	ſua	ſuam
81.	2.	30.	fætebat	tædebat
95.	1.	6.	ſübiſa	ſubita
101.	1.	27.	excutere	excuſsêre
118.	2.	28.	Matrem	Martem
129.	1.	24.	*dele*	In
133.	1.	12.	eam	eum
137.	2.	6.	edit	edidit
143.	2.	31.	*Monſarà*	*Monſaràs*

169. 1.	11.	*Farrez*	*Ferraz*
171. 1.	30.	imperatus	imparatus
171. 2.	19.	ratibus	retibus
174. 2.	21.	*Sourel*	*Souzel*
188. 2.	7.	Lacrum	Laòrum
195. 1.	6.	Regius	Rigius
203. 1.	26.	prætur	præbetur
258. 2.	39.	tucides	tui des
265. 1.	29.	demum	domum
272. 1.	18.	eam	eâ
286. 1.	19.	est	&
286. 1.	37.	*Arauso*	*Araujo*
286. 2.	28.	Natus	Nullus
294. 2.	37.	conveni	illùc venit
299. 2.	34.	*Cuncha*	*Cunha*
301. 2.	24.	Dazario	Dazaros
302. 1.	25.	delixaret	deliraret
307. 2.	28.	*Penta*	*Ponta*
326. 2.	19.	Lusitania	Lusitana
230. 1.	28.	se da	sede
331. 1.	10.	se	si
331. 2.	35.	fluebat	flebat
343. 2.	21.	Fernandi	Fernandum
389. 2.	22.	narem	nasum
413. 2.	17.	1539.	1639.
424. 2.	30.	trem	Matrem
438. 2.	36.	polliceretur	sepeliretur
451. 2.	38.	narravit	navavit
492. 2.	33.	1553.	1533.
494. 2.	30.	1565.	1665.
525. 2.	39.	littetis	litteris
543. 1.	34.	Comorrini	Comorini
545. 1.	30.	argumeni inani	argumenti inanis
546. 2.	5.	convenui	conventui
546. 2.	26.	in	au
547. 1.	6.	tuarius	Suarius
552. 1.	5.	signo	ligno
566. 2.	34.	inultum	multum
566. 2.	39.	magni	magno
569. 1.	8.	vir	vix
571. 2.	17.	scripsisset	serpsisset
572. 2.	29.	degerunt.	elegerunt
578. 1.	32.	antequam	antiquam
578. 1.	39.	magni	magna
580. 2.	22.	veritatum	visitarum
581. 1.	39.	Dia	Diasius
584. 1.	28.	seniit	serviit
591. 2.	4.	è nobis	è nostris
606. 1.	13.	nos	& Lusitanos
613. 1.	38.	Odivar	Odivor
613. 2.	15.	liberas	literas
621. 1.	15.	meror	mereor
625. 1.	4.	diversissimis	disertissimis
626. 1.	10.	ut odoris	odoris, ut
639. 2.	27.	militiæ	tristitiæ
647. 1.	23.	crassiori	ex crassiori
648. 1.	22.	est *adde*	exornata
680. 2.	12.	arutros	aratro
684. 2.	14.	*dele*	penes nomen.
692. 1.	12.	Steila	Stellâ
701. 2.	26.	jurandis	juvandis
723. 1.	4.	*Nouzella*	*Vouzella*
727. 1.	15.	Cardonius	Candonius
732. 1.	27.	*dele*	P.
756. 2.	23.	labè	latè
759. 1.	18.	aliud	illud
762. 1.	12.	redde	re de
763. 1.	7.	funces	funus
764. 1.	9.	ministravit	ministravi

Correctionem errorum typographiæ consulto omisimus, quia minoris momenti, & quia ex contextu sermonis à lectoribus emendari possunt.

